Breviarium Romanum

EX DECRETO

SACROSANCTI CONCILII TRIDENTINI

RESTITUTUM

S. Pii V. Pontificis Maximi

JUSSU EDITUM

ALIORUMQUE PONTIFICUM

CURA RECOGNITUM

Pii Papae X

AUCTORITATE REFORMATUM

Editio juxta typicam amplificata

PARS ÆSTIVA

ROMÆ, TORNACI, PARISIIS

Typis Societatis S. Joannis Evangelistæ

DESCLÉE & Socii

S. Sedis Apostolicæ et S. Rituum Congreg. Typographi

Ludovicus Delmotte

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

EPISCOPUS TORNACENSIS

Omnibus has visuris salutem in Domino

Cum juxta tenorem authenticorum S. R. C. decretorum et ad normam Canonis 1390, nulli typographo fas sit librorum liturgicorum in totum vel ex parte editionem suscipere vel evulgare, nisi prius eam Ordinarius loci declaratione munierit, qua de perfecta ejus concordantia cum archetypis Romanis exemplaribus constet; hinc est quod Nos dilectis Filiis Desclée & Socius in hac nostra civitate Tornacensi, novam editionem liturgicam parantibus, censorem peritum deputavimus, qui collatione facta diligentissime testaretur illam cum authentico suo Originali rite omnino convenire.

Oblatum vero opus absolutum cui titulus : Breviarium Romanum in-18° [Pars Æstiva] juxta editionem typicam; postquam, ex prædicti censoris testimonio in scriptis obtento, fuimus legitime informati illud cum originalibus a S. R. C. approbatis necnon cum recentioribus decretis ad amussim concordare, excusum approbavimus evulgandique licentiam dedimus, prout per præsentes approbamus ac licentiam damus.

In quorum fidem hasce litteras subsignavimus, sigilloque nostro ac Secretarii nostri chirographo muniri fecimus, Tornaci, die 6ª mensis Junii anno MCMXLII.

L. † S. ✠ **Ludovicus**, Epus Tornac.

De mandato Illmi ac Rmi DD. Episcopi :

A. Crame, *Can. a Secret.*

SUMMA BULLARUM

SUMMORUM PONTIFICUM

PRO EDITIONE HUJUS BREVIARII

Pius V Bulla, quæ incipit : « Quod a nobis », data Romæ septimo Idus Julii anno 1568, significat causam edendi hujus Breviarii, nempe ad tollendam orandi varietatem. Enarrat ea, quæ in hac re præstitere Paulus et Pius nomine Quarti, et quam ipse adhiberi operam curavit, ex Decreto Concilii Tridentini. Tollit et abolet omnino Breviarium, a Cardinale S. Crucis compositum, quod erat brevissimum. Item alia Breviaria Romana, et alia, quæ ex institutione, vel consuetudine legitima non superant ducentos annos. Permittit tamen ut antiquiora ducentis annis possint mutari in hoc Breviarium. iis omissis, si Episcopus, et universum Capitulum consentiant. Revocat omnes permissiones, consuetudines, statuta, privilegia, licentias, et indulta precandi, et psallendi more et ritu prædictorum Breviariorum suppressorum. Præcipit observari hoc Breviarium in toto orbe, cum exceptione 200 annorum, de quo supra. Statuit in eo nihil mutandum, addendum, et detrahendum. Obligat quosque, qui tenentur Horas Canonicas recitare, ut hoc utantur Breviario, alias non satisfaciant muneri suo. Jubet omnibus Prælatis, ut hoc introducant tam in choro, quam extra chorum. Tollit peccati obligationem, quæ erat, recitandi in choro Officium parvum B. M. V. et Defunctorum, Psalmos Pœnitentiales et Graduales, juxta Rubricas Breviarii. Hortatur, ut recitentur eadem, propositis indulgentiis dierum centum recitantibus Officium parvum B. M. V. et Defunctorum : quinquaginta recitantibus Psalmos Pœnitentiales et Graduales, quando Rubricæ ea præscribant. Non tamen tollit laudabilem consuetudinem, ubi est, recitandi Officium parvum B. M. V. in choro, imo eamdem confirmat, et tandem tempus decernit obligationis ad usum Breviarii post ejusdem publicationem.

Pius X in Bulla « Divino afflatu » edita Kalendis Novembribus anno 1911, exorsus a laudibus Psalmorum, qui ad excitanda virtutum omnium studia mirifice valeant, veterem illustrat Ecclesiæ consuetudinem integrum Psalterium in divino Officio per singulas hebdomadas usurpandi : quam consuetudinem S. Pius V, Clemens VIII, Urbanus VIII cum Breviarium Romanum recognoscerent, confirmarunt. Hanc ipsam ut revocaret, quæ sensim, ob auctum Officiorum de Sanctis numerum, defecerat, negotium se dedisse ait delectis aliquot

viris, qui alia quadam ratione Psalterium per hebdomadam disponerent, cauto quidem ne de Sanctorum cultu quidquam decederet, neve Clericis divini Officii onus molestius, quin etiam temperatius evaderet. Itaque dispositionem Psalterii ab iis factam cum suis Rubricis et Regulis, ratam habet, ejusque editionem authenticam e Typographia Vaticana evulgari jubet : simul abolito Psalterii usitato ordine, et ejus usu inde a Kalendis Januariis anni 1913 interdicto, omnibus, quicumque Horas Canonicas juxta Breviarium Romanum debent quotidie persolvere, præcipit, ut ex eo ipso die Psalterium novum adhibeant edicitque, secus si fecerint, officio non satisfacturos.

DE ANNO ET EJUS PARTIBUS

ANNUS menses habet duodecim, hebdomadas duas et quinquaginta, et diem unum : dies vero trecentos sexaginta quinque, et fere sex horas; tanto enim temporis intervallo sol Zodiacum perlustrat. Quater autem sex horæ singulis quaternis annis diem constituunt; hinc annus ille intercalaris, Bissextus vel Bissextilis dicitur.

De anni correctione ejusque necessitate, ac Kalendario gregoriano

Quod dictum est, annum continere trecentos et sexaginta quinque dies, et fere sex horas, intelligendum est sex horas non esse integras, cum ad earum complementum aliqua minuta deficiant.

Ex quorum minutorum neglectu progressum est, ac si annus ultra dies 365 contineret integras sex horas : et factum est, ut minuta, quæ ultra debitam quantitatem annis singulis tribuebantur, tractu temporis ita excreverint, ut invicem juncta constituerint dies decem; qui causam dederunt ut Æquinoctium vernum sedem suam mutaverit.

Cui malo occurrens Gregorius XIII, non solum Æquinoctium vernum restituit in pristinam sedem, a qua jam a Concilio Nicæno, decem circiter diebus in anno correctionis 1582 præcedendo recesserat, quod a Concilio ad xij Kalendas Aprilis fuerat constitutum, et xiv Lunam Paschalem suo in loco reposuit; sed viam quoque tradidit et rationem, qua caveretur ut in posterum et Æquinoctium vernum et xiv Luna Paschalis a propriis sedibus numquam removerentur.

Ut enim Æquinoctium vernum ad xij Kalendas Aprilis restitueretur, statuit ut dicti decem dies in mense Octobris ipsius anni 1582 eximerentur; ut post quartam diem Octobris sancto Francisco sacram, sequens dies non esset quinta, sed decima quinta Octobris. Et ita error, qui in præteritum tot annorum circulis irrepserat, in momento temporis fuit correctus.

Ut autem in posterum idem error vitaretur, ne a xij Kalendas Aprilis Æquinoctium vernum recederet, statuit idem Gregorius, Bissextum quarto quoque anno (ut mos est) continuari debere, præterquam in centesimis annis : qui quamvis Bissextiles antea semper fuerint, qualem etiam esse voluit annum 1600 anno correctionis proximum, post eum tamen qui deinceps consequentur centesimi, non omnes Bissextiles essent, sed in quadringentis quibusque annis primi quique tres centesimi sine Bissexto transigerentur; quartus vero quisque centesimus esset Bissextilis, ita ut annus 1700, 1800, 1900 Bissextiles non sint, anno vero 2000 more

consueto dies Bissextus intercaletur, Februario dies 29 continente; idemque ordo intermittendi intercalandique Bissextum diem in quadringentis quibusque annis perpetuo conservaretur.

Quatuor Tempora

Quatuor Tempora celebrantur quarta et sexta Feria ac Sabbato post tertiam Dominicam Adventus, post primam Dominicam Quadragesimæ, post Dominicam Pentecostes, post Festum Exaltationis sanctæ Crucis.

De nuptiarum celebratione

Matrimonium quolibet anni tempore contrahi potest. — 2 Solemnis tantum Nuptiarum benedictio vetatur a Dominica I Adventus usque ad diem Nativitatis Domini inclusive, et a Feria IV Cinerum usque ad Dominicam Paschatis inclusive. — 3 Ordinarii tamen locorum possunt, salvis legibus liturgicis, etiam prædictis temporibus, eam permittere ex justa causa, monitis sponsis ut a nimia pompa abstineant.

Tabula Paschalis antiqua reformata

AUR. NUM.	CYCLUS EPACTARUM	LITT. DOM.	SEPTUAG.	DIES CINERUM	PASCHA	ASCENSIO	PENTECOST.	CORP. CHRISTI	DOM. P. PENT.	DOM. I ADV.
16	xxiij		Jan.	Febr.	Mar.	Apr.	Maii	Maii		
5	xxij	d	18	4	22	30	10	21	28	29 N.
	xxj	e	19	5	23	1 Maii	11	22	28	30
13	xx	f	20	6	24	2	12	23	28	1 D.
2	xix	g	21	7	25	3	13	24	28	2
	xviij	A	22	8	26	4	14	25	28	3
10	xvij	b	23	9	27	5	15	26	27	27 N.
	xvj	c	24	10	28	6	16	27	27	28
18	xv	d	25	11	29	7	17	28	27	29
7	xiv	e	26	12	30	8	18	29	27	30
	xiij	f	27	13	31	9	19	30	27	1 D.
15	xij	g	28	14	1 Ap.	10	20	31	27	2
4	xj	A	29	15	2	11	21	1 Jun.	27	3
	x	b	30	16	3	12	22	2	26	27 N.
12	ix	c	31	17	4	13	23	3	26	28
1	viij	d	1 Fe.	18	5	14	24	4	26	29
	vij	e	2	19	6	15	25	5	26	30
9	vj	f	3	20	7	16	26	6	26	1 D.
	v	g	4	21	8	17	27	7	26	2
17	iv	A	5	22	9	18	28	8	26	3
6	iij	b	6	23	10	19	29	9	25	27 N.
	ij	c	7	24	11	20	30	10	25	28
14	j	d	8	25	12	21	31	11	25	29
3	*	e	9	26	13	22	1 Jun.	12	25	30
	xxix	f	10	27	14	23	2	13	25	1 D.
11	xxviij	g	11	28	15	24	3	14	25	2
	xxvij	A	12	1 Mar.	16	25	4	15	25	3
19	25 xxvj	b	13	2	17	26	5	16	24	27 N.
8	xxv xxiv	c	14	3	18	27	6	17	24	28
		d	15	4	19	28	7	18	24	29
		e	16	5	20	29	8	19	24	30
		f	17	6	21	30	9	20	24	1 D.
		g	18	7	22	31	10	21	24	2
		A	19	8	23	1 Jun.	11	22	24	3
		b	20	9	24	2	12	23	23	27 N.
		c	21	10	25	3	13	24	23	28

Tabula Paschalis nova reformata

LITT. DOMIN.	CYCLUS EPACTARUM	SEPTUAGESIMA	DIES CINERUM
D	23.	18 Januarii	4 Februarii
	22. 21. 20. 19. 18. 17. 16.	25 Januarii	11 Februarii
	15. 14. 13. 12. 11. 10. 9.	1 Februarii	18 Februarii
	8. 7. 6. 5. 4. 3. 2.	8 Februarii	25 Februarii
	1. *. 29. 28. 27. 26. xxv 25. 24.	15 Februarii	4 Martii
E	23. 22.	19 Januarii	5 Februarii
	21. 20. 19. 18. 17. 16. 15.	26 Januarii	12 Februarii
	14. 13. 12. 11. 10. 9. 8.	2 Februarii	19 Februarii
	7. 6. 5. 4. 3. 2. 1.	9 Februarii	26 Februarii
	*. 29. 28. 27. 26. xxv 25. 24.	16 Februarii	5 Martii
F	23. 22. 21.	20 Januarii	6 Februarii
	20. 19. 18. 17. 16. 15. 14.	27 Januarii	13 Februarii
	13. 12. 11. 10. 9. 8. 7.	3 Februarii	20 Februarii
	6. 5. 4. 3. 2. 1. *.	10 Februarii	27 Februarii
	29. 28. 27. 26. xxv 25. 24.	17 Februarii	6 Martii
G	23. 22. 21. 20.	21 Januarii	7 Februarii
	19. 18. 17. 16. 15. 14. 13.	28 Januarii	14 Februarii
	12. 11. 10. 9. 8. 7. 6.	4 Februarii	21 Februarii
	5. 4. 3. 2. 1. *. 29.	11 Februarii	28 Februarii
	28. 27. 26. xxv 25. 24.	18 Februarii	7 Martii
A	23. 22. 21. 20. 19.	22 Januarii	8 Februarii
	18. 17. 16. 15. 14. 13. 12.	29 Januarii	15 Februarii
	11. 10. 9. 8. 7. 6. 5.	5 Februarii	22 Februarii
	4. 3. 2. 1. *. 29. 28.	12 Februarii	1 Martii
	27. 26. xxv 25. 24.	19 Februarii	8 Martii
B	23. 22. 21. 20. 19. 18.	23 Januarii	9 Februarii
	17. 16. 15. 14. 13. 12. 11.	30 Januarii	16 Februarii
	10. 9. 8. 7. 6. 5. 4.	6 Februarii	23 Februarii
	3. 2. 1. *. 29. 28. 27.	13 Februarii	2 Martii
	26. xxv 25. 24.	20 Februarii	9 Martii
C	23. 22. 21. 20. 19. 18. 17.	24 Januarii	10 Februarii
	16. 15. 14. 13. 12. 11. 10.	31 Januarii	17 Februarii
	9. 8. 7. 6. 5. 4. 3. 2.	7 Februarii	24 Februarii
	1. *. 29. 28. 27. 26. xxv	14 Februarii	3 Martii
	25. 24.	21 Februarii	10 Martii

Tabula Paschalis nova reformata

PASCHA	ASCENSIO	PENTEC.	CORPUS CHRISTI	DOM. P. PENT.	DOM. I. ADVENTUS
22 Martii	30 Aprilis	10 Maii	21 Maii	28	29 Novembris
29 Martii	7 Maii	17 Maii	28 Maii	27	29 Novembris
5 Aprilis	14 Maii	24 Maii	4 Junii	26	29 Novembris
12 Aprilis	21 Maii	31 Maii	11 Junii	25	29 Novembris
19 Aprilis	28 Maii	7 Junii	18 Junii	24	29 Novembris
23 Martii	1 Maii	11 Maii	22 Maii	28	30 Novembris
30 Martii	8 Maii	18 Maii	29 Maii	27	30 Novembris
6 Aprilis	15 Maii	25 Maii	5 Junii	26	30 Novembris
13 Aprilis	22 Maii	1 Junii	12 Junii	25	30 Novembris
20 Aprilis	29 Maii	8 Junii	19 Junii	24	30 Novembris
24 Martii	2 Maii	12 Maii	23 Maii	28	1 Decembris
31 Martii	9 Maii	19 Maii	30 Maii	27	1 Decembris
7 Aprilis	16 Maii	26 Maii	6 Junii	26	1 Decembris
14 Aprilis	23 Maii	2 Junii	13 Junii	25	1 Decembris
21 Aprilis	30 Maii	9 Junii	20 Junii	24	1 Decembris
25 Martii	3 Maii	13 Maii	24 Maii	28	2 Decembris
1 Aprilis	10 Maii	20 Maii	31 Maii	27	2 Decembris
8 Aprilis	17 Maii	27 Maii	7 Junii	26	2 Decembris
15 Aprilis	24 Maii	3 Junii	14 Junii	25	2 Decembris
22 Aprilis	31 Maii	10 Junii	21 Junii	24	2 Decembris
26 Martii	4 Maii	14 Maii	25 Maii	28	3 Decembris
2 Aprilis	11 Maii	21 Maii	1 Junii	27	3 Decembris
9 Aprilis	18 Maii	28 Maii	8 Junii	26	3 Decembris
16 Aprilis	25 Maii	4 Junii	15 Junii	25	3 Decembris
23 Aprilis	1 Junii	11 Junii	22 Junii	24	3 Decembris
27 Martii	5 Maii	15 Maii	26 Maii	27	27 Novembris
3 Aprilis	12 Maii	22 Maii	2 Junii	26	27 Novembris
10 Aprilis	19 Maii	29 Maii	9 Junii	25	27 Novembris
17 Aprilis	26 Maii	5 Junii	16 Junii	24	27 Novembris
24 Aprilis	2 Junii	12 Junii	23 Junii	23	27 Novembris
28 Martii	6 Maii	16 Maii	27 Maii	27	28 Novembris
4 Aprilis	13 Maii	23 Maii	3 Junii	26	28 Novembris
11 Aprilis	20 Maii	30 Maii	10 Junii	25	28 Novembris
18 Aprilis	27 Maii	6 Junii	17 Junii	24	28 Novembris
25 Aprilis	3 Junii	13 Junii	24 Junii	23	28 Novembris

Tabella temporaria Festorum mobilium

ANNO DOMINI	LITTERÆ DOMIN.	AUREUS NUMERUS	EPACTÆ	SEPTUAGESIMA	DIES CINERUM	PASCHA
1942	d	5	xiij	1 Februarii	18 Februarii	5 Aprilis
1943	e	6	xxiv	21 Februarii	10 Martii	25 Aprilis
1944	bA	7	v	6 Februarii	23 Februarii	9 Aprilis
1945	g	8	xvj	28 Januarii	14 Februarii	1 Aprilis
1946	f	9	xxvij	17 Februarii	6 Martii	21 Aprilis
1947	e	10	viij	2 Februarii	19 Februarii	6 Aprilis
1948	d c	11	xix	25 Januarii	11 Februarii	28 Martii
1949	b	12	*	13 Februarii	2 Martii	17 Aprilis
1950	A	13	xj	5 Februarii	22 Februarii	9 Aprilis
1951	g	14	xxij	21 Januarii	7 Februarii	25 Martii
1952	f e	15	iij	10 Februarii	27 Februarii	13 Aprilis
1953	d	16	xiv	1 Februarii	18 Februarii	5 Aprilis
1954	c	17	25	14 Februarii	3 Martii	18 Aprilis
1955	b	18	vj	6 Februarii	23 Februarii	10 Aprilis
1956	A g	19	xvij	29 Januarii	15 Februarii	1 Aprilis
1957	f	1	xxix	17 Februarii	6 Martii	21 Aprilis
1958	e	2	x	2 Februarii	19 Februarii	6 Aprilis
1959	d	3	xxj	25 Januarii	11 Februarii	29 Martii
1960	c b	4	ij	14 Februarii	2 Martii	17 Aprilis
1961	A	5	xiij	29 Januarii	15 Februarii	2 Aprilis
1962	g	6	xxiv	18 Februarii	7 Martii	22 Aprilis
1963	f	7	v	10 Februarii	27 Februarii	14 Aprilis
1964	e d	8	xvj	26 Januarii	12 Februarii	29 Martii
1965	c	9	xxvij	14 Februarii	3 Martii	18 Aprilis
1966	b	10	viij	6 Februarii	23 Februarii	10 Aprilis
1967	A	11	xix	22 Januarii	8 Februarii	26 Martii
1968	g f	12	*	11 Februarii	28 Februarii	14 Aprilis
1969	e	13	xj	2 Februarii	19 Februarii	6 Aprilis
1970	d	14	xxij	25 Januarii	11 Februarii	29 Martii
1971	c	15	iij	7 Februarii	24 Februarii	11 Aprilis
1972	bA	16	xiv	30 Januarii	16 Februarii	2 Aprilis
1973	g	17	25	18 Februarii	7 Martii	22 Aprilis
1974	f	18	vj	10 Februarii	27 Februarii	14 Aprilis

Tabella temporaria Festorum mobilium

ANNO DOMINI	ASCENSIO	PENTECOSTES	CORPUS CHRISTI	INDICTIO	DOMINICÆ P. PENTEC.	DOMINICA I. ADVENTUS	LITT. MART.
1942	14 Maji	24 Maji	4 Junii	10	26	29 Novembris	u
1943	3 Junii	13 Junii	24 Junii	11	23	28 Novembris	E
1944	18 Maji	28 Maji	8 Junii	12	26	3 Decembris	e
1945	10 Maji	20 Maji	31 Maji	13	27	2 Decembris	r
1946	30 Maji	9 Junii	20 Junii	14	24	1 Decembris	H
1947	15 Maji	25 Maji	5 Junii	15	26	30 Novembris	h
1948	6 Maji	16 Maji	27 Maji	1	27	28 Novembris	u
1949	26 Maji	5 Junii	16 Junii	2	24	27 Novembris	P
1950	18 Maji	28 Maji	8 Junii	3	26	3 Decembris	l
1951	3 Maji	13 Maji	24 Maji	4	28	2 Decembris	C
1952	22 Maji	1 Junii	12 Junii	5	25	30 Novembris	c
1953	14 Maji	24 Maji	4 Junii	6	26	29 Novembris	p
1954	27 Maji	6 Junii	17 Junii	7	24	28 Novembris	F
1955	19 Maji	29 Maji	9 Junii	8	25	27 Novembris	f
1956	10 Maji	20 Maji	31 Maji	9	27	2 Decembris	s
1957	30 Maji	9 Junii	20 Junii	10	24	1 Decembris	N
1958	15 Maji	25 Maji	5 Junii	11	26	30 Novembris	k
1959	7 Maji	17 Maji	28 Maji	12	27	29 Novembris	B
1960	26 Maji	5 Junii	16 Junii	13	24	27 Novembris	b
1961	11 Maji	21 Maji	1 Junii	14	27	3 Decembris	n
1962	31 Maji	10 Junii	21 Junii	15	24	2 Decembris	E
1963	23 Maji	2 Junii	13 Junii	1	25	1 Decembris	e
1964	7 Maji	17 Maji	28 Maji	2	27	29 Novembris	r
1965	27 Maji	6 Junii	17 Junii	3	24	28 Novembris	H
1966	19 Maji	29 Maji	9 Junii	4	25	27 Novembris	h
1967	4 Maji	14 Maji	25 Maji	5	28	3 Decembris	u
1968	23 Maji	2 Junii	13 Junii	6	25	1 Decembris	P
1969	15 Maji	25 Maji	5 Junii	7	26	30 Novembris	l
1970	7 Maji	17 Maji	28 Maji	8	27	29 Novembris	C
1971	20 Maji	30 Maji	10 Junii	9	25	28 Novembris	c
1972	11 Maji	21 Maji	1 Junii	10	27	3 Decembris	p
1973	31 Maji	10 Junii	21 Junii	11	24	2 Decembris	F
1974	23 Maji	2 Junii	13 Junii	12	25	1 Decembris	f

Kalendarium

JANUARIUS

C.E.	L.D.		D.M.	
	A	Kal.	1	Circumcisio Domini et Octava Nativitatis, duplex II classis. Dom. inter Circumcisionem et Epiphaniam — Ssmi Nominis Jesu, dupl. II class.
29	b	iv	2	Octava S. Stephani Protomart., simplex.
28	c	iij	3	Octava S. Joannis Ap. et Ev., simplex.
27	d	Prid.	4	Octava Ss. Innocentium Mm., simplex.
26	e	Non.	5	Vigilia Epiphaniæ, semidupl. Com. S. Telesphori Papæ et Mart.
25	25 f	viij	6	EPIPHANIA DOMINI, dupl. I cl. cum Octava privilegiata II Ordinis. Dom. infra Octavam Epiphaniæ — Sanctæ Familiæ, Jesu, Mariæ, Joseph, dupl. maj. Com. Dominicæ et Octavæ.
24	g	vij	7	De II die infra Oct. Epiphaniae, semidupl.
23	A	vj	8	De III die infra Octavam, semidupl.
22	b	v	9	De IV die infra Octavam, semidupl.
21	c	iv	10	De V die infra Octavam, semidupl.
20	d	iij	11	De VI die infra Octavam, semidupl. Com. S. Hygini Papae et Mart.
19	e	Prid.	12	De VII die infra Octavam, semidupl.
18	f	Idib.	13	Octava Epiphaniæ, dupl. maj.
17	g	xix	14	S. Hilarii Ep., Conf. et Eccl. Doct., dupl. Com S. Felicis Presb. et Mart.
16	A	xviij	15	S. Pauli primi Eremitae, Conf., dupl. Com. S. Mauri Abb.
15	b	xvij	16	S. Marcelli I Papae et Mart., semidupl.
14	c	xvj	17	S. Antonii Abb., dupl.
13	d	xv	18	Cathedra S. Petri Romæ, dupl. maj. Com. S. Pauli Ap. ac S. Priscæ Virg. et Mart.
12	e	xiv	19	Ss. Marii, Marthae, Audifacis et Abachum Mm., simplex. Com. S. Canuti Regis, Mart.
11	f	xiij	20	Ss. Fabiani Papae et Sebastiani Mm., dupl.
10	g	xij	21	S. Agnetis Virg. et Mart., dupl.
9	A	xj	22	Ss. Vincentii et Anastasii Mm., semid.
8	b	x	23	S. Raymundi de Peñafort Conf., semid. Com. S. Emerentianae Virg. et Mart.
7	c	ix	24	S. Timothei Ep. et Mart., dupl.
6	d	viij	25	Conversio S. Pauli Ap., dupl. maj. Com. S. Petri Apostoli.

C.E.	L.D.		D.M.	
5	e	vij	26	S. Polycarpi Ep. et Mart., dupl.
4	f	vj	27	S. Joannis Chrysostomi Ep., Conf. et Eccl. Doct., duplex.
3	g	v	28	S. Petri Nolasci Conf., dupl. Com. S. Agnetis Virg. et Mart. secundo.
2	A	iv	29	S. Francisci Salesii Ep., Conf. et Eccl. Doct. dupl.
1	b	iij	30	S. Martinæ Virg. et Mart., semidupl.
*	c	Prid.	31	S. Joannis Bosco Conf., dupl.

FEBRUARIUS

29	d	Kal.	1	S. Ignatii Ep. et Mart., dupl.
28	e	iv	2	PURIFICATIO B. M. V. dupl. II class.
27	f	iij	3	S. Blasii Ep. et Mart., simplex.
25 26	g	Prid.	4	S. Andreæ Corsini Ep. et Conf., dupl.
25 24	A	Non.	5	S. Agathæ Virg. et Mart., dupl.
23	b	viij	6	S. Titi Ep. et Conf., dupl. Com. S. Dorotheæ Virg. et Mart.
22	c	vij	7	S. Romualdi Abb., dupl.
21	d	vj	8	S. Joannis de Matha Conf., dupl.
20	e	v	9	S. Cyrilli Ep. Alexandrini, Conf. et Eccl. Doct., dupl. Com. S. Apolloniæ Virg. et Mart.
19	f	iv	10	S. Scholasticæ Virg., dupl.
18	g	iij	11	Apparitio B. M. V. Immaculatæ, dupl. maj.
17	A	Prid.	12	Ss. Septem Fundatorum Ordinis Servorum B. M. V. Confessorum, dupl.
16	b	Idib.	13	
15	c	xvj	14	S. Valentini Presb. et Mart., simplex.
14	d	xv	15	Ss. Faustini et Jovitæ Mm., simplex.
13	e	xiv	16	
12	f	xiij	17	
11	g	xij	18	S. Simeonis Ep. et Mart., simplex.
10	A	xj	19	
9	b	x	20	
8	c	ix	21	
7	d	viij	22	Cathedra S. Petri Antiochiæ, dupl. maj. Com. S. Pauli Ap.
6	e	vij	23	S. Petri Damiani Ep., Conf. et Eccl. Doct., dupl. Com. Vigiliæ.
5	f	vj	24	S. MATTHIAE APOSTOLI, dupl. II class.
4	g	v	25	
3	A	iv	26	
2	b	iij	27	S. Gabrielis a Virgine Perdolente, Conf., dupl.
1	c	Prid.	28	

In anno bissextili Februarius est dierum 29, et Festum S. Matthiæ celebratur die 25, ac Festum S. Gabrielis a Virg.

Perdolente die 28 Februarii, et bis dicitur Sexto Kalendas, id est die 24 et die 25 et littera Dominicalis, quæ assumpta fuit in mense Januario, mutatur in præcedentem; ut, si in Januario littera Dominicalis fuerit A, mutetur in præcedentem, quæ est g etc.; et littera f bis servit, 24 et 25.

MARTIUS

C.E.	L.D.		D.M.	
*	d	Kal.	1	
29	e	vj	2	
28	f	v	3	
27	g	iv	4	S. Casimiri Conf., semidupl. Com. S. Lucii I Papae et Mart.
26	A	iij	5	
25 25	b	Prid.	6	Ss. Perpetuæ et Felicitatis Mm., dupl.
24	c	Non.	7	S. Thomæ de Aquino Conf. et Eccl. Doct., dupl.
23	d	viij	8	s. Joannis de Deo Conf., dupl.
22	e	vij	9	S. Franciscæ Romanæ Vid., dupl.
21	f	vj	10	Ss. Quadraginta Mm., semidupl.
20	g	v	11	
19	A	iv	12	S. Gregorii I Papæ, Conf. et Eccl. Doct., dupl.
18	b	iij	13	
17	c	Prid.	14	
16	d	Idib.	15	
15	e	xvij	16	
14	f	xvj	17	S. Patricii Ep. et Conf., dupl.
13	g	xv	18	S. Cyrilli Ep. Hierosolymitani, Conf. et Eccl. Doct., dupl.
12	A	xiv	19	S. JOSEPH, SPONSI B. M. V. Conf., dupl. 1 cl.
11	b	xiij	20	
10	c	xij	21	S. Benedicti Abb., dupl. maj.
9	d	xj	22	
8	e	x	23	
7	f	ix	24	S. Gabrielis Archang., dupl. maj.
6	g	viij	25	ANNUNTIATIO B. MARIÆ V., dupl. 1 cl.
5	A	vij	26	
4	b	vj	27	S. Joannis Damasceni Conf. et Eccl. Doct., dupl.
3	c	v	28	S. Joannis a Capistrano Conf., semid.
2	d	iv	29	
1	e	iij	30	
*	f	Prid.	31	

Feria VI post Domin. Passionis — Septem Dolorum B. M. V., dupl. maj. Com. Fer.

APRILIS

C.E.	L.D.		D.M.	
29	g	Kal.	1	
28	A	iv	2	S. Francisci de Paula Conf., dupl.
27	b	iij	3	
25 26	c	Prid.	4	S. Isidori Ep., Conf. et Eccl. Doct., dupl.
25 24	d	Non.	5	S. Vincentii Ferrerii Conf., dupl.
23	e	viij	6	
22	f	vij	7	
21	g	vj	8	
20	A	v	9	
19	b	iv	10	
18	c	iij	11	S. Leonis I Papæ, Conf. et Eccl. Doct., dupl.
17	d	Prid.	12	
16	e	Idib.	13	S. Hermenegildi Regis, Mart., semid.
15	f	xviij	14	S. Justini Mart., dupl. Com. Ss. Tiburtii, Valeriani et Maximi Mm.
14	g	xvij	15	
13	A	xvj	16	
12	b	xv	17	S. Aniceti Papæ et Mart., simplex
11	c	xiv	18	
10	d	xiij	19	
9	e	xij	20	
8	f	xj	21	S. Anselmi Ep., Conf. et Eccl. Doct. dupl.
7	g	x	22	Ss. Soteris et Caji Pp. et Mm., semid.
6	A	ix	23	S. Georgii Mart., semid.
5	b	viij	24	S. Fidelis a Sigmaringa Mart., dupl.
4	c	vij	25	S. MARCI EVANG., dupl. II class.
3	d	vj	26	Ss. Cleti et Marcellini Pp. et Mm., semid.
2	e	v	27	S. Petri Canisii Conf. et Eccl. Doct., dupl.
1	f	iv	28	S. Pauli a Cruce Conf., dupl. Com. S. Vitalis Mart.
*	g	iij	29	S. Petri Mart., dupl.
29	A	Prid.	30	S. Catharinæ Senensis Virg., dupl.

Feria IV infra Hebdom. II post Oct. Paschæ — SOLEMNITAS S. JOSEPH, Sponsi B. M. V., Conf. et Eccl. Univers. Patroni, duplex I cl. cum Octava communi.
Feria IV infra Hebdom. III post Oct. Paschæ — Octava S. Joseph, duplex majus.

MAIUS

28	b	Kal.	1	Ss. PHILIPPI ET JACOBI APP., dupl. II class.
27	c	vj	2	S. Athanasii Ep., Conf. et Eccl. Doct. dupl.

C.E.	L.D.		D.M.	
26	d	v	3	Inventio S. Crucis, dupl. II class. Com. Ss Alexandri I. Papæ, Eventii et Theoduli Mm. ac Juvenalis Ep. et Conf.
25 25	e	iv	4	S. Monicæ Viduæ, dupl.
24	f	iij	5	S. Pii V Papæ et Conf., dupl.
23	g	Prid.	6	S. Joannis ante Portam Latinam, dupl. maj.
22	A	Non.	7	S. Stanislai Ep. et Mart., dupl.
21	b	viij	8	Apparitio S. Michaelis Archang., dupl. maj.
20	c	vij	9	S. Gregorii Nazianzeni Ep., Conf. et Eccl. Doct., dupl.
19	d	vj	10	S. Antonini Episc. et Conf., duplex. Com. Ss. Gordiani et Epimachi Mm.
18	e	v	11	
17	f	iv	12	Ss. Nerei, Achillei et Domitillæ Virg. atque Pancratii Mm., semidupl.
16	g	iij	13	S. Roberti Bellarmino Ep., C. et E. Doct., dpl.
15	A	Prid.	14	S. Bonifatii Mart., simplex.
14	b	Idib.	15	S. Joannis Baptistæ de la Salle Conf., dupl.
13	c	xvij	16	S. Ubaldi Ep. et Conf., semidupl.
12	d	xvj	17	S. Paschalis Baylon Conf., dupl.
11	e	xv	18	S. Venantii Mart., dupl.
10	f	xiv	19	S. Petri Cælestini Papæ et Conf., dupl. Com. S. Pudentianæ Virg.
9	g	xiij	20	S. Bernardini Senensis Conf., semidupl.
8	A	xij	21	
7	b	xj	22	
6	c	x	23	
5	d	ix	24	
4	e	viij	25	S. Gregorii VII Papæ et Conf., dupl. Com. S. Urbani I Papæ et Mart.
3	f	vij	26	S. Philippi Nerii Conf., dupl. Com. S. Eleutherii Papæ et Mart.
2	g	vj	27	S. Bedæ Venerabilis Conf. et Eccl. Doct., dupl. Com. S. Joannis I Papæ et Mart.
1	A	v	28	S. Augustini Ep. et Conf. dupl.
*	b	iv	29	S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis Virg., semidupl.
29	c	iij	30	S. Felicis Papæ et Mart., simplex.
28	d	Prid.	31	S. Angelæ Mericiæ Virg., dupl. Com. S. Petronillæ Virg.

JUNIUS

27	e	Kal.	1	
25 26	f	iv	2	Ss. Marcellini, Petri atque Erasmi Mm. simplex.
25 24	g	iij	3	
23	A	Prid.	4	S. Francisci Caracciolo Conf., dupl.

C.E.	L.D.		D.M.	
22	b	Non.	5	S. Bonifatii Ep. et Mart., dupl.
21	c	viij	6	S. Norberti Ep. et Conf., dupl.
20	d	vij	7	
19	e	vj	8	
18	f	v	9	Ss. Primi et Feliciani Mm., simplex.
17	g	iv	10	S. Margaritæ Reginæ, Vid., semid.
16	A	iij	11	S. Barnabæ Apost., dupl. maj.
15	b	Prid.	12	S. Joannis a S. Facundo Conf., dupl. Com. Ss. Basilidis, Cyrini, Naboris et Nazarii Mm.
14	c	Idib.	13	S. Antonii de Padua, Conf., dupl.
13	d	xviij	14	S. Basilii Ep., Conf. et Eccl. Doct., dupl.
12	e	xvij	15	Ss. Viti, Modesti atque Crescentiæ Mm., simplex.
11	f	xvj	16	
10	g	xv	17	
9	A	xiv	18	S. Ephræm Syri Diaconi, Conf. et Eccl. Doct., dupl. Com. Ss. Marci et Marcelliani Mm.
8	b	xiij	19	S. Julianæ de Falconeriis Virg., dupl. Com. Ss. Gervasii et Protasii Mm.
7	c	xij	20	S. Silverii Papæ et Mart , simplex.
6	d	xj	21	S. Aloysii Gonzagæ Conf., dupl.
5	e	x	22	S. Paulini Ep. et Conf., dupl.
4	f	ix	23	Vigilia
3	g	viij	24	NATIVITAS S. JOANNIS BAPTISTÆ, dupl. I class. cum Octava communi
2	A	vij	25	S. Gulielmi Abb., dupl. Com. Oct.
1	b	vj	26	Ss. Joannis et Pauli Mm., dupl. Com. Oct.
*	c	v	27	De IV die infra Oct. S. Joannis, semid.
29	d	iv	28	S. Irenæi Ep. et Mart.. dupl. Com. Oct. et Vig.
28	e	iij	29	SS. PETRI ET PAULI APP., dupl. I cl. cum Octava communi.
27	f	Prid.	30	Commemoratio S. Pauli Ap. dupl. maj. Com. S. Petri Ap. et Oct. S. Joannis.

JULIUS

26	g	Kal.	1	PRETIOSISSIMI SANGUINIS D. N. J. C., dupl. I class. Com. diei Oct. S. Joannis.
25 25	A	vj	2	Visitatio B. M. V., dupl. II class. Com. Ss. Processi et Martiniani Mm.
24	b	v	3	S. Leonis II Papæ et Conf., semidupl. Com. Oct. Ss. App.
23	c	iv	4	De VI die infra Oct. Ss. Petri et Pauli, semid.
22	d	iij	5	S. Antonii Mariæ Zaccaria Conf. dupl. Com. Oct. Ss. App.
21	e	Prid.	6	Octava Ss. Petri et Pauli App., dupl. maj.

C.E.	L.D.		D.M.	
20	f	Non.	7	Ss. Cyrilli et Methodii Epp. et Cc., dupl.
19	g	viij	8	S. Elisabeth Reginæ, Viduæ, semidupl.
18	A	vij	9	
17	b	vj	10	Ss. Septem Fratrum Mm. ac Ss. Rufinæ et Secundæ Vv. et Mm., semid.
16	c	v	11	S. Pii I Papæ et Mart., simplex.
15	d	iv	12	S. Joannis Gualberti Abbatis, dupl. Com. Ss. Naboris et Felicis Mm.
14	e	iij	13	S. Anacleti Papæ et Mart., semidupl.
13	f	Prid.	14	S. Bonaventuræ Ep., Conf. et Eccl. Doct. dupl.
12	g	Idib.	15	S. Henrici Imperatoris, Conf., semid.
11	A	xvij	16	Commemoratio B. M. V. de Monte Carmelo, dupl. majus.
10	b	xvj	17	S. Alexii Conf., semidupl.
9	c	xv	18	S. Camilli de Lellis Conf., dupl. Commem. Ss. Symphorosæ et septem Filiorum ejus Martyrum.
8	d	xiv	19	S. Vincentii a Paulo Conf., dupl.
7	e	xiij	20	S. Hieronymi Æmiliani Conf., dupl. Com. S. Margaritæ Virg. et Mart.
6	f	xij	21	S. Praxedis Virg., simplex.
5	g	xj	22	S. Mariæ Magdalenæ Pœnit , dupl.
4	A	x	23	S. Apollinaris Ep. et Mart., dupl. Com. S. Liborii Ep. et Conf.
3	b	ix	24	Vigilia. Com. S. Christinæ Virg. et Mart.
2	c	viij	25	S. Jacobi Ap., dupl. II class. Com S. Christophori Mart.
1	d	vij	26	S. Annæ Matris B. M. V., dupl. II class.
*	e	vj	27	S. Pantaleonis Mart., simplex.
29	f	v	28	Ss. Nazarii et Celsi Mm., Victoris I Papæ et Mart. ac Innocentii Papæ et Conf., semid.
28	g	iv	29	S. Marthæ Virg., semidupl. Com. Ss. Felicis II Papæ, Simplicii, Faustini et Beatricis, Mm.
27	A	iij	30	Ss. Abdon et Sennen Mm., simplex.
25 26	b	Prid.	31	S. Ignatii Conf., dupl. maj.

AUGUSTUS

25 24	c	Kal.	1	S. Petri ad Vincula, dupl. maj. Com. S. Pauli Ap. ac Ss. Machabaeorum Mm.
23	d	iv	2	S. Alfonsi Mariae de Ligorio Ep., Conf. et Eccl. Doct., dupl. Com. S. Stephani I Papæ et Mart.
22	e	iij	3	Inventio S. Stephani Protomart., semidupl.
21	f	Prid.	4	S. Dominici Conf., dupl. maj.
20	g	Non.	5	Dedicatio S. Mariae ad Nives, dupl. maj.

C.E.	L.	D.	D.M.	
19	A	viij	6	TRANSFIGURATIO D. N. J. C. dupl. II class. Com. Ss. Xysti II Papæ, Felicissimi et Agapiti Mm.
18	b	vij	7	S. Cajetani Conf., dupl. Com. S. Donati Ep. et Mart.
17	c	vj	8	Ss. Cyriaci, Largi et Smaragdi Mm., semid.
16	d	v	9	S. Joannis Mariæ Vianney, Conf., dupl. Com. Vigiliæ et S. Romani Mart.
15	e	iv	10	S. LAURENTII Mart., dupl. II class. cum Octava simplici.
14	f	iij	11	Ss. Tiburtii et Susannæ Virg., Mm., simplex.
13	g	Prid.	12	S. Claræ Virg., dupl.
12	A	Idib.	13	Ss. Hippolyti et Cassiani Mm., simplex.
11	b	xix	14	Vigilia. Com. S. Eusebii Conf.
10	c	xviij	15	ASSUMPTIO B. M. V., dupl. I class. cum Octava communi.
9	d	xvij	16	S. JOACHIM, PATRIS B. M. V., Conf., dupl. II class.
8	e	xvj	17	S. Hyacinthi Conf., dupl. Com. Oct. Assumptionis ac diei Oct. S. Laurentii.
7	f	xv	18	De IV die infra Oct. Assumptionis, semid. Com. S. Agapiti Mart.
6	g	xiv	19	S. Joannis Eudes Conf., dupl. Com. Oct.
5	A	xiij	20	S. Bernardi Abb., Conf. et Eccl. Doct., dupl. Com. Octavæ Assumptionis.
4	b	xij	21	S. Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal Vid., dupl. Com. Octavæ Assumptionis.
3	c	xj	22	Octava Assumptionis B. M. V., dupl. maj. Com. Ss. Timothei et Soc. Mm.
2	d	x	23	S. Philippi Benitii Conf., dupl. Com. Vigiliæ.
1	e	ix	24	S. BARTHOLOMÆI APOSTOLI, dupl. II class.
*	f	viij	25	S. Ludovici Regis, Conf., semidupl.
29	g	vij	26	S. Zephyrini Papæ et Mart., simplex.
28	A	vj	27	S. Josephi Calasanctii Conf., dupl.
27	b	v	28	S. Augustini Ep., Conf. et Eccl. Doct., dupl. Com. S. Hermetis Mart.
26	c	iv	29	Decollatio S. Joannis Baptistæ, dupl. maj. Com. S. Sabinæ Mart.
25 25	d	iij	30	S. Rosæ Limanæ Virg., dupl. Commem. Ss. Felicis et Adaucti Mm.
24	e	Prid.	31	S. Raymundi Nonnati Conf., dupl.

SEPTEMBER

23	f	Kal.	1	S. Ægidii Abb., simplex. Com. Ss. Duodecim Fratrum Mm.
22	g	iv	2	S. Stephani Regis, Conf., semid.

C.E.	L.	D.	D.M.	
21	A	iij	3	
20	b	Prid.	4	
19	c	Non.	5	S. Laurentii Justiniani Ep. et Conf., semid.
18	d	viij	6	
17	e	vij	7	
16	f	vj	8	NATIVITAS B. M. V., dupl. II class. cum Octava simplici. Com. S. Hadriani Mart.
15	g	v	9	S. Gorgonii Mart., simplex.
14	A	iv	10	S. Nicolai de Tolentino Conf., dupl.
13	b	iij	11	Ss. Proti et Hyacinthi Mm., simplex.
12	c	Prid.	12	Ssmi Nominis Mariæ, dupl. maj.
11	d	Idib.	13	
10	e	xviij	14	Exaltatio S. Crucis, dupl. maj.
9	f	xvij	15	SEPTEM DOLORUM B. M. V., dupl. II class. Com. S. Nicomedis Mart.
8	g	xvj	16	Ss. Cornelii Papæ et Cypriani Ep. Mm., semidupl. Com. Ss. Euphemiæ, Luciæ et Geminiani Mm.
7	A	xv	17	Impressio Sacror. Stigmatum S. Francisci Conf., dupl.
6	b	xiv	18	S. Josephi a Cupertino Conf., dupl.
5	c	xiij	19	Ss. Januarii Ep. et Socior. Mm., dupl.
4	d	xij	20	Ss. Eustachii et Soc. Mm., dupl. Com. Vigiliæ.
3	e	xj	21	S. MATTHÆI APOSTOLI ET EVANGELISTÆ, dupl. II class.
2	f	x	22	S. Thomæ de Villanova Ep. et Conf., dupl. Com Ss. Mauritii et Soc. Mm.
1	g	ix	23	S. Lini Papæ et Mart., semid. Com. S. Theclæ Virg. et Mart.
*	A	viij	24	B. M. V. de Mercede, dupl. maj.
29	b	vij	25	
28	c	vj	26	Ss. Cypriani et Justinæ Virg. Mm., simplex.
27	d	v	27	Ss. Cosmæ et Damiani Mm., semidupl.
25 26	e	iv	28	S. Wenceslai Ducis, Mart., semidupl.
25 24	f	iij	29	DEDICATIO S. MICHAELIS ARCHANGELI, dupl. I class.
23	g	Prid.	30	S. Hieronymi Presb., Conf. et Eccl. Doct., dupl.

OCTOBER

22	A	Kal.	1	S. Remigii Ep. et Conf., simplex.
21	b	vj	2	Ss. Angelorum Custodum, dupl. maj.
20	c	v	3	S. Teresiæ a Jesu Infante Virg., dupl.
19	d	iv	4	S. Francisci Conf., dupl. maj.
18	e	iij	5	Ss. Placidi et Socior. Mm., simplex.
17	f	Prid.	6	S. Brunonis Conf., dupl.

C.E.	L.	D.	D.M.	
16	g	Non.	7	SSMI ROSARII B. M. V., dupl. II class. Com. S. Marci I. Papæ et Conf., ac Ss. Sergii et Socior. Mm.
15	A	viij	8	S. Birgittæ Viduae, dupl.
14	b	vij	9	S. Joannis Leonardi Conf., dupl. Com. Ss. Dionysii Ep., Rustici et Eleutherii Mm.
13	c	vj	10	S. Francisci Borgiæ Conf., semidupl.
12	d	v	11	MATERNITATIS B. MARIÆ VIRG. dupl. II class.
11	e	iv	12	
10	f	iij	13	S. Eduardi Regis, Conf., semidupl.
9	g	Prid.	14	S. Callisti I Papæ et Mart., dupl.
8	A	Idib.	15	S. Teresiæ Virg., dupl.
7	b	xvij	16	S. Hedwigis Viduæ, semidupl.
6	c	xvj	17	S. Margaritæ Mariæ Alacoque, Virg., dupl.
5	d	xv	18	S. LUCÆ EVANGELISTÆ, dupl. II class.
4	e	xiv	19	S. Petri de Alcantara Conf., dupl.
3	f	xiij	20	S. Joannis Cantii Conf., dupl.
2	g	xij	21	S. Hilarionis Abb., simplex. Com. Ss. Ursulæ et Sociarum Vv. et Mm.
1	A	xj	22	
*	b	x	23	
29	c	ix	24	S. Raphaëlis Archangeli, duplex majus.
28	d	viij	25	Ss. Chrysanthi et Dariæ Mm., simplex.
27	e	vij	26	S. Evaristi Papæ et Mart., simplex.
26	f	vj	27	Vigilia.
25 25	g	v	28	Ss. SIMONIS ET JUDÆ APP., dupl. II class.
24	A	iv	29	
23	b	iij	30	
22	c	Prid.	31	Vigilia.

Dominica ultima Octobris — FESTUM D. N. JESU CHRISTI REGIS, duplex I classis.

NOVEMBER

21	d	Kal.	1	OMNIUM SANCTORUM, dupl. I class. cum Octava communi.
20	e	iv	2	Commem. Omnium Fidelium Defunctorum. dupl.
19	f	iij	3	De III die infra Oct. Omnium Ss., semid.
18	g	Prid.	4	S. Caroli Ep. et Conf., dupl. Com. Octavæ ac Ss. Vitalis et Agricolæ Mm.
17	A	Non.	5	De V die infra Oct. Omnium Ss., semid.
16	b	viij	6	De VI die infra Oct. Omnium Ss., semid.
15	c	vij	7	De VII die infra Oct. Omnium Ss., semid.
14	d	vj	8	Octava Omnium Sanctorum, dupl. maj. Com. Ss. Quatuor Coronatorum Mm.

C.E.	L.D.		D.M.	
13	e	v	9	Dedicatio Archibasilicæ Ssmi Salvatoris, dupl. II class. Com. S. Theodori Mart.
12	f	iv	10	S. Andreæ Avellini Conf., dupl. Commem. Ss. Tryphonis, Respicii et Nymphae Virg. Martyrum.
11	g	iij	11	S. Martini Ep. et Conf., dupl. Commemoratio S. Mennæ Mart.
10	A	Prid.	12	S. Martini I Papæ et Mart., semidupl.
9	b	Idib.	13	S. Didaci Conf., semidupl.
8	c	xviij	14	S. Josaphat Ep. et Mart., dupl.
7	d	xvij	15	S. Alberti Magni Ep., C. et Eccl. Doct., dupl.
6	e	xvj	16	S. Gertrudis Virg., dupl.
5	f	xv	17	S. Gregorii Thaumaturgi Ep. et Conf., semid.
4	g	xiv	18	Dedicatio Basilicarum Ss. Petri et Pauli App., dupl. maj.
3	A	xiij	19	S. Elisabeth Viduæ, dupl. Com. S. Pontiani Papæ et Mart.
2	b	xij	20	S. Felicis de Valois Conf., dupl.
1	c	xj	21	Præsentatio B. M. V., dupl. maj.
*	d	x	22	S. Cæciliæ Virg. et Mart., dupl.
29	e	ix	23	S. Clementis I Papæ et Mart., dupl. Com. S. Felicitatis Mart.
28	f	viij	24	S. Joannis a Cruce Conf., et Eccl. Doct., dupl. Com. S. Chrysogoni Mart.
27	g	vij	25	S. Catharinæ Virg. et Mart., dupl.
25 26	A	vj	26	S. Silvestri Abb., dupl. Com. S. Petri Alexandrini Ep. et Mart.
25 24	b	v	27	
23	c	iv	28	
22	d	iij	29	Vigilia. et Com. S. Saturnini Mart.
21	e	Prid.	30	S. Andreæ Apostoli, dupl. II class.

DECEMBER

20	f	Kal.	1	
19	g	iv	2	S. Bibianæ Virg. et Mart., semidupl.
18	A	iij	3	S. Francisci Xaverii Conf., dupl. maj.
17	b	Prid.	4	S. Petri Chrysologi Ep., Conf. et Eccl. Doct., dupl. Com. S. Barbaræ Virg. et Mart.
16	c	Non.	5	Com. S. Sabbæ Abb.
15	d	viij	6	S. Nicolai Ep. et Conf., dupl.
14	e	vij	7	S. Ambrosii Ep., Conf. et Eccl. Doct., dupl.
13	f	vj	8	CONCEPTIO IMMACULATA B. MARIAE VIRG., dupl. I cl. cum Octava communi.
12	g	v	9	De II die infra Oct. Concept. Immac., semid.
11	A	iv	10	De III die infra Oct. Concept. Immac., semid. Com. S. Melchiadis Papæ et Mart.

C.E.	L.D.		D.M.	
10	b	iij	11	S. Damasi I Papae et Conf., semid. Com. Octavæ.
9	c	Prid.	12	De V die Infra Oct. Concept. immac., semid.
8	d	Idib.	13	S. Luciæ Virg. et Mart., dupl. Com. Oct.
7	e	xix	14	De VII die infra Oct. Concept. immac., semid.
6	f	xviij	15	Octava Conceptionis immaculatæ B. M. V., dupl. maj.
5	g	xvij	16	S. Eusebii Ep. et Mart.. semidupl.
4	A	xvj	17	
3	b	xv	18	
2	c	xiv	19	
1	d	xiij	20	Vigilia.
*	e	xij	21	S. Thomæ Apostoli, dupl. II class.
29	f	xj	22	
28	g	x	23	
27	A	ix	24	Vigilia.
26	b	viij	25	NATIVITAS D. N. J. C., dupl. I class. cum Octava privilegiata III Ordinis.
25 25	c	vij	26	S. Stephani Protomartyris, dupl. II cl. cum Oct. simplici. Com. Oct. Nativitatis.
24	d	vj	27	S. Joannis Ap. et Ev., dupl. II cl. cum Oct. simplici. Com. Oct. Nativitatis.
23	e	v	28	Ss. Innocentium Martyrum, dupl. II cl. cum Oct. simplici. Com. Oct. Nativitatis.
22	f	iv	29	S. Thomæ Cantuariens. Ep. et Mart., dupl. Com. Oct. Nativitatis.
21	g	iij	30	De Octava Nativitatis, semid.
19 20	A	Prid.	31	S. Silvestri I Papæ et Conf., dupl. Com. Oct. Nativitatis.

Hæc Epacta 19 nigra nunquam est in usu, nisi quando eodem anno concurrit cum Aureo numero xix.

DUÆ TABELLÆ

EX RUBRICIS GENERALIBUS BREVIARII JUXTA CONSTITUTIONEM « DIVINO AFFLATU » REFORMATIS EXCERPTÆ

in quarum prima statim videri poterit de quo celebrandum erit Officium, si plura eodem die Festa vel Officia sive perpetuo sive accidentaliter occurrant ; in altera vero, quomodo Officium præcedens concurrat in Vesperis cum Officio sequentis diei.

In alterutra Tabella hoc ordine reperietur quod quæritur :

PRimum inveniatur numerus positus in quadrangulo illo, in quo Officia, de quibus est controversia, sibi invicem occurrunt; deinde legatur regula juxta dictum numerum descripta, et ex ea clare videbitur quid sit agendum.

Exempli gratia : Quadrangulum, in quo sibi invicem occurrunt, in prima Tabella, Duplex I classis et Dominica I classis, erit quod invenitur ultimo loco in eadem linea in qua inscribitur Duplex I classis, in quo signatus est numerus 6; quia, si ad ipsum quadrangulum tam Duplex I classis quam Dominica I classis ex eorum locis recto tramite pergerent, in eo sibi invicem occurrerent. Regula autem juxta dictum numerum 6 apposita sic habet :

6 Officium de secundo, Translatio de primo. Id est Officium fiat de Dominica I classis et Duplex I classis transferatur juxta Rubricas; quia, cum in his regulis dicitur de primo, seu præcedenti, intelligitur de Festo vel Officio in superiori parte Tabellæ apposito, ut Duplex prædictum; cum de secundo, vel sequenti, de Officio in inferiori parte sub numeris appósito, ut Dominica prædicta.

In aliquibus autem quadrangulis positus est 0, quia nullus occursus aut concursus esse potest inter Officia simul ad diem quadrangulum occurrentia.

Scire tamen oportet quæ sint Dominicæ et Feriæ majores, quæ Vigiliæ privilegiatæ, et quæ Duplicia I et II classis et majora, tam Primaria quam Secundaria; sicut et quæ Officia, ad effectum tit. II, n. 1 superiorum Rubricarum, cum Feriatione vel cum Octava celebrentur.

DOMINICÆ MAJORES

DIVIDUNTUR IN DUAS CLASSES :

Dominicæ I classis

quæ in occurrentia, etiam accidentali, Festis quibuslibet præferuntur :

Prima Adventus
Prima Quadragesimæ
Secunda Quadragesimæ
Tertia Quadragesimæ
Quarta Quadragesimæ
Passionis
Palmarum
Paschatis
In Albis
Pentecostes

Dominicæ II classis

quæ in occurrentia accidentali Festis quibuslibet præferuntur præterquam Duplicibus I classis:

Secunda Adventus
Tertia Adventus
Quarta Adventus
Septuagesimæ
Sexagesimæ
Quinquagesimæ

FERIÆ MAJORES

DIVIDUNTUR IN DUAS CLASSES :

Feriæ privilegiatæ

quæ in occurrentia Festis quibuslibet præferuntur :

Feria Quarta Cinerum
Feriæ omnes Majoris Hebdomadæ

Feriæ non privilegiatæ

quæ in occurrentia Festis tantum Simplicibus præferuntur :

Adventus
Quadragesimæ post diem Cinerum
Passionis ante Dñicam Palmarum
Quatuor Temporum Septembris
Secunda Rogationum

VIGILIÆ PRIVILEGIATÆ

DIVIDUNTUR IN DUAS CLASSES

Vigiliæ I classis

quæ in occurrentia Festis quibuslibet præferuntur:

Vigilia Nativitatis Domini
Vigilia Pentecostes

Vigilia II classis

quæ in occurrentia præfertur Festis quibuslibet, præterquam Duplicibus I vel II classis et Festis Domini :

Vigilia Epiphaniæ

DUPLICIA I CLASSIS PRIMARIA

Nativitas Domini
Epiphania Domini
Pascha Resurrectionis cum tribus antecedentibus et duobus sequentibus diebus
Ascensio Domini
Pentecostes cum duobus sequentibus diebus
Festum Ssmæ Trinitatis
» Ssmi Corporis Christi
» sacratissimi Cordis Jesu
» D. N. J. Christi Regis
Conceptio immaculata B. Mariæ Virg.
Annuntiatio B. Mariæ Virg.
Assumptio B. Mariæ Virg.
Dedicatio S. Michaëlis Archangeli
Nativitas S. Joannis Baptistæ
Festum S. Joseph, Sponsi B. Mariæ Virg., Conf.
Solemnitas S. Joseph, Sponsi B. Mariæ Virg., Conf. et Ecclesiæ universalis Patroni

Festum Ss. Petri et Pauli Apostolorum
Festum Omnium Sanctorum
Dedicatio Ecclesiæ propriæ, ejusque Anniversarium
Dedicatio Ecclesiæ Cathedralis, ejusque Anniversarium
Titulus propriæ Ecclesiæ
Titulus Ecclesiæ Cathedralis
Patroni principales Oppidi, vel Civitatis, Diœcesis, Provinciæ et Nationis
Titularis et Sanctus Fundator Ordinis seu Congregationis

DUPLEX I CLASSIS SECUNDARIUM

Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C.

DUPLICIA II CLASSIS PRIMARIA

Circumcisio Domini
Transfiguratio Domini
Dedicatio Archibasilicæ Ssmi Salvatoris
Purificatio B. Mariæ Virg.
Visitatio B. Mariæ Virg.
Nativitas B. Mariæ Virg.
Festum S. Andreæ Ap.
» S. Thomæ Ap.
» S. Joannis Ap. et Ev.
» S. Matthiæ Ap.
» Ss. Philippi et Jacobi App.
» S. Jacobi Ap.
Festum S. Bartholomæi Ap.
» S. Matthæi Ap. et Ev.
» Ss. Simonis et Judæ App.
» S. Marci Ev.
» S. Lucæ Ev.
» S. Stephani Protomartyris
» Ss. Innocentium Mm.
» S. Annæ, Matris B. Mariæ Virg.
» S. Laurentii Mart.
» S. Joachim, Patris B. Mariæ Virg., Conf.

DUPLICIA II CLASSIS SECUNDARIA

Festum Ssmi Nominis Jesu
» Inventionis S. Crucis
» septem Dolorum B. M. V. mense Septembri
Festum Ssmi Rosarii B. M. V.
» Maternitatis B. M. V.

DUPLICIA MAJORA PRIMARIA

Dies Octava cujuslibet Duplicis I classis Primarii
Festum Sanctæ Familiæ Jesu, Mariæ, Joseph
Dedicatio Basilicarum Ss. Petri et Pauli App.
Dedicatio S. Mariæ ad Nives
Præsentatio B. Mariæ Virginis
Festum S. Gabrielis Archangeli
» S. Raphaëlis Archangeli
» Ss. Angelorum Custodum
Decollatio S. Joannis Baptistæ
Festum S. Petri Ap. ad Vincula
» S. Barnabæ Ap.
» S. Benedicti Abb.
» S. Dominici Conf.
» S. Francisci Assisiensis Conf.
» S. Ignatii Conf.
» S. Francisci Xaverii Conf.
» Patronorum minus principalium

DUPLICIA MAJORA SECUNDARIA

Dies Octava cujuslibet Duplicis I classis Secundarii
Exaltatio S. Crucis
Apparitio B. Mariæ Virg. immaculatæ
Festum septem Dolorum B. Mariæ Virg., tempore Passionis
Commemoratio B. Mariæ Virg. de Monte Carmelo
Festum Ssmi Nominis Mariæ
Festum B. Mariæ Virg. de Mercede
Apparitio S. Michaëlis Archangeli
Cathedra S. Petri Ap. Romæ
Cathedra S. Petri Ap. Antiochiæ
Conversio S. Pauli Ap.
Commemoratio S. Pauli Ap.
Festum S. Joannis Ap. ante Portam Latinam

ALIA FESTA PRIMARIA

Dies Natalitia, vel quasi-Natalitia, cujuscumque Sancti.

ALIA FESTA SECUNDARIA

Impressio sacrorum Stigmatum sancti Francisci Conf.
Inventio S. Stephani Protomartyris
Festa sive Domini, sive B. Mariæ Virg. sub aliquo peculiari titulo, sive Sanctorum, præter eorumdem Natalem diem, uti Inventionis, Translationis, Patrocinii et hisce similia

FESTA FERIATA

Dominicæ omnes
Nativitas Domini
Circumcisio
Epiphania
Feria II et III Paschatis
Ascensio Domini
Feria II et III Pentecostes
Festum Sanctissimi Corporis Christi
Inventio S. Crucis
Conceptio immaculata B. M. V.
Purificatio B. Mariæ Virg.
Annuntiatio B. Mariæ Virg.
Assumptio B. Mariæ Virg.
Nativitas B. Mariæ Virg.
Dedicatio S. Michaëlis Archangeli
Nativitas S. Joannis Baptistæ
Festum S. Joseph, Sponsi B. Mariæ Virg., Conf.
Solemnitas S. Joseph, Sponsi B. Mariæ Virg., Conf. et Ecclesiæ universalis Patroni
Festum S. Andreæ Ap.
» S. Thomæ Ap.
» S. Joannis Ap. et Ev.
» S. Matthiæ Ap.
» Ss. Philippi et Jacobi App.
» Ss. Petri et Pauli App.
» S. Jacobi Ap.
» S. Bartholomæi Ap.
» S. Matthæi Ap. et Ev.
» Ss. Simonis et Judæ App.
» S. Stephani Protomartyris
» Ss. Innocentium Mm.
» S. Annæ, Matris B. Mariæ Virg.

Festum S. Laurentii Mart.
» S. Joachim, Patris B. Mariæ Virg., Conf.
» Omnium Sanctorum

Festum Patronorum principalium Oppidi vel Civitatis, Diœcesis, Provinciæ et Nationis

Festum Feriatis æquiparatum :

Festum Sacratissimi Cordis Jesu

FESTA QUÆ CUM OCTAVA CELEBRANTUR

alia gaudent Octava privilegiata, de qua semper fit aut Officium, aut saltem Commemoratio; alia Octava communi, de qua etiam Commemoratio quandoque omitti potest, juxta Rubricas; alia Octava simplici de qua fit tantum in die Octava.

OCTAVÆ PRIVILEGIATÆ

de quibus semper fit aut Officium aut Commemoratio dividuntur in tres ordines

Octavæ I Ordinis

quæ in occurrentia Festis quibuslibet præferuntur :

Octava Paschatis
Octava Pentecostes

Octavæ II Ordinis

quæ in diebus infra Octavam Festis quibuslibet præferuntur præterquam Duplicibus I classis, in die autem Octava etiam Duplicibus I classis quæ non sint Ecclesiæ universalis :

Octava Epiphaniæ Domini
Octava Ssmi Corporis Christi

Octavæ III Ordinis

quæ in occurrentia iisdem tantum Festis præferuntur atque Octavæ communes :

Octava Nativitatis Domini
Octava Ascensionis Domini
Octava Sacratissimi Cordis Jesu

OCTAVÆ COMMUNES

quæ infra Octavam præferuntur tantum Officiis Simplicibus, et in die Octava omnibus Duplicibus quæ non sint I aut II classis :

Octava Conceptionis immaculatæ B. Mariæ Virg.
Octava Assumptionis ejusdem
Octava Nativitatis S. Joannis Baptistæ
Octava Solemnit. S. Joseph
Octava Ss. Petri et Pauli App.
Octava Omnium Sanctorum
Octava Dedicationis et Tituli propriæ Ecclesiæ

Octava Dedicationis et Tituli Ecclesiæ Cathedralis
Octava Patroni principalis Oppidi vel Civitatis, Diœcesis, Provinciæ et Nationis
Octava Tituli et Sancti Fundatoris Ordinis seu Congregationis
Octavæ aliorum Festorum Duplicium I classis, quæ alicubi cum Octava celebrentur

OCTAVÆ SIMPLICES

quæ in die Octava Festis Simplicibus præferuntur et Officio Sanctæ Mariæ in Sabbato :

Octava Nativitatis B. Mariæ Virg.
Octava S. Joannis Ap. et Ev.
Octava S. Stephani Protomartyris
Octava Ss. Innocentium Mm.
Octava S. Laurentii Mart.
Octavæ aliorum Festorum Duplicium II classis, quæ alicubi cum Octava celebrentur.

SI OCCURRAT EODEM DIE

Duplex I classis	0	1	3	1	3	3	3	3	3	3	6	5	8	6	3	3	6
Duplex II classis	0	3	3	1	3	6	3	3	3	3	6	8	6	6	3	6	6
Dies Octava Communis . .	0	3	3	3	3	4	3	3	3	7	4	4	4	0	4	4	4
Duplex majus	0	3	3	3	3	4	3	3	7	4	4	4	4	4	4	4	4
Duplex minus	0	3	3	3	3	4	3	7	4	4	4	4	4	4	4	4	4
Semiduplex	0	3	3	3	3	4	7	4	4	4	4	4	4	4	4	4	4
Dies infra Oct. communem .	0	3	3	7	4	4	4	4	4	4	4	2	2	0	4	4	4
Vigilia.	0	3	2	4	4	4	4	4	4	4	4	4	2	2	0	0	0
Dies Octava Simplex . . .	0	7	4	4	4	4	4	4	4	4	0	4	2	0	4	4	4
Simplex	4	4	4	4	4	4	4	4	4	4	4	4	2	4	4	4	4
1. Officium de 1, nihil de 2.	» S. Maria in Sabbato	» Dies Octava simplex	» Feria major non privilegiata	» Dies infra Octavam communem	» Dies infra Octavam III ordinis	» Dies infra Octavam II ordinis	» Semiduplex	» Duplex minus	» Duplex majus	» Dies Oct. Communis vel III ordinis	» Dies Octava II ordinis	» Duplex II classis	» Duplex I classis	» Feria privileg., Vigilia I cl., vel dies infra Oct. I ord.	» Dominica minor vel Vigilia Epiphaniæ	» Dominica II classis	et Dominica I classis
2. Officium de 2, nihil de 1.																	
3. Officium de 1, com. de 2.																	
4. Officium de 2, com. de 1.																	
5. Offic. de 1, translatio de 2.																	
6. Offic. de 2, translatio de 1.																	
7. Officium de nobiliori, commemoratio de alio . .																	
8. Officium de nobiliori, translatio de alio.																	

QUANDO CONCURRIT

	» Die Octava vel Festo Simplici	» S. Maria in Sabbato	» Die infra Octavam communem	» Die infra Octavam privilegiatam	» Semiduplici	» Duplici minori	» Duplici majori	» Die Octava Duplici majori	» Duplici II classis	» Duplici I classis	cum Dominica vel Vigilia Epiphaniæ
Dominica	4	●	4	4	4	4	4	4	3	3	0
Duplex I classis	2	2	2	4	4	4	4	4	4	5	4
Duplex II classis	2	2	2	4	4	4	4	4	5	3	4
Dies Octava privilegiata	4	4	4	4	4	4	4	4	3	3	4
Dies Octava Communis	4	4	4	4	4	4	4	5	3	1	3
Duplex majus	4	4	4	4	4	4	5	3	3	1	3
Duplex minus	4	4	4	4	4	5	3	3	3	1	3
Semiduplex	4	4	4	4	5	3	3	3	1	1	3
Dies infra Octavam privilegiatam	4	●	0	0	3	3	3	3	3	3	3
Dies infra Octavam communem	4	0	0	0	3	3	3	3	1	1	3

1. Totum de sequenti, nihil de præcedenti.
2. Totum de præcedenti, nihil de sequenti.
3. Totum de sequenti, Commemoratio de præcedenti.
4. Totum de præcedenti, Commemoratio de sequenti.
5. Totum de nobiliori, Commemoratio de alio; in paritate, a Capitulo de sequenti, Commemoratio de præcedenti.

NOTANDA IN PRÆCEDENTES TABELLAS

1 Quando in regulis alterutrius Tabellæ invenitur Officium de Nobiliori, vel Totum de Nobiliori, intelligi debet de illo ex duobus occurrentibus aut concurrentibus Festis vel Officiis, quod, ad normam tituli II præcedentium Rubricarum De Festorum præstantia, alteri præferri debeat.

2 Dominicæ quævis assignationem perpetuam excludunt cujusvis Festi, excepta Dominica inter Circumcisionem et Epiphaniam, in qua fit Officium Ssmi Nominis Jesu; Dominica infra Octavam Epiphaniæ, in qua Festum agitur Sanctæ Familiæ Jesu, Mariæ, Joseph; Dominica I post Pentecosten, in qua celebratur Festum Ssmæ Trinitatis et Dominica ultima Octobris, in qua recolitur Festum D. N. Jesu Christi Regis.

3 Vigiliæ communes, si in aliquam Dominicam inciderint, anticipantur Sabbato, juxta Rubricas, etiam sicubi a Duplici I classis occurrenti sua die perpetuo impeditæ fuerint; Vigiliæ vero privilegiatæ ipsa die Dominica celebrantur, ut propriis locis habetur.

4 De Octavis quæ non sunt in Breviario Romano, nihil fit a die 17 ad 24 Decembris, a Feria IV Cinerum ad Dominicam in Albis, et a Vigilia Pentecostes ad Festum Ssmæ Trinitatis, semper inclusive.

5 De quolibet Duplici majori vel minori aut Semiduplici, quod a Festo Duplici I classis primario Domini Ecclesiæ universalis impediatur, nihil fit; de Festo hujusmodi, a ceteris Duplicibus I classis impedito, nisi hoc fuerit Domini Festum in Dominica quavis aut in Vigilia Epiphaniæ occurrens, fit tantum Commemoratio ad Laudes.

6 Item de die Octava Simplici vel Festo item Simplici ab occurrenti Duplici II classis impeditis, fit tantum ad Laudes, et insuper, de Festo, etiam ad Matutinum, si legi possit IX Lectio historica vel stricte propria.

7 Festa tamen alicujus Nationis, Diœcesis, Ordinis, Instituti vel particularis Ecclesiæ propria, quæ in tota Natione, Diœcesi, Ordine vel Instituto aut in sua particulari Ecclesia perpetuo impediantur, si celebrentur sub ritu Duplici majori vel minori aut Semiduplici, reponuntur in proxima sequenti die, quæ libera sit a quolibet Officio Duplici, a Festo Semiduplici, a Vigiliis privilegiatis et ab Octavis II ordinis.

8 Si duo Officia ejusdem Personæ eodem die occurrant, fit de nobiliori juxta Rubricas, et omittitur, nisi agatur de mysteriis Domini diversis, Commemoratio alterius. Idem servatur in concurrentia, et in paritate nobilitatis Vesperæ non dimidiantur, nisi pariter agatur de diversis Domini mysteriis, sed integræ dicuntur de præcedenti sine Commemoratione sequentis. Si

tamen aliquod Festum Duplex majus aut minus vel Semiduplex vel Simplex occurrat infra aliquam Octavam communem ejusdem Personæ, vel in ipsa die Octava, etiam Simplici, Officium fit de Festo sub ritu et cum privilegiis ipsi Octavæ convenientibus, nisi illud sub altiori ritu sit celebrandum; et additur vel omittitur Commemoratio Octavæ, ut supra.

9 Feria VI post Octavam Ascensionis in occurrentia et concurrentia, et Vigilia Pentecostes in concurrentia tantum, iisdem gaudent privilegiis ac dies infra Octavam communem; sed hæc illis præfertur.

10 Festa Domini, et dies Octavæ item Domini quæ in universali Ecclesia sint privilegiatæ, in occurrentia accidentali et in concurrentia, Dominicæ minori præferuntur.

11 De VII die infra aliquam Octavam nihil fit in II Vesperis, si die sequenti persolvendum sit Officium de die Octava; dicuntur autem integræ Vesperæ vel fit Commemoratio juxta Rubricas, si die sequenti nihil faciendum sit de die Octava, vel etiam si concurrens dies VII infra Octavam, juxta ordinem in titulo VII, num. 5, De Commemorationibus præscriptum, præferri debeat diei Octavæ, in Officio nobiliori commemorandæ.

12 Item nihil fit ad II Vesperas de Dominicis post Octavam Epiphaniæ vel Pentecostes, quæ Sabbato anticipari debuerint juxta Rubricas, quamvis Dominica sequens commemoranda tantum sit; eis tamen integra manent privilegia Dominicæ tam in occursu, quam in concursu ad I Vesperas.

13 In Nativitate Domini et tribus sequentibus diebus, in Circumcisione, in Officio Ssmi Nominis Jesu, et in Epiphania ejusque die Octava, nulla fit Commemoratio de Dominica occurrenti, nec etiam, præterquam in II Vesperis sanctorum Innocentium et Epiphaniæ, et utrisque Vesperis diei Octavæ ejusdem, de Dominica concurrenti. Officium tamen Ssmi Nominis Jesu tam in occursu quam in concursu admittit Commemorationem de Vigilia Epiphaniæ. Circumcisio autem Domini præfertur in occurrentia cuilibet Festo, etiam Duplici I classis, et in concurrentia non admittit Commemorationem Officii præcedentis, quod non fuerit Duplex II classis. Dies vero Octava Corporis Christi cedit in occurrentia Festis Duplicibus I classis primariis Ecclesiæ universalis.

14 Infra Octavam Nativitatis Domini, præterquam in Officio Circumcisionis, Vesperæ usque ad Capitulum dicuntur semper de Octava, sub ritu Officii in concurrentia nobilioris. A Capitulo autem ipsæ Vesperæ juxta normam consuetam fiunt de Officio ex concurrentibus nobiliori, exceptis II Vesperis S. Stephani Protomartyris, cum Commemoratione alterius, si hæc agenda sit juxta Rubricas; sed in paritate nobilitatis fiunt semper de Officio præcedenti, cum Commemoratione sequentis.

15 De Feriis Adventus et Quadragesimæ, quando a nobiliori Officio impeditæ fuerint, semper fit Commemoratio ad

Laudes et in Vesperis; de Feriis vero Quatuor Temporum et II Rogationum, fit ad Laudes tantum. Itemque ad Laudes tantum fit Commemoratio de Vigiliis communibus, quando agenda est, juxta superiorem tabellam.

Et tam de Feria quam de Vigilia commemoratis, dummodo in eis idem atque in Officio currenti non habeatur Evangelium, dicitur IX Lectio de Homilia, præterquam de Feriis Adventus extra Quatuor Tempora.

Ordinarium divini Officii

JUXTA RITUM ROMANUM PERSOLVENDI

Clericis in sacris constitutis, qui integrum divinum Officium, quamvis in partes distributum, coram Ssmo Sacramento, sive publicæ adorationi exposito sive in tabernaculo adservato, devote recitaverint, conceditur : Indulgentia plenaria, si præterea sacramentalem confessionem instituerint, ad eucharisticum Convivium accesserint et ad mentem Summi Pontificis oraverint. *Pius Pp. XI, 23 Octobris 1930.*

Iis vero, qui divinum Officium coram Ssmo Sacramento, ut supra, ex parte tantum recitaverint, conceditur : Indulgentia quingentorum dierum pro unaquaque hora canonica, *Pius Pp. XI, 18 Maji 1933.*

Iisdem autem clericis, qui divinum Officium in alias preces commutatum rite obtinuerint, si preces ejusmodi coram Ssmo Sacramento, uti supra, devote recitaverint, conceditur : Indulgentia plenaria, additis sacramentali confessione, sacra Communione et oratione ad mentem Summi Pontificis. *Pius Pp. XI, 7 Novembris 1932.*

Ante divinum Officium

Antequam inchoëtur Officium laudabiliter dicitur, sub singulari semper numero, sequens Oratio; pro qua Summus Pontifex Pius Pp. XI sub die 17 Novembris 1933 Indulgentiam trium annorum concessit.

Oratio

APeri, Dómine, os meum ad benedicéndum nomen sanctum tuum : munda quoque cor meum ab ómnibus vanis, pervérsis et aliénis cogitatiónibus; intelléctum illúmina, affléctum inflámma, ut digne, atténte ac devóte hoc Officium recitáre váleam, et exaudíri mérear ante conspéctum divínæ Majestátis tuæ. Per Christum, Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Dómine, in unióne illíus divínæ intentiónis, qua ipse in terris laudes Deo persolvísti, has tibi Horas (vel hanc tibi Horam) persólvo.

Ante singulas Horas

Ante Matutinum, sicut et ante Laudes a Matutino extra Chorum separatas, et ante omnes Horas, præter quam ad Completorium, dicitur secreto :

PAter noster, qui es in cælis, sanctificétur nomen tuum. Advéniat regnum tuum. Fiat volúntas tua, sicut in cælo et in terra. Panem nostrum quotidiánum da nobis hódie. Et dimítte nobis débita nostra, sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris. Et ne nos indúcas in tentatiónem : sed líbera nos a malo. Amen.

AVE, María, grátia plena; Dóminus tecum : benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui Jesus. Sancta María, Mater Dei, ora pro nobis peccatóribus, nunc et in hora mortis nostræ. Amen.

In principio autem Matutini ac Primæ additur secreto Symbolum Apostolorum :

CRedo in Deum, Patrem omnipoténtem, Creatórem cæli et terræ. Et in Jesum Christum Fílium ejus únicum, Dóminum nostrum : qui concéptus est de Spíritu Sancto, natus ex María Vírgine, passus sub Póntio Piláto, crucifíxus, mórtuus, et sepúltus : descéndit ad ínferos; tértia die resurréxit a mórtuis; ascéndit ad cælos; sedet ad déxteram Dei Patris omnipoténtis : inde ventúrus est judicáre vivos et mórtuos. Credo in Spíritum Sanctum, sanctam Ecclésiam cathólicam, Sanctórum communiónem, remissiónem peccatórum, carnis resurrectiónem, vitam ætérnam. Amen.

Officium ad Matutinum et ad reliquas Horas, nisi aliter suo loco indicetur, per totum annum persolvitur juxta formam, quæ in Rubricis hujus Ordinarii exhibetur.

Ad Matutinum

Pater noster, Ave Maria et Credo.

Deinde, clara voce, dicitur Versus :

DOmine, lábia mea apéries. ℟. Et os meum annuntiábit laudem tuam. ℣. Deus, in adjutórium meum inténde. ℟. Dómine, ad adjuvándum me festina.

Glória Patri, et Filio, et Spirítui Sancto. Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculórum. Amen. Allelúia.

Postea dicitur conveniens Invitatorium, quod ante Psalmum bis integrum recitatur, et ad singulos ejusdem Psalmi versus vel integrum vel dimidiatum ab Asterisco * alternis vicibus, ut infra, repetitur.

Psalmus 94

VEnite, exsultémus Dómino, jubilémus Deo, salutári nostro : præoccupémus fáciem ejus in confessióne, et in psalmis jubilémus ei.

Repetitur integrum Invitatorium.

Quóniam Deus magnus Dóminus, et Rex magnus super omnes deos : quóniam non repéllet Dóminus plebem suam : quia in manu ejus sunt omnes fines terræ, et altitúdines móntium ipse cónspicit.

Repetitur altera pars Invitatorii.

¶ In sequenti Psalmi versu, ad verba veníte, adorémus, et procidámus ante Deum, genuflectitur.

Quóniam ipsius est mare, et ipse fecit illud, et áridam fundavérunt manus ejus : venite, adorémus, et procidámus ante Deum : plorémus coram Dómino, qui fecit nos, quia ipse est Dóminus, Deus noster; nos autem pópulus ejus, et oves páscuæ ejus.

Repetitur integrum Invitatorium.

Hódie, si vocem ejus audiéritis, nolite obduráre corda vestra, sicut in exacerbatióne secúndum diem tentatiónis in desérto : ubi tentavérunt me patres vestri, probavérunt et vidérunt ópera mea.

Repetitur altera pars Invitatorii.

Quadragínta annis próximus fui generatióni huic, et dixi : Semper hi errant corde; ipsi vero non cognovérunt vias meas : quibus jurávi in ira mea : Si introíbunt in réquiem meam.

Repetitur integrum Invitatorium.

Glória Patri, et Filio, et Spirítui Sancto. Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculórum. Amen.

Repetitur altera pars Invitatorii.

Denique repetitur integrum Invitatorium.

Expleto Psalmo, dicitur Hymnus Invitatorio respondens.

In Officio dominicali

In omnibus Dominicis, extra Octavas Ssmi Corporis Christi ac Sacrat. Cordis Jesu, Invitatorium et Hymnus ut in Psalterio.

In Officio feriali

In omnibus Feriis, Invitatorium et Hymnus de Feria currenti, ut in Psalterio

In Festis

In Officio cujuslibet Festi vel Octavæ, ac S. Mariæ in Sabbato, Invitatorium et Hymnus ut in Proprio vel Communi; in Dominicis autem infra Octavas Ssmi Corporis Christi ac Sacrat. Cordis Jesu, si de eis fiat Officium, Invitatorium et Hymnus ut in Proprio de Tempore. Quæ norma ad reliquas item Horas erit observanda pro illis Officii partibus, quæ juxta Rubricas ex Ordinario vel Psalterio non fuerint in Festis desumendæ.

In Officio novem Lectionum

Expleto Hymno, dicuntur Antiphonæ convenientes, quæ in Officiis ritus duplicis ante et post Psalmos integræ recitantur; in Officiis autem ritus semiduplicis initio Psalmi inchoantur tantum et usque ad Asteriscum * perducuntur, atque in fine integræ pronuntiantur; servata alterutra norma etiam in omnibus Antiphonis, quæ ad Laudes ac Vesperas adhibentur.

IN I NOCTURNO

Sub congruentibus Antiphonis dicuntur tres Psalmi, ac deinde subjungitur Versus, prouti Officium occurrens requirit.

Post Versum cujuslibet Nocturni dicitur

Pater noster secreto usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Absolutio

EXáudi, Dómine Jesu Christe, preces servórum tuórum, et miserére nobis : Qui cum Patre et Spíritu Sancto vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

℣. Jube, domne, benedícere.

¶ Extra Chorum, quando ab uno tantum recitatur Officium, ante singulas Lectiones Matutini atque ad Lectionem brevem Primæ et Completorii, dicitur : Jube, Dómine, benedícere; et subjungitur congruens Benedictio. Ab Episcopo autem, ultimam Matutini Lectionem cantaturo, item dicitur : Jube, Dómine, benedícere; et respondetur a Choro : Amen.

Pro i Lectione

Bened. Benedictióne perpétua benedícat nos Pater ætérnus. ℟. Amen.

Deinde dicuntur in unoquoque Nocturno Lectiones, prouti Officium occurrens requirit, et in fine cujuslibet Lectionis additur :

℣. Tu autem, Dómine, miserére nobis. ℟. Deo grátias.

Post quamlibet vero Lectionem, quæ Hymnum Te Deum immediate non præcedat, congruens dicitur Responsorium, et in fine ultimi Responsorii cujusque Nocturni additur Versus : Glória Patri, et Fílio, et Spirítui Sancto, et Responsorium ab Asterisco *, et quidem a secundo, si duo fuerint, repetitur.

Pro ii Lectione

Bened. Unigénitus Dei Fílius nos benedícere et adjuváre dignétur.

℟. Amen.

Pro iii Lectione

Bened. Spíritus Sancti grátia illúminet sensus et corda nostra. ℟. Amen.

IN II NOCTURNO

Sub congruentibus item Antiphonis dicuntur tres Psalmi et Versus, sicut in I Nocturno.

Post Versum dicitur.

Pater noster secreto usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Absolutio

IPsíus píetas et miseri-córdia nos ádjuvet, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat in sæcula sæculórum.

℟. Amen.

℣. Jube, domne, benedícere.

Pro iv Lectione

Bened. Deus Pater omnípotens sit nobis propítius et clemens. ℟. Amen.

Pro v Lectione

Bened. Christus perpétuæ det nobis gáudia vitæ. ℟. Amen.

Pro vi Lectione

Bened. Ignem sui amóris accéndat Deus in córdibus nostris. ℟. Amen.

IN III NOCTURNO

Sub congruentibus denique Antiphonis dicuntur tres Psalmi et Versus, sicut in I et II Nocturno.

Post Versum dicitur

Pater noster secreto usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Absolutio

AVínculis peccatórum nostrórum absólvat nos omnípotens et miséricors Dóminus. ℟. Amen.

℣. Jube, domne, benedícere.

Pro vii Lectione

Bened. Evangélica léctio sit nobis salus et protéctio. ℟. Amen.

Pro viii Lectione

In Festis Domini et in Dominicis :

Bened. Divínum auxílium máneat semper nobíscum. ℟. Amen.

In Festis beatæ Mariæ Virginis :

Bened. Cujus festum cólimus, ipsa Virgo vírginum intercédat pro nobis ad Dóminum. ℟. Amen.

In Festis Sanctorum :

Bened. Cujus (vel Quorum aut Quarum) festum cólimus, ipse (vel ipsa aut ipsi vel ipsæ) intercédat (vel intercédant) pro nobis ad Dóminum. ℟. Amen.

Pro ix Lectione

Bened. Ad societátem cívium supernórum perdúcat nos Rex Angelórum. ℟. Amen.

Si autem legenda sit Lectio ix de Homilia cum Evangelio Dominicæ, vel Feriæ, aut Vigiliæ :

Bened. Per evangélica dicta deleántur nostra delícta. ℟. Amen.

In Officio trium Lectionum

IN NOCTURNO

In Officiis trium Lectionum, post Hymnum dicuntur Antiphonæ convenientes, quæ initio Psalmi inchoantur tantum et usque ad Asteriscum * perducuntur, ac deinde in fine integræ pronuntiantur.

Sub eisdem vero Antiphonis dicuntur novem Psalmi Feriæ currentis, quibus subjungitur Versus in III Nocturno positus, omissis Versibus pro I et II Nocturno assignatis.

Post Versum dicitur

Pater noster secreto usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Absolutio

Feria II et V

Exáudi, Dómine, ut in I Nocturno.

Feria III et VI

Ipsíus píetas, ut in II Nocturno.

Feria IV et Sabbato

A vínculis, ut in III Nocturno Officii novem Lectionum.

Deinde leguntur Lectiones cum Responsoriis, prouti Officium occurrens requirit; et ante eas dicuntur sequentes

Benedictiones

In Feriis, quando legitur Homilia cum Evangelio, erit :

1 Bened. Evangélica léctio sit nobis salus et protéctio. ℟. Amen.

2 Bened. Divinum auxílium máneat semper nobíscum. ℟. Amen.

3 Bened. Ad societátem civium supernórum perdúcat nos Rex Angelórum. ℟. Amen.

In Feriis, quando non legitur Homilia cum Evangelio, Feria II et V Benedictiones ut in I Nocturno, Feria III et VI ut in II Nocturno Officii novem Lectionum; Feria autem IV et Sabbato erit :

1 Bened. Ille nos benedícat, qui sine fine vivit et regnat. ℟. Amen.

2 Bened. Divínum auxílium máneat semper nobíscum. ℟. Amen.

3 Bened. Ad societátem cívium supernórum perdúcat nos Rex Angelórum. ℟. Amen.

In Festis Sanctorum erit :

1 Bened. Ille nos benedícat, qui sine fine vivit et regnat. ℟. Amen.

2 Bened. Cujus (vel Quorum aut Quarum) festum cólimus, ipse (vel ipsa aut ipsi vel ipsæ) intercédat (vel intercédant) pro nobis ad Dóminum. ℟. Amen.

3 Bened. Ad societátem cívium supernórum perdúcat nos Rex Angelórum. ℟. Amen.

In Officio de sancta Maria in Sabbato Absolutio et Benedictiones, quæ ibidem ponuntur.

Post ultimam Lectionem, in omnibus Dominicis per Annum minoribus, in Festis cujusvis ritus, per omnes Octavas, et in Officio sanctæ Mariæ in Sabbato, dicitur Hymnus Ambrosianus. Et numquam dicitur in feriali Officio. Quando vero Hymnus prædictus omittitur, ejus loco dicitur IX aut III Responsorium.

Hymnus Ambrosianus

TE Deum laudámus : * te Dóminum confitémur.

Te ætérnum Patrem * omnis terra venerátur.

Tibi omnes Angeli, * tibi Cæli, et univérsæ Potestátes :

Tibi Chérubim et Séraphim * incessábili voce proclámant :

Sanctus, * Sanctus, * Sanctus * Dóminus, Deus Sábaoth.

Pleni sunt cæli et terra * majestátis glóriæ tuæ.

Te gloriósus * Apostolórum chorus,

Te Prophetárum * laudábilis númerus,

Te Mártyrum candidátus * laudat exércitus.

Te per orbem terrárum * sancta confitétur Eccléssia,

Patrem * imménsæ majestátis;

Venerándum tuum verum * et únicum Fílium;

Sanctum quoque * Paráclitum Spíritum.

Tu Rex glóriæ, * Christe.

Tu Patris * sempitérnus es Filius.

Tu, ad liberándum susceptúrus hóminem, * non horruísti Vírginis úterum.

Tu, devícto mortis acúleo, * aperuísti credéntibus regna cælórum.

Tu ad déxteram Dei sedes, * in glória Patris.

Judex créderis * esse ventúrus.

¶ Sequens versus dicitur flexis genibus.

Te ergo quæsumus, tuis fámulis súbveni, * quos pretióso sánguine redemísti.

Ætérna fac cum Sanctis tuis * in glória numerári.

Salvum fac pópulum tuum, Dómine, * et bénedic hereditáti tuæ.

Et rege eos, * et extólle illos usque in ætérnum.

Per síngulos dies * benedícimus te;

Et laudámus nomen tuum in sæculum, * et in sæculum sæculi.

Dignáre, Dómine, die isto * sine peccáto nos custodíre.

Miserére nostri, Dómine, * miserére nostri.

Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos, * quemádmodum sperávimus in te.

In te, Dómine, sperávi: * non confúndar in ætérnum.

Dicto Te Deum, aut ultimo Responsorio, statim incipiuntur Laudes a Versu Deus, in adjutórium, ut infra.

In privata vero recitatione, Matutinum a Laudibus separari potest; quo in casu, post Hymnum Te Deum, vel post ultimum Responsorium, dicitur :

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

¶ Hic Versus Dóminus vobíscum non dicitur ab eo, qui non est saltem in ordine Diaconatus; sed ejus loco substituitur, etiam in aliis Horis, quoties in antecedentibus Precibus dictus non fuerit :

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Orémus.

Et dicitur Oratio ut ad Laudes.

Post Orationem additur :

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Benedicámus Dómino.
℟. Deo grátias.
℣. Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen.

Deinde dicitur Pater noster totum secreto.

In publica vero recitatione, Matutinum in Choro a Laudibus separari non potest.

Ad Laudes

Si Laudes extra Chorum separentur a Matutino, ante eas dicitur secreto Pater noster et Ave María; secus absolute incipiuntur, ut sequitur :

℣. Deus, in adjutórium.

Deinde, sub congruentibus Antiphonis, dicuntur Psalmi et Canticum, prouti Officium occurrens requirit.

Repetita vero post ultimum Psalmum Antiphona, dicuntur Capitulum, Hymnus et Versus, prouti Officium occurrens exigit.

In Officio dominicali

In omnibus Dominicis, extra Octavas Ssmi Corporis Christi ac Sacratissimi Cordis Jesu Capitulum, Hymnus et Versus ut in Psalterio.

In Officio feriali

In omnibus Feriis, Capitulum, Hymnus et Versus de Feria currenti, ut in Psalterio.

Recitato Versu, dicitur cum Antiphona convenienti sequens

Canticum Zachariæ

Luc. 1, 68-79

Benedíctus † Dóminus, Deus Israël, * quia visitávit, et fecit redemptiónem plebis suæ :

Et eréxit cornu salútis nobis : * in domo David, púeri sui.

Sicut locútus est per os sanctórum, * qui a sæculo sunt, Prophetárum ejus :

Salútem ex inimícis nostris, * et de manu ómnium, qui odérunt nos :

Ad faciéndam misericórdiam cum pátribus nostris : * et memorári testaménti sui sancti.

Jusjurándum, quod jurávit ad Abraham, patrem nostrum, * datúrum se nobis :

Ut sine timóre, de manu inimicórum nostrórum liberáti, * serviámus illi.

In sanctitáte, et justítia coram ipso, * ómnibus diébus nostris.

Et tu, puer, Prophéta Altíssimi vocáberis : * præíbis enim ante fáciem Dómini paráre vias ejus :

Ad dandam sciéntiam salútis plebi ejus : * in remissiónem peccatórum eórum :

Per víscera misericórdiæ Dei nostri : * in quibus visitávit nos, óriens ex alto :

Illumináre his, qui in ténebris, et in umbra mortis sedent : * ad dirigéndos pedes nostros in viam pacis.

Glória Patri, et Fílio, * et Spirítui Sancto.

Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, * et in sæcula sæculórum. Amen.

¶ Hic Versus Glória Patri dicitur in fine omnium Canticorum, nisi aliter adnotetur.

Expleto Cantico ac repetita Antiphona, si Preces non fuerint recitandæ, statim dicitur Versus Dóminus vobíscum cum Oratione et reliquis omnibus usque ad finem Horæ, ut infra.

In omnibus vero Vigiliis, si fiat Officium de Vigilia currenti, post repetitam ad Benedictus Antiphonam dicuntur flexis genibus sequentes Preces, quæ aliis temporibus omittuntur :

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster, quod dicitur a solo Hebdomadario totum clara voce, usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed libera nos a malo.

℣. Ego dixi : Dómine, miserére mei. ℟. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi. ℣. Convértere, Dómine, úsquequo? ℟. Et deprecábilis esto super servos tuos. ℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te. ℣. Sacerdótes tui induántur justitiam. ℟. Et sancti tui exsúltent.

℣. Orémus pro beatissimo Papa nostro N. ℟. Dóminus consérvet eum, et vivificet eum, et beátum fáciat eum in terra, et non tradat eum in ánimam inimicórum ejus.

℣. Orémus et pro Antístite nostro N. ℟. Stet et pascat in fortitúdine tua, Dómine, in sublimitáte nóminis tui.

¶ Romæ præcedens Versus cum suo Responsorio omittitur; alibi vero, ad litteram N., ab omnibus nomen diœcesani Episcopi exprimatur. Vacante Apostolica vel Episcopali Sede, alteruter vel uterque respectivus Versus cum suo Responsorio præteritur.

℣. Dómine, salvum fac regem. ℟. Et exáudi nos in die, qua invocavérimus te. ℣. Salvum fac pópulum tuum, Dómine, et bénedic hereditáti tuæ. ℟. Et rege eos, et extólle illos usque in ætérnum. ℣. Meménto Congregatiónis tuæ. ℟. Quam possedisti ab initio. ℣. Fiat pax in virtúte tua. ℟. Et abundántia in túrribus tuis. ℣. Orémus pro benefactóribus nostris. ℟. Retribúere dignáre, Dómine, ómnibus, nobis bona faciéntibus propter nomen tuum, vitam ætérnam. Amen. ℣. Orémus pro fidélibus defúnctis. ℟. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine, et lux perpétua lúceat eis. ℣. Requiéscant in pace. ℟. Amen. ℣. Pro frátribus nostris abséntibus. ℟. Salvos fac servos tuos, Deus meus, sperántes in te. ℣. Pro afflíctis et captívis. ℟. Libera eos, Deus Israël, ex ómnibus tribulatiónibus suis. ℣. Mitte eis, Dómine, auxilium de sancto. ℟. Et de Sion tuére eos. ℣. Dómine, Deus virtútum, convérte nos. ℟. Et osténde fáciem tuam, et salvi érimus. ℣. Exsúrge, Christe, ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum. ℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Absolutis Precibus, vel, si Preces locum non habeant, repetita Antiphona post Benedictus, statim dicitur :

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
Orémus.

Et dicitur Oratio conveniens. Postea fiunt Commemorationes, si occurrant.

Deinde in Officio semiduplici aut simplici tam de Tempore quam de Sanctis, præter omnes dies, in quibus habita sit Commemoratio Duplicis, vel factum fuerit Officium aut Commemoratio cujusvis Octavæ, fit sequens

Suffragium de omnibus Sanctis

Ant. Beáta Dei Génitrix Virgo María, Sanctíque omnes intercédant pro nobis ad Dóminum.

℣. Mirificávit Dóminus Sanctos suos. ℟. Et exaudívit eos clamántes ad se.

Orémus. Oratio

ACunctis nos, quæsumus, Dómine, mentis et córporis defénde perículis : et, intercedénte beáta et gloriósa semper Vírgine Dei Genitríce María, cum beáto Joseph, beátis Apóstolis tuis Petro et Paulo, atque beáto N. et ómnibus Sanctis, salútem nobis tríbue benígnus et pacem; ut, destrúctis adversitátibus et erróribus univérsis, Ecclésia tua secúra tibi sérviat libertáte. Per eúmdem Dóminum nostrum.

℟. Amen.

¶ In hac Oratione, ad litteram N., exprimitur nomen Titularis propriæ Ecclesiæ, dummodo Titulus non sit Persona divina vel Mysterium Domini, aut de ipso ratione Vigiliæ vel Festi factum non fuerit Officium vel Commemoratio, aut illius nomen non sit in eadem Suffragii Oratione expressum; ac nomina sanctorum Angelorum et sancti Joannis Baptistæ, si Titulares fuerint, præponuntur nomini sancti Joseph. In hisce autem omnibus casibus omittuntur verba atque beáto N.

Si vero Officium vel Commemoratio fuerit de beata Maria Virgine, tunc dicitur ut infra; atque insuper, sicubi Titularis juxta superiorem Rubricam ante omnes fuerit nominandus, ad Orationem particula cum omittitur ante nomen sanctorum Petri et Pauli ac præponitur nomini sancti Joseph.

Ant. Sancti omnes intercédant pro nobis ad Dóminum.

℣. Mirificávit Dóminus Sanctos suos. ℟. Et exaudívit eos clamántes ad se.

Orémus. Oratio

ACunctis nos, quæsumus, Dómine, mentis et córporis defénde perículis : et, intercedénte beáto Joseph, cum beátis Apóstolis tuis Petro et Paulo, atque beáto N. et ómnibus Sanctis, salútem nobis tríbue benígnus et pacem; ut, destrúctis adversitátibus et erróribus univérsis, Ecclésia tua secúra tibi sérviat libertáte. Per Dóminum. ℟. Amen.

Post ultimam Orationem additur :

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. BenedicámusDómino.
℟. Deo grátias.
℣. Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen.

Deinde, in publica Officii recitatione, si discedendum sit a Choro, itemque in recitatione privata, si tunc terminetur Officium; alioquin, in fine ultimæ Horæ dicitur Pater noster, totum secreto; eoque recitato, subjungitur :

℣. Dóminus det nobis suam pacem. ℟. Et vitam ætérnam. Amen.

Et immediate dicitur, cum suis Versu et Oratione, finalis beatæ Mariæ Virginis Antiphona, quæ inferius post Completorium assignatur.

Postea concluditur :

℣. Divinum auxílium máneat semper nobíscum.
℟. Amen.

Ad Primam

Pater, Ave et Credo.

℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus

JAM lucis orto sídere,
Deum precémur súpplices,
Ut in diúrnis áctibus
Nos servet a nocéntibus.

Linguam refrénans témperet,
Ne litis horror ínsonet :
Visum fovéndo cóntegat,
Ne vanitátes háuriat.

Sint pura cordis íntima,
Absístat et vecórdia :
Carnis terat supérbiam
Potus cibíque párcitas.

Ut, cum dies abscésserit
Noctémque sors redúxerit
Mundi per abstinéntiam
Ipsi canámus glóriam.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc et per omne sæculum. Amen.

¶ Conclusio communis, in Hymno præcedenti, et in aliis idem metrum habentibus, semper omittitur, quando specialis in omnibus Horis adhibenda præscribitur; et, si plures Conclusiones propriæ occurrant, sumitur Conclusio Officii currentis, aut secus Officii ipsa die et primo quidem loco inter cetera propriam Conclusionem habentia commemorandi, aut demum de occurrenti Octava communi.

Expleto Hymno, conveniens dicitur Antiphona usque ad Asteriscum *, prouti occurrens Officium requirit.

In Officio dominicali

In omnibus Dominicis, extra Octavas Ssmi Corporis Christi et Sacrat. Cordis Jesu, Antiphona ut in Psalterio.

In Officio feriali

In omnibus Feriis, Antiphona de Feria currenti ut in Psalterio.

Post enuntiatam Antiphonam dicuntur tres Psalmi Officio diei congruentes.

¶ Quando autem adhibetur posterius Laudum schema, Psalmus, in priori Laudum ferialium schemate omissus, ad Primam Feriæ currentis post alios Psalmos resumitur.

Repetita post ultimum Psalmum integre Antiphona, conveniens dicitur Capitulum; nimirum :

In omnibus Dominicis, in Officio cujuslibet Festi vel Octavæ ac sanctæ Mariæ in Sabbato :

Capitulum 1 Tim. 1, 17

REgi sæculórum immortáli et invisíbili, soli Deo honor et glória in sæcula sæculórum. Amen.

℟. Deo grátias.

¶ Sic respondetur in fine omnium Capitulorum.

In omnibus autem Feriis et in Vigiliis communibus :

Capitulum Zach. 8, 19

PAcem et veritátem dilígite, ait Dóminus omnípotens.

Dicto Capitulo, subjungitur Responsorium breve, ut sequitur. Versus tamen Qui sedes ad dexteram Patris semper omittitur, quando specialis Versus adhibendus præscribitur, Officii nempe currentis, aut secus Officii ad Laudes et primo quidem loco inter cetera specialem Versum habentia commemorati, aut demum de occurrenti Octava communi proprius.

℟. br. Christe, Fili Dei vivi, † Miserére nobis. Et repetitur : Christe, Fili Dei vivi, miserére nobis. ℣. Qui sedes ad dexteram Patris. ℟. Miserére nobis. ℣. Glória Patri, et Fílio, et Spirítui Sancto. ℟. Christe, Fili Dei vivi, miserére nobis. ℣. Exsúrge, Christe, ádjuva nos. ℟. Et libera nos propter nomen tuum.

¶ Ita dicuntur semper Responsoria brevia, etiam ad Tertiam, Sextam, Nonam et Completorium.

Expleto Responsorio brevi, si Preces non fuerint recitandæ, statim dicitur Versus Dóminus vobíscum cum subsequenti Oratione et reliquis omnibus usque ad finem Horæ ut infra.

In quolibet Officio semiduplici, in Officio sanctæ Mariæ in Sabbato, in Festis simplicibus, atque in Feriis per Annum communibus, post Responsorium breve dicuntur sequentes Preces dominicales; quæ tamen omittuntur omnibus diebus, in quibus ad Laudes habita sit Commemoratio Duplicis, vel factum

fuerit Officium aut Commemoratio cujusvis Octavæ :

KYrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Credo in Deum secreto usque ad ℣. Carnis resurrectiónem. ℟. Vitam ætérnam. Amen.

℣. Et ego ad te, Dómine, clamávi. ℟. Et mane orátio mea prævéniet te. ℣. Repleátur os meum laude. ℟. Ut cantem glóriam tuam, tota die magnitúdinem tuam. ℣. Dómine, avértefáciem tuama peccátis meis. ℟. Et omnes iniquitátes meas dele. ℣. Cor mundum crea in me, Deus. ℟. Et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis. ℣. Ne projícias me a fácie tua. ℟. Et spíritum sanctum tuum ne áuferas a me. ℣. Redde mihi lætítiam salutáris tui. ℟. Et spíritu principáli confírma me. ℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

Deinde Hebdomadarius facit Confessionem cum Absolutione, eamque Chorus repetit, ut infra post feriales Preces.

In omnibus vero Vigiliis, si ad Laudes recitatæ fuerint preces, post Responsorium breve dicuntur flexis genibus sequentes Preces feriales :

KYrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Credo in Deum secreto usque ad ℣. Carnis resurrectiónem. ℟. Vitam ætérnam. Amen.

℣. Et ego ad te, Dómine, clamávi. ℟. Et mane orátio mea prævéniet te. ℣. Repleátur os meum laude. ℟. Ut cantem glóriam tuam, tota die magnitúdinem tuam. ℣. Dómine, avértefáciem tuama peccátis meis. ℟. Et omnes iniquitátes meas dele. ℣. Cor mundum crea in me, Deus. ℟. Et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis. ℣. Ne projícias me a fácie tua. ℟. Et spíritum sanctum tuum ne áuferas a me. ℣. Redde mihi lætítiam salutáris tui. ℟. Et spíritu principáli confírma me. ℣. Eripe me, Dómine, ab hómine malo. ℟. A viro iníquo éripe me. ℣. Eripe me de inimícis meis, Deus meus. ℟. Et ab insurgéntibus in me libera me. ℣. Eripe me de operántibus iniquitátem. ℟. Et de viris sánguinum salva me. ℣. Sic psalmum dicam nómini tuo in sæculum sæculi. ℟. Ut reddam vota

mea de die in diem. ℣. Exáudi nos, Deus, salutáris noster. ℟. Spes ómnium fínium terræ, et in mari longe. ℣. Deus, in adjutórium meum inténde. ℟. Dómine, ad adjuvándum me festína. ℣. Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortális. ℟. Miserére nobis. ℣. Bénedic, ánima mea, Dómino. ℟. Et ómnia, quæ intra me sunt, nómini sancto ejus. ℣. Bénedic, ánima mea, Dómino. ℟. Et noli oblivísci omnes retributiónes ejus. ℣. Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis. ℟. Qui sanat omnes infirmitátes tuas. ℣. Qui rédimit de intéritu vitam tuam. ℟. Qui corónat te in misericórdia et miseratiónibus. ℣. Qui replet ín bonis desidérium tuum. ℟. Renovábitur ut áquilæ juvéntus tua. ℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

Deinde Hebdomadarius facit Confessionem :

COnfíteor Deo omnipoténti, beátæ Maríæ semper Vírgini, beáto Michaéli Archángelo, beáto Joánni Baptístæ, sanctis Apóstolis Petro et Paulo, ómnibus Sanctis, et vobis, fratres, quia peccávi nimis cogitatióne, verbo et ópere : mea culpa, mea culpa, mea máxima culpa. Ideo precor beátam Maríam semper Vírginem, beátum Michaélem Archángelum, beátum Joánnem Baptístam, sanctos Apóstolos Petrum et Paulum, omnes Sanctos, et vos, fratres, oráre pro me ad Dóminum, Deumnostrum.

Chorus respondet :

MIsereátur tui omnípotens Deus, et, dimíssis peccátis tuis, perdúcat te ad vitam ætérnam.

℟. Amen.

Deinde repetit Confessionem, et ubi dicitur : vobis, fratres, et vos, fratres, dicat : tibi, pater, et te, pater.

Facta Confessione a Choro, Hebdomadarius dicit :

MIsereátur vestri omnípotens Deus, et, dimíssis peccátis vestris, perdúcat vos ad vitam ætérnam. ℟. Amen.

INdulgéntiam, absolutiónem, et remissiónem peccatórum nostrórum tríbuat nobis omnípotens et miséricors Dóminus.

℟. Amen.

Extra Chorum, si unus vel duo tantum recitent Officium, et in Choro Monialium, semel tantum ac simul ab omnibus ita fit Confessio :

COnfíteor Deo omnipoténti, beátæ Maríæ semper Vírgini, beáto Michaéli Archángelo, beáto

Joánni Baptístæ, sanctis Apóstolis Petro et Paulo, et ómnibus Sanctis, quia peccávi nimis cogitatióne, verbo et ópere : mea culpa, mea culpa, mea máxima culpa. Ideo precor beátam Maríam semper Vírginem, beátum Michaélem Archángelum, beátum Joánnem Baptístam, sanctos Apóstolos Petrum et Paulum, et omnes Sanctos, oráre pro me ad Dóminum, Deum nostrum.

Deinde dicitur :

MIsereátur nostri omnípotens Deus, et, dimíssis peccátis nostris, perdúcat nos ad vitam ætérnam. Amen.

INdulgéntiam, absolutiónem, et remissiónem peccatórum nostrórum tríbuat nobis omnípotens et miséricors Dóminus. Amen.

Facta Absolutione, subjungitur :

℣. Dignáre, Dómine, die isto. ℟. Sine peccáto nos custodíre. ℣. Miserére nostri, Dómine. ℟. Miserére nostri. ℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te. ℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Absolutis Precibus, vel, si Preces locum non habeant, post Responsorium breve statim dicitur :

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio

DOmine, Deus omnípotens, qui ad princípium hujus diéi nos pervenire fecísti : tua nos hódie salva virtúte; ut in hac die ad nullum declinémus peccátum, sed semper ad tuam justitiam faciéndam nostra procédant elóquia, dirigántur cogitatiónes et ópera. Per Dóminum.

℟. Amen.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Benedicámus Dómino.
℟. Deo grátias.

Deinde in Choro legitur Martyrologium, quod laudabiliter fit etiam extra Chorum. Postea Hebdomadarius dicit :

℣. Pretiósa in conspéctu Dómini. ℟. Mors Sanctórum ejus.

Et absolute, sine Orémus :

Oratio

SAncta María, et omnes Sancti intercédant pro nobis ad Dóminum, ut nos mereámur ab eo adjuvári et salvári, qui vivit et regnat in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

℣. Deus, in adjutórium meum inténde. ℟. Dómine, ad adjuvándum me fe-

stína. Et dicitur ter; ultimo additur : Glória Patri, et Fílio, et Spirítui Sancto. Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculórum. Amen.

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Réspice in servos tuos, Dómine, et in ópera tua, et dírige fílios eórum. ℟. Et sit splendor Dómini, Dei nostri, super nos, et ópera mánuum nostrárum dírige super nos, et opus mánuum nostrárum dírige. ℣. Glória Patri, et Fílio, et Spirítui Sancto. ℟. Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculórum. Amen.

Orémus. Oratio

DIrígere et sanctificáre, régere et gubernáre dignáre, Dómine Deus, Rex cæli et terræ, hódie corda et córpora nostra, sensus, sermónes et actus nostros in lege tua, et in opéribus mandatórum tuórum : ut hic, et in ætérnum, te auxiliánte, salvi et líberi esse mereámur, Salvátor mundi : Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Deinde dicitur Lectio brevis, ad absolutionem Capituli, prouti Officium occurrens requirit.

℣. Jube, domne, benedícere. Bened. Dies et actus nostros in sua pace dispónat Dóminus omnípotens. ℟. Amen.

In Officio dominicali et feriali

A Feria II usque ad Feriam IV post Festum sanctissimæ Trinitatis, et a Sabbato post Octavam Sacratissimi Cordis Jesu et deinceps.

Lectio brevis
2 Thess. 3, 5

DOminus autem dírigat corda et córpora nostra in caritáte Dei, et patiéntia Christi. Tu autem, Dómine, miserére nobis. ℟. Deo grátias.

¶ Ita semper concluduntur Lectiones breves ad Primam, et ita in earum fine respondetur.

In Officio autem cujuslibet Festi vel Octavæ, atque S. Mariæ in Sabbato; itemque in Dominicis infra Octavas Ssmi Corporis Christi ac Sacrat. Cordis Jesu, si de eis fiat Officium :

Pro Lectione brevi sumitur Capitulum, quod ad Nonam ponitur ipsius Officii currentis, et in fine dicitur : Tu autem, Dómine, ut supra.

Post Lectionem brevem dicitur :

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

℣. Benedícite. ℟. Deus. Bened. Dóminus nos benedícat, et ab omni malo deféndat, et ad vitam perdúcat ætérnam. Et fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen.

Deinde dicitur tantum Pater noster secreto, nisi sequatur alia Hora.

Ad Tertiam

Pater noster et Ave.

℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus

NUnc, Sancte, nobis, Spíritus,
Unum Patri cum Fílio,
Dignáre promptus íngeri
Nostro refúsus péctori.

Os, lingua, mens, sensus, vigor,
Confessiónem pérsonent,
Flamméscat igne cáritas,
Accéndat ardor próximos.

Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

Expleto Hymno, conveniens dicitur Antiphona usque ad Asteriscum *, et tres Psalmi, prouti Officium occurrens requirit; atque Psalmis absolutis, integra repetitur Antiphona.

In Officio dominicali

In omnibus Dominicis, extra Octavas Ssmi Corporis Christi ac Sacrat. Cordis Jesu, Aña ut in Psalterio, et dicitur sequens

Capitulum 1 Joann. 4, 16

DEus cáritas est : et qui manet in caritáte, in Deo manet, et Deus in eo. ℟. br. Inclína cor meum, Deus, * In testimónia tua. Inclína. ℣. Avérte óculos meos, ne vídeant vanitátem : in via tua vivífica me. In testimónia tua. Glória Patri. Inclína. ℣. Ego dixi : Dómine, miserére mei. ℟. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi.

In Officio feriali

In omnibus Feriis, Antiphona de Feria currenti, ut in Psalterio; et dicitur quotidie sequens

Capitulum Jer. 17, 14

SAna me, Dómine, et sanábor : salvum me fac, et salvus ero : quóniam laus mea tu es. ℟. br. Sana ánimam meam, * Quia peccávi tibi. Sana. ℣. Ego dixi : Dómine, miserére mei. Quia. Glória Patri. Sana. ℣. Adjútor meus esto, ne derelínquas me. ℟. Neque despícias me, Deus, salutáris meus.

Expleto Responsorio brevi, si Preces non fuerint recitandæ, statim dicitur Versus Dóminus vobíscum cum Oratione et reliquis omnibus usque ad finem Horæ, ut infra.

Quando vero ad Laudes recitatæ sunt Preces, post Responsorium breve dicuntur sequentes flexis genibus :

KYrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo. ℣. Dómine, Deus virtútum, convérte nos. ℟. Et osténde fáciem tuam, et salvi érimus. ℣. Exsúrge, Christe, ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum. ℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Absolutis Precibus, vel, si Preces locum non habeant, post Responsorium breve statim dicitur :

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
Orémus.

Et dicitur Oratio conveniens.

Post Orationem additur :

℣. Dóminus vobiscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Benedicámus Dómino.
℟. Deo grátias.
℣. Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen.

Deinde dicitur tantum Pater noster secreto, nisi sequatur alia Hora.

Ad Sextam

Pater noster et Ave.

℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus

REctor potens, verax Deus,
Qui témperas rerum vices,
Splendóre mane illúminas,
Et ígnibus merídiem :

Exstíngue flammas lítium,
Aufer calórem nóxium,
Confer salútem córporum,
Verámque pacem córdium.

Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

Expleto Hymno, conveniens dicitur Antiphona usque ad Asteriscum *, et tres Psalmi prouti Officium occurrens requirit; atque, Psalmis absolutis, integra repetitur Antiphona.

In Officio dominicali

In omnibus Dominicis, extra Octavas Ssmi Corporis Christi ac Sacrat. Cordis Jesu, Aña ut in Psalterio, et dicitur sequens

Capitulum Gal. 6, 2

ALter altérius ónera portáte, et sic adimplébitis legem Christi. ℟. br. In ætérnum, Dómine, * Pérmanet verbum tuum. In ætérnum. ℣. In sæculum sæculi véritas

tua. Pérmanet. Glória Patri. In ætérnum.

℣. Dóminus regit me, et nihil mihi déerit. ℟. In loco páscuæ ibi me collocávit.

In Officio feriali

In omnibus Feriis, Antiphona de Feria currenti, ut in Psalterio; et dicitur quotidie sequens

Capitulum Rom. 13, 8

NEmini quidquam debeátis, nisi ut ínvicem diligátis : qui enim díligit próximum, legem implévit.

℟. br. Benedícam Dóminum * In omni témpore. Benedícam. ℣. Semper laus ejus in ore meo. In. Glória Patri. Benedícam. ℣. Dóminus regit me, et nihil mihi déerit. ℟. In loco páscuæ ibi me collocávit.

Expleto Responsorio brevi, si Preces non fuerint recitandæ, statim dicitur Versus Dóminus vobíscum cum Oratione et reliquis omnibus usque ad finem Horæ, ut infra.

Quando vero ad Laudes recitatæ sunt Preces, post Responsorium breve dicuntur sequentes flexis genibus :

KYrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo. ℣. Dómine, Deus virtútum, convérte nos. ℟. Et osténde fáciem tuam, et salvi érimus. ℣. Exsúrge, Christe, ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum. ℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Absolutis Precibus, vel, si Preces locum non habeant, post Responsorium breve statim dicitur :

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
Orémus.

Et dicitur Oratio conveniens.

Post Orationem additur :

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Benedicámus Dómino.
℟. Deo grátias.
℣. Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen.

Deinde dicitur tantum Pater noster secreto, nisi sequatur alia Hora.

Ad Nonam

Pater noster et Ave.

℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus

RErum, Deus, tenax vigor,
Immótus in te pérmanens,
Lucis diúrnæ témpora
Successíbus detérminans :

Largíre lumen véspere,
Quo vita nusquam décidat,
Sed prǽmium mortis sacræ
Perénnis instet glória.

Præsta, Pater piíssime,
Patrique compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

Expleto Hymno, conveniens dicitur Antiphona usque ad Asteriscum *, et tres Psalmi, prouti Officium occurrens requirit; atque, Psalmis absolutis, integra repetitur Antiphona.

In Officio dominicali

In omnibus Dominicis, extra Octavas Ssmi Corporis Christi ac Sacrat. Cordis Jesu, Aña ut in Psalterio, et dicitur sequens

Capitulum 1 Cor. 6, 20

GMpti enim estis prétio magno. Glorificáte et portáte Deum in córpore vestro.

℟. br. Clamávi in toto corde meo : * Exáudi me, Dómine. Clamávi. ℣. Justificatiónes tuas requíram. Exáudi. Glória Patri. Clamávi. ℣. Ab occúltis meis munda me, Dómine. ℟. Et ab aliénis parce servo tuo.

In Officio feriali

In omnibus Feriis, Antiphona de Feria currenti, ut in Psalterio; et dicitur quotidie sequens

Capitulum 1 Petr. 1, 17-19

IN timóre incolátus vestri témpore conversámini : sciéntes quod non corruptibílibus auro vel argénto redémpti estis, sed pretióso sánguine quasi Agni immaculáti Christi.

℟. br. Rédime me, Dómine, * Et miserére mei. Rédime. ℣. Pes enim meus stetit in via recta. Et. Glória Patri. Rédime.

℣. Ab occúltis meis munda me, Dómine. ℟. Et ab aliénis parce servo tuo.

Expleto Responsorio brevi, si Preces non fuerint recitandæ, statim dicitur Versus Dóminus vobíscum cum Oratione et reliquis omnibus usque ad finem Horæ, ut infra.

Quando vero ad Laudes recitatæ sunt Preces, post Responsorium breve dicuntur sequentes flexis genibus :

KYrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo. ℣. Dómine, Deus virtútum, convérte nos. ℟. Et osténde fáciem tuam, et salvi érimus. ℣. Exsúrge, Christe, ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum. ℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Absolutis Precibus, vel, si Preces locum non habeant, post Responsorium breve statim dicitur :

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
Orémus.

Et dicitur Oratio conveniens.

Post Orationem additur :

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Benedicámus Dómino.
℟. Deo grátias.
℣. Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace.
℟. Amen.

Deinde dicitur tantum Pater noster secreto, nisi sequatur alia Hora.

Ad Vesperas

Pater noster et Ave.

℣. Deus, in adjutórium.

Deinde, sub congruentibus Antiphonis, dicuntur quinque Psalmi, prouti Officium occurrens requirit.

Repetita vero post ultimum Psalmum Antiphona, dicuntur Capitulum, Hymnus et Versus, prouti Officium occurrens exigit.

In Officio dominicali

In omnibus Dominicis, extra Octavas Ssmi Corporis Christi ac Sacrat. Cordis Jesu. Capitulum, Hymnus et Versus ad I Vesperas e Sabbato, ad II Vesperas e Dominica, ut in Psalterio.

In Officio feriali

In omnibus Feriis, Capitulum, Hymnus et Versus de Feria currenti, ut in Psalterio.

Recitato Versu, dicitur cum Antiphona convenienti sequens

Canticum B. Mariæ Virg.
Luc. 1, 46-55

MAgníficat * † ánima mea Dóminum :
Et exsultávit spíritus meus * in Deo, salutári meo.
Quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ : * ecce enim, ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes.
Quia fecit mihi magna qui potens est : * et sanctum nomen ejus.
Et misericórdia ejus a progénie in progénies * timéntibus eum.
Fecit poténtiam in brachio suo : * dispérsit supérbos mente cordis sui.
Depósuit poténtes de sede, * et exaltávit húmiles.
Esuriéntes implévit bonis : * et dívites dimísit inánes.
Suscépit Israël, púerum suum, * recordátus misericórdiæ suæ.
Sicut locútus est ad patres nostros, * Abraham, et sémini ejus in sæcula.
Glória Patri.

Expleto Cantico ac repetita Antiphona, statim dicitur :

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
Orémus.

Et dicitur Oratio conveniens.

Postea fiunt Commemorationes, si occurrant.

Deinde, in Officio semiduplici aut simplici tam de Tempore quam de Sanctis, præter omnes dies, in quibus habita sit Commemoratio Duplicis, etiam concurrentis, vel factum fuerit Officium aut Commemoratio cujusvis Octavæ, fit sequens

Suffragium de omnibus Sanctis

Ant. Beáta Dei Génitrix Virgo María, Sanctíque omnes intercédant pro nobis ad Dóminum.

℣. Mirificávit Dóminus Sanctos suos. ℟. Et exaudívit eos clamántes ad se.

Orémus. Oratio

ACunctis nos, quæsumus, Dómine, mentis et córporis defénde perículis : et, intercedénte beáta et gloriósa semper Vírgine Dei Genitríce María, cum beáto Joseph, beátis Apóstolis tuis Petro et Paulo, atque beáto N. et ómnibus Sanctis, salútem nobis tríbue benígnus et pacem; ut, destrúctis adversitátibus et erróribus univérsis, Ecclésia tua secúra tibi sérviat libertáte. Per eúmdem Dóminum. ℟. Amen.

¶ In hac Oratione, ad litteram N., exprimitur nomen Titularis propriæ Ecclesiæ, dummodo Titulus non sit Persona divina vel Mysterium Domini, aut de ipso ratione Festi factum non fuerit Officium vel Commemoratio, aut illius nomen non sit in eadem Suffragii Oratione expressum; ac nomina sanctorum Angelorum et sancti Joannis Baptistæ, si Titulares fuerint, præponuntur nomini sancti Joseph. In hisce autem omnibus casibus omittuntur verba atque beáto N.

Si vero Officium vel Commemoratio fuerit de beata Maria Virgine, tunc dicitur ut infra; atque insuper, sicubi Titularis juxta superiorem Rubricam ante omnes fuerit nominandus, ad Orationem particula cum omittitur ante nomen sanctorum Petri et Pauli ac præponitur nomini sancti Joseph.

Ant. Sancti omnes intercédant pro nobis ad Dóminum.

℣. Mirificávit Dóminus Sanctos suos. ℟. Et exaudívit eos clamántes ad se.

Orémus. Oratio

ACunctis nos, quæsumus, Dómine, mentis et córporis defénde perículis : et, intercedénte beáto Joseph, cum beátis Apóstolis tuis Petro et Paulo, atque beáto N. et ómnibus Sanctis, salútem nobis tríbue benígnus et pacem; ut, destrúctis adversitátibus et erróribus univérsis, Ecclésia tua secúra tibi sérviat libertáte. Per Dóminum.

Post ultimam Orationem additur :

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Benedicámus Dómino.
℟. Deo grátias.

℣. Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen.

Si post Vesperas immediate sequatur Completorium, dicto Versu Fidélium ánimæ, statim incipitur Versus Jube, domne, benedícere, ut infra ad Completorium; secus autem, si tunc terminetur Officium, dicitur tantum Pater noster secreto.

Ad Completorium

Ante Completorium non dicitur Pater noster et Ave María, sicut in aliis Horis, sed absolute Lector incipit :

℣. Jube, domne, benedícere. Bened. Noctem quiétam, et finem perféctum concédat nobis Dóminus omnípotens. ℟. Amen.

Lectio brevis

1 Petr. 5, 8-9

FRatres : Sóbrii estóte, et vigiláte : quia adversárius vester diábolus tamquam leo rúgiens circuit, quærens quem dévoret : cui resístite fortes in fide. Tu autem, Dómine, miserére nobis.
℟. Deo grátias.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

Pater noster, quod dicitur totum secreto.

Deinde Hebdomadarius facit Confessionem :

COnfíteor Deo omnipoténti, beátæ Maríæ semper Vírgini, beáto Michaéli Archángelo, beáto Joánni Baptístæ, sanctis Apóstolis Petro et Paulo, ómnibus Sanctis, et vobis, fratres, quia peccávi nimis cogitatióne, verbo et ópere : mea culpa, mea culpa, mea máxima culpa. Ideo precor beátam Maríam semper Vírginem, beátum Michaélem Archángelum, beátum Joánnem Baptístam, sanctos Apóstolos Petrum et Paulum, omnes Sanctos, et vos, fratres, oráre pro me ad Dóminum, Deum nostrum.

Chorus respondet :

MIsereátur tui omnípotens Deus, et, dimíssis peccátis tuis, perdúcat te ad vitam ætérnam. ℟. Amen.

Deinde repetit Confessionem, et ubi dicitur : vobis, fratres, et vos, fratres, dicat : tibi, pater, et te, pater.

Facta Confessione a Choro Hebdomadarius dicit :

MIsereátur vestri omnípotens Deus, et, dimíssis peccátis vestris, perdúcat vos ad vitam ætérnam. ℟. Amen.

INdulgéntiam, absolutiónem, et remissiónem peccatórum nostrórum tríbuat nobis omnípotens et miséricors Dóminus. ℟. Amen.

Extra Chorum, si unus vel duo tantum recitent Officium, et in Choro Monialium, semel tantum ac simul ab omnibus ita fit Confessio :

COnfíteor Deo omnipoténti, beátæ Maríæ semper Vírgini, beáto Michaéli Archángelo, beáto Joánni Baptístæ, sanctis Apóstolis Petro et Paulo, et ómnibus Sanctis, quia peccávi nimis cogitatióne, verbo et ópere : mea culpa, mea culpa, mea máxima culpa. Ideo precor beátam Maríam semper Vírginem, beátum Michaélem Archángelum, beátum Joánnem Baptístam, sanctos Apóstolos Petrum et Paulum, et omnes Sanctos, oráre pro me ad Dóminum, Deum nostrum.

Deinde dicitur :

MIsereátur nostri omnípotens Deus, et, dimíssis peccátis nostris, perdúcat nos ad vitam ætérnam. Amen.

INdulgéntiam, absolutiónem, et remissiónem peccatórum nostrórum tríbuat nobis omnípotens et miséricors Dóminus. Amen.

Facta Absolutione, dicitur :

℣. Convérte nos, Deus, salutáris noster. ℟. Et avérte iram tuam a nobis.
℣. Deus, in adjutórium.

Deinde, inchoata convenienti Antiphona, dicuntur tres Psalmi, prouti Officium occurrens requirit.

Repetita integre post ultimum Psalmum Antiphona, dicitur sequens

Hymnus

TE lucis ante términum,
Rerum Creátor, póscimus,
Ut pro tua cleméntia
Sis præsul et custódia.

Procul recédant sómnia,
Et nóctium phantásmata;
Hostémque nostrum cómprime,
Ne polluántur córpora.

Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

Absoluto Hymno, dicitur sequens Capitulum et Responsorium breve :

Capitulum Jer. 14, 9

TU autem in nobis es, Dómine, et nomen sanctum tuum invocátum est super nos : ne derelínquas nos, Dómine, Deus noster.
℟. br. In manus tuas, Dómine, * Comméndo spí-

ritum meum. In manus tuas, Dómine, comméndo spíritum meum. ℣. Redemísti nos, Dómine, Deus veritátis. Comméndo spíritum meum. Glória Patri, et Fílio, et Spirítui Sancto. In manus tuas, Dómine, comméndo spíritum meum.

℣. Custódi nos, Dómine, ut pupíllam óculi. ℟. Sub umbra alárum tuárum prótege nos.

Postea ad Canticum dicitur sequens

Ant. Salva nos.

Canticum Simeonis

Luc. 2, 29-32

NUnc dimíttis servum tuum, Dómine, * secúndum verbum tuum in pace :

Quia vidérunt óculi mei * salutáre tuum.

Quod parásti * ante fáciem ómnium populórum,

Lumen ad revelatiónem géntium, * et glóriam plebis tuæ Israël.

Glória Patri.

Ant. Salva nos, Dómine, vigilántes, custódi nos dormiéntes; ut vigilémus cum Christo, et requiescámus in pace.

Deinde, si Preces non fuerint recitandæ, statim dicitur Versus Dóminus vobíscum cum subsequenti Oratione et reliquis omnibus usque ad finem Completorii, ut infra.

In quolibet Officio semiduplici, in Officio sanctæ Maríæ in Sabbato, in Festis simplicibus, atque in Feriis per Annum communibus, post repetitam ad Nunc dimittis Antiphonam dicuntur sequentes Preces, quæ tamen omittuntur omnibus diebus, in quibus ad Vesperas habita sit Commemoratio Duplicis, vel factum fuerit Officium aut Commemoratio cujusvis Octavæ.

KYrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Credo in Deum secreto usque ad ℣. Carnis resurrectiónem. ℟. Vitam ætérnam. Amen.

℣. Benedíctus es, Dómine, Deus patrum nostrórum. ℟. Et laudábilis et gloriósus in sæcula. ℣. Benedicámus Patrem et Fílium cum Sancto Spíritu. ℟. Laudémus, et superexaltémus eum in sæcula. ℣. Benedíctus es, Dómine, in firmaménto cæli. ℟. Et laudábilis, et gloriósus, et superexaltátus in sæcula. ℣. Benedícat et custódiat nos omnípotens et miséricors Dóminus. ℟. Amen. ℣. Dignáre, Dómine, nocte ista. ℟. Sine peccáto nos custodíre. ℣. Miserére nostri, Dómine. ℟. Miserére nostri. ℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te. ℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Absolutis Precibus, vel, si Preces locum non habeant, repetita Antiphona post Nunc dimittis, statim dicitur :

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio

VIsita, quæsumus, Dómine, habitatiónem istam, et omnes insídias inimíci ab ea longe repélle : Angeli tui sancti hábitent in ea, qui nos in pace custódiant; et benedíctio tua sit super nos semper. Per Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Post Orationem additur

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Benedicámus Dómino.
℟. Deo grátias.

Benedictio Benedícat et custódiat nos omnípotens et miséricors Dóminus, Pater, et Fílius, et Spíritus Sanctus. ℟. Amen.

Et non dicitur Versus Fidélium ánimæ, sed immediate subjungitur finalis beatæ Maríæ Virginis Antiphona, quæ infra assignatur.

Postea subjungitur :

℣. Divínum auxilium máneat semper nobíscum.
℟. Amen.

Deinde dicitur secreto Pater noster, Ave María et Credo.

Si post Completorium immediate sequatur Matutinum, tunc bis dicitur Pater noster, Ave María et Credo, pro fine videlicet Officii diei præcedentis, et pro initio Officii diei sequentis.

Post singulas Horas

In fine Laudum, vel, si post Laudes immediate subsequatur alia Hora, in fine ultimæ Horæ, sicuti et semper in fine Completorii, quamvis immediate sequatur Matutinum diei sequentis, tam in publica quam in privata divini Officii recitatione; atque in publica insuper recitatione post alias quascumque Horas, si tunc terminetur Officium et discedatur a Choro, dicitur sequens Antiphona finalis beatæ Mariæ Virginis.

I Post Laudes ac ceteras Horas, præter Completorium, dicto Versu Fidélium ánimæ et Oratione Dominica secreto recitata, subjungitur :

℣. Dóminus det nobis suam pacem. ℟. Et vitam ætérnam. Amen.

Atque statim dicitur Antiphona finalis, ut infra.

II Post Completorium vero, recitata Benedictione Benedícat et custódiat nos, immediate subjungitur Antiphona finalis, ut infra.

Antiphona finalis beatæ Mariæ Virginis

A I Vesperis Festi sanctissimæ Trinitatis et deinceps :

Antiphona

SAlve, Regína, mater misericórdiæ; vita, dulcédo et spes nostra, salve. Ad te clamámus éxsules fílii Hevæ. Ad te suspirámus geméntes et flentes in hac lacrimárum valle. Eja ergo, advocáta nostra, illos tuos misericórdes óculos ad nos convérte. Et Jesum, benedíctum fructum ventris tui, nobis post hoc exsílium osténde. O clemens, o pia, o dulcis Virgo María.

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Génitrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Orémus. Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, qui gloriósæ Vírginis Matris Maríæ corpus et ánimam, ut dignum Fílii tui habitáculum éffici mererétur, Spíritu Sancto cooperánte, præparásti : da, ut, cujus commemoratióne lætámur; ejus pia intercessióne, ab instántibus malis, et a morte perpétua liberémur. Per eúmdem Christum, Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Absoluta vero Antiphona finali cum suis Versu et Oratione, concluditur :

℣. Divínum auxilium máneat semper nobíscum.
℟. Amen.

Post divinum Officium

Cum expletum fuerit Officium, laudabiliter dicitur sequens Oratio; pro qua Summus Pontifex Pius Papa XI sub die 1 Decembris 1933 indulgentiam trium annorum concessit. Præterea Clericis in sacris constitutis et Sacerdotibus eam devote post Officium recitantibus Summus Pontifex Leo X defectus et culpas in eo persolvendo ex humana fragilitate contractas, indulsit. Dicitur autem flexis semper genibus in privata etiam recitatione, præter quam ab iis, qui ob certam infirmitatem vel gravioris impedimenti causam nequeant genuflectere.

Oratio

SAcrosánctæ et indivíduæ Trinitáti, crucifíxi Dómini nostri Jesu Christi humanitáti, bea-

tíssimæ et gloriosíssimæ sempérque Vírginis Maríæ fecúndæ integritáti, et ómnium Sanctórum universitáti sit sempitérna laus, honor, virtus et glória ab omni creatúra, nobísque remíssio ómnium peccatórum, per infiníta sæcula sæculórum. ℟. Amen.

℣. Beáta víscera Maríæ Vírginis, quæ portavérunt ætérni Patris Fílium. ℟. Et beáta úbera, quæ lactavérunt Christum Dóminum.

Et dicitur secreto Pater noster et Ave María.

Psalterium Breviarii Romani

PER OMNES AC SINGULOS HEBDOMADÆ DIES DISPOSITUM

DOMINICA

AD MATUTINUM

Pater, Ave et Credo.

℣. Dómine, lábia mea.
℣. Deus, in adjutórium.

Glória Patri. Sicut erat. Allelúja.

In Dominica IV et reliquis Dominicis post Pentecosten occurrentibus dicitur :

Invitat. Dóminum, qui fecit nos, * Veníte, adorémus. Ps. 94 Veníte.

Hymnus

Nocte surgéntes vigilémus omnes,
Semper in psalmis meditémur, atque
Voce concórdi Dómino canámus
Dúlciter hymnos.

Ut pio Regi páriter canéntes,
Cum suis Sanctis mereámur aulam
Ingredi cæli, simul et perénnem
Dúcere vitam.

Præstet hoc nobis Déitas beáta
Patris, ac Nati, paritérque Sancti
Spíritus, cujus résonat per omnem
Glória mundum.
Amen.

In I Nocturno

Ant. Beátus vir. †

¶ Et non repetitur in Psalmo; quod semper fit, quando Antiphona incipit a primis Psalmi vel Cantici verbis. Et Psalmus vel Canticum tunc incipitur ab eo verbo, ante quod vel inchoata vel integra desinit Antiphona; si tamen eadem sint verba, et continuetur Antiphona cum Psalmo vel Cantico, neque addatur in fine ipsius Antiphonæ Allelúja.

Antiphonæ autem cum Psalmis et Versibus assignatæ, adhibentur semper, extra Octavas Ssmi Corporis Christi et Sacrat. Cordis Jesu, quando fit Officium de Dominica.

¶ Asteriscus *, in Psalmorum versibus et in aliis Officii partibus insertus, denotat pausam cantus et recitationis in Choro; præter quam in Antiphonis, in quibus nempe significat tum præintonationem Antiphonæ, tum Antiphonam ipsam ante Psalmum seu Canticum eousque producendam esse ad omnes et singulas Horas in Officio ritus semiduplicis ac simplicis, atque ad Horas tantum minores in Officio ritus duplicis.

Psalmus 1

Beátus vir, † qui non ábiit in consílio impiórum, et in via peccatórum non stetit, * et in cáthedra pestiléntiæ non sedit :

Sed in lege Dómini volúntas ejus, * et in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantátum est secus decúrsus aquárum, * quod fructum suum dabit in témpore suo :

Et fólium ejus non défluet : * et ómnia quæcúmque fáciet, prosperabúntur.

Non sic ímpii, non sic : * sed tamquam pulvis, quem própicit ventus a fácie terræ.

Ideo non resúrgent ímpii in judício : * neque peccatóres in concilio justórum.

Quóniam novit Dóminus viam justórum : * et iter impiórum períbit.

Glória Patri, et Fílio, * et Spíritui Sancto.

Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, * et in sæcula sæculórum. Amen.

¶ Hic versus Glória Patri semper dicitur in fine omnium Psalmorum et Canticorum, nisi aliter notetur.

Ant. Beátus vir, qui in lege Dómini meditátur.

Ant. Servíte Dómino.

Psalmus 2

Quare fremuérunt gentes, * et pópuli meditáti sunt inánia?

Astitérunt reges terræ, et príncipes convenérunt in unum * advérsus Dó-

minum, et advérsus Christum ejus.

Dirumpámus víncula eórum : * et projiciámus a nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in cælis, irridébit eos : * et Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua, * et in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * prædicans præcéptum ejus.

Dóminus dixit ad me : * Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Póstula a me, et dabo tibi gentes hereditátem tuam, * et possessiónem tuam términos terræ.

Reges eos in virga férrea, * et tamquam vas figuli confrínges eos.

Et nunc, reges, intellígite : * erudímini, qui judicátis terram.

Servíte Dómino in timóre : * et exsultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplínam, nequándo irascátur Dóminus, * et pereátis de via justa.

Cum exárserit in brevi ira ejus, * beáti omnes qui confídunt in eo.

Ant. Servíte Dómino in timóre : et exsultáte ei cum tremóre.

Ant. Exsúrge.

Psalmus 3

DOmine, quid multiplicáti sunt qui tríbulant me? * multi insúrgunt advérsum me.

Multi dicunt ánimæ meæ : * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem, Dómine, susceptor meus es, * glória mea, et exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum clamávi : * et exaudívit me de monte sancto suo.

Ego dormívi, et soporátus sum : * et exsurréxi, quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me : * exsúrge, Dómine, salvum me fac, Deus meus.

Quóniam tu percussísti omnes adversántes mihi sine causa : * dentes peccatórum contrivísti.

Dómini est salus : * et super pópulum tuum benedíctio tua.

Ant. Exsúrge, Dómine, salvum me fac,Deus meus.

℣. Memor fui nocte nóminis tui, Dómine. ℟. Et custodívi legem tuam.

Absol. Exáudi, Dómine.

Bened. 1 Benedictióne perpétua, 2 Unigénitus Dei Fílius. 3 Spíritus Sancti grátia.

In II Nocturno

Ant. Quam admirábile.

Psalmus 8

Omine, Dóminusnoster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua, * super cælos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo cælos tuos, ópera digitórum tuórum : * lunam et stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut filius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulo minus ab Angelis, glória et honóre coronásti eum : * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecisti sub pédibus ejus, * oves et boves univérsas : ínsuper et pécora campi.

Vólucres cæli, et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine, Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Ant. Quam admirábile est nomen tuum, Dómine, in univérsa terra!

Ant. Sedísti super thronum.

Psalmus 9, i

COnfitébor tibi, Dómine, in toto corde meo : * narrábo ómnia mirabília tua.

Lætábor et exsultábo in te : * psallam nómini tuo, Altíssime,

In converténdo inimícum meum retrórsum : * infirmabúntur, et períbunt a fácie tua.

Quóniam fecísti judícium meum et causam meam : * sedísti super thronum, qui júdicas justítiam.

Increpásti gentes, et périit ímpius : * nomen eórum delésti in ætérnum, et in sæculum sæculi.

Inimíci defecérunt frámeæ in finem : * et civitátes eórum destruxísti.

Périit memória eórum cum sónitu : * et Dóminus in ætérnum pérmanet.

Parávit in judicio thronum suum : * et ipse judicábit orbem terræ in æquitáte, judicábit pópulos in justítia.

Et factus est Dóminus refúgium páuperi : * adjútor in opportunitátibus, in tribulatióne.

Et sperent in te qui novérunt nomen tuum : * quóniam non dereliquísti quæréntes te, Dómine.

Ant. Sedísti super thronum, qui júdicas justítiam.

Ant. Exsúrge, Dómine.

Psalmus 9, ii

PSállite Dómino, qui hábitat in Sion : * annuntiáte inter gentes stúdia ejus :

Quóniam requírens sánguinem eórum recordátus est : * non est oblítus clamórem páuperum.

Miserére mei, Dómine : * vide humilitátem meam de inimícis meis.

Qui exáltas me de portis mortis, * ut annúntiem omnes laudatiónes tuas in portis fíliæ Sion.

Exsultábo in salutári tuo : * infíxæ sunt gentes in intéritu, quem fecérunt.

In láqueo isto, quem abscondérunt, * comprehénsus est pes eórum.

Cognoscétur Dóminus judícia fáciens : * in opéribus mánuum suárum comprehénsus est peccátor.

Convertántur peccatóres in inférnum, * omnes gentes quæ obliviscúntur Deum.

Quóniam non in finem oblívio erit páuperis : * patiéntia páuperum non períbit in finem.

Exsúrge, Dómine, non confortétur homo : * judicéntur gentes in conspéctu tuo.

Constítue, Dómine, legislatórem super eos : * ut sciant gentes quóniam hómines sunt.

Ant. Exsúrge, Dómine, non præváleat homo.

℣. Média nocte surgébam ad confiténdum tibi. ℟. Super judícia justificatiónis tuæ.

Absol. Ipsíus píetas et.

Bened. 4 Deus Pater omnípotens. 5 Christus perpétuæ. 6 Ignem sui amóris.

In III Nocturno

Ant. Ut quid, Dómine. †

Psalmus 9, iii

T quid, Dómine, † recessísti longe, * déspicis in opportunitátibus, in tribulatióne?

Dum supérbit ímpius, incénditur pauper : * comprehendúntur in consíliis quibus cógitant.

Quóniam laudátur peccátor in desidériis ánimæ suæ : * et iníquus benedícitur.

Exacerbávit Dóminum peccátor, * secúndum multitúdinem iræ suæ non quæret.

Non est Deus in conspéctu ejus : * inquinátæ sunt viæ illíus in omni témpore.

Auferúntur judícia tua a fácie ejus : * ómnium inimicórum suórum dominábitur.

Dixit enim in corde suo : * Non movébo a generatióne in generatiónem sine malo.

Cujus maledictióne os plenum est, et amaritúdine, et dolo : * sub lingua ejus labor et dolor.

Sedet in insídiis cum divítibus in occúltis, * ut interfíciat innocéntem.

Oculi ejus in páuperem respíciunt : * insidiátur in abscóndito, quasi leo in spelúnca sua.

Insidiátur ut rápiat páuperem : * rápere páuperem, dum áttrahit eum.

In láqueo suo humiliábit eum : * inclinábit se, et cadet, cum dominátus fúerit páuperum.

Dixit enim in corde suo : Oblítus est Deus, * avértit fáciem suam ne vídeat in finem.

Ant. Ut quid, Dómine, recessísti longe?

Ant. Exsúrge. †

Psalmus 9, iv

EXsúrge, † Dómine Deus, exaltétur manus tua : * ne obliviscáris páuperum.

Propter quid irritávit ímpius Deum? * dixit enim in corde suo : Non requíret.

Vides quóniam tu labórem et dolórem consíderas : * ut tradas eos in manus tuas.

Tibi derelíctus est pauper : * órphano tu eris adjútor.

Cóntere bráchium peccatóris et malígni : * quæréntur peccátum illíus, et non inveniétur.

Dóminus regnábit in ætérnum, et in sæculum sæculi : * períbitis, gentes, de terra illíus.

Desidérium páuperum exaudívit Dóminus : * præparatiónem cordis eórum audívit auris tua.

Judicáre pupíllo et húmili, * ut non appónat ultra magnificáre se homo super terram.

Ant. Exsúrge, Dómine Deus, exaltétur manus tua.

Ant. Justus Dóminus.

Psalmus 10

IN Dómino confído : quómodo dícitis ánimæ meæ : * Tránsmigra in montem sicut passer?

Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum, paravérunt sagíttas suas in pháretra, * ut sagíttent in obscúro rectos corde.

Quóniam quæ perfecísti, destruxérunt : * justus autem quid fecit?

Dóminus in templo sancto suo, * Dóminus in cælo sedes ejus :

Oculi ejus in páuperem respiciunt : * pálpebræ ejus intérrogant fílios hóminum.

Dóminus intérrogat justum et ímpium : * qui autem díligit iniquitátem, odit ánimam suam.

Pluet super peccatóres láqueos : * ignis, et sulphur, et spíritus procellárum pars cálicis eórum.

Quóniam justus Dóminus, et justítias diléxit : * æquitátem vidit vultus ejus.

Ant. Justus Dóminus, et justítiam diléxit.

℣. Prævenérunt óculi mei ad te dilúculo. ℟. Ut meditárer elóquia tua, Dómine.

Absolutio A vínculis.

Bened. 7 Evangélica léctio. 8 Divínum auxílium. 9 Ad societátem cívium.

AD LAUDES

(Pater noster et Ave).

℣. Deus, in adjutórium.

Ant. Allelúja.

¶ Añæ cum Psalmis assignatæ adhibentur semper, extra Octavas Ssmi Corporis Christi ac Sacrat. Cordis Jesu, quando fit Officium de Dominica.

Psalmus 92 1

DOminus regnávit, decórem indútus est : * indútus est Dóminus fortitúdinem, et præcínxit se.

Etenim firmávit orbem terræ, * qui non commovébitur.

Paráta sedes tua ex tunc : * a sæculo tu es.

Elevavérunt flúmina, Dómine : * elevavérunt flúmina vocem suam.

Elevavérunt flúmina fluctus suos, * a vócibus aquárum multárum.

Mirábiles elatiónes maris : * mirábilis in altis Dóminus.

Testimónia tua credibília facta sunt nimis : * domum tuam decet sanctitúdo, Dómine, in longitúdinem diérum.

Ant. Allelúja, Dóminus regnávit, decórem índuit, allelúja, allelúja.

Ant. Jubiláte. †

Psalmus 99 2

JUbiláte † Deo, omnis terra : * servíte Dómino in lætítia.

Introíte in conspéctu ejus, * in exsultatióne.

Scitóte quóniam Dóminus ipse est Deus : * ipse fecit nos, et non ipsi nos.

Pópulus ejus, et oves páscuæ ejus : * introíte portas ejus in confessióne, átria ejus in hymnis : confitémini illi.

Laudáte nomen ejus : quóniam suávis est Dóminus, in ætérnum misericórdia ejus, * et usque in generatiónem et generatiónem véritas ejus.

Ant. Jubiláte Deo, omnis terra, allelúja.

Ant. Benedícam te.

Psalmus 62 3

DEus, Deus meus, * ad te de luce vígilo.

Sitívit in te ánima mea, * quam multipliciter tibi caro mea.

In terra desérta, et ínvia, et inaquósa : * sic in sancto appárui tibi, ut vidérem virtútem tuam, et glóriam tuam.

Quóniam mélior est misericórdia tua super vitas : * lábia mea laudábunt te.

Sic benedícam te in vita mea : * et in nómine tuo levábo manus meas.

Sicut ádipe et pinguédine repleátur ánima mea : * et lábiis exsultatiónis laudábit os meum.

Si memor fui tui super stratum meum, in matutínis meditábor in te : * quia fuísti adjútor meus.

Et in velaménto alárum tuárum exsultábo, adhæsit ánima mea post te : * me suscépit déxtera tua.

Ipsi vero in vanum quæsiérunt ánimam meam, introíbunt in inferióra terræ : * tradéntur in manus gládii, partes vúlpium erunt.

Rex vero lætábitur in Deo, laudabúntur omnes qui jurant in eo : * quia obstrúctum est os loquéntium iníqua.

Ant. Benedícam te in vita mea, Dómine : et in nómine tuo levábo manus meas, allelúja.

Ant. Tres púeri.

Canticum trium Puerorum 4

Dan. 57-88 et 56

BEnedícite, ómnia ópera Dómini, Dómino : * laudáte et superexaltáte eum in sæcula.

Benedícite, Angeli Dómini, Dómino : * benedícite, cæli, Dómino.

Benedícite, aquæ omnes, quæ super cælos sunt, Dómino : * benedícite, omnes virtútes Dómini, Dómino.

Benedícite, sol et luna, Dómino : * benedícite, stellæ cæli, Dómino.

Benedícite, omnis imber et ros, Dómino : * benedícite, omnes spíritus Dei, Dómino.

Benedícite, ignis et æstus, Dómino : * benedícite, frigus et æstus, Dómino.

Benedícite, rores et pruina, Dómino : * benedícite, gelu et frigus, Dómino.

Benedícite, glácies et nives, Dómino : * benedícite, noctes et dies, Dómino.

Benedícite, lux et ténebræ, Dómino : * benedícite, fúlgura et nubes, Dómino.

Benedícat terra Dóminum : * laudet et superexáltet eum in sæcula.

Benedícite, montes et colles, Dómino : * benedícite, univérsa germinántia in terra, Dómino.

Benedícite, fontes, Dómino : * benedícite, mária et flúmina, Dómino.

Benedícite, cete, et ómnia, quæ movéntur in aquis, Dómino : * benedícite, omnes vólucres cæli, Dómino.

Benedícite, omnes béstiæ et pécora, Dómino : * benedícite, fílii hóminum, Dómino.

Benedícat Israël Dóminum : * laudet et superexáltet eum in sæcula.

Benedícite, sacerdótes Dómini, Dómino : * benedícite, servi Dómini, Dómino.

Benedícite, spíritus, et ánimæ justórum, Dómino : * benedícite, sancti, et húmiles corde, Dómino.

Benedícite, Ananía, Azaría, Mísaël, Dómino : * laudáte et superexaltáte eum in sæcula.

Benedicámus Patrem et Fílium cum Sancto Spíritu : * laudémus et superexaltémus eum in sæcula.

Benedíctus es, Dómine, in firmaménto cæli : * et laudábilis, et gloriósus, et superexaltátus in sæcula.

¶ Hic non dicitur Glória Patri, neque Amen.

Ant. Tres púeri jussu regis in fornácem missi sunt, non timéntes flammam ignis, dicéntes : Benedictus Deus, allelúja.

Ant. Allelúja.

Psalmus 148 5

LAudáte Dóminum de cælis : * laudáte eum in excélsis.

Laudáte eum, omnes Angeli ejus : * laudáte eum, omnes virtútes ejus.

Laudáte eum, sol et luna : * laudáte eum, omnes stellæ et lumen.

Laudáte eum, cælí cælórum : * et aquæ omnes, quæ super cælos sunt, laudent nomen Dómini.

Quia ipse dixit, et facta sunt : * ipse mandávit, et creáta sunt.

Státuit ea in ætérnum, et in sæculum sæculi : * præcéptum pósuit, et non præteríbit.

Laudáte Dóminum de terra, * dracónes, et omnes abýssi.

Ignis, grando, nix, glácies, spíritus procellárum : * quæ fáciunt verbum ejus :

Montes, et omnes colles : * ligna fructífera, et omnes cedri.

Béstiæ, et univérsa pécora : * serpéntes, et vólucres pennátæ :

Reges terræ, et omnes pópuli : * príncipes, et omnes júdices terræ.

Júvenes, et vírgines : senes cum junióribus laudent nomen Dómini : * quia exaltátum est nomen ejus solíus.

Conféssio ejus super cælum et terram : * et exaltávit cornu pópuli sui.

Hymnus ómnibus sanctis ejus : * fíliis Israël, pópulo appropinquánti sibi.

Ant. Allelúja, laudáte Dóminum de cælis, allelúja, allelúja.

In omnibus Dominicis extra Octavas Ssmi Corporis Christi ac Sacratissimi Cordis Jesu, dicitur :

Capitulum Apoc. 7, 12

BEnedíctio, et cláritas, et sapiéntia, et gratiárum áctio, honor, virtus, et fortitúdo Deo nostro in sæcula sæculórum. Amen.

℟. Deo grátias.

In Dominica IV et reliquis Dominicis post Pentecosten occurrentibus, dicitur

Hymnus

ECce, jam noctis tenuátur umbra,
Lux et auróræ rútilans corúscat :
Súpplices rerum Dóminum canóra
Voce precémur :

Ut reos culpæ miserátus omnem
Pellat angórem, tríbuat salútem,
Donet et nobis bona sempitérnæ
Múnera pacis.

Præstet hoc nobis Déitas beáta
Patris, ac Nati, paritérque Sancti
Spíritus, cujus résonat per omnem
Glória mundum.
Amen.

℣. Dóminus regnávit, decórem índuit. ℟. Índuit Dóminus fortitúdinem, et præcínxit se virtúte.

Ad Benedictus Antiphona ut in Proprio de Tempore.

Canticum Zachariæ
Luc. 1, 68-79

BEnedíctus † Dóminus, Deus Israël, * quia visitávit, et fecit redemptiónem plebis suæ :

Et eréxit cornu salútis nobis : * in domo David, púeri sui.

Sicut locútus est per os sanctórum, * qui a sæculo sunt, prophetárum ejus :

Salútem ex inimícis nostris, * et de manu ómnium, qui odérunt nos :

Ad faciéndam misericórdiam cum pátribus nostris : * et memorári testaménti sui sancti.

Jusjurándum, quod jurávit ad Abraham, patrem nostrum, * datúrum se nobis :

Ut sine timóre, de manu inimicórum nostrórum liberáti, * serviámus illi.

In sanctitáte, et justítia coram ipso, * ómnibus diébus nostris.

Et tu, puer, Prophéta Altíssimi vocáberis : * præíbis enim ante fáciem Dómini paráre vias ejus :

Ad dandam sciéntiam salútis plebi ejus : * in remissiónem peccatórum eórum:

Per víscera misericórdiæ Dei nostri : * in quibus visitávit nos, óriens ex alto :

Illumináre his, qui in ténebris, et in umbra mortis sedent : * ad dirigéndos pedes nostros in viam pacis.

Oratio conveniens.

Reliqua ut in Ordinario. 11

¶ Psalmi cum Cantico de Dominica superius appositi dicuntur etiam, sub Antiphonis Officio diei congruentibus, in Dominicis infra Octavas Ssmi Corporis Christi ac Sacrat. Cordis Jesu, in Duplicibus I vel II classis, in Festis novem Lectionum Domini, B. Mariæ Virginis, Angelorum, S. Joannis Baptistæ, S. Joseph, Apostolorum, Evangelistarum et per Octavas privilegiatas; itemque in quolibet Festo novem Lectionum proprias Antiphonas ad Laudes habenti, quando de eis persolvitur Officium.

AD PRIMAM

Pater, Ave et Credo.

℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus

JAM lucis orto sídere,
Deum precémur súpplices,
Ut in diúrnis áctibus
Nos servet a nocéntibus.

Linguam refrénans témperet,
Ne litis horror insonet :
Visum fovéndo cóntegat,
Ne vanitátes háuriat.

Sint pura cordis íntima,
Absístat et vecórdia :
Carnis terat supérbiam
Potus cibíque párcitas.

Ut, cum dies abscésserit
Noctémque sors redúxerit,
Mundi per abstinéntiam
Ipsi canámus glóriam.

* Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc et per omne sæculum. Amen.

Ant. Allelúja.

¶ Aña cum Psalmis, ad Horas minores assignata, adhibetur semper, extra Octavas Ssmi Corporis Christi ac Sacrat. Cordis Jesu, quando fit Officium de qualibet Dominica minori.

Psalmus 117

CONfitémini Dómino quóniam bonus : * quóniam in sæculum misericórdia ejus.

Dicat nunc Israël quóniam bonus : * quóniam in sæculum misericórdia ejus.

Dicat nunc domus Aaron : * quóniam in sæculum misericórdia ejus.

Dicant nunc qui timent Dóminum : * quóniam in sæculum misericórdia ejus.

De tribulatióne invocávi Dóminum : * et exaudívit me in latitúdine Dóminus.

Dóminus mihi adjútor : * non timébo quid fáciat mihi homo.

Dóminus mihi adjútor : * et ego despíciam inimícos meos.

Bonum est confídere in Dómino, * quam confidere in hómine :

Bonum est speráre in Dómino, * quam speráre in princípibus.

Omnes gentes circuiérunt me : * et in nómine Dómini quia ultus sum in eos.

Circumdántes circumdedérunt me : * et in nómine Dómini quia ultus sum in eos.

Circumdedérunt me sicut apes, et exarsérunt sicut ignis in spinis : * et in nómine Dómini quia ultus sum in eos.

Impúlsus evérsus sum ut cáderem : * et Dóminus suscépit me.

Fortitúdo mea, et laus mea Dóminus : * et factus est mihi in salútem.

Vox exsultatiónis, et salútis * in tabernáculis justórum.

Déxtera Dómini fecit virtútem : déxtera Dómini exaltávit me, * déxtera Dómini fecit virtútem.

Non móriar, sed vivam : * et narrábo ópera Dómini.

Castígans castigávit me Dóminus : * et morti non trádidit me.

Aperite mihi portas justitiæ, ingréssus in eas confitébor Dómino : * hæc porta Dómini, justi intrábunt in eam.

Confitébor tibi quóniam exaudísti me : * et factus es mihi in salútem.

Lápidem, quem reprobavérunt ædificántes : * hic factus est in caput ánguli.

A Dómino factum est istud : * et est mirábile in óculis nostris.

Hæc est dies, quam fecit Dóminus : * exsultémus, et lætémur in ea.

O Dómine, salvum me fac, o Dómine, bene prosperáre : * benedíctus qui venit in nómine Dómini.

Benedíximus vobis de domo Dómini : * Deus Dóminus, et illúxit nobis.

Constitúite diem solémnem in condénsis, * usque ad cornu altáris.

Deus meus es tu, et confitébor tibi : * Deus meus es tu, et exaltábo te.

Confitébor tibi quóniam exaudísti me : * et factus es mihi in salútem.

Confitémini Dómino quóniam bonus : * quóniam in sæculum misericórdia ejus.

¶ In Dominicis infra Octavas Ssmi Corporis Christi ac Sacrat. Cordis Jesu, in Duplicibus I vel II classis, in Festis novem Lectionum Domini, B. Mariæ Virginis, Angelorum, S. Joannis Baptistæ, S. Joseph, Apostolorum, Evangelistarum, et per Octavas privilegiatas : si de eis fiat Officium, ad Primam, Tertiam, Sextam et Nonam dicuntur Psalmi de Dominica, sub Antiphonis Officio diei congruentibus, nisi aliter suo loco notetur; sed ad Primam, loco Psalmi 117 Confitémini, in ipsa etiam die Dominica semper dicitur

Psalmus 53

DEus, in nómine tuo salvum me fac : * et in virtúte tua júdica me.

Deus, exáudi oratiónem meam : * áuribus pércipe verba oris mei.

Quóniam aliéni insurrexérunt advérsum me, et fortes quæsiérunt ánimam meam : * et non proposuérunt Deum ante conspéctum suum.

Ecce enim, Deus ádjuvat me : * et Dóminus suscéptor est ánimæ meæ.

Avérte mala inimícis meis : * et in veritáte tua dispérde illos.

Voluntárie sacrificábo tibi, * et confitébor nómini tuo, Dómine : quóniam bonum est :

Quóniam ex omni tribulatióne eripuísti me : * et super inimícos meos despéxit óculus meus.

Psalmus 118, i

BEáti immaculáti in via : * qui ámbulant in lege Dómini.

Beáti, qui scrutántur testimónia ejus : * in toto corde exquírunt eum.

Non enim qui operántur iniquitátem, * in viis ejus ambulavérunt.

Tu mandásti * mandáta tua custodíri nimis.

Utinam dirigántur viæ meæ, * ad custodiéndas justificatiónes tuas!

Tunc non confúndar, * cum perspéxero in ómnibus mandátis tuis.

Confitébor tibi in directióne cordis : * in eo quod dídici judícia justítiæ tuæ.

Justificatiónes tuas custódiam : * non me derelínquas usquequáque.

In quo córrigit adolescéntior viam suam? * in custodiéndo sermónes tuos.

In toto corde meo exquisívi te : * ne repéllas me a mandátis tuis.

In corde meo abscóndi elóquia tua : * ut non peccem tibi.

Benedíctus es, Dómine : * doce me justificatiónes tuas.

In lábiis meis, * pronuntiávi ómnia judícia oris tui.

In via testimoniórum tuórum delectátus sum, * sicut in ómnibus divítiis.

In mandátis tuis exercébor : * et considerábo vias tuas.

In justificatiónibus tuis meditábor : * non oblíviscar sermónes tuos.

Psalmus 118, ii

RETríbue servo tuo, vivífica me : * et custódiam sermónes tuos.

Revéla óculos meos : * et considerábo mirabília de lege tua.

Incola ego sum in terra : * non abscóndas a me mandáta tua.

Concupívit ánima mea desideráre justificatiónes tuas, * in omni témpore.

Increpásti supérbos : * maledícti qui declínant a mandátis tuis.

Aufer a me oppróbrium, et contémptum : * quia testimónia tua exquisívi.

Etenim sedérunt príncipes, et advérsum me loquebántur : * servus autem tuus exercebátur in justificatiónibus tuis.

Nam et testimónia tua meditátio mea est : * et consílium meum justificatiónes tuæ.

Adhæsit paviménto ánima mea : * vivífica me secúndum verbum tuum.

Vias meas enuntiávi, et exaudísti me : * doce me justificatiónes tuas.

Viam justificatiónum tuárum instrue me : * et exercébor in mirabílibus tuis.

Dormitávit ánima mea præ tædio : * confírma me in verbis tuis.

Viam iniquitátis ámove a me : * et de lege tua miserére mei.

Viam veritátis elégi : * judícia tua non sum oblítus.

Adhæsi testimóniis tuis, Dómine : * noli me confúndere.

Viam mandatórum tuórum cucúrri, * cum dilatásti cor meum.

¶ Si Athanasianum Symbolum omittatur, expletis Psalmis præcedentibus, statim dicitur Antiphona, ut infra. 45

Sequens Symbolum dicitur in Dominicis post Pentecosten, quando fit Officium de Dominica ut in Psalterio, neque ulla Commemoratio Officii duplicis vel Octavæ recurrit, et in Festo sanctissimæ Trinitatis.

Symbolum Athanasianum

QUicúmque vult salvus esse, * ante ómnia opus est, ut téneat cathólicam fidem :

Quam nisi quisque íntegram inviolatámque serváverit, * absque dúbio in ætérnum períbit.

Fides autem cathólica hæc est : * ut unum Deum in Trinitáte, et Trinitátem in unitáte veneremur.

Neque confundéntes persónas, * neque substántiam separántes.

Alia est enim persóna Patris,ália Fílii, *ália Spíritus Sancti :

Sed Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti una est divínitas, * æquális glória, coætérna majéstas.

Qualis Pater, talis Fílius, * talis Spíritus Sanctus.

Increátus Pater, increátus Fílius, * increátus Spíritus Sanctus.

Imménsus Pater, imménsus Fílius, * imménsus Spíritus Sanctus.

Ætérnus Pater, ætérnus Fílius, * ætérnus Spíritus Sanctus.

Et tamen non tres ætérni, * sed unus ætérnus.

Sicut non tres increáti, nec tres imménsi, * sed unus increátus, et unus imménsus.

Simíliter omnípotens Pater, omnípotens Fílius, * omnípotens Spíritus Sanctus.

Et tamen non tres omnipoténtes, * sed unus omnípotens.

Ita Deus Pater, Deus Fílius, * Deus Spíritus Sanctus.

Et tamen non tres Dii, * sed unus est Deus.

Ita Dóminus Pater, Dóminus Fílius, * Dóminus Spíritus Sanctus.

Et tamen non tres Dómini, * sed unus est Dóminus.

Quia, sicut singillátim unamquámque persónam Deum ac Dóminum confitéri christiána veritáte compéllimur : * ita tres Deos aut Dóminos dícere cathólica religióne prohibémur.

Pater a nullo est factus : * nec creátus, nec génitus.

Fílius a Patre solo est : * non factus, nec creátus, sed génitus.

Spíritus Sanctus a Patre et Fílio : * non factus, nec creátus, nec génitus, sed procédens.

Unus ergo Pater, non tres Patres : unus Fílius, non tres Fílii : * unus Spíritus Sanctus, non tres Spíritus Sancti.

Et in hac Trinitáte nihil prius aut postérius, nihil majus aut minus : * sed totæ tres personæ coætérnæ sibi sunt et coæquáles.

Ita ut per ómnia, sicut jam supra dictum est, * et únitas in Trinitáte, et Trinitas in unitáte veneránda sit.

Qui vult ergo salvus esse, * ita de Trinitáte séntiat.

Sed necessárium est ad ætérnam salútem, * ut Incarnatiónem quoque Dómini nostri Jesu Christi fidéliter credat.

Est ergo fides recta, ut credámus et confiteámur, * quia Dóminus noster Jesus Christus, Dei Fílius, Deus et homo est.

Deus est ex substántia Patris ante sæcula génitus : * et homo est ex substántia matris in sæculo natus.

Perféctus Deus, perféctus homo : * ex ánima rationáli et humána carne subsístens.

Æquális Patri secúndum divinitátem : * minor Patre secúndum humanitátem.

Qui, licet Deus sit et homo, * non duo tamen, sed unus est Christus.

Unus autem non conversióne divinitátis in carnem, * sed assumptióne humanitátis in Deum.

Unus omníno, non confusióne substántiæ, * sed unitáte persónæ.

Nam sicut ánima rationális et caro unus est homo : * ita Deus et homo unus est Christus.

Qui passus est pro salúte nostra : descéndit ad inferos : * tértia die resurréxit a mórtuis.

Ascéndit ad cælos, sedet ad déxteram Dei Patris omnipoténtis : * inde ventúrus est judicáre vivos et mórtuos.

Ad cujus advéntum omnes hómines resúrgere habent cum corpóribus suis : * et redditúri sunt de factis própriis ratiónem.

Et qui bona egérunt, ibunt in vitam ætérnam : * qui vero mala, in ignem ætérnum.

Hæc est fides cathólica, * quam nisi quisque fidéliter firmitérque credíderit, salvus esse non póterit.

Glória Patri.

Expleto Symbolo, vel, si hoc non habeat locum, Psalmis absolutis, statim dicitur Antiphona.

Ant. Allelúja, confitémini Dómino quóniam in sæculum misericórdia ejus, allelúja, allelúja.

Capitulum 1 Tim. 1, 17

REgi sæculórum immortáli et invisibili, soli Deo honor et glória in sæcula sæculórum. Amen.

℟. br. Christe, Fili Dei vivi, * Miserére nobis.

Christe. ℣. *Qui sedes ad déxteram Patris.* Miserére nobis. Glória Patri. Christe. ℣. Exsúrge, Christe, ádjuva nos. ℟. Et libera nos propter nomen tuum.

Preces (si dicendæ sint)

KYrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Credo in Deum secreto usque ad ℣. Carnis resurrectiónem. ℟. Vitam ætérnam. Amen. ℣. Et ego ad te, Dómine, clamávi. ℟. Et mane orátio mea prævéniet te. ℣. Repleátur os meum laude. ℟. Ut cantem glóriam tuam, tota die magnitúdinem tuam. ℣. Dómine, avérte fáciem tuam a peccátis meis. ℟. Et omnes iniquitátes meas dele. ℣. Cor mundum crea in me, Deus. ℟. Et spíritum rectum innova in viscéribus meis. ℣. Ne projícias me a fácie tua. ℟. Et spíritum sanctum tuum ne áuferas a me. ℣. Redde mihi lætitiam salutáris tui. ℟. Et spíritu principáli confírma me. ℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

Confíteor. Misereátur. Indulgéntiam.

℣. Dignáre, Dómine, die isto. ℟. Sine peccáto nos custodíre. ℣. Miserére nostri, Dómine. ℟. Miserére nostri. ℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te. ℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobiscum.

Orémus. Oratio

DOmine, Deus omnípotens, qui ad principium hujus diéi nos pervenire fecisti : tua nos hódie salva virtúte; ut in hac die ad nullum declinémus peccátum, sed semper ad tuam justitiam faciéndam nostra procédant elóquia, dirigántur cogitatiónes et ópera. Per Dóminum.

℟. Amen.

℣. Dóminus vobiscum.

℣. Benedicámus Dómino.

In Choro Martyrologium.

℣. Pretiósa in conspéctu Dómini. ℟. Mors Sanctórum ejus.

Et absolute, sine Orémus :

Oratio

SAncta María, et omnes Sancti intercédant pro nobis ad Dóminum, ut nos mereámur ab eo adjuvári et salvári, qui vivit et regnat in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

℣. Deus, in adjutórium meum inténde. ℟. Dómine, ad adjuvándum me festína. Et dicitur ter, ultimo additur : Glória Patri. Sicut erat.

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo. ℣. Réspice in servos tuos, Dómine, et in ópera tua, et dírige fílios eórum. ℟. Et sit splendor Dómini, Dei nostri, super nos, et ópera mánuum nostrárum dírige super nos, et opus mánuum nostrárum dírige. ℣. Glória Patri. ℟. Sicut erat.

Orémus. Oratio

DIrígere et sanctificáre, régere et gubernáre dignáre, Dómine Deus, Rex cæli et terræ, hódie corda et córpora nostra, sensus, sermónes et actus nostros in lege tua, et in opéribus mandatórum tuórum : ut hic, et in ætérnum, te auxiliánte, salvi et líberi esse mereámur, Salvátor mundi : Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

℣. Jube, domne.

Bened. Dies et actus nostros in sua pace dispónat Dóminus omnípotens.

℟. Amen.

In Officio dominicali

DOminus autem dírigat corda et córpora nostra in caritáte Dei, et patiéntia Christi. Tu autem.

E Proprio de Tempore

Ssmæ Trinitatis

TRes sunt, qui testimónium dant in cælo : Pater, Verbum et Spíritus Sanctus; et hi tres unum sunt.

Ssmi Corporis Christi et per Octavam

QUicúmque manducáverit panem hunc, vel bíberit cálicem Dómini indígne, reus erit córporis et sánguinis Dómini.

D. inf. Oct. Corp. Christi

FIlióli mei, non diligámus verbo neque lingua, sed ópere et veritáte.

Sacratissimi Cordis Jesu et per Octavam

IN caritáte radicáti et fundáti,ut possítis comprehéndere cum ómnibus sanctis, quæ sit latitúdo et longitúdo, et sublímitas et profúndum; scire étiam supereminéntem sciéntiæ caritátem Christi, ut impleámini in omnem plenitúdinem Dei.

Dom. infra Octavam Sacratissimi Cordis Jesu

DEus autem omnis grátiæ, qui vocávit nos in ætérnam suam glóriam in Christo Jesu, módicum passos ipse perfíciet, confirmábit solidabítque. Ipsi glória et impérium in sæcula sæculórum. Amen.

E Proprio Sanctorum

In Nativ. S. Joannis Bapt.

REges vidébunt, et consúrgent príncipes et adorábuntDóminumDeum tuum et Sanctum Israël, qui elégit te.

Ss. Petri et Pauli App.

ET Petrus ad se revérsus dixit : Nunc scio vere, quia misit Dóminus Angelum suum, et erípuit me de manu Heródis et de omni exspectatióne plebis Judæórum.

In Com. S. Pauli Apostoli

EGO enim sum mínimus Apostolórum, qui non sum dignus vocári Apóstolus, quóniam persecútus sum Ecclésiam Dei. Grátia autem Dei sum id quod sum, et grátia ejus in me vácua non fuit.

Pret. Sanguinis D. N. J. C.

ACcípiens Móyses sánguinem vitulórum, et hircórum cum aqua et lana coccínea et hyssópo : ipsum quoque librum, et omnem pópulum aspérsit, dicens : Hic sanguis Testaménti, quod mandávit ad vos Deus.

S. Petri ad Vincula

ET Petrus ad se revérsus dixit : Nunc scio vere, quia misit Dóminus Angelum suum, et erípuit me de manu Heródis et de omni exspectatióne plebis Judæórum. Tu.

In Inventione S. Stephani (si dicantur Ps. de Domin.)

POsitis autem génibus, clamávit voce magna, dicens : Dómine, ne státuas illis hoc peccátum. Et cum hoc dixísset, obdormivit in Dómino.

In Transfiguratione

SUstulit me in spíritu in montem magnum et altum, et osténdit mihi civitátem sanctam Jerúsalem, descendéntem de cælo a Deo, habéntem claritátem Dei; et lucérna ejus est Agnus.

S. Laurentii Mart.

POtens est autem Deus omnem grátiam abundáre fácere in vobis, ut, in ómnibus semper omnem sufficiéntiam habéntes, abundétis in omne opus bonum, sicut scriptum est : Dispérsit, dedit paupéribus; justítia ejus manet in sæculum sæculi.

E Communi Sanctorum

Pro Apostolis

IBant Apóstoli gaudéntes a conspéctu concílii, quóniam digni hábiti sunt pro nómine Jesu contuméliam pati.

Pro Martyre

JUstus cor suum trádidit ad vigilándum dilúculo ad Dóminum, qui fecit illum, et in conspéctu Altíssimi deprecábitur.

Pro pluribus Martyribus

FUlgébunt justi, et tamquam scintíllæ in arundinéto discúrrent. Judicábunt natiónes, et dominabúntur pópulis : et regnábit Dóminus illórum in perpétuum.

Pro Conf. Pont.

FUngi sacerdótio, et habére laudem in nómine ipsíus, et offérre illi incénsum dignum in odórem suavitátis.

Pro Conf. non Pont.

JUstum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam sanctórum; honestávit illum in labóribus, et complévit labóres illíus.

Pro Virgine Martyre

DOmine, Deus meus, exaltásti super terram habitatiónem meam, et pro morte defluénte deprecáta sum. Invocávi Dóminum, Patrem Dómini mei, ut non derelínquat me in die tribulatiónis meæ, et in témpore superbórum sine adjutório.

Pro Virgine non Martyre

O Quam pulchra est casta generátio cum claritáte! immortális est enim memória illíus : quóniam apud Deum nota est, et apud hómines.

Pro Martyre tantum

LAudábit usque ad mortem ánima mea Dóminum, quóniam éruis sustinéntes te, et líberas eos de manu angústiæ, Dómine, Deus noster.

Pro nec Virg. nec Mart.

MUltæ fíliæ congregavérunt divítias : tu supergréssa es univérsas. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo : múlier timens Dóminum, ipsa laudábitur.

Pro Dedicatione Ecclesiæ

ET abstérget Deus omnem lácrimam ab óculis eórum : et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor

erit ultra, quia prima abiérunt. Et dixit qui sedébat in throno : Ecce, nova fácio ómnia.

In Festis B. Mariæ V.

IN platéis sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans odórem dedi : quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

℣. Benedícite. ℟. Deus.

Benedictio Dóminus nos benedícat, et ab omni malo defréndat, et ad vitam perdúcat ætérnam. Et fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen.

Deinde dicitur tantum Pater noster secreto, nisi sequatur alia Hora.

AD TERTIAM

Pater et Ave.

℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus

NUnc, Sancte, nobis, Spíritus,
Unum Patri cum Fílio,
Dignáre promptus íngeri
Nostro refúsus péctori.

Os, lingua, mens, sensus, vigor
Confessiónem pérsonent,
Flamméscat igne cáritas,
Accéndat ardor próximos.

* Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

Ant. Allelúja.

Psalmus 118, iii

Egem pone mihi, Dómine, viam justificatiónum tuárum : * et exquíram eam semper.

Da mihi intellléctum, et scrutábor legem tuam : * et custódiam illam in toto corde meo.

Deduc me in sémitam mandatórum tuórum : * quia ipsam vólui.

Inclína cor meum in testimónia tua : * et non in avarítiam.

Avérte óculos meos ne vídeant vanitátem : * in via tua vivífica me.

Státue servo tuo elóquium tuum, * in timóre tuo.

Amputa oppróbrium meum quod suspicátus sum : * quia judícia tua jucúnda.

Ecce, concupívi mandáta tua : * in æquitáte tua vivífica me.

Et véniat super me misericórdia tua, Dómine : * salutáre tuum secúndum elóquium tuum.

Et respondébo exprobrántibus mihi verbum : * quia sperávi in sermónibus tuis.

Et ne áuferas de ore meo verbum veritátis usquequáque : * quia in judíciis tuis supersperávi.

Et custódiam legem tuam semper : * in sæculum et in sæculum sæculi.

Et ambulábam in latitúdine : * quia mandáta tua exquisívi.

Et loquébar in testimóniis tuis in conspéctu regum : * et non confundébar.

Et meditábar in mandátis tuis, * quæ diléxi.

Et levávi manus meas ad mandáta tua, quæ diléxi : * et exercébar in justificatiónibus tuis.

Psalmus 118, iv

MEmor esto verbi tui servo tuo, * in quo mihi spem dedísti.

Hæc me consoláta est in humilitáte mea : * quia elóquium tuum vivificábit me.

Supérbi iníque agébant usquequáque : * a lege autem tua non declinávi.

Memor fui judiciórum tuórum a sæculo, Dómine : * et consolátus sum.

Defléctio ténuit me, * pro peccatóribus derelinquéntibus legem tuam.

Cantábiles mihi erant justificatiónes tuæ, * in loco peregrinatiónis meæ.

Memor fui nocte nóminis tui, Dómine : * et custodívi legem tuam.

Hæc facta est mihi : * quia justificatiónes tuas exquisívi.

Pórtio mea, Dómine, * dixi custodire legem tuam.

Deprecátus sum fáciem tuam in toto corde meo : * miserére mei secúndum elóquium tuum.

Cogitávi vias meas : * et convérti pedes meos in testimónia tua.

Parátus sum, et non sum turbátus : * ut custódiam mandáta tua.

Funes peccatórum circumpléxi sunt me : * et legem tuam non sum oblitus.

Média nocte surgébam ad confiténdum tibi, * super judícia justificatiónis tuæ.

Párticeps ego sum ómnium timéntium te : * et custodiéntium mandáta tua.

Misericórdia tua, Dómine, plena est terra : * justificatiónes tuas doce me.

Psalmus 118, v

BOnitátem fecísti cum servo tuo, Dómine, * secúndum verbum tuum.

Bonitátem, et disciplínam, et sciéntiam doce me : * quia mandátis tuis crédidi.

Priúsquam humiliárer ego deliqui : * proptérea elóquium tuum custodívi.

Bonus es tu : * et in bonitáte tua doce me justificatiónes tuas.

Multiplicáta est super me iníquitas superbórum : * ego autem in toto corde meo scrutábor mandáta tua.

Coagulátum est sicut lac cor eórum : * ego vero legem tuam meditátus sum.

Bonum mihi quia humiliásti me : * ut discam justificatiónes tuas.

Bonum mihi lex oris tui, * super míllia auri et argénti.

Manus tuæ fecérunt me, et plasmavérunt me : * da mihi intellléctum, et discam mandáta tua.

Qui timent te vídebunt me, et lætabúntur : * quia in verba tua supersperávi.

Cognóvi, Dómine, quia æquitas judícia tua : * et in veritáte tua humiliásti me.

Fíat misericórdia tua ut consolétur me, * secúndum elóquium tuum servo tuo.

Véniant mihi miseratiónes tuæ, et vivam : * quia lex tua meditátio mea est.

Confundántur supérbi, quia injúste iniquitátem fecérunt in me : * ego autem exercébor in mandátis tuis.

Convertántur mihi timéntes te : * et qui novérunt testimónia tua.

Fiat cor meum immaculátum in justificatiónibus tuis, * ut non confúndar.

Ant. Allelúja, deduc me, Dómine, in sémitam mandatórum tuórum, allelúja, allelúja.

Capitulum 1 Joann. 4, 16

DEus cáritas est : et qui manet in caritáte, in Deo manet, et Deus in eo.

℟. br. Inclína cor meum, Deus, * In testimónia tua. Inclína. ℣. Avérte óculos meos, ne vídeant vanitátem : in via tua vivífica me. In testimónia tua. Glória Patri. Inclína. ℣. Ego dixi : Dómine, miserére mei. ℟. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi.

Oratio conveniens.

Reliqua ut in Ordinario. 18

AD SEXTAM

Pater noster et Ave.

℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus

RECtor potens, verax Deus,
Qui témperas rerum vices,
Splendóre mane illúminas,
Et ígnibus meridiem :

Exstíngue flammas lítium,
Aufer calórem nóxium,
Confer salútem córporum,
Verámque pacem córdium.

* Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

Ant. Allelúja.

Psalmus 118, vi

Efécit in salutáre tuum ánima mea : * et in verbum tuum supersperávi.

Defecérunt óculi mei in elóquium tuum, * dicéntes : Quando consoláberis me?

Quia factus sum sicut uter in pruína : * justificatiónes tuas non sum oblítus.

Quot sunt dies servi tui? * quando fácies de persequéntibus me judícium?

Narravérunt mihi iníqui fabulatiónes : * sed non ut lex tua.

Omnia mandáta tua véritas : * iníque persecúti sunt me, ádjuva me.

Paulo minus consummavérunt me in terra : * ego autem non derelíqui mandáta tua.

Secúndum misericórdiam tuam vivífica me : * et custódiam testimónia oris tui.

In ætérnum, Dómine, * verbum tuum pérmanet in cælo.

In generatiónem et generatiónem véritas tua : * fundásti terram, et pérmanet.

Ordinatióne tua persevérat dies : * quóniam ómnia sérviunt tibi.

Nisi quod lex tua meditátio mea est : * tunc forte periíssem in humilitáte mea.

In ætérnum non oblíviscar justificatiónes tuas : * quia in ipsis vivificásti me.

Tuus sum ego, salvum me fac : * quóniam justificatiónes tuas exquisívi.

Me exspectavérunt peccatóres ut pérderent me : * testimónia tua intelléxi.

Omnis consummatiónis vidi finem : * latum mandátum tuum nimis.

Psalmus 118, vii

Quómodo diléxi legem tuam, Dómine? * tota die meditátio mea est.

Super inimícos meos prudéntem me fecísti mandáto tuo : * quia in ætérnum mihi est.

Super omnes docéntes me intelléxi : * quia testimónia tua meditátio mea est.

Super senes intelléxi : * quia mandáta tua quæsívi.

Ab omni via mala prohíbui pedes meos : * ut custódiam verba tua.

A judíciis tuis non declinávi : * quia tu legem posuísti mihi.

Quam dúlcia fáucibus meis elóquia tua, * super mel ori meo!

A mandátis tuis intelléxi : * proptérea odívi omnem viam iniquitátis.

Lucérna pédibus meis verbum tuum, * et lumen sémitis meis.

Jurávi, et státui * custodíre judícia justítiæ tuæ.

Humiliátus sum usquequáque, Dómine : * vivífica me secúndum verbum tuum.

Voluntária oris mei beneplácita fac, Dómine : * et judícia tua doce me.

Anima mea in mánibus meis semper : * et legem tuam non sum oblítus.

Posuérunt peccatóres láqueum mihi : * et de mandátis tuis non errávi.

Hereditáte acquisívi testimónia tua in ætérnum : * quia exsultátio cordis mei sunt.

Inclinávi cor meum ad faciéndas justificatiónes tuas in ætérnum, * propter retributiónem.

Psalmus 118, viii

Níquos ódio hábui : * et legem tuam diléxi.

Adjútor et suscéptor meus es tu : * et in verbum tuum supersperávi.

Declináte a me, malígni : * et scrutábor mandáta Dei mei.

Súscipe me secúndum elóquium tuum, et vivam : * et non confúndas me ab exspectatióne mea.

Adjuva me, et salvus ero : * et meditábor in justificatiónibus tuis semper.

Sprevísti omnes discedéntes a judíciis tuis : * quia injústa cogitátio eórum.

Prævaricántes reputávi omnes peccatóres terræ : * ídeo diléxi testimónia tua.

Confíge timóre tuo carnes meas : * a judíciis enim tuis tímui.

Feci judícium et justítiam : * non tradas me calumniántibus me.

Súscipe servum tuum in bonum : * non calumniéntur me supérbi.

Oculi mei defecérunt in salutáre tuum : * et in elóquium justítiæ tuæ.

Fac cum servo tuo secúndum misericórdiam tuam : * et justificatiónes tuas doce me.

Servus tuus sum ego : * da mihi intelléctum, ut sciam testimónia tua.

Tempus faciéndi, Dómine : * dissipavérunt legem tuam.

Ideo diléxi mandáta tua, * super aurum et topázion.

Proptérea ad ómnia mandáta tua dirigébar : * omnem viam iníquam ódio hábui.

Ant. Allelúja, tuus sum ego, salvum me fac, Dómine, allelúja, allelúja.

Capitulum Gal. 6, 2

Alter altérius ónera portáte, et sic adimplébitis legem Christi.

℟. br. In ætérnum, Dómine, * Pérmanet verbum tuum. In ætérnum. ℣. In sæculum sæculi véritas tua. Pérmanet. Glória Patri. In ætérnum. ℣. Dóminus regit me, et nihil mihi déerit. ℟. In loco páscuæ ibi me collocávit.

Oratio conveniens.

Reliqua ut in Ordinario. 20

AD NONAM

Pater noster et Ave.

℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus

Rerum, Deus, tenax vigor,
Immótus in te pérmanens,
Lucis diúrnæ témpora
Successíbus detérminans :

Largíre lumen véspere,
Quo vita nusquam déci-
dat,
Sed prǽmium mortis sacræ
Perénnis instet glória.

* Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

Ant. Allelúja.

Psalmus 118, ix

Irabília testimónia tua : * ídeo scrutáta est ea ánima mea.

Declarátio sermónum tuórum illúminat : * et intelléctum dat párvulis.

Os meum apérui, et attráxi spíritum : * quia mandáta tua desiderábam.

Aspice in me, et miserére mei, * secúndum judícium diligéntium nomen tuum.

Gressus meos dírige secúndum elóquium tuum : * et non dominétur mei omnis injustítia.

Rédime me a calúmniis hóminum : * ut custódiam mandáta tua.

Fáciem tuam illúmina super servum tuum : * et doce me justificatiónes tuas.

Exitus aquárum deduxérunt óculi mei : * quia non custodiérunt legem tuam.

Justus es, Dómine : * et rectum judicium tuum.

Mandásti justítiam testimónia tua : * et veritátem tuam nimis.

Tabéscere me fecit zelus meus : * quia oblíti sunt verba tua inimíci mei.

Ignítum elóquium tuum veheménter : * et servus tuus diléxit illud.

Adolescéntulus sum ego et contémptus : * justificatiónes tuas non sum oblítus.

Justítia tua, justítia in ætérnum : * et lex tua véritas.

Tribulátio, et angústia invenérunt me : * mandáta tua meditátio mea est.

Æquitas testimónia tua in ætérnum : * intelléctum da mihi, et vivam. Gl.

Psalmus 118, x

CLamávi in toto corde meo, exáudi me, Dómine : * justificatiónes tuas requíram.

Clamávi ad te, salvum me fac : * ut custódiam mandáta tua.

Prævéni in maturitáte, et clamávi : * quia in verba tua supersperávi.

Prævenérunt óculi mei ad te dilúculo : * ut meditárer elóquia tua.

Vocem meam audi secúndum misericórdiam tuam, Dómine : * et secúndum judícium tuum vivífica me.

Appropinquavérunt persequéntes me iniquitáti : * a lege autem tua longe facti sunt.

Prope es tu, Dómine : * et omnes viæ tuæ véritas.

Initio cognóvi de testimóniis tuis : * quia in ætérnum fundásti ea.

Vide humilitátem meam, et éripe me : * quia legem tuam non sum oblítus.

Júdica judícium meum, et rédime me : * propter elóquium tuum vivífica me.

Longe a peccatóribus salus : * quia justificatiónes tuas non exquisiérunt.

Misericórdiæ tuæ multæ, Dómine : * secúndum judícium tuum vivífica me.

Multi qui persequúntur me, et tríbulant me : * a testimóniis tuis non declinávi.

Vidi prævaricántes, et tabescébam : * quia elóquia tua non custodiérunt.

Vide quóniam mandáta tua diléxi, Dómine : * in misericórdia tua vivífica me.

Princípium verbórum tuórum, véritas : * in ætérnum ómnia judícia justítiæ tuæ.

Psalmus 118, xi

PRíncipes persecúti sunt me gratis : * et a verbis tuis formidávit cor meum.

Lætábor ego super elóquia tua : * sicut qui invénit spólia multa.

Iniquitátem ódio hábui, et abominátus sum : * legem autem tuam diléxi.

Sépties in die laudem dixi tibi, * super judícia justítiæ tuæ.

Pax multa diligéntibus legem tuam : * et non est illis scándalum.

Exspectábam salutáre tuum, Dómine : * et mandáta tua diléxi.

Custodívit ánima mea testimónia tua : * et diléxit ea veheménter.

Servávi mandáta tua, et testimónia tua : * quia omnes viæ meæ in conspéctu tuo.

Appropínquet deprecátio mea in conspéctu tuo, Dómine : * juxta elóquium tuum da mihi intelléctum.

Intret postulátio mea in conspéctu tuo : * secúndum elóquium tuum éripe me.

Eructábunt lábia mea hymnum, * cum docúeris me justificatiónes tuas.

Pronuntiábit lingua mea elóquium tuum : * quia ómnia mandáta tua æquitas.

Fiat manus tua ut salvet me : * quóniam mandáta tua elégi.

Concupívi salutáre tuum, Dómine : * et lex tua meditátio mea est.

Vivet ánima mea, et laudábit te : * et judícia tua adjuvábunt me.

Errávi, sicut ovis, quæ périit : * quære servum tuum, quia mandáta tua non sum oblítus.

Ant. Allelúja, fáciem tuam, Dómine, illúmina super servum tuum, allelúja, allelúja.

Capitulum 1 Cor. 6, 20

EMpti enim estis prétio magno. Glorificáte et portáte Deum in córpore vestro.

℟. br. Clamávi in toto corde meo : * Exáudi me, Dómine. Clámavi. ℣. Justificatiónes tuas requíram. Exáudi. Glória Patri. Clamávi. ℣. Ab occúltis meis munda me, Dómine.

℟. Et ab aliénis parce servo tuo.

Oratio conveniens.

Reliqua ut in Ordinario. 21

AD VESPERAS

Pater noster et Ave.

℣. Deus, in adjutórium.

Ant. Dixit Dóminus. †

¶ Antiphonæ cum Psalmis assignatæ adhibentur semper, quando fit Officium de Dominica, in Dominicis extra Octavas Ssmi Corporis Christi ac Sacratissimi Cordis Jesu.

Psalmus 109

DIxit Dóminus † Dómino meo : * Sede a dextris meis :

Donec ponam inimícos tuos, * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion : * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum : * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, et non pænitébit eum : * Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

Dóminus a dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas : * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet : * proptérea exaltábit caput.

Ant. Dixit Dóminus Dómino meo : Sede a dextris meis.

Ant. Magna ópera Dómini.

Psalmus 110

COnfitébor tibi, Dómine, in toto corde meo : * in consílio justórum, et congregatióne.

Magna ópera Dómini : * exquisíta in omnes voluntátes ejus.

Conféssio et magnificéntia opus ejus : * et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Memóriam fecit mirabílium suórum, miséricors et miserátor Dóminus : * escam dedit timéntibus se.

Memor erit in sæculum testaménti sui : * virtútem óperum suórum annuntiábit pópulo suo :

Ut det illis hereditátem géntium : * ópera mánuum ejus véritas, et judícium.

Fidélia ómnia mandáta ejus : confirmáta in sæculum sæculi, * facta in veritáte et æquitáte.

Redemptiónem misit pópulo suo : * mandávit in ætérnum testaméntum suum.

Sanctum, et terríbile nomen ejus : * inítium sapiéntiæ timor Dómini.

Intellectus bonus ómnibus faciéntibus eum : * laudátio ejus manet in sæculum sæculi.

Ant. Magna ópera Dómini : exquisíta in omnes voluntátes ejus.

Ant. Qui timet Dóminum.

Psalmus 111

BEátus vir, qui timet Dóminum : * in mandátis ejus volet nimis.

Potens in terra erit semen ejus : * generátio rectórum benedicétur.

Glória, et divítiæ in domo ejus : * et justitia ejus manet in sæculum sæculi.

Exórtum est in ténebris lumen rectis : * miséricors, et miserátor, et justus.

Jucúndus homo qui miserétur et cómmodat, dispónet sermónes suos in judício : * quia in ætérnum non commovébitur.

In memória ætérna erit justus : * ab auditióne mala non timébit.

Parátum cor ejus speráre in Dómino, confirmátum est cor ejus : * non commovébitur donec despíciat inimícos suos.

Dispérsit, dedit paupéribus : justítia ejus manet in sæculum sæculi, * cornu ejus exaltábitur in glória.

Peccátor vidébit, et irascétur, déntibus suis fremet et tabéscet : * desidérium peccatórum períbit.

Ant. Qui timet Dóminum, in mandátis ejus cupit nimis.

Ant. Sit nomen Dómini.

Psalmus 112

LAudáte, púeri, Dóminum : * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum, * ex hoc nunc, et usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes gentes Dóminus, * et super cælos glória ejus.

Quis sicut Dóminus, Deus noster, qui in altis hábitat, * et humília réspicit in cælo et in terra?

Súscitans a terra ínopem, * et de stércore érigens páuperem :

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum lætántem.

Ant. Sit nomen Dómini benedíctum in sæcula.

Ant. Deus autem noster.

Psalmus 113

IN éxitu Israël de Ægypto, * domus Jacob de pópulo bárbaro :

Facta est Judæa sanctificátio ejus, * Israël potéstas ejus.

Mare vidit, et fugit : * Jordánis convérsus est retrórsum.

Montes exsultavérunt ut aríetes, * et colles sicut agni óvium.

Quid est tibi, mare, quod fugísti : * et tu, Jordánis, quia convérsus es retrórsum?

Montes, exsultástis sicut aríetes, * et colles, sicut agni óvium?

A fácie Dómini mota est terra, * a fácie Dei Jacob.

Qui convértit petram in stagna aquárum, * et rupem in fontes aquárum.

Non nobis, Dómine, non nobis : * sed nómini tuo da glóriam.

Super misericórdia tua, et veritáte tua : * nequándo dicant gentes : Ubi est Deus eórum?

Deus autem noster in cælo : * ómnia quæcúmque vóluit, fecit.

Simulácra géntium argéntum, et aurum, * ópera mánuum hóminum.

Os habent, et non loquéntur : * óculos habent, et non vidébunt.

Aures habent, et non áudient : * nares habent, et non odorábunt.

Manus habent, et non palpábunt : pedes habent, et non ambulábunt : * non clamábunt in gútture suo.

Símiles illis fiant qui fáciunt ea : * et omnes qui confídunt in eis.

Domus Israël sperávit in Dómino : * adjútor eórum et protéctor eórum est.

Domus Aaron sperávit in Dómino : * adjútor eórum et protéctor eórum est.

Qui timent Dóminum, speravérunt in Dómino : * adjútor eórum et protéctor eórum est.

Dóminus memor fuit nostri : * et benedíxit nobis :

Benedíxit dómui Israël : * benedíxit dómui Aaron.

Benedíxit ómnibus, qui timent Dóminum, * pusíllis cum majóribus.

Adjíciat Dóminus super vos : * super vos, et super fílios vestros.

Benedícti vos a Dómino, * qui fecit cælum, et terram.

Cælum cæli Dómino : * terram autem dedit fíliis hóminum.

Non mórtui laudábunt te, Dómine : * neque omnes, qui descéndunt in infernum.

Sed nos qui vívimus, benedícimus Dómino, * ex hoc nunc et usque in sæculum.

Ant. Deus autem noster in cælo : ómnia quæcúmque vóluit, fecit.

Capitulum 2 Cor. 1, 3-4

BEnedíctus Deus, et Pater Dómini nostri Jesu Christi, Pater misericordiárum, et Deus totíus consolatiónis, qui consolátur nos in omni tribulatióne nostra.

Hymnus

LUcis Creátor óptime,
Lucem diérum próferens,
Primórdiis lucis novæ,
Mundi parans oríginem :

Qui mane junctum vésperi
Diem vocári præcipis :
Illábitur tetrum chaos,
Audi preces cum flétibus.

Ne mens graváta crímine,
Vitæ sit exsul múnere,
Dum nil perénne cógitat,
Seséque culpis ílligat.

Cæléste pulset óstium :
Vitále tollat præmium :
Vitémus omne nóxium :
Purgémus omne péssimum.

* Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

℣. Dirigátur, Dómine, orátio mea. ℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Ad Magnificat Antiphona ut in Proprio de Tempore.

Canticum B. Maríæ Virg. Luc. 1, 46-55

MAgníficat * ánima mea Dóminum :

Et exsultávit spíritus meus * in Deo, salutári meo.

Quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ : * ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes.

Quia fecit mihi magna qui potens est : * et sanctum nomen ejus.

Et misericórdia ejus a progénie in progénies * timéntibus eum.

Fecit poténtiam in brácchio suo : * dispérsit supérbos mente cordis sui.

Depósuit poténtes de sede * et exaltávit húmiles.

Esuriéntes implévit bonis : * et dívites dimísit inánes.

Suscépit Israël, púerum suum, * recordátus misericórdiæ suæ.

Sicut locútus est ad patres nostros, * Abraham, et sémini ejus in sæcula.

Oratio conveniens.

Reliqua ut in Ordinario. 22

AD COMPLETORIUM

℣. Jube, domne.

Bened. Noctem quiétam, et finem perféctum concédat nobis Dóminus omnípotens. ℟. Amen.

Lectio br. 1 Petri 5, 8-9

FRatres : Sóbrii estóte, et vigiláte : quia adversárius vester diábolus tamquam leo rúgiens circuit, quærens quem dévoret : cui resístite fortes in fide. Tu autem, Dómine, miserére nobis.

℟. Deo grátias.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

Pater noster, quod dicitur totum secreto.

Confíteor. Misereátur. Indulgéntiam.

℣. Convérte nos, Deus, salutáris noster. ℟. Et avérte iram tuam a nobis.

℣. Deus, in adjutórium.

Ant. Miserére.

Psalmus 4

UM invocárem exaudívit me Deus justítiæ meæ : * in tribulatióne dilatásti mihi.

Miserére mei, * et exáudi oratiónem meam.

Fílii hóminum, úsquequo gravi corde? * ut quid dilígitis vanitátem, et quæritis mendácium?

Et scitóte quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum : * Dóminus exáudiet me cum clamávero ad eum.

Irascímini, et nolíte peccáre : * quæ dícitis in córdibus vestris, in cubílibus vestris compungímini.

Sacrificáte sacrifícium justítiæ, et speráte in Dómino. * Multi dicunt : Quis osténdit nobis bona?

Signátum est super nos lumen vultus tui, Dómine : * dedísti lætítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini, et ólei sui * multiplicáti sunt.

In pace in idípsum * dórmiam, et requiéscam;

Quóniam tu, Dómine, singulariter in spe * constituísti me.

Psalmus 90

QUI hábitat in adjutório Altíssimi, * in protectióne Dei cæli commorábitur.

Dicet Dómino : Suscéptor meus es tu, et refúgium meum : * Deus meus, sperábo in eum.

Quóniam ipse liberávit me de láqueo venántium, * et a verbo áspero.

Scápulis suis obumbrábit tibi : * et sub pennis ejus sperábis.

Scuto circúmdabit te véritas ejus : * non timébis a timóre noctúrno.

A sagítta volánte in die, a negótio perambulánte in ténebris : * ab incúrsu, et dæmónio meridiáno.

Cadent a látere tuo mille, et decem míllia a dextris tuis : * ad te autem non appropinquábit.

Verúmtamen óculis tuis considerábis : * et retributiónem peccatórum vídebis.

Quóniam tu es, Dómine, spes mea : * Altíssimum posuísti refúgium tuum.

Non accédet ad te malum : * et flagéllum non appropinquábit tabernáculo tuo.

Quóniam Angelis suis mandávit de te : * ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

In mánibus portábunt te : * ne forte offéndas ad lápidem pedem tuum.

Super áspidem, et basilíscum ambulábis : * et conculcábis leónem et draconem.

Quóniam in me sperávit, liberábo eum : * prótegam eum, quóniam cognóvit nomen meum.

Clamábit ad me, et ego exáudiam eum : * cum ipso sum in tribulatióne : erípiam eum et glorificábo eum.

Longitúdine diérum replébo eum : * et osténdam illi salutáre meum.

Psalmus 133

ECce, nunc benedícite Dóminum, * omnes servi Dómini :

Qui statis in domo Dómini, * in átriis domus Dei nostri.

In nóctibus extóllite manus vestras in sancta, * et benedícite Dóminum.

Benedícat te Dóminus ex Sion, * qui fecit cælum et terram.

Ant. Miserére mihi, Dómine, et exáudi oratiónem meam.

Hymnus

TE lucis ante términum,
Rerum Creátor, póscimus,
Ut pro tua cleméntia
Sis præsul et custódia.

Procul recédant sómnia,
Et nóctium phantásmata;
Hostémque nostrum cómprime,
Ne polluántur córpora.

* Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

Capitulum Jer. 14, 9

TU autem in nobis es, Dómine, et nomen sanctum tuum invocátum est super nos : ne derelinquas nos, Dómine, Deus noster.

℟. br. In manus tuas, Dómine, * Comméndo spíritum meum. In manus. ℣. Redemísti nos, Dómine, Deus veritátis. Comméndo. Glória Patri. In manus. ℣. Custódi nos, Dómine, ut pupillam óculi. ℟. Sub umbra alárum tuárum prótege nos.

Ant. Salva nos.

Canticum Simeonis
Luc. 2, 29-32

NUnc dimíttis servum tuum, Dómine, * secúndum verbum tuum in pace :

Quia vidérunt óculi mei * salutáre tuum,

Quod parásti * ante fáciem ómnium populórum,

Lumen ad revelatiónem géntium, * et glóriam plebis tuæ Israël.

Glória Patri.

Ant. Salva nos, Dómine, vigilántes, custódi nos dormiéntes; ut vigilémus cum Christo, et requiescámus in pace.

Preces (si dicendæ sint)

KYrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Credo in Deum secreto usque ad ℣. Carnis resurrectiónem. ℟. Vitam ætérnam. Amen.

℣. Benedictus es, Dómine, Deus patrum nostrórum. ℟. Et laudábilis et gloriósus in sæcula. ℣. Benedicámus Patrem et Fílium cum Sancto Spíritu. ℟. Laudémus, et superexaltémus eum in sæcula. ℣. Benedíctus es, Dómine, in firmaménto cæli. ℟. Et laudábilis, et gloriósus, et superexaltátus in sæcula. ℣. Benedícat et custódiat nos omnipotens et miséricors Dóminus. ℟. Amen. ℣. Dignáre, Dómine, nocte ista. ℟. Sine peccáto nos custodíre. ℣. Miserére nostri, Dómine. ℟. Miserére nostri. ℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te. ℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.

Orémus. Oratio

VIsita, quæsumus, Dómine, habitatiónem istam, et omnes insídias inimíci ab ea longe repélle : Angeli tui sancti hábitent in ea, qui nos in pace custódiant; et benedíctio tua sit super nos semper. Per Dóminum nostrum.

℟. Amen.

℣. Dóminus vobíscum.

℣. Benedicámus Dómino.

Benedictio Benedícat et custódiat nos omnípotens et miséricors Dóminus, Pater, et Fílius, et Spíritus Sanctus. ℟. Amen.

Antiphona finalis B. M. V.

℣. Divínum auxílium.

Pater, Ave et Credo.

¶ Psalmi de Dominica superius appositi dicuntur ad Completorium, adhibita simul Antiphona, etiam post utrasque Vesperas in Dominicis infra Octavas Ssmi Corporis Christi ac Sacrat. Cordis Jesu, in Duplicibus I vel II classis, in Festis novem Lectionum Domini, B. Mariæ Virginis, Angelorum, S. Joannis Baptistæ, S. Joseph, Apostolorum, Evangelistarum, et per Octavas privilegiatas; si tamen præcedentes I Vesperæ de eis integræ vel saltem a Capitulo sint celebratæ, ac II Vesperæ de ipsis integræ fuerint persolutæ.

FERIA SECUNDA

AD MATUTINUM

Pater, Ave et Credo.

℣. Dómine, lábia mea.

℣. Deus, in adjutórium.

In Officio feriali

Invitatorium et Hymnus dicuntur quotidie de Feria currenti, ut in Psalterio hic et alibi apponuntur.

Invitat. Veníte, * Exsultémus Dómino. Ps. 94 Veníte, exsultémus.

In primo Psalmi versu non dicitur : Veníte, exsultémus Dómino; sed post repetitum Invitatorium, statim subjun-

gitur : Jubilémus Deo, salutári nostro :

Hymnus

SOmno reféctis ártubus,
Spreto cubíli, súrgimus :
Nobis, Pater, canéntibus
Adésse te depóscimus.

Te lingua primum cóncinat,
Te mentis ardor ámbiat :
Ut áctuum sequéntium
Tu, Sancte, sis exórdium.

Cedant ténebræ lúmini,
Et nox diúrno síderi, [lit,
Ut culpa, quam nox íntu-
Lucis labáscat múnere.

Precámur iidem súpplices,
Noxas ut omnes ámputes,
Et ore te canéntium
Laudéris omni témpore.

Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

In I Nocturno

Ant. Dóminus de cælo * prospéxit super fílios hóminum.

¶ Antiphonæ, in hac et aliis Feriis appositæ, dicuntur semper in Officio feriali et in Festis sive trium sive novem Lectionum, quando juxta Rubricas sumendi sint Psalmi de Feria, ut in Psalterio.

In Officio autem trium Lectionum, tam de Tempore quam de Sanctis, omittuntur Versus et reliqua omnia, quæ in Officio novem Lectionum solent recitari in fine I et II Nocturni, et continuantur Psalmi cum suis Antiphonis usque ad Versum III Nocturni.

Psalmus 13

DIxit insípiens in corde suo : * Non est Deus.

Corrúpti sunt, et abominábiles facti sunt in stúdiis suis : * non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum.

Dóminus de cælo prospéxit super fílios hóminum, * ut vídeat si est intélligens, aut requírens Deum.

Omnes declinavérunt, simul inútiles facti sunt : * non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum.

Sepúlcrum patens est guttur eórum : linguis suis dolóse agébant, * venénum áspidum sub lábiis eórum.

Quorum os maledictióne et amaritúdine plenum est : * velóces pedes eórum ad effundéndum sánguinem.

Contritio et infelicitas in viis eórum, et viam pacis non cognovérunt : * non est timor Dei ante óculos eórum.

Nonne cognóscent omnes qui operántur iniquitátem,* qui dévorant plebem meam sicut escam panis?

Dóminum non invocavérunt, * illic trepidavérunt timóre, ubi non erat timor.

Quóniam Dóminus in generatióne justa est, consílium inopis confudístis : * quóniam Dóminus spes ejus est.

Quis dabit ex Sion salutáre Israël? * cum avérterit Dóminus captivitátem plebis suæ, exsultábit Jacob, et lætábitur Israël.

Ant. Dóminus de cælo prospéxit super fílios hóminum.

Ant. Qui operátur justítiam, * requiéscet in monte sancto tuo, Dómine.

Psalmus 14

DOmine, quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula, * et operátur justítiam :

Qui lóquitur veritátem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua :

Nec fecit próximo suo malum, * et oppróbrium non accépit advérsus próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu ejus malígnus : * timéntes autem Dóminum glorificat :

Qui jurat próximo suo, et non décipit, * qui pecúniam suam non dedit ad usúram, et múnera super innocéntem non accépit.

Qui facit hæc, * non movébitur in ætérnum.

Ant. Qui operátur justítiam, requiéscet in monte sancto tuo, Dómine.

Ant. Inclína, Dómine, * aurem tuam mihi, et exáudi verba mea.

Psalmus 16

EXáudi, Dómine, justítiam meam : * inténde deprecatiónem meam.

Auribus pércipe oratiónem meam, * non in lábiis dolósis.

De vultu tuo judícium meum pródeat : * óculi tui vídeant æquitátes.

Probásti cor meum, et visitásti nocte : * igne me examinásti, et non est invénta in me iníquitas.

Ut non loquátur os meum ópera hóminum : * propter verba labiórum tuórum ego custodívi vias duras.

Pérfice gressus meos in sémitis tuis : * ut non moveántur vestígia mea.

Ego clamávi, quóniam exaudísti me, Deus : * inclína aurem tuam mihi, et exáudi verba mea.

Mirífica misericórdias tuas, * qui salvos facis sperántes in te.

A resisténtibus déxteræ tuæ custódi me, * ut pupíllam óculi.

Sub umbra alárum tuárum prótege me : * a fácie impiórum qui me afflixérunt.

Inimíci mei ánimam meam circumdedérunt, ádipem suum conclusérunt : * os eórum locútum est supérbiam.

Projiciéntes me nunc circumdedérunt me : * óculos suos statuérunt declináre in terram.

Suscepérunt me sicut leo parátus ad prædam : * et sicut cátulus leónis hábitans in ábditis.

Exsúrge, Dómine, prævéni eum, et supplánta eum : * éripe ánimam meam ab ímpio, frámeam tuam ab inimícis manus tuæ.

Dómine, a paucis de terra divide eos in vita eórum : * de abscónditis tuis adimplétus est venter eórum.

Saturáti sunt fíliis : * et dimisérunt relíquias suas párvulis suis.

Ego autem in justítia apparébo conspéctui tuo : * satiábor cum apparúerit glória tua.

Ant. Inclína, Dómine, aurem tuam mihí, et exáudi verba mea.

In Festis novem Lectionum :

℣. Mirífica, Dómine, misericórdias tuas. ℟. Qui salvos facis sperántes in te.

Absol. Exáudi, Dómine.

Bened. 1 Benedictióne perpétua. 2 Unigénitus Dei Fílius. 3 Spíritus Sancti grátia.

In II Nocturno

Ant. Díligam te, * † Dómine, virtus mea.

Psalmus 17, i

DIligam te, † Dómine, fortitúdo mea : * Dóminus firmaméntum meum, et refúgium meum, et liberátor meus.

Deus meus adjútor meus, * et sperábo in eum.

Protéctor meus, et cornu salútis meæ, * et suscéptor meus.

Laudans invocábo Dóminum : * et ab inimícis meis salvus ero.

Circumdedérunt me dolóres mortis : * et torrénte iniquitátis conturbavérunt me.

Dolóres inférni circumdedérunt me : * præoccupavérunt me láquei mortis.

In tribulatióne mea invocávi Dóminum, * et ad Deum meum clamávi.

Et exaudívit de templo sancto suo vocem meam : * et clamor meus in conspéctu ejus, introívit in aures ejus.

Commóta est, et contrémuit terra : * fundaménta móntium conturbáta sunt, et commóta sunt, quóniam irátus est eis.

Ascéndit fumus in ira ejus : * et ignis a fácie ejus exársit : * carbónes succénsi sunt ab eo.

Inclinávit cælos, et descéndit : * et calígo sub pédibus ejus.

Et ascéndit super Chérubim, et volávit : * volávit super pennas ventórum.

Et pósuit ténebras latíbulum suum, in circúitu ejus tabernáculum ejus : * tenebrósa aqua in núbibus áëris.

Præ fulgóre in conspéctu ejus nubes transiérunt, * grando et carbónes ignis.

Et intónuit de cælo Dóminus, et Altíssimus dedit vocem suam : * grando et carbónes ignis.

Et misit sagíttas suas, et dissipávit eos : * fúlgura multiplicávit, et conturbávit eos.

Et apparuérunt fontes aquárum, * et reveláta sunt fundaménta orbis terrárum :

Ab increpatióne tua, Dómine, * ab inspiratióne spíritus iræ tuæ.

Ant. Díligam te, Dómine, virtus mea.

Ant. Retríbuet mihi Dóminus * secúndum justítiam meam.

Psalmus 17, ii

MIsit de summo, et accépit me : * et assúmpsit me de aquis multis.

Erípuit me de inimícis meis fortíssimis, et ab his qui odérunt me : * quóniam confortáti sunt super me.

Prævenérunt me in die afflictiónis meæ : * et factus est Dóminus protéctor meus.

Et edúxit me in latitúdinem : * salvum me fecit, quóniam vóluit me.

Et retríbuet mihi Dóminus secúndum justítiam meam, * et secúndum puritátem mánuum meárum retríbuet mihi :

Quia custodívi vias Dómini, * nec ímpie gessi a Deo meo.

Quóniam ómnia judícia ejus in conspéctu meo : * et justitias ejus non répuli a me.

Et ero immaculátus cum eo : * et observábo me ab iniquitáte mea.

Et retríbuet mihi Dóminus secúndum justítiam meam : * et secúndum puritátem mánuum meárum in conspéctu oculórum ejus.

Cum sancto sanctus eris, * et cum viro innocénte innocens eris :

Et cum elécto eléctus eris : * et cum pervérso pervertéris.

Quóniam tu pópulum húmilem salvum fácies ; * et óculos superbórum humiliábis.

Quóniam tu illúminas lucérnam meam, Dómine : * Deus meus, illúmina ténebras meas.

Quóniam in te erípiar a tentatióne, * et in Deo meo transgrédiar murum.

Deus meus, impollúta via ejus : elóquia Dómini igne examináta : * protéctor est ómnium sperántium in se.

Quóniam quis Deus præter Dóminum? * aut quis Deus præter Deum nostrum?

Deus, qui præcínxit me virtúte : * et pósuit immaculátam viam meam.

Qui perfécit pedes meos tamquam cervórum, * et super excélsa státuens me.

Qui docet manus meas ad prœlium : * et posuísti, ut arcum æreum, bráchia mea.

Ant. Retríbuet mihi Dóminus secúndum justítiam meam.

Ant. Vivit Dóminus, * et benedíctus Deus salútis meæ.

Psalmus 17, iii

ET dedísti mihi protectiónem salútis tuæ : * et déxtera tua suscépit me :

Et disciplína tua corréxit me in finem : * et disciplína tua ipsa me docébit.

Dilatásti gressus meos subtus me : * et non sunt infirmáta vestígia mea :

Pérsequar inimícos meos, et comprehéndam illos : * et non convértar, donec defíciant.

Confríngam illos, nec póterunt stare : * cadent subtus pedes meos.

Et præcinxísti me virtúte ad bellum : * et supplantásti insurgéntes in me subtus me.

Et inimícos meos dedísti mihi dorsum, * et odiéntes me disperdidísti.

Clamavérunt, nec erat qui salvos fáceret, ad Dóminum : * nec exaudívit eos.

Et commínuam eos, ut púlverem ante fáciem venti : * ut lutum plateárum delébo eos.

Erípies me de contradictiónibus pópuli : * constítues me in caput géntium.

Pópulus, quem non cognóvi, servívit mihi : * in audítu auris obedívit mihi.

Fílii aliéni mentíti sunt mihi : * fílii aliéni inveteráti sunt, et claudicavérunt a sémitis suis.

Vivit Dóminus, et benedíctus Deus meus, * et exaltétur Deus salútis meæ.

Deus, qui das vindíctas mihi, et subdis pópulos sub me, * liberátor meus de inimícis meis iracúndis.

Et ab insurgéntibus in me exaltábis me : * a viro iníquo erípies me.

Proptérea confitébor tibi in natiónibus, Dómine : * et nómini tuo psalmum dicam.

Magníficans salútes Regis ejus, et fáciens misericórdiam Christo suo David, * et sémini ejus usque in sæculum.

Ant. Vivit Dóminus, et benedíctus Deus salútis meæ.

In Festis novem Lectionum :

℣. Confitébor tibi in natiónibus, Dómine. ℟. Et nómini tuo psalmum dicam.

Absol. Ipsíus píetas et.

Bened. 4 Deus Pater omnípotens. 5 Christus perpétuæ. 6 Ignem sui amóris.

In III Nocturno

Ant. Exáudiat te * † Dóminus in die tribulatiónis. ‡

Psalmus 19

EXáudiat te † Dóminus in die tribulatiónis : * ‡ prótegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxílium de sancto : * et de Sion tueátur te.

Memor sit omnis sacrifícii tui : * et holocáustum tuum pingue fiat.

Tríbuat tibi secúndum cor tuum : * et omne consílium tuum confírmet.

Lætábimur in salutári tuo : * et in nómine Dei nostri magnificábimur.

Impleat Dóminus omnes petitiónes tuas : * nunc cognóvi quóniam salvum fecit Dóminus Christum suum.

Exáudiet illum de cælo sancto suo : * in potentátibus salus déxteræ ejus.

Hi in cúrribus, et hi in equis : * nos autem in nómine Dómini, Dei nostri, invocábimus.

Ipsi obligáti sunt, et cecidérunt : * nos autem surréximus et erécti sumus.

Dómine, salvum fac regem : * et exáudi nos in die, qua invocavérimus te.

Ant. Exáudiat te Dóminus in die tribulatiónis.

Ant. Dómine, * † in virtúte tua lætábitur rex. ‡

Psalmus 20

DOmine, † in virtúte tua lætábitur rex : * ‡ et super salutáre tuum exsultábit veheménter.

Desidérium cordis ejus tribuísti ei : * et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : * posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Vitam pétiit a te : * et tribuísti ei longitúdinem

diérum in sæculum, et in sæculum sæculi.

Magna est glória ejus in salutári tuo : * glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Quóniam dabis eum in benedictiónem in sæculum sæculi : * lætificábis eum in gáudio cum vultu tuo.

Quóniam rex sperat in Dómino : * et in misericórdia Altíssimi non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis : * déxtera tua invéniat omnes, qui te odérunt.

Pones eos ut clíbanum ignis in témpore vultus tui : * Dóminus in ira sua conturbábit eos, et devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terra perdes : * et semen eórum a fíliis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mala : * cogitavérunt consília, quæ non potuérunt stabilíre.

Quóniam pones eos dorsum : * in relíquiis tuis præparábis vultum eórum.

Exaltáre, Dómine, in virtúte tua : * cantábimus et psallémus virtútes tuas.

Ant. Dómine, in virtúte tua lætábitur rex.

Ant. Exaltábo te, * † Dómine, quóniam suscepísti me. ‡

Psalmus 29

EXaltábo te, † Dómine, quóniam suscepísti me : * ‡ nec delectásti inimícos meos super me.

Dómine, Deus meus, clamávi ad te, * et sanásti me.

Dómine, eduxísti ab inférno ánimam meam : * salvásti me a descendéntibus in lacum.

Psállite Dómino, sancti ejus : * et confitémini memóriæ sanctitátis ejus.

Quóniam ira in indignatióne ejus : * et vita in voluntáte ejus.

Ad vésperum demorábitur fletus : * et ad matutínum lætítia.

Ego autem dixi in abundántia mea : * Non movébor in ætérnum.

Dómine, in voluntáte tua, * præstitísti decóri meo virtútem.

Avertísti fáciem tuam a me, * et factus sum conturbátus.

Ad te, Dómine, clamábo : * et ad Deum meum deprecábor.

Quæ utílitas in sánguine meo, * dum descéndo in corruptiónem?

Numquid confitébitur tibi pulvis, * aut annuntiábit veritátem tuam?

Audívit Dóminus, et misértus est mei : * Dóminus factus est adjútor meus.

Convertísti planctum meum in gáudium mihi : * conscidísti saccum meum, et circumdedísti me lætítia :

Ut cantet tibi glória mea, et non compúngar : * Dómine, Deus meus, in ætérnum confitébor tibi.

Ant. Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me.

In feriali Officio et in Festis :

℣. Psállite Dómino, sancti ejus. ℟. Et confitémini memóriæ sanctitátis ejus.

In Officio novem Lectionum

Absolutio A vínculis.

Bened. 7 Evangélica léctio. 8 In Festis Domini : Divínum auxílium.

In Festis B. M. V. Cujus festum cólimus, ipsa Virgo.

In Festis Sanctorum : Cujus (vel Quorum aut Quarum) festum cólimus. 9 Ad societátem. (Per evangélica dicta.)

In Officio trium Lectionum

Absol. Exáudi, Dómine.

In Feriis, cum Homilia :

Bened. 1 Evangélica. 2 Divínum. 3 Ad societátem.

In Feriis, sine Homilia :

Bened. 1 Benedictióne. 2 Unigénitus. 3 Spíritus Sancti.

In Festis Sanctorum :

Bened. 1 Ille nos benedícat qui sine fine vivit et regnat. ℟. Amen. 2 Cujus (vel Quorum aut Quarum). 3 Ad societátem.

AD LAUDES I

In Feriis extra Vigilias communes occurrentibus, atque in Festis.

(Pater noster et Ave.)

℣. Deus, in adjutórium.

Ant. Jubiláte * Deo in voce exsultatiónis.

¶ Antiphonæ, in hac et aliis Feriis appositæ, dicuntur semper in Officio feriali et in Festis sive trium sive novem Lectionum, quando juxta Rubricas sumendi sint Psalmi de Feria.

Psalmus 46

OMnes gentes, pláudite mánibus : * jubiláte Deo in voce exsultatiónis.

Quóniam Dóminus excélsus, terríbilis : * Rex magnus super omnem terram.

Subjécit pópulos nobis : * et gentes sub pédibus nostris.

Elégit nobis hereditátem suam : * spéciem Jacob, quam diléxit.

Ascéndit Deus in júbilo : * et Dóminus in voce tubæ.

Psállite Deo nostro, psállite : * psállite Regi nostro, psállite.

Quóniam Rex omnis terræ Deus : * psállite sapiénter.

Regnábit Deus super gentes : * Deus sedet super sedem sanctam suam.

Principes populórum congregáti sunt cum Deo Abraham : * quóniam dii fortes terræ veheménter eleváti sunt.

Ant. Jubiláte Deo in voce exsultatiónis.

Ant. Inténde * voci oratiónis meæ, Rex meus et Deus meus.

Psalmus 5

VErba mea áuribus pércipe, Dómine, * intélige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ, * Rex meus et Deus meus.

Quóniam ad te orábo : * Dómine, mane exáudies vocem meam.

Mane astábo tibi et vidébo : * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malígnus : * neque permanébunt injústi ante óculos tuos.

Odísti omnes, qui operántur iniquitátem : * perdes omnes, qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum et dolósum abominábitur Dóminus : * ego autem in multitúdine misericórdiæ tuæ.

Introíbo in domum tuam : * adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dómine, deduc me in justítia tua : * propter inimícos meos dirige in conspéctu tuo viam meam.

Quóniam non est in ore eórum véritas : * cor eórum vanum est.

Sepúlcrum patens est guttur eórum, linguis suis dolóse agébant, * júdica illos, Deus.

Décidant a cogitatiónibus suis, secúndum multitúdinem impietátum eórum expélle eos, * quóniam irritavérunt te, Dómine.

Et læténtur omnes, qui sperant in te, * in ætérnum exsultábunt : et habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes, qui díligunt nomen tuum, * quóniam tu benedices justo.

Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ * coronásti nos.

Ant. Inténde voci oratiónis meæ, Rex meus et Deus meus.

Ant. Deus majestátis * intónuit : afférte glóriam nómini ejus.

Psalmus 28

AFférte Dómino, fílii Dei : * afférte Dómino fílios aríetum.

Afférte Dómino glóriam et honórem, afférte Dómino glóriam nómini ejus : * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Vox Dómini super aquas, Deus majestátis intónuit : * Dóminus super aquas multas.

Vox Dómini in virtúte : * vox Dómini in magnificéntia.

Vox Dómini confringéntis cedros : * et confrínget Dóminus cedros Líbani :

Et commínuet eas tamquam vítulum Líbani : * et diléctus quemádmodum fílius unicórnium.

Vox Dómini intercidéntis flammam ignis : * vox Dómini concutiéntis desértum : et commovébit Dóminus desértum Cades.

Vox Dómini præparántis cervos, et revelábit condénsa : * et in templo ejus omnes dicent glóriam.

Dóminus dilúvium inhabitáre facit : * et sedébit Dóminus Rex in ætérnum.

Dóminus virtútem pópulo suo dabit : * Dóminus benedicet pópulo suo in pace.

Ant. Deus majestátis intónuit : afférte glóriam nómini ejus.

Ant. Laudámus nomen tuum * ínclitum, Deus noster.

Canticum David

1 Par. 29, 10-13

BEnedíctus es, Dómine, Deus Israël patris nostri, * ab ætérno in ætérnum.

Tua est, Dómine, magnificéntia, et poténtia, * et glória, atque victória :

Et tibi laus : * cuncta enim quæ in cælo sunt, et in terra, tua sunt :

Tuum, Dómine, regnum, * et tu es super omnes príncipes.

Tuæ divítiæ, et tua est glória : * tu domináris ómnium.

In manu tua virtus et poténtia : * in manu tua magnitúdo, et impérium ómnium.

Nunc igitur, Deus noster, confitémur tibi, * et laudámus nomen tuum ínclitum.

Ant. Laudámus nomen tuum ínclitum, Deus noster.

Ant. Laudáte * † Dóminum, omnes gentes. ‡

Psalmus 116

LAudáte † Dóminum, omnes gentes : * ‡ laudáte eum, omnes pópuli :

Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus : * et véritas Dómini manet in ætérnum.

Ant. Laudáte Dóminum, omnes gentes.

In Officio feriali

Capitulum, Hymnus et Versus dicuntur quotidie de Feria currenti, ut in Psalterio hic et alibi apponuntur; et inde sumitur etiam Ant. ad Benedictus.

Capit. Rom. 13, 12-13

NOX præcéssit, dies autem appropinquávit. Abjiciámus ergo ópera tenebrárum, et induámur arma lucis. Sicut in die honéste ambulémus.

Hymnus

SPlendor Patérnæ glóriæ,
De luce lucem próferens,
Lux lucis, et fons lúminis,
Diem dies illúminans :

Verúsque sol illábere,
Micans nitóre pérpeti :
Jubárque Sancti Spíritus
Infúnde nostris sénsibus.

Votis vocémus et Patrem,
Patrem poténtis grátiæ,
Patrem perénnis glóriæ :
Culpam reléget lúbricam.

Confírmet actus strénuos :
Dentes retúndat invidi :
Casus secúndet ásperos :
Agénda recte dírigat.

Mentem gubérnet et regat :
Sit pura nobis cástitas :
Fides calére férveat,
Fraudis venéna nésciat.

Christúsque nobis sit cibus,
Potúsque noster sit fides :
Læti bibámus sóbriam
Profusiónem Spíritus.

Lætus dies hic tránseat :
Pudor sit ut dilúculum :
Fides velut merídies :
Crepúsculum mens nésciat.

Auróra lucem próvehit,
Cum luce nobis pródeat
In Patre totus Fílius,
Et totus in Verbo Pater.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc et per omne sæculum. Amen.

℣. Repléti sumus mane misericórdia tua. ℟. Exsultávimus, et delectáti sumus.

Ad Bened. Ant. Benedíctus * † Dóminus, Deus Israël, quia visitávit et liberávit nos.

Reliqua ut in Ordinario. ♀

AD LAUDES II

In Vigiliis communibus, quando fit Officium de Feria.

(Pater noster et Ave.)

℣. Deus, in adjutórium.

Ant. Miserére. †

Psalmus 50

MIserére † mei, Deus : * secúndum magnam misericórdiam tuam.

Et secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum, * dele iniquitátem meam.

Amplius lava me ab iniquitáte mea : * et a peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognósco : * et

peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, et malum coram te feci : * ut justificéris in sermónibus tuis, et vincas cum judicáris.

Ecce enim, in iniquitátibus concéptus sum : * et in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim, veritátem dilexísti : * incérta et occúlta sapiéntiæ tuæ manifestásti mihi.

Aspérges me hyssópo, et mundábor : * lavábis me, et super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium et lætítiam : * et exsultábunt ossa humiliáta.

Avérte fáciem tuam a peccátis meis : * et omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus : * et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

Ne projícias me a fácie tua : * et spíritum sanctum tuum ne áuferas a me.

Redde mihi lætítiam salutáris tui : * et spíritu principáli confírma me.

Docébo iníquos vias tuas : * et ímpii ad te converténtur.

Líbera me de sanguínibus, Deus, Deus salútis meæ : * et exsultábit lingua mea justítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries : * et os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam si voluísses sacrifícium, dedíssem útique : * holocáustis non delectáberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribulátus : * cor contrítum, et humiliátum, Deus, non despícies.

Benígne fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion : * ut ædificéntur muri Jerúsalem.

Tunc acceptábis sacrifícium justítiæ, oblatiónes, et holocásta : * tunc impónent super altáre tuum vítulos.

Ant. Miserére mei, Deus, secúndum magnam misericórdiam tuam.

Ant. Deduc me.

Psalmus 5

VErba mea áuribus pércipe, Dómine, * intélige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ, * Rex meus et Deus meus.

Quóniam ad te orábo : * Dómine, mane exáudies vocem meam.

Mane astábo tibi et vidébo : * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malígnus : * neque permanébunt injústi ante óculos tuos.

Odísti omnes, qui operántur iniquitátem : * per-

des omnes, qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum et dolósum abominábitur Dóminus : * ego autem in multitúdine misericórdiæ tuæ.

Introíbo in domum tuam, * adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dómine, deduc me in justítia tua : * propter inimícos meos dírige in conspéctu tuo viam meam.

Quóniam non est in ore eórum véritas : * cor eórum vanum est.

Sepúlcrum patens est guttur eórum, linguis suis dolóse agébant, * júdica illos, Deus.

Décidant a cogitatiónibus suis, secúndum multitúdinem impietátum eórum expélle eos, * quóniam irritavérunt te, Dómine.

Et læténtur omnes, qui sperant in te, * in ætérnum exsultábunt : et habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes, qui díligunt nomen tuum, * quóniam tu benedíces justo.

Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ * coronásti nos.

Ant. Deduc me in justítia tua, Dómine.

Ant. Dóminus dabit virtútem.

Psalmus 28

Afférte Dómino, fílii Dei : * afférte Dómino fílios aríetum.

Afférte Dómino glóriam et honórem, afférte Dómino glóriam nómini ejus : * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Vox Dómini super aquas, Deus majestátis intónuit : * Dóminus super aquas multas.

Vox Dómini in virtúte : * vox Dómini in magnificéntia.

Vox Dómini confringéntis cedros : * et confríget Dóminus cedros Líbani :

Et comminuet eas tamquam vítulum Líbani : * et diléctus quemádmodum fílius unicórnium.

Vox Dómini intercidéntis flammam ignis : * vox Dómini concutiéntis desértum : et commovébit Dóminus desértum Cades.

Vox Dómini præparántis cervos, et revelábit condénsa : * et in templo ejus omnes dicent glóriam.

Dóminus dilúvium inhabitáre facit : * et sedébit Dóminus Rex in ætérnum.

Dóminus virtútem pópulo suo dabit : * Dóminus benedícet pópulo suo in pace.

Ant. Dóminus dabit virtútem et benedícet pópulo suo in pace.

Ant. Convérsus est furor tuus.

Canticum Isaiæ
Is. 12, 1-6

Confitébor tibi, Dómine, quóniam irátus es mihi : * convérsus est furor tuus, et consolátus es me.

Ecce Deus salvátor meus, * fiduciáliter agam, et non timébo :

Quia fortitúdo mea, et laus mea Dóminus, * et factus est mihi in salútem.

Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus Salvatóris : * et dicétis in die illa : Confitémini Dómino, et invocáte nomen ejus :

Notas fácite in pópulis adinventiónes ejus : * mementóte quóniam excélsum est nomen ejus.

Cantáte Dómino quóniam magnifice fecit : * annuntiáte hoc in univérsa terra.

Exsúlta, et lauda, habitátio Sion : * quia magnus in médio tui Sanctus Israël.

Ant. Convérsus est furor tuus, Dómine, et consolátus es me.

Ant. Laudáte. †

Psalmus 116

Laudáte † Dóminum, omnes gentes : * laudáte eum, omnes pópuli :

Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus : * et véritas Dómini manet in ætérnum.

Ant. Laudáte Dóminum, quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus.

Capit. Rom. 13, 12-13

Nox præcéssit, dies autem appropinquávit. Abjiciámus ergo ópera tenebrárum, et induámur arma lucis. Sicut in die honéste ambulémus.

Hymnus

Splendor Patérnæ glóriæ,
De luce lucem próferens,
Lux lucis, et fons lúminis,
Diem dies illúminans :

Verúsque sol illábere,
Micans nitóre pérpeti :
Jubárque Sancti Spíritus
Infúnde nostris sénsibus.

Votis vocémus et Patrem,
Patrem poténtis grátiæ,
Patrem perénnis glóriæ :
Culpam reléget lúbricam.

Confírmet actus strénuos :
Dentes retúndat invidi :
Casus secúndet ásperos :
Agénda recte dírigat.

Mentem gubérnet et regat :
Sit pura nobis cástitas :
Fides calóre férveat,
Fraudis venéna nésciat.

Christúsque nobis sit cibus,
Potúsque noster sit fides :
Læti bibámus sóbriam
Profusiónem Spíritus.

Lætus dies hic tránseat :
Pudor sit ut dilúculum :
Fides velut merídies :
Crepúsculum mens nésciat.

Auróra lucem próvehit,
Cum luce nobis pródeat
In Patre totus Fílius,
Et totus in Verbo Pater.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc et per omne sæculum. Amen.

℣. Repléti sumus mane misericórdia tua. ℟. Exsultávimus, et delectáti sumus.

Ad Bened. Ant. Benedíctus * † Dóminus, Deus Israël, quia visitávit et liberávit nos.

Preces feriales

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster, quod dicitur a solo Hebdomadario totum clara voce, usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo. ℣. Ego dixi : Dómine, miserére mei. ℟. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi. ℣. Convértere, Dómine, úsquequo? ℟. Et deprecábilis esto super servos tuos. ℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te. ℣. Sacerdótes tui induántur justítiam. ℟. Et sancti tui exsúltent.

℣. Orémus pro beatíssimo Papa nostro N. ℟. Dóminus consérvet eum, et vivíficet eum, et beátum fáciat eum in terra, et non tradat eum in ánimam inimicórum ejus. ℣. Orémus et pro Antístite nostro N. ℟. Stet et pascat in fortitúdine tua, Dómine, in sublimitáte nóminis tui. ℣. Dómine, salvum fac regem. ℟. Et exáudi nos in die, qua invocavérimus te. ℣. Salvum fac pópulum tuum, Dómine, et bénedic hereditáti tuæ. ℟. Et rege eos, et extólle illos usque in ætérnum. ℣. Meménto Congregatiónis tuæ. ℟. Quam possedísti ab inítio. ℣. Fiat pax in virtúte tua. ℟. Et abundántia in túrribus tuis. ℣. Orémus pro benefactóribus nostris. ℟. Retribúere dignáre, Dómine, ómnibus, nobis bona faciéntibus propter nomen tuum, vitam ætérnam. Amen. ℣. Orémus pro fidélibus defúnctis. ℟. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine, et lux perpétua lúceat eis. ℣. Requiéscant in pace. ℟. Amen. ℣. Pro frátribus nostris abséntibus. ℟. Salvos fac servos tuos, Deus meus, sperántes in te. ℣. Pro afflíctis et captívis. ℟. Líbera eos, Deus Israël, ex ómnibus tribulatiónibus suis.

℣. Mitte eis, Dómine, auxílium de sancto. ℟. Et de Sion tuére eos. ℣. Dómine, Deus virtútum, convérte nos. ℟. Et osténde fáciem tuam, et salvi érimus. ℣. Exsúrge, Christe, ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum. ℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Reliqua ut in Ordinario. 9

AD PRIMAM

Pater, Ave et Credo.

℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus

JAM lucis orto sídere,
Deum precémur súpplices,
Ut in diúrnis áctibus
Nos servet a nocéntibus.

Linguam refrénans témperet,
Ne litis horror ínsonet :
Visum fovéndo cóntegat,
Ne vanitátes háuriat.

Sint pura cordis íntima,
Absístat et vecórdia :
Carnis terat supérbiam
Potus cibíque párcitas.

Ut, cum dies abscésserit
Noctémque sors redúxerit,
Mundi per abstinéntiam
Ipsi canámus glóriam.

* Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc et per omne sæculum. Amen.

Ant. Innocens mánibus.

¶ Antiphonæ, in hac et aliis Feriis ad Primam, Tertiam, Sextam et Nonam appositæ, dicuntur semper in Officio feriali et in Festis sive trium sive novem Lectionum, quando juxta Rubricas sumendi sint Psalmi de Feria.

Psalmus 23

DOmini est terra, et plenitúdo ejus : * orbis terrárum, et univérsi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum : * et super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus et mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino : * et misericórdiam a Deo, salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini, portæ æternáles : * et introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus fortis et potens : Dóminus potens in prœlio.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini, portæ æternáles : * et introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est Rex glóriæ.

Psalmus 18, i

CÆli enárrant glóriam Dei, * et ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum, * et nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ, neque sermónes, * quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum : * et in fines orbis terræ verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum : * et ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo :

Exsultávit ut gigas ad curréndam viam, * a summo cælo egréssio ejus :

Et occúrsus ejus usque ad summum ejus : * nec est qui se abscóndat a calóre ejus.

Psalmus 18, ii

LEX Dómini immaculáta, convértens ánimas : * testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

Justítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda : * præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in sæculum sæculi : * judícia Dómini vera, justificáta in semetípsa.

Desiderabília super aurum et lápidem pretiósum multum : * et dulcióra super mel et favum.

Etenim servus tuus custódit ea, * in custodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? ab occúltis meis munda me : * et ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint dominnáti, tunc immaculátus ero : * et emundábor a delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei : * et meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Dómine, adjútor meus, * et redémptor meus.

¶ Quando ad Laudes dictus fuerit Ps. 50 Miserére, hic subjungitur sequens Ps. 46, qui in Laudibus locum non habuit.

Psalmus 46

OMnes gentes, pláudite mánibus : * jubiláte Deo in voce exsultatiónis.

Quóniam Dóminus excélsus, terríbilis : * Rex magnus super omnem terram.

Subjécit pópulos nobis : * et gentes sub pédibus nostris.

Elégit nobis hereditátem suam : * spéciem Jacob, quam diléxit.

Ascéndit Deus in júbilo : * et Dóminus in voce tubæ.

Psállite Deo nostro, psállite : * psállite Regi nostro, psállite.

Quóniam Rex omnis terræ Deus : * psállite sapiénter.

Regnábit Deus super gentes : * Deus sedet super sedem sanctam suam.

Príncipes populórum congregáti sunt cum Deo Ábraham : * quóniam dii fortes terræ veheménter eleváti sunt.

Secus vero, tribus Psalmis expletis, statim dicitur Ant.

Ant. Innocens mánibus et mundo corde ascéndet in montem Dómini.

In Officio Festi vel Octavæ :

Capitulum 1 Tim. 1, 17

REgi sæculórum immortáli et invisíbili, soli Deo honor et glória in sæcula sæculórum. Amen.

In omnibus autem Feriis et in Vigiliis communibus :

Capitulum Zach. 8, 19

PAcem et veritátem dilígite, ait Dóminus omnípotens.

℟. br. Christe, Fili Dei vivi, * Miserére nobis. Christe. ℣. *Qui sedes ad déxteram Patris.* Miserére nobis. Glória Patri. Christe. ℣. Exsúrge, Christe, ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum.

Preces dominicales et feriales (si dicendæ sint).

KYrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Credo in Deum secreto usque ad ℣. Carnis resurrectiónem. ℟. Vitam ætérnam. Amen. ℣. Et ego ad te, Dómine, clamávi. ℟. Et mane orátio mea prævéniet te. ℣. Repleátur os meum laude. ℟. Ut cantem glóriam tuam, tota die magnitúdinem tuam. ℣. Dómine, avérte fáciem tuam a peccátis meis. ℟. Et omnes iniquitátes meas dele. ℣. Cor mundum crea in me, Deus. ℟. Et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis. ℣. Ne projícias me a fácie tua. ℟. Et spíritum sanctum tuum ne áuferas a me. ℣. Redde mihi lætítiam salutáris tui. ℟. Et spíritu principáli confírma me.

In Precibus ferialibus tantum

℣. Eripe me, Dómine, ab hómine malo. ℟. A viro iníquo éripe me. ℣. Eripe me de inimícis meis, Deus

meus. ℟. Et ab insurgéntibus in me líbera me. ℣. Eripe me de operántibus iniquitátem. ℟. Et de viris sánguinum salva me. ℣. Sic psalmum dicam nómini tuo in sæculum sæculi. ℟. Ut reddam vota mea de die in diem. ℣. Exáudi nos, Deus, salutáris noster. ℟. Spes ómnium fínium terræ, et in mari longe. ℣. Deus, in adjutórium meum inténde. ℟. Dómine, ad adjuvándum me festína. ℣. Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortális. ℟. Miserére nobis. ℣. Bénedic, ánima mea, Dómino. ℟. Et ómnia, quæ intra me sunt, nómini sancto ejus. ℣. Bénedic, ánima mea, Dómino. ℟. Et noli oblivísci omnes retributiónes ejus. ℣. Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis. ℟. Qui sanat omnes infirmitátes tuas. ℣. Qui rédimit de intéritu vitam tuam. ℟. Qui corónat te in misericórdia et miseratiónibus. ℣. Qui replet in bonis desidérium tuum. ℟. Renovábitur ut áquilæ juvéntus tua.

In utrisque Precibus

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

Confiteor. Misereátur. Indulgéntiam.

℣. Dignáre, Dómine, die isto. ℟. Sine peccáto nos custodíre. ℣. Miserére nostri, Dómine. ℟. Miserére nostri. ℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te. ℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.

Orémus. Oratio

DOmine, Deus omnipotens, qui ad princípium hujus diéi nos pervenire fecísti : tua nos hódie salva virtúte; ut in hac die ad nullum declinémus peccátum, sed semper ad tuam justítiam faciéndam nostra procédant elóquia, dirigántur cogitatiónes et ópera. Per Dóminum.

℟. Amen.

℣. Dóminus vobíscum.

℣. Benedicámus Dómino.

In Choro Martyrologium.

℣. Pretiósa in conspéctu Dómini. ℟. Mors Sanctórum ejus.

Et absolute, sine Orémus :

Oratio

SAncta María, et omnes Sancti intercédant pro nobis ad Dóminum, ut nos mereámur ab eo adjuvári et salvári, qui vivit et regnat in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

℣. Deus, in adjutórium meum inténde. ℟. Dómine, ad adjuvándum me festína. Et dicitur ter; ultimo additur : Glória Patri. Sicut erat.

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo. ℣. Réspice in servos tuos, Dómine, et in ópera tua, et dírige fílios eórum. ℟. Et sit splendor Dómini, Dei nostri, super nos, et ópera mánuum nostrárum dírige super nos, et opus mánuum nostrárum dírige. ℣. Glória Patri. ℟. Sicut erat.

Orémus. Oratio

DIrígere et sanctificáre, régere et gubernáre dignáre, Dómine Deus, Rex cæli et terræ, hódie corda et córpora nostra, sensus, sermónes et actus nostros in lege tua, et in opéribus mandatórum tuórum : ut hic, et in ætérnum, te auxiliánte, salvi et líberi esse mereámur, Salvátor mundi : Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

℣. Jube, domne.

Bened. Dies et actus nostros in sua pace dispónat Dóminus omnípotens.

℟. Amen.

In Officio feriali

DOminus autem dirigat corda et córpora nostra in caritáte Dei, et patiéntia Christi. Tu autem.

E Proprio Sanctorum

Pro Oct. S. Joannis Bapt.

REges vidébunt, et consúrgent príncipes et adorábunt Dóminum, Deum tuum et Sanctum Israël, qui elégit te.

Pro Invent. S. Stephani

POsitis autem génibus, clamávit voce magna, dicens : Dómine, ne státuas illis hoc peccátum. Et cum hoc dixísset, obdormívit in Dómino.

E Communi Sanctorum

Pro Apostolis

IBant Apóstoli gaudéntes a conspéctu concílii, quóniam digni hábiti sunt pro nómine Jesu contuméliam pati.

Pro Martyre

JUstus cor suum trádidit ad vigilándum dilúculo ad Dóminum, qui fecit illum, et in conspéctu Altissimi deprecábitur.

Pro pluríbus Martyribus

FUlgébunt justi, et tamquam scintíllæ in arundinéto discúrrent. Judicábunt natiónes, et dominabúntur pópulis : et regnábit Dóminus illórum in perpétuum.

Pro Conf. Pont.

FUngi sacerdótio, et habére laudem in nómine ipsíus, et offérre illi incénsum dignum in odórem suavitátis.

Pro Conf. non Pont.

JUstum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam sanctórum : honestávit illum in labóribus, et complévit labóres illíus.

Pro Virgine Martyre

DOmine, Deus meus, exaltásti super terram habitatiónem meam, et pro morte defluénte deprecáta sum. Invocávi Dóminum Patrem Dómini mei, ut non derelinquat me in die tribulatiónis meæ, et in témpore superbórum sine adjutório.

Pro Virgine non Martyre

O Quam pulchra est casta generátio cum claritáte! immortális est enim memória illíus : quóniam apud Deum nota est, et apud hómines.

Pro Martyre tantum

LAudábit usque ad mortem ánima mea Dóminum, quóniam éruis sustinéntes te, et líberas eos de manu angústiæ, Dómine, Deus noster.

Pro nec Virg. nec Mart.

MUltæ fíliæ congregavérunt divítias : tu supergréssa es univérsas. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo : múlier timens Dóminum, ipsa laudábitur.

Pro Dedicatione Ecclesiæ

ET abstérget Deus omnem lácrimam ab óculis eórum : et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abiérunt. Et dixit qui sedébat in throno : Ecce nova fácio ómnia.

In Officiis B. Mariæ V.

IN platéis sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans odórem dedi : quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

℣. Benedícite. ℟. Deus.

Benedictio Dómnus nos benedícat, et ab omni malo defréndat, et ad vitam perdúcat ætérnam. Et fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen.

Deinde dicitur tantum Pater noster secreto, nisi sequatur alia Hora.

AD TERTIAM

Pater noster et Ave.

℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus

NUnc, Sancte, nobis, Spíritus,
Unum Patri cum Fílio,
Dignáre promptus íngeri
Nostro refúsus péctori.

Os, lingua, mens, sensus, vigor
Confessiónem pérsonent,
Flamméscat igne cáritas,
Accéndat ardor próximos.

* Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

Ant. Illuminátio mea.

Psalmus 26, i

DOminus illuminátio mea, et salus mea, * quem timébo?

Dóminus protéctor vitæ meæ, * a quo trepidábo?

Dum appropiant super me nocéntes, * ut edant carnes meas :

Qui tríbulant me inimíci mei, * ipsi infirmáti sunt, et cecidérunt.

Si consístant advérsum me castra, * non timébit cor meum.

Si exsúrgat advérsum me prælium, * in hoc ego sperábo.

Unam pétii a Dómino, hanc requíram, * ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ :

Ut vídeam voluptátem Dómini, * et vísitem templum ejus.

Quóniam abscóndit me in tabernáculo suo : * in die malórum protéxit me in abscóndito tabernáculi sui.

In petra exaltávit me : * et nunc exaltávit caput meum super inimícos meos.

Circuívi, et immolávi in tabernáculo ejus hóstiam vociferatiónis : * cantábo, et psalmum dicam Dómino.

Psalmus 26, ii

EXáudi, Dómine, vocem meam, qua clamávi ad te : * miserére mei, et exáudi me.

Tibi dixit cor meum, exquisívit te fácies mea : * fáciem tuam, Dómine, requíram.

Ne avértas fáciem tuam a me : * ne declínes in ira a servo tuo.

Adjútor meus esto : * ne derelínquas me, nequc despícias me, Deus, salutáris meus.

Quóniam pater meus, et mater mea dereliquérunt me : * Dóminus autem assúmpsit me.

Legem pone mihi, Dómine, in via tua : * et dírige me in sémitam rectam propter inimícos meos.

Ne tradíderis me in ánimas tribulántium me : * quóniam insurrexérunt in me testes iníqui, et mentíta est iníquitas sibi.

Credo vidére bona Dómini * in terra vivéntium.

Exspécta Dóminum, viríliter age : * et confortétur cor tuum, et sústine Dóminum.

Psalmus 27

AD te, Dómine, clamábo, Deus meus, ne síleas a me : * nequándo táceas a me, et assimilábor descendéntibus in lacum.

Exáudi, Dómine, vocem deprecatiónis meæ dum oro ad te : * dum extóllo manus meas ad templum sanctum tuum.

Ne simul trahas me cum peccatóribus : * et cum operántibus iniquitátem ne perdas me.

Qui loquúntur pacem cum próximo suo, * mala autem in córdibus eórum.

Da illis secúndum ópera eórum, * et secúndum nequítiam adinventiónum ipsórum.

Secúndum ópera mánuum eórum tríbue illis : * redde retributiónem eórum ipsis.

Quóniam non intellexérunt ópera Dómini, et in ópera mánuum ejus * déstrues illos, et non ædificábis eos.

Benedíctus Dóminus : * quóniam exaudívit vocem deprecatiónis meæ.

Dóminus adjútor meus, et protéctor meus : * in ipso sperávit cor meum, et adjútus sum.

Et reflóruit caro mea : * et ex voluntáte mea confitébor ei.

Dóminus fortitúdo plebis suæ : * et protéctor salvatiónum Christi sui est.

Salvum fac pópulum tuum, Dómine, et bénedic hereditáti tuæ : * et rege eos, et extólle illos usque in ætérnum.

Ant. Illuminátio mea, et salus mea Dóminus.

In Officio feriali

Capitulum Jer. 17, 14

SAna me, Dómine, et sanábor : salvum me fac, et salvus ero : quóniam laus mea tu es.

℟. br. Sana ánimam meam, * Quia peccávi tibi. Sana. ℣. Ego dixi : Dómine, miserére mei. Quia. Glória Patri. Sana. ℣. Adjútor meus esto, ne derelínquas me. ℟. Neque despícias me, Deus, salutáris meus.

In Vigiliis communibus :

Preces feriales

KYrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo. ℣. Dómine, Deus virtútum, convérte nos. ℟. Et osténde fáciem tuam, et salvi érimus. ℣. Exsúrge, Christe, ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum. ℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Reliqua ut in Ordinario. 19

AD SEXTAM

Pater noster et Ave.

℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus

RECtor potens, verax Deus,
Qui témperas rerum vices,
Splendóre mane illúminas,
Et ígnibus merídiem :

Exstíngue flammas lítium,
Aufer calórem nóxium,
Confer salútem córporum,
Verámque pacem córdium.

* Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

Ant. In tua justítia.

Psalmus 30, i

IN te, Dómine, sperávi, non confúndar in ætérnum : * in justítia tua líbera me.

Inclína ad me aurem tuam, * accélera ut éruas me.

Esto mihi in Deum protectórem, et in domum refúgii : * ut salvum me fácias.

Quóniam fortitúdo mea, et refúgium meum es tu : * et propter nomen tuum dedúces me, et enútries me.

Edúces me de láqueo hoc, quem abscondérunt mihi : * quóniam tu es protéctor meus.

In manus tuas comméndo spíritum meum : * redemísti me, Dómine, Deus veritátis.

Odísti observántes vanitátes, * supervácue.

Ego autem in Dómino sperávi : * exsultábo, et lætábor in misericórdia tua.

Quóniam respexísti humilitátem meam, * salvásti de necessitátibus ánimam meam.

Nec conclusísti me in mánibus inimíci : * statuísti in loco spatióso pedes meos.

Psalmus 30, ii

MIserére mei, Dómine, quóniam tríbulor : * conturbátus est in ira óculus meus, ánima mea, et venter meus :

Quóniam defécit in dolóre vita mea : * et anni mei in gemítibus.

Infirmáta est in paupertáte virtus mea : * et ossa mea conturbáta sunt.

Super omnes inimícos meos factus sum oppróbrium et vicínis meis valde : * et timor notis meis.
Qui vidébant me, foras fugérunt a me : * oblivióni datus sum, tamquam mórtuus a corde.
Factus sum tamquam vas pérditum : * quóniam audívi vituperatiónem multórum commorántium in circúitu.
In eo dum convenírent simul advérsum me, * accípere ánimam meam consiliáti sunt.
Ego autem in te sperávi, Dómine : * dixi : Deus meus es tu : in mánibus tuis sortes meæ.
Eripe me de manu inimicórum meórum, * et a persequéntibus me.
Illústra fáciem tuam super servum tuum, salvum me fac in misericórdia tua : * Dómine, non confúndar, quóniam ínvocávi te.
Erubéscant ímpii, et deducántur in infernum : * muta fiant lábia dolósa.
Quæ loquúntur advérsus justum iniquitátem, * in supérbia, et in abusióne.

Psalmus 30, iii

QUam magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine, * quam abscondísti timéntibus te.
Perfecísti eis, qui sperant in te, * in conspéctu filiórum hóminum.
Abscóndes eos in abscóndito faciéi tuæ, * a conturbatióne hóminum.
Próteges eos in tabernáculo tuo * a contradictióne linguárum.
Benedíctus Dóminus : * quóniam mirificávit misericórdiam suam mihi in civitáte muníta.
Ego autem dixi in excéssu mentis meæ : * Projéctus sum a fácie oculórum tuórum.
Ideo exaudísti vocem oratiónis meæ, * dum clamárem ad te.
Diligite Dóminum, omnes sancti ejus : * quóniam veritátem requíret Dóminus, et retríbuet abundánter faciéntibus supérbiam.
Viríliter ágite, et confortétur cor vestrum, * omnes, qui sperátis in Dómino.
Ant. In tua justítia líbera me, Dómine.

In Officio feriali

Capitulum Rom. 13, 8

NEmini quidquam debeátis, nisi ut ínvicem diligátis : qui enim díligit próximum, legem implévit.
℟. br. Benedícam Dóminum * In omni témpore. Benedícam. ℣. Semper laus ejus in ore meo. In. Glória Patri. Benedícam.

℣. Dóminus regit me, et nihil mihi déerit. ℟. In loco páscuæ ibi me collocávit.

In Vigiliis communibus :

Preces feriales

KYrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.
Pater noster secreto usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo. ℣. Dómine, Deus virtútum, convérte nos. ℟. Et osténde fáciem tuam, et salvi érimus. ℣. Exsúrge, Christe, ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum. ℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Reliqua ut in Ordinario. 20

AD NONAM

Pater noster et Ave.
℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus

RErum, Deus, tenax vigor,
Immótus in te pérmanens,
Lucis diúrnæ témpora
Successíbus detérminans :
Largíre lumen véspere,
Quo vita nusquam décidat,
Sed prǽmium mortis sacræ
Perénnis instet glória.
* Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

Ant. Exsultáte, justi.

Psalmus 31

BEáti quorum remíssæ sunt iniquitátes : * et quorum tecta sunt peccáta.
Beátus vir, cui non imputávit Dóminus peccátum, * nec est in spíritu ejus dolus.
Quóniam tácui, inveteravérunt ossa mea, * dum clamárem tota die.
Quóniam die ac nocte graváta est super me manus tua : * convérsus sum in ærúmna mea, dum confígitur spina.
Delíctum meum cógnitum tibi feci : * et injustitiam meam non abscóndi.
Dixi : Confitébor advérsum me injustitiam meam Dómino : * et tu remisísti impietátem peccáti mei.
Pro hac orábit ad te omnis sanctus, * in témpore opportúno.
Verúmtamen in dilúvio aquárum multárum, * ad eum non approximábunt.
Tu es refúgium meum a tribulatióne, quæ circúmdedit me : * exsultátio mea, érue me a circumdántibus me.
Intelléctum tibi dabo, et instruam te in via hac, qua gradiéris : * firmábo super te óculos meos.
Nolíte fíeri sicut equus et mulus, * quibus non est intelléctus.
In camo et freno maxíllas eórum constrínge, * qui non approximant ad te.
Multa flagélla peccatóris, * sperántem autem in Dómino misericórdia circúmdabit.
Lætámini in Dómino et exsultáte, justi, * et gloriámini, omnes recti corde.

Psalmus 32, i

EXsultáte, justi, in Dómino : * rectos decet collaudátio.
Confitémini Dómino in cíthara : * in psaltério decem chordárum psállite illi.
Cantáte ei cánticum novum : * bene psállite ei in vociferatióne.
Quia rectum est verbum Dómini, * et ómnia ópera ejus in fide.
Díligit misericórdiam et judícium : * misericórdia Dómini plena est terra.
Verbo Dómini cæli firmáti sunt : * et spíritu oris ejus omnis virtus eórum.
Cóngregans sicut in utre aquas maris : * ponens in thesáuris abýssos.
Tímeat Dóminum omnis terra : * ab eo autem commoveántur omnes inhabitántes orbem.
Quóniam ipse dixit, et facta sunt : * ipse mandávit, et creáta sunt.
Dóminus díssipat consília géntium : * réprobat autem cogitatiónes populórum, et réprobat consília príncipum.
Consílium autem Dómini in ætérnum manet : * cogitatiónes cordis ejus in generatióne et generatiónem.

Psalmus 32, ii

BEátagens, cujus est Dóminus, Deus ejus : * pópulus, quem elégit in hereditátem sibi.
De cælo respéxit Dóminus : * vidit omnes fílios hóminum.
De præparáto habitáculo suo * respéxit super omnes, qui hábitant terram.
Qui finxit sigillátim corda eórum : * qui intélligit ómnia ópera eórum.
Non salvábitur rex per multam virtútem : * et gigas non salvábitur in multitúdine virtútis suæ.
Fallax equus ad salútem : * in abundántia autem virtútis suæ non salvábitur.
Ecce óculi Dómini super metuéntes eum : * et in eis, qui sperant super misericórdia ejus :
Ut éruat a morte ánimas eórum : * et alat eos in fame.

Anima nostra sústinet Dóminum : * quóniam adjútor et protéctor noster est.

Quia in eo lætábitur cor nostrum : * et in nómine sancto ejus sperávimus.

Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos : * quemádmodum sperávimus in te.

Ant. Exsultáte, justi, et gloriámini, omnes recti corde.

In Officio feriali

Capit. 1 Petri 1, 17-19

IN timóre incolátus vestri témpore conversámini : sciéntes quod non corruptibílibus auro vel argénto redémpti estis, sed pretióso sánguine quasi Agni immaculáti Christi.

℟. br. Rédime me, Dómine, * Et miserére mei. Rédime. ℣. Pes enim meus stetit in via recta. Et miserére mei. Glória Patri. Rédime. ℣. Ab occúltis meis munda me, Dómine. ℟. Et ab aliénis parce servo tuo.

In Vigiliis communibus :

Preces feriales

KYrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo. ℣. Dómine, Deus virtútum, convérte nos. ℟. Et osténde fáciem tuam, et salvi érimus. ℣. Exsúrge, Christe, ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum. ℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Reliqua ut in Ordinario. 22

AD VESPERAS

Pater noster et Ave.

℣. Deus, in adjutórium.

Ant. Inclinávit Dóminus * aurem suam mihi.

¶ Antiphonæ, in hac et aliis Feriis appositæ, dicuntur semper in Officio feriali et in Festis sive trium sive novem Lectionum, quando juxta Rubricas sumendi sint Psalmi de Feria, ut in Psalterio.

Psalmus 114

DIléxi, quóniam exáudiet Dóminus * vocem oratiónis meæ.

Quia inclinávit aurem suam mihi : * et in diébus meis invocábo.

Circumdedérunt me dolóres mortis : * et perícula inférni invenérunt me.

Tribulatiónem et dolórem invéni : * et nomen Dómini invocávi.

O Dómine, líbera ánimam meam : * miséricors Dóminus, et justus, et Deus noster miserétur.

Custódiens párvulos Dóminus : * humiliátus sum, et liberávit me.

Convértere, ánima mea, in réquiem tuam : * quia Dóminus benefécit tibi.

Quia erípuit ánimam meam de morte : * óculos meos a lácrimis, pedes meos a lapsu.

Placébo Dómino * in regióne vivórum.

Ant. Inclinávit Dóminus aurem suam mihi.

Ant. Vota mea * Dómino reddam coram omni pópulo ejus.

Psalmus 115

GRédidi, propter quod locútus sum : * ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo : * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino, * pro ómnibus, quæ retríbuit mihi?

Cálicem salutáris accípiam : * et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus : * pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus :

O Dómine, quia ego servus tuus : * ego servus tuus, et fílius ancíllæ tuæ.

Dirupísti víncula mea : * tibi sacrificábo hóstiam laudis, et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli ejus : * in átriis domus Dómini, in médio tui, Jerúsalem.

Ant. Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus.

Ant. Clamávi, * et Dóminus exaudívit me.

Psalmus 119

AD Dóminum cum tribulárer clamávi : * et exaudívit me.

Dómine, líbera ánimam meam a lábiis iníquis, * et a lingua dolósa.

Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi * ad linguam dolósam?

Sagíttæ poténtis acútæ, * cum carbónibus desolatóriis.

Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus est : habitávi cum habitántibus Cedar : * multum íncola fuit ánima mea.

Cum his, qui odérunt pacem, eram pacíficus : * cum loquébar illis, impugnábant me gratis.

Ant. Clamávi, et Dóminus exaudívit me.

Ant. Auxilium meum * a Dómino qui fecit cælum et terram.

Psalmus 120

LEvávi óculos meos in montes, * unde véniet auxílium mihi.

Auxílium meum a Dómino, * qui fecit cælum et terram.

Non det in commotiónem pedem tuum : * neque dormítet qui custódit te.

Ecce, non dormitábit neque dórmiet, * qui custódit Israël.

Dóminus custódit te, Dóminus protéctio tua, * super mánum déxteram tuam.

Per diem sol non uret te : * neque luna per noctem.

Dóminus custódit te ab omni malo : * custódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus custódiat intróitum tuum, et éxitum tuum : * ex hoc nunc, et usque in sæculum.

Ant. Auxílium meum a Dómino, qui fecit cælum et terram.

Ant. Lætátus sum * † in his, quæ dicta sunt mihi. ‡

Psalmus 121

LÆtátus sum † in his, quæ dicta sunt mihi : * ‡ In domum Dómini íbimus.

Stantes erant pedes nostri, * in átriis tuis, Jerúsalem.

Jerúsalem, quæ ædificátur ut cívitas : * cujus participátio ejus in idipsum.

Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini : * testimónium Israël ad confiténdum nómini Dómini.

Quia illic sedérunt sedes in judício, * sedes super domum David.

Rogáte quæ ad pacem sunt Jerúsalem : * et abundántia diligéntibus te :

Fiat pax in virtúte tua : * et abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos, et próximos meos, * loquébar pacem de te :

Propter domum Dómini, Dei nostri, * quæsívi bona tibi.

Ant. Lætátus sum in his, quæ dicta sunt mihi.

In Officio feriali

Capitulum, Hymnus, Versus, et Ant. ad Magnificat dicuntur quotidie de Feria currenti, ut in Psalterio hic et alibi apponuntur.

Capitulum 2 Cor. 1, 3-4

BEnedíctus Deus, et Pater Dómini nostri Jesu Christi, Pater misericordiárum, et Deus totius consolatiónis, qui consolátur nos in omni tribulatióne nostra.

Hymnus

IMménse cæli Cónditor,
Qui mixta ne confúnderent,
Aquæ fluénta dívidens,
Cælum dedísti límitem.

Firmans locum cæléstibus,
Simúlque terræ rívulis;
Ut unda flammas témperet,
Terræ solum ne díssipent.

Infúnde nunc, piíssime,
Donum perénnis grátiæ :
Fraudis novæ ne cásibus
Nos error átterat vetus.

Lucem fides adáugeat :
Sic lúminis jubar ferat :
Hæc vana cuncta próterat :
Hanc falsa nulla cómprimant.

Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

℣. Dirigátur, Dómine, orátio mea. ℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Ad Magnif. Ant. Magníficat * † ánima mea Dóminum, quia respéxit Deus humilitátem meam.

Reliqua ut in Ordinario. 22

AD COMPLETORIUM

℣. Jube, domne.

Bened. Noctem quiétam, et finem perféctum concédat nobis Dóminus omnipotens. ℟. Amen.

Lectio br. 1 Petri 5, 8-9

FRatres : Sóbrii estóte, et vigiláte : quia adversárius vester diábolus tamquam leo rúgiens circuit, quærens quem dévoret : cui resístite fortes in fide. Tu autem, Dómine, miserére nobis.

℟. Deo grátias.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

Pater noster, quod dicitur totum secreto.

Confíteor. Misereátur. Indulgéntiam.

℣. Convérte nos, Deus, salutáris noster. ℟. Et avérte iram tuam a nobis.

℣. Deus, in adjutórium.

Ant. Salvum me fac.

¶ Antiphonæ, in hac et aliis Feriis appositæ, dicuntur semper ad Completorium tum de Tempore tum de Sanctis, quando juxta Rubricas sumendi sint Psalmi de Feria.

Psalmus 6

DOmine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.

Miserére mei, Dómine, quóniam infírmus sum : * sana me, Dómine, quóniam conturbáta sunt ossa mea.

Et ánima mea turbáta est valde : * sed tu, Dómine, úsquequo?

Convértere, Dómine, et éripe ánimam meam : * salvum me fac propter misericórdiam tuam.

Quóniam non est in morte qui memor sit tui : * in inférno autem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo, lavábo per síngulas noctes lectum meum : * lácrimis meis stratum meum rigábo.

Turbátus est a furóre óculus meus : * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Discédite a me, omnes, qui operámini iniquitátem : * quóniam exaudívit Dóminus vocem fletus mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam, * Dóminus oratiónem meam suscépit.

Erubéscant, et conturbéntur veheménter omnes inimíci mei : * convertántur et erubéscant valde velóciter.

Psalmus 7, i

DOmine, Deus meus, in te sperávi : * salvum me fac ex ómnibus persequéntibus me, et líbera me.

Nequándo rápiat ut leo ánimam meam, * dum non est qui rédimat, neque qui salvum fáciat.

Dómine, Deus meus, si feci istud, * si est iníquitas in mánibus meis :

Si réddidi retribuéntibus mihi mala, * décidam mérito ab inimícis meis inánis.

Persequátur inimícus ánimam meam, et comprehéndat, et concúlcet in terra vitam meam, * et glóriam meam in púlverem dedúcat.

Exsúrge, Dómine, in ira tua : * et exaltáre in fínibus inimicórum meórum.

Et exsúrge, Dómine, Deus meus, in præcépto quod mandásti : * et synagóga populórum circúmdabit te.

Et propter hanc in altum regrédere : * Dóminus júdicat pópulos.

Júdica me, Dómine, secúndum justítiam meam, * et secúndum innocéntiam meam super me.

Consumétur nequítia peccatórum, et díriges justum, * scrutans corda et renes, Deus.

Psalmus 7, ii

JUstum adjutórium meum a Dómino, * qui salvos facit rectos corde.

Deus judex justus, fortis, et pátiens : * numquid iráscitur per síngulos dies?

Nisi convérsi fuéritis, gládium suum vibrábit : * arcum suum teténdit, et parávit illum.

Et in eo parávit vasa mortis : * sagíttas suas ardéntibus effécit.

Ecce, partúriit injustítiam : * concépit dolórem, et péperit iniquitátem.

Lacum apéruit, et effódit eum : * et íncidit in fóveam quam fecit.

Convertétur dolor ejus in caput ejus : * et in vérticem ipsíus iníquitas ejus descéndet.

Confitébor Dómino secúndum justítiam ejus : * et psallam nómini Dómini altíssimi.

Ant. Salvum me fac, Dómine, propter misericórdiam tuam.

Hymnus

TE lucis ante términum,
Rerum Creátor, póscimus,
Ut pro tua cleméntia
Sis præsul et custódia.

Procul recédant sómnia,
Et nóctium phantásmata,
Hostémque nostrum cómprime,
Ne polluántur córpora.

* Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

Capitulum Jer. 14, 9

TU autem in nobis es, Dómine, et nomen sanctum tuum invocátum est super nos : ne derelínquas nos, Dómine, Deus noster.

℟. br. In manus tuas, Dómine, * Comménd spíritum meum. In manus. ℣. Redemísti nos, Dómine, Deus veritátis. Comméndo. Glória Patri. In manus. ℣. Custódi nos, Dómine, ut pupíllam óculi. ℟. Sub umbra alárum tuárum prótege nos.

Ant. Salva nos.

Canticum Simeonis
Luc. 2, 29-32

NUnc dimíttis servum tuum, Dómine, * secúndum verbum tuum in pace :

Quia vidérunt óculi mei * salutáre tuum,

Quod parásti * ante fáciem ómnium populórum,

Lumen ad revelatiónem géntium, * et glóriam plebis tuæ Israël.

Glória Patri.

Ant. Salva nos, Dómine, vigilántes, custódi nos dormiéntes; ut vigilémus cum Christo, et requiescámus in pace.

Preces (si dicendæ sint)

KYrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Credo in Deum secreto usque ad ℣. Carnis resurrectiónem. ℟. Vitam ætérnam. Amen. ℣. Benedíctus es, Dómine, Deus patrum nostrórum. ℟. Et laudábilis et glorióus in sæcula. ℣. Benedicámus

Patrem et Fílium cum Sancto Spíritu. ℟. Laudémus, et superexaltémus eum in sæcula. ℣. Benedictus es, Dómine, in firmaménto cæli. ℟. Et laudábilis, et gloriósus, et superexaltátus in sæcula. ℣. Benedícat et custódiat nos omnípotens et miséricors Dóminus. ℟. Amen. ℣. Dignáre, Dómine, nocte ista. ℟. Sine peccáto nos custodíre. ℣. Miserére nostri, Dómine. ℟. Miserére nostri. ℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te. ℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.

Orémus. Oratio

VIsita, quæsumus, Dómine, habitatiónem istam, et omnes insídias inimíci ab ea longe repélle : Angeli tui sancti hábitent in ea, qui nos in pace custódiant; et benedíctio tua sit super nos semper. Per Dóminum nostrum. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobíscum.
℣. Benedicámus Dómino.

Benedictio Benedícat et custódiat nos omnípotens et miséricors Dóminus, Pater, et Fílius, et Spíritus Sanctus. ℟. Amen.

Antiphona finalis B. M. V.
℣. Divínum auxílium.
Pater, Ave et Credo.

FERIA TERTIA

AD MATUTINUM

Pater, Ave et Credo.
℣. Dómine, lábia mea.
℣. Deus, in adjutórium.

In Officio feriali

Invitat. Jubilémus Deo, * Salutári nostro. Ps. 94
Veníte, exsultémus.

Hymnus

COnsors Patérni lúminis,
Lux ipse lucis, et dies,
Noctem canéndo rúmpimus :
Assíste postulántibus.

Aufer tenébras méntium,
Fuga catérvas dæmonum,
Expélle somnoléntiam;
Ne pigritántes óbruat.

Sic, Christe, nobis, ómnibus
Indúlgeas credéntibus,
Ut prosit exorántibus,
Quod præcinéntes psállimus.

Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

In I Nocturno

Ant. Expúgna, Dómine, * impugnántes me.

Psalmus 34, i

Udica, Dómine, nocéntes me, * expúgna impugnántes me.

Apprehénde arma et scutum : * exsúrge in adjutórium mihi.

Effúnde frámeam, et conclúde advérsus eos, qui persequúntur me : * dic ánimæ meæ : Salus tua ego sum.

Confundántur et revereántur, * quæréntes ánimam meam.

Avertántur retrórsum, et confundántur * cogitántes mihi mala.

Fiant tamquam pulvis ante fáciem venti : * et Angelus Dómini coárctans eos.

Fiat via illórum ténebræ et lúbricum : * et Angelus Dómini pérsequens eos.

Quóniam gratis abscondérunt mihi intéritum láquei sui : * supervácue exprobravérunt ánimam meam.

Véniat illi láqueus, quem ignórat : et cáptio, quam abscóndit, apprehéndat eum : * et in láqueum cadat in ipsum.

Anima autem mea exsultábit in Dómino : * et delectábitur super salutári suo.

Omnia ossa mea dicent : * Dómine, quis símilis tibi?

Erípiens ínopem de manu fortiórum ejus : * egénum et páuperem a diripiéntibus eum.

Ant. Expúgna, Dómine, impugnántes me.

Ant. Restítue ánimam meam * a malefáctis eórum, Dómine.

Psalmus 34, ii

SUrgéntes testes iníqui, * quæ ignorábam interrogábant me.

Retribuébant mihi mala pro bonis : * sterilitátem ánimæ meæ.

Ego autem cum mihi molésti essent, * induébar cilício.

Humiliábam in jejúnio ánimam meam : * et orátio mea in sinu meo convertétur.

Quasi próximum, et quasi fratrem nostrum, sic complacébam : * quasi lugens et contristátus, sic humiliábar.

Et advérsum me lætáti sunt, et convenérunt : * congregáta sunt super me flagélla, et ignorávi.

Dissipáti sunt, nec compúncti, tentavérunt me, subsannavérunt me subsannatióne : * frenduérunt super me déntibus suis.

Dómine, quando respícies? * restítue ánimam meam a malignitáte eórum, a leónibus únicam meam.

Ant. Restítue ánimam meam a malefáctis eórum, Dómine.

Ant. Exsúrge, Dómine, * et inténde judício meo.

Psalmus 34, iii

COnfitébor tibi in ecclésia magna, * in pópulo gravi laudábo te.

Non supergáudeant mihi qui adversántur mihi iníque : * qui odérunt me gratis et ánnuunt óculis.

Quóniam mihi quidem pacífice loquebántur : * et in iracúndia terræ loquéntes, dolos cogitábant.

Et dilatavérunt super me os suum : * dixérunt : Euge, euge, vidérunt óculi nostri.

Vidísti, Dómine, ne síleas : * Dómine, ne discédas a me.

Exsúrge et inténde judício meo : * Deus meus, et Dóminus meus in causam meam.

Júdica me secúndum justítiam tuam, Dómine, Deus meus, * et non supergáudeant mihi.

Non dicant in córdibus suis : Euge, euge, ánimæ nostræ : * nec dicant : Devorávimus eum.

Erubéscant et revereántur simul, * qui gratulántur malis meis.

Induántur confusióne et reveréntia * qui magna loquúntur super me.

Exsúltent et læténtur qui volunt justítiam meam : * et dicant semper : Magnificétur Dóminus, qui volunt pacem servi ejus.

Et lingua mea meditábitur justítiam tuam, * tota die laudem tuam.

Ant. Exsúrge, Dómine, et inténde judício meo.

In Festis novem Lectionum :

℣. Lingua mea meditábitur justítiam tuam. ℟. Tota die laudem tuam, Dómine.

Absol. Exáudi, Dómine.

Bened. 1 Benedictióne perpétua. 2 Unigénitus Dei Fílius. 3 Spíritus Sancti grátia.

In II Nocturno

Ant. Noli æmulári * † in eo, qui prosperátur, et facit iniquitátem.

Psalmus 36, i

Oli æmulári † in malignántibus : * neque zeláveris faciéntes iniquitátem.

Quóniam tamquam fœnum velóciter aréscent : *

et quemádmodum ólera herbárum cito décident.

Spera in Dómino, et fac bonitátem : * et inhábita terram, et pascéris in divítiis ejus.

Delectáre in Dómino : * et dabit tibi petitiónes cordis tui.

Revéla Dómino viam tuam, et spera in eo : * et ipse fáciet.

Et edúcet quasi lumen justítiam tuam : et judícium tuum tamquam merídiem : * súbditus esto Dómino, et ora eum.

Noli æmulári in eo, qui prosperátur in via sua : * in hómine faciénte injustítias.

Désine ab ira, et derelínque furórem : * noli æmulári ut malignéris.

Quóniam qui malignántur, exterminabúntur : * sustinéntes autem Dóminum, ipsi hereditábunt terram.

Et adhuc pusillum, et non erit peccátor : * et quæres locum ejus, et non invénies.

Mansuéti autem hereditábunt terram : * et delectabúntur in multitúdine pacis.

Observábit peccátor justum : * et stridébit super eum déntibus suis.

Dóminus autem irridébit eum : * quóniam próspicit quod véniet dies ejus.

Gládium evaginavérunt peccatóres : * intendérunt arcum suum.

Ut dejíciant páuperem et ínopem : * ut trucident rectos corde.

Gládius eórum intret in corda ipsórum : * et arcus eórum confringátur.

Ant. Noli æmulári in eo, qui prosperátur, et facit iniquitátem.

Ant. Bráchia peccatórum * conteréntur : confírmat autem justos Dóminus.

Psalmus 36, ii

MElius est módicum justo, * super divítias peccatórum multas.

Quóniam bráchia peccatórum conteréntur : * confírmat autem justos Dóminus.

Novit Dóminus dies immaculatórum : * et heréditas eórum in ætérnum erit.

Non confundéntur in témpore malo, et in diébus famis saturabúntur : * quia peccatóres períbunt.

Inimíci vero Dómini mox ut honorificáti fúerint et exaltáti : * defícientes, quemádmodum fumus defícient.

Mutuábitur peccátor, et non solvet : * justus autem miserétur et tríbuet.

Quia benedicéntes ei hereditábunt terram : * maledicéntes autem ei disperíbunt.

Apud Dóminum gressus hóminis dirigéntur : * et viam ejus volet.

Cum cecíderit, non collidétur : * quia Dóminus suppónit manum suam.

Júnior fui, étenim sénui : * et non vidi justum derelíctum, nec semen ejus quærens panem.

Tota die miserétur et cómmodat : * et semen illíus in benedictióne erit.

Declína a malo, et fac bonum : * et inhábita in sæculum sæculi.

Quia Dóminus amat judícium, et non derelínquet sanctos suos : * in ætérnum conservabúntur.

Injústi puniéntur : * et semen impiórum períbit.

Justi autem hereditábunt terram : * et inhabitábunt in sæculum sæculi super eam.

Ant. Bráchia peccatórum conteréntur : confírmat autem justos Dóminus.

Ant. Custódi innocéntiam, * et vide æquitátem.

Psalmus 36, iii

OS justi meditábitur sapiéntiam, * et lingua ejus loquétur judícium.

Lex Dei ejus in corde ipsíus : * et non supplantabúntur gressus ejus.

Consíderat peccátor justum, * et quærit mortificáre eum.

Dóminus autem non derelínquet eum in mánibus ejus : * nec damnábit eum, cum judicábitur illi.

Exspécta Dóminum, et custódi viam ejus : et exaltábit te ut hereditáte cápias terram : * cum perierint peccatóres vidébis.

Vidi ímpium superexaltátum, * et elevátum sicut cedros Líbani.

Et transívi, et ecce non erat : * et quæsívi eum, et non est invéntus locus ejus.

Custódi innocéntiam, et vide æquitátem : * quóniam sunt relíquiæ hómini pacífico.

Injústi autem disperíbunt simul : * relíquiæ impiórum interíbunt.

Salus autem justórum a Dómino : * et protéctor eórum in témpore tribulatiónis.

Et adjuvábit eos Dóminus et liberábit eos : * et éruet eos a peccatóribus, et salvábit eos : quia speravérunt in eo.

Ant. Custódi innocéntiam, et vide æquitátem.

In Festis novem Lectionum :

℣. Exspécta Dóminum, et custódi viam ejus. ℟. Exaltábit te ut hereditáte cápias terram.

Absolutio Ipsíus píetas et. Bened. 4 Deus Pater omnípotens. 5 Christus perpétuæ. 6 Ignem sui amóris.

In III Nocturno

Ant. Ne in ira tua * corrípias me, Dómine.

Psalmus 37, i

DOmine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corripias me.

Quóniam sagittæ tuæ infíxæ sunt mihi : * et confirmásti super me manum tuam.

Non est sánitas in carne mea a fácie iræ tuæ : * non est pax óssibus meis a fácie peccatórum meórum.

Quóniam iniquitátes meæ supergréssæ sunt caput meum : * et sicut onus grave gravátæ sunt super me.

Putruérunt et corrúptæ sunt cicatrices meæ, * a fácie insipiéntiæ meæ.

Miser factus sum, et curvátus sum usque in finem : * tota die contristátus ingrediébar.

Quóniam lumbi mei impléti sunt illusiónibus : * et non est sánitas in carne mea.

Afflíctus sum, et humiliátus sum nimis : * rugiébam a gémitu cordis mei.

Dómine, ante te omne desidérium meum : * et gémitus meus a te non est abscónditus.

Cor meum conturbátum est, derelíquit me virtus mea : * et lumen oculórum meórum, et ipsum non est mecum.

Ant. Ne in ira tua corrípias me, Dómine.

Ant. Inténde in adjutórium meum, * Dómine, virtus salútis meæ.

Psalmus 37, ii

AMíci mei, et próximi mei * advérsum me appropinquavérunt, et stetérunt.

Et qui juxta me erant, de longe stetérunt : * et vim faciébant qui quærébant ánimam meam.

Et qui inquirébant mala mihi, locúti sunt vanitátes : * et dolos tota die meditabántur.

Ego autem tamquam surdus non audiébam : * et sicut mutus non apériens os suum.

Et factus sum sicut homo non áudiens : * et non habens in ore suo redargutiónes.

Quóniam in te, Dómine, sperávi : * tu exáudies me, Dómine, Deus meus.

Quia dixi : Nequándo supergáudeant mihi inimíci mei : * et dum commoventur pedes mei, super me magna locúti sunt.

Quóniam ego in flagélla parátus sum : * et dolor meus in conspéctu meo semper.

Quóniam iniquitátem meam annuntiábo : * et cogitábo pro peccáto meo.

Inimíci autem mei vivunt, et confirmáti sunt super me : * et multiplicáti sunt qui odérunt me iníque.

Qui retríbuunt mala pro bonis, detrahébant mihi : * quóniam sequébar bonitátem.

Ne derelínquas me, Dómine, Deus meus : * ne discésseris a me.

Inténde in adjutórium meum, * Dómine, Deus salútis meæ.

Ant. Inténde in adjutórium meum, Dómine, virtus salútis meæ.

Ant. Amove, Dómine, * a me plagas tuas.

Psalmus 38

DIxi : Custódiam vias meas : * ut non delínquam in lingua mea.

Pósui ori meo custódiam, * cum consísteret peccátor advérsum me.

Obmútui, et humiliátus sum, et sílui a bonis : * et dolor meus renovátus est.

Concáluit cor meum intra me : * et in meditatióne mea exardéscet ignis.

Locútus sum in lingua mea : * Notum fac mihi, Dómine, finem meum.

Et númerum diérum meórum quis est : * ut sciam quid desit mihi.

Ecce, mensurábiles posuísti dies meos : * et substántia mea tamquam níhilum ante te.

Verúmtamen univérsa vánitas, * omnis homo vivens.

Verúmtamen in imágine pertránsit homo : * sed et frustra conturbátur.

Thesaurízat : * et ignórat cui congregábit ea.

Et nunc quæ est exspectátio mea? Nonne Dóminus? * Et substántia mea apud te est.

Ab ómnibus iniquitátibus meis érue me : * oppróbrium insipiénti dedísti me.

Obmútui, et non apérui os meum, quóniam tu fecísti : * ámove a me plagas tuas.

A fortitúdine manus tuæ ego defíci in increpatiónibus : * propter iniquitátem corripuísti hóminem.

Et tabéscere fecísti sicut aráneam ánimam ejus : * verúmtamen vane conturbátur omnis homo.

Exáudi oratiónem meam, Dómine, et deprecatiónem meam : * áuribus pércipe lácrimas meas.

Ne síleas : quóniam ádvena ego sum apud te, et peregrínus, * sicut omnes patres mei.

Remítte mihi, ut refrígerer priúsquam ábeam, * et ámplius non ero.

Ant. Amove, Dómine, a me plagas tuas.

In feriali Officio et in Festis :

℣. Deus, ne síleas a me, remítte mihi. ℟. Quóniam íncola ego sum apud te, et peregrínus.

In Officio novem Lectionum

Absolutio A vínculis.

Bened. 7 Evangélica léctio. 8 In Festis Domini : Divínum auxílium. In Festis B. M. V. : Cujus festum cólimus, ipsa Virgo. In Festis Sanctorum : Cujus (vel Quorum aut Quarum) festum cólimus. 9 Ad societátem (Per evangélica dicta.)

In Officio trium Lectionum

Absolutio Ipsíus píetas et.

In Feriis, cum Homilia :

Bened. 1 Evangélica. 2 Divínum. 3 Ad societátem.

In Feriis, sine Homilia :

Bened. 1 Deus Pater. 2 Christus perpétuæ. 3 Ignem sui amóris.

In Festis Sanctorum :

Bened. 1 Illic nos benedícat, qui sine fine vivit et regnat. ℟. Amen. 2 Cujus (vel Quorum aut Quarum). 3 Ad societátem.

AD LAUDES I

In Feriis extra Vigilias communes occurrentibus, atque in Festis.

(Pater noster et Ave.)

℣. Deus, in adjutórium.

Ant. Cantáte * † Dómino, et benedícite nómini ejus.

Psalmus 95

CAntáte † Dómino cánticum novum : * cantáte Dómino, omnis terra.

Cantáte Dómino, et benedícite nómini ejus : * annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus.

Quóniam magnus Dóminus, et laudábilis nimis : * terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii géntium dæmónia : * Dóminus autem cælos fecit.

Conféssio, et pulchritúdo in conspéctu ejus : * sanctimónia et magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afférte Dómino, pátriæ géntium, afférte Dómino glóriam et honórem : * afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, et introíte in átria ejus : * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur a fácie ejus univérsa terra : * dícite in géntibus quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terræ qui non commovébitur : * judicábit pópulos in æquitáte.

Læténtur cæli, et exsúltet terra : commoveátur mare, et plenitúdo ejus : * gaudébunt campi, et ómnia quæ in eis sunt.

Tunc exsultábunt ómnia ligna silvárum a fácie Dómini, quia venit : * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte, * et pópulos in veritáte tua.

Ant. Cantáte Dómino, et benedícite nómini ejus.

Ant. Salutáre vultus mei * Deus meus.

Psalmus 42

JUdica me, Deus, et discérne causam meam de gente non sancta, * ab hómine iniquo, et dolóso érue me.

Quia tu es, Deus, fortitúdo mea : * quare me repulísti? et quare tristis incédo, dum afflígit me inimicus?

Emitte lucem tuam et veritátem tuam : * ipsa me deduxérunt, et adduxérunt in montem sanctum tuum, et in tabernácula tua.

Et introíbo ad altáre Dei : * ad Deum, qui lætíficat juventútem meam.

Confitébor tibi in cíthara, Deus, Deus meus : * quare tristis es, ánima mea? et quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultus mei, et Deus meus.

Ant. Salutáre vultus mei Deus meus.

Ant. Illúmina, Dómine, * vultum tuum super nos.

Psalmus 66

DEus misereátur nostri, et benedicat nobis : * illúminet vultum suum super nos, et misereátur nostri.

Ut cognoscámus in terra viam tuam, * in ómnibus géntibus salutáre tuum.

Confiteántur tibi pópuli, Deus : * confiteántur tibi pópuli omnes.

Læténtur et exsúltent gentes : * quóniam júdicas pópulos in æquitáte, et gentes in terra dirigis.

Confiteántur tibi pópuli, Deus, confiteántur tibi pópuli omnes : * terra dedit fructum suum.

Benedícat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus : * et métuant eum omnes fines terræ.

Ant. Illúmina, Dómine, vultum tuum super nos.

Ant. Exaltáte * Regem sæculórum in opéribus vestris.

Canticum Tobiæ
Tob. 13, 1-10

MAgnus es, Dómine, in ætérnum, * et in ómnia sæcula regnum tuum :

Quóniam tu flagéllas, et salvas : dedúcis ad ínferos, et redúcis : * et non est qui effúgiat manum tuam.

Confitémini Dómino, fílii Israël, * et in conspéctu géntium laudáte eum :

Quóniam ídeo dispérsit vos inter gentes, quæ ignórant eum, * ut vos enarrétis mirabília ejus.

Et faciátis scire eos, * quia non est álius Deus omnípotens præter eum.

Ipse castigávit nos propter iniquitátes nostras : * et ipse salvábit nos propter misericórdiam suam.

Aspícite ergo quæ fecit nobíscum, et cum timóre et tremóre confitémini illi: * Regémque sæculórum exaltáte in opéribus vestris.

Ego autem in terra captivitátis meæ confitébor illi : * quóniam osténdit majestátem suam in gentem peccatrícem.

Convertímini ítaque, peccatóres, et fácite justítiam coram Deo, * credéntes quod fáciat vobíscum misericórdiam suam :

Ego autem, et ánima mea * in eo lætábimur.

Benedícite Dóminum, omnes elécti ejus : * ágite dies lætítiæ, et confitémini illi.

Ant. Exaltáte Regem sæculórum in opéribus vestris.

Ant. Laudáte * † nomen Dómini, qui statis in domo Dómini.

Psalmus 134

LAudáte † nomen Dómini, * laudáte, servi, Dóminum.

Qui statis in domo Dómini, * in átriis domus Dei nostri.

Laudáte Dóminum, quia bonus Dóminus : * psállite nómini ejus, quóniam suáve.

Quóniam Jacob elégit sibi Dóminus, * Israël in possessiónem sibi.

Quia ego cognóvi quod magnus est Dóminus, * et Deus noster præ ómnibus diis.

Omnia quæcúmque vóluit, Dóminus fecit in cælo, et in terra, * in mari, et in ómnibus abýssis.

Edúcens nubes ab extrémo terræ : * fúlgura in plúviam fecit.

Qui producit ventos de thesáuris suis : * qui percússit primogénita Ægýpti ab hómine usque ad pecus.

Et misit signa, et prodígia in médio tui, Ægýpte : * in Pharaónem, et in omnes servos ejus.

Qui percússit gentes multas : * et occídit reges fortes :

Sehon, regem Amorrhæórum, et Og, regem Basan, * et ómnia regna Chánaan.

Et dedit terram eórum hereditátem, * hereditátem Israël, pópulo suo.

Dómine, nomen tuum in ætérnum : * Dómine, memoriále tuum in generatiónem et generatiónem.

Quia judicábit Dóminus pópulum suum : * et in servis suis deprecábitur.

Simulácra géntium argéntum, et aurum, * ópera mánuum hóminum.

Os habent, et non loquéntur : * óculos habent, et non vidébunt.

Aures habent, et non áudient : * neque enim est spíritus in ore ipsórum.

Símiles illis fiant qui fáciunt ea : * et omnes qui confídunt in eis.

Domus Israël, benedícite Dómino : * domus Aaron, benedícite Dómino.

Domus Levi, benedícite Dómino : * qui timétis Dóminum, benedicite Dómino.

Benedíctus Dóminus ex Sion, * qui hábitat in Jerúsalem.

Ant. Laudáte nomen Dómini, qui statis in domo Dómini.

In Officio feriali

Capit. Rom. 13. 12-13

NOX præcéssit, dies autem appropinquávit. Abjiciámus ergo ópera tenebrárum, et induámur arma lucis. Sicut in die honéste ambulémus.

Hymnus

ALes diéi núntius
Lucem propínquam
præcínit :
Nos excitátor méntium
Jam Christus ad vitam
vocat.

Auférte, clamat, léctulos,
Ægro sopóre désides :
Castique, recti, ac sóbrii
Vigiláte, jam sum próximus.

Jesum ciámus vócibus,
Flentes, precántes, sóbrii :
Inténta supplicátio
Dormíre cor mundum vetat.

Tu, Christe, somnum díscute :
Tu rumpe noctis vincula :
Tu solve peccátum vetus,
Novúmque lumen íngere.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc et per omne sæculum. Amen.

℣. Repléti sumus mane misericórdia tua. ℟. Exsultávimus, et delectáti sumus.

Ad Bened. Ant. Eréxit nobis * Dóminus cornu salútis in domo David, púeri sui.

Reliqua ut in Ordinario. 11

AD LAUDES II

In Vigiliis communibus, quando fit Officium de Feria.

(Pater noster et Ave.)

℣. Deus, in adjutórium.

Ant. Dele iniquitátem meam.

Psalmus 50

MIserére mei, Deus, * secúndum magnam misericórdiam tuam.

Et secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum, * dele iniquitátem meam.

Amplius lava me ab iniquitáte mea : * et a peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognósco : * et peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, et malum coram te feci : * ut justificéris in sermónibus tuis, et vincas cum judicáris.

Ecce enim, in iniquitátibus concéptus sum : * et in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim, veritátem dilexísti : * incérta et occúlta sapiéntiæ tuæ manifestásti mihi.

Aspérges me hyssópo, et mundábor : * lavábis me, et super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium et lætítiam : * et exsultábunt ossa humiliáta.

Avérte fáciem tuam a peccátis meis : * et omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus : * et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

Ne projícias me a fácie tua: * et spíritum sanctum tuum ne áuferas a me.

Redde mihi lætítiam salutáris tui : * et spíritu principáli confírma me.

Docébo iníquos vias tuas : * et ímpii ad te converténtur.

Líbera me de sanguínibus, Deus, Deus salútis meæ : * et exsultábit lingua mea justítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries : * et os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam si voluísses sacrifícium, dedíssem útique : * holocáustis non delectáberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribulátus : * cor contrítum, et humiliátum, Deus, non despícies.

Benígne fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion : * ut ædificéntur muri Jerúsalem.

Tunc acceptábis sacrifícium justítiæ, oblatiónes, et holocáusta : * tunc impónent super altáre tuum vítulos.

Ant. Dele iniquitátem meam, Dómine, secúndum

multitúdinem miseratiónum tuárum.

Ant. Discérne causam meam.

Psalmus 42

JUdica me, Deus, et discérne causam meam de gente non sancta, * ab hómine iníquo, et dolóso érue me.

Quia tu es, Deus, fortitúdo mea : * quare me repulísti? et quare tristis incédo, dum afflígit me inimícus?

Emitte lucem tuam et veritátem tuam : * ipsa me deduxérunt, et adduxérunt in montem sanctum tuum, et in tabernácula tua.

Et introíbo ad altáre Dei : * ad Deum, qui lætíficat juventútem meam.

Confitébor tibi in cíthara, Deus, Deus meus : * quare tristis es, ánima mea? et quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultus mei, et Deus meus.

Ant. Discérne causam meam, Deus, de gente non sancta.

Ant. Deus misereátur. †

Psalmus 66

DEus misereátur † nostri, et benedícat nobis : * illúminet vultum suum super nos, et misereátur nostri.

Ut cognoscámus in terra viam tuam : * in ómnibus géntibus salutáre tuum.

Confiteántur tibi pópuli, Deus : * confiteántur tibi pópuli omnes.

Læténtur et exsúltent gentes : * quóniam júdicas pópulos in æquitáte, et gentes in terra dirigis.

Confiteántur tibi pópuli, Deus, confiteántur tibi pópuli omnes : * terra dedit fructum suum.

Benedícat nos Deus, Deus noster, benedícat nos Deus : * et métuant eum omnes fines terræ.

Ant. Deus misereátur nostri, et benedícat nos.

Ant. Corrípies me, Dómine.

Canticum Ezechiæ
Is. 38, 10-20

EGO dixi : In dimídio diérum meórum * vadam ad portas ínferi.

Quæsívi resíduum annórum meórum. * Dixi : Non vidébo Dóminum Deum in terra vivéntium.

Non aspíciam hóminem ultra, * et habitatórem quiétis.

Generátio mea abláta est, et convolúta est a me, * quasi tabernáculum pastórum.

Præcísa est, velut a texénte, vita mea : dum adhuc ordírer, succídit me : *

de mane usque ad vésperam fínies me.

Sperábam usque ad mane, * quasi leo sic contrívit ómnia ossa mea :

De mane usque ad vésperam fínies me : * sicut pullus hirúndinis sic clamábo, meditábor ut colúmba :

Attenuáti sunt óculi mei, * suspiciéntes in excélsum :

Dómine, vim pátior, respónde pro me. * Quid dicam, aut quid respondébit mihi, cum ipse fécerit?

Recogitábo tibi omnes annos meos * in amaritúdine ánimæ meæ.

Dómine, si sic vívitur, et in tálibus vita spíritus mei, corrípies me, et vivificábis me. * Ecce, in pace amaritúdo mea amaríssima :

Tu autem eruísti ánimam meam ut non períret : * projecísti post tergum tuum ómnia peccáta mea.

Quia non inférnus confitébitur tibi, neque mors laudábit te : * non exspectábunt qui descéndunt in lacum, veritátem tuam.

Vivens vivens ipse confitébitur tibi, sicut et ego hódie : * pater fíliis notam fáciet veritátem tuam.

Dómine, salvum me fac, * et psalmos nostros cantábimus cunctis diébus vitæ nostræ in domo Dómini.

Ant. Corrípies me, Dómine, et vivificábis me.

Ant. Laudáte. †

Psalmus 134

LAudáte † nomen Dómini, * laudáte, servi, Dóminum.

Qui statis in domo Dómini, * in átriis domus Dei nostri.

Laudáte Dóminum, quia bonus Dóminus : * psállite nómini ejus, quóniam suáve.

Quóniam Jacob elégit sibi Dóminus, * Israël in possessiónem sibi.

Quia ego cognóvi quod magnus est Dóminus : * et Deus noster præ ómnibus diis.

Omnia quæcúmque vóluit, Dóminus fecit in cælo, et in terra, * in mari, et in ómnibus abýssis.

Edúcens nubes ab extrémo terræ : * fúlgura in plúviam fecit.

Qui producit ventos de thesáuris suis : * qui percússit primogénita Ægýpti ab hómine usque ad pecus.

Et misit signa, et prodígia in médio tui, Ægýpte : * in Pharaónem, et in omnes servos ejus.

Qui percússit gentes multas : * et occídit reges fortes :

Sehon, regem Amorrhæórum, et Og, regem Basan,* et ómnia regna Chánaan.

Et dedit terram eórum hereditátem, * hereditátem Israël, pópulo suo.

Dómine, nomen tuum in ætérnum : * Dómine, memoriále tuum in generatiónem et generatiónem.

Quia judicábit Dóminus pópulum suum : * et in servis suis deprecábitur.

Simulácra géntium argéntum, et aurum, * ópera mánuum hóminum.

Os habent, et non loquéntur : * óculos habent, et non vidébunt.

Aures habent, et non áudient : * neque enim est spíritus in ore ipsórum.

Símiles illis fiant qui fáciunt ea : * et omnes qui confídunt in eis.

Domus Israël, benedícite Dómino : * domus Aaron, benedícite Dómino.

Domus Levi, benedícite Dómino : * qui timétis Dóminum, benedícite Dómino.

Benedíctus Dóminus ex Sion, * qui hábitat in Jerúsalem.

Ant. Laudáte Dóminum, quia benígnus est, et in servis suis deprecábitur.

Capit. Rom. 13, 12-13

NOX præcéssit, dies autem appropinquávit. Abjiciámus ergo ópera tenebrárum, et induámur arma lucis. Sicut in die honéste ambulémus.

Hymnus

ALes diéi núntius
Lucem propínquam præcínit :
Nos excitátor méntium
Jam Christus ad vitam vocat.

Auférte, clamat, léctulos,
Ægro sopóre désides :
Castíque, recti, ac sóbrii
Vigiláte, jam sum próximus.

Jesum ciámus vócibus,
Flentes, precántes, sóbrii :
Inténta supplicátio
Dormíre cor mundum vetat.

Tu, Christe, somnum díscute :
Tu rumpe noctis víncula :
Tu solve peccátum vetus,
Novúmque lumen íngere.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc et per omne sæculum. Amen.

℣. Repléti sumus mane misericórdia tua. ℟. Exsultávimus, et delectáti sumus.

Ad Bened. Ant. Eréxit nobis * Dóminus cornu salútis in domo David, púeri tui.

Expleto Cantico ac repetita Antiphona, dicuntur sequentes

Preces feriales

KYrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster, quod dicitur a solo Hebdomadario totum clara voce, usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo. ℣. Ego dixi : Dómine, miserére mei. ℟. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi. ℣. Convértere, Dómine, úsquequo? ℟. Et deprecábilis esto super servos tuos. ℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te. ℣. Sacerdótes tui induántur justítiam. ℟. Et sancti tui exsúltent. ℣. Orémus pro beatíssimo Papa nostro N. ℟. Dóminus consérvet eum, et vivíficet eum, et beátum fáciat eum in terra, et non tradat eum in ánimam inimicórum ejus. ℣. Orémus et pro Antístite nostro N. ℟. Stet et pascat in fortitúdine tua, Dómine, in sublimitáte nóminis tui. ℣. Dómine, salvum fac regem. ℟. Et exáudi nos in die, qua invocavérimus te. ℣. Salvum fac pópulum tuum, Dómine, et bénedic hereditáti tuæ. ℟. Et rege eos, et extólle illos usque in ætérnum. ℣. Meménto Congregatiónis tuæ. ℟. Quam possedísti ab inítio. ℣. Fiat pax in virtúte tua. ℟. Et abundántia in túrribus tuis. ℣. Orémus pro benefactóribus nostris. ℟. Retribúere dignáre, Dómine, ómnibus, nobis bona faciéntibus propter nomen tuum, vitam ætérnam. Amen. ℣. Orémus pro fidélibus defúnctis. ℟. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine, et lux perpétua lúceat eis. ℣. Requiéscant in pace. ℟. Amen. ℣. Pro frátribus nostris abséntibus. ℟. Salvos fac servos tuos, Deus meus, sperántes in te. ℣. Pro afflictis et captívis. ℟. Líbera eos, Deus Israël, ex ómnibus tribulatiónibus suis. ℣. Mitte eis, Dómine, auxílium de sancto. ℟. Et de Sion tuére eos. ℣. Dómine, Deus virtútum, convérte nos. ℟. Et osténde fáciem tuam, et salvi érimus. ℣. Exsúrge, Christe, ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum. ℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Reliqua ut in Ordinario. 9

AD PRIMAM

Pater, Ave et Credo.

℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus

JAM lucis orto sídere,
Deum precémur súpplices,
Ut in diúrnis áctibus
Nos servet a nocéntibus.

Linguam refrénans témperet,
Ne litis horror ínsonet :
Visum fovéndo cóntegat,
Ne vanitátes háuriat.

Sint pura cordis íntima,
Absístat et vecórdia :
Carnis terat supérbiam
Potus cibíque párcitas.

Ut, cum dies abscésserit
Noctémque sors redúxerit,
Mundi per abstinéntiam
Ipsi canámus glóriam.

* Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc et per omne sæculum. Amen.

Ant. Deus meus.

Psalmus 24, i

AD te, Dómine, levávi ánimam meam : * Deus meus, in te confído, non erubéscam.

Neque irrídeant me inimíci mei : * étenim univérsi, qui sústinent te, non confundéntur.

Confundántur omnes iníqua agéntes * supervácue.

Vias tuas, Dómine, demónstra mihi : * et sémitas tuas édoce me.

Dírige me in veritáte tua, et doce me : * quia tu es, Deus, salvátor meus, et te sustínui tota die.

Reminíscere miseratiónum tuárum, Dómine, * et misericordiárum tuárum, quæ a sæculo sunt.

Delícta juventútis meæ, * et ignorántias meas ne memíneris.

Secúndum misericórdiam tuam meménto mei tu : * propter bonitátem tuam, Dómine.

Psalmus 24, ii

DUlcis et rectus Dóminus : * propter hoc legem dabit delinquéntibus in via.

Díriget mansuétos in judício : * docébit mites vias suas.

Univérsæ viæ Dómini, misericórdia et véritas, * requiréntibus testaméntum ejus et testimónia ejus.

Propter nomen tuum, Dómine, propitiáberis peccáto meo : * multum est enim.

Quis est homo qui timet Dóminum? * legem státuit ei in via, quam elégit.

Anima ejus in bonis demorábitur : * et semen ejus hereditábit terram.

Firmaméntum est Dóminus timéntibus eum : * et testaméntum ipsíus ut manifestétur illis.

Psalmus 24, iii

OCuli mei semper ad Dóminum : * quóniam ipse evéllet de láqueo pedes meos.

Réspice in me, et miserére mei : * quia únicus et pauper sum ego.

Tribulatiónes cordis mei multiplicátæ sunt : * de necessitátibus meis érue me.

Vide humilitátem meam, et labórem meum : * et dimítte univérsa delícta mea.

Réspice inimícos meos quóniam multiplicáti sunt, * et ódio iníquo odérunt me.

Custódi ánimam meam, et érue me : * non erubéscam quóniam sperávi in te.

Innocéntes et recti adhæsérunt mihi : * quia sustínui te.

Líbera, Deus, Israël, * ex ómnibus tribulatiónibus suis.

¶ Quando ad Laudes dictus fuerit Ps. 50 Miserére, hic subjungitur seq. Ps. 95, qui in Laudibus locum non habuit.

Psalmus 95

CAntáte Dómino cánticum novum : * cantáte Dómino, omnis terra.

Cantáte Dómino, et benedícite nómini ejus : * annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus.

Quóniam magnus Dóminus, et laudábilis nimis : * terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii géntium dæmónia : * Dóminus autem cælos fecit.

Conféssio, et pulchritúdo in conspéctu ejus : * sanctimónia et magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afférte Dómino, pátriæ géntium, afférte Dómino glóriam et honórem : * afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, et introíte in átria ejus : * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur a fácie ejus univérsa terra : * dícite in géntibus quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terræ qui non commovébitur : * judicábit pópulos in æquitáte.

Læténtur cæli, et exsúltet terra : commoveátur mare, et plenitúdo ejus : * gaudébunt campi, et ómnia quæ in eis sunt.

Tunc exsultábunt ómnia ligna silvárum a fácie Dómini, quia venit : * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte, * et pópulos in veritáte sua.

Secus vero, tribus Psalmis expletis, statim dicitur Ant.

Ant. Deus meus, in te confído, non erubéscam.

In Officio Festi vel Octavæ :

Capitulum 1 Tim. 1, 17

REgi sæculórum immortáli et invisíbili, soli Deo honor et glória in sæcula sæculórum. Amen.

In omnibus autem Feriis et in Vigíliis communibus :

Capitulum Zach. 8, 19

PAcem et veritátem dilígite, ait Dóminus omnipotens.

℟. br. Christe, Fili Dei vivi, * Miserére nobis. Christe. ℣. *Qui sedes ad déxteram Patris.* Miserére nobis. Glória Patri. Christe. ℣. Exsúrge, Christe, ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum.

Preces dominicales et feriales (si dicendæ sint)

KYrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Credo in Deum secreto usque ad ℣. Carnis resurrectiónem. ℟. Vitam ætérnam. Amen. ℣. Et ego ad te, Dómine, clamávi. ℟. Et mane orátio mea prævéniet te. ℣. Repleátur os meum laude. ℟. Ut cantem glóriam tuam, tota die magnitúdinem tuam. ℣. Dómine, avérte fáciem tuam a peccátis meis. ℟. Et omnes iniquitátes meas dele. ℣. Cor mundum crea in me, Deus. ℟. Et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis. ℣. Ne projícias me a fácie tua. ℟. Et spíritum sanctum tuum ne áuferas a me. ℣. Redde mihi lætítiam salutáris tui. ℟. Et spíritu principáli confírma me.

In Precibus ferialibus tantum

℣. Eripe me, Dómine, ab hómine malo. ℟. A viro iníquo éripe me. ℣. Eripe me de inimícis meis, Deus meus. ℟. Et ab insurgéntibus in me líbera me. ℣. Eripe me de operántibus iniquitátem. ℟. Et de viris sánguinum salva me. ℣. Sic psalmum dicam nómini tuo in sæculum sæculi. ℟. Ut reddam vota mea de die in diem. ℣. Exáudi nos, Deus, salutáris noster. ℟. Spes ómnium fínium terræ, et in mari longe. ℣. Deus, in adjutórium meum inténde. ℟. Dómine, ad adjuvándum me festína. ℣. Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortális. ℟. Miserére nobis. ℣. Bénedic, ánima mea, Dómino. ℟. Et ómnia, quæ intra me sunt, nómini

sancto ejus. ℣. Bénedic, ánima mea, Dómino. ℟. Et noli oblivísci omnes retributiónes ejus. ℣. Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis. ℟. Qui sanat omnes infirmitátes tuas. ℣. Qui rédimit de intéritu vitam tuam. ℟. Qui corónat te in misericórdia et miseratiónibus. ℣. Qui replet in bonis desidérium tuum. ℟. Renovábitur ut áquilæ juvéntus tua.

In utrisque Precibus

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

Confíteor. Misereátur. Indulgéntiam.

℣. Dignáre, Dómine, die isto. ℟. Sine peccáto nos custódire. ℣. Miserére nostri, Dómine. ℟. Miserére nostri. ℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te. ℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.

Orémus. Oratio

DOmine, Deus omnípotens, qui ad princípium hujus diéi nos perveníre fecísti : tua nos hódie salva virtúte; ut in hac die ad nullum declinémus peccátum, sed semper ad tuam justítiam faciéndam nostra procédant elóquia, dirigántur cogitatiónes et ópera. Per Dóminum. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobíscum.

℣. Benedicámus Dómino.

In Choro Martyrologium.

℣. Pretiósa in conspéctu Dómini. ℟. Mors Sanctórum ejus.

Et absolute, sine Orémus :

Oratio

SAncta María, et omnes Sancti intercédant pro nobis ad Dóminum, ut nos mereámur ab eo adjuvári et salvári, qui vivit et regnat in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

℣. Deus, in adjutórium meum inténde. ℟. Dómine, ad adjuvándum me festína. Et dicitur ter; ultimo additur : Glória Patri. Sicut erat.

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo. ℣. Réspice in servos tuos, Dómine, et in ópera tua, et dírige fílios eórum. ℟. Et sit splendor Dómini, Dei nostri, super nos, et ópera mánuum nostrárum dírige super nos, et opus mánuum nostrárum dírige.

℣. Glória Patri. ℟. Sicut erat.

Orémus. Oratio

DIrígere et sanctificáre, régere et gubernáre dignáre, Dómine Deus, Rex cæli et terræ, hódie corda et córpora nostra, sensus, sermónes et actus nostros in lege tua, et in opéribus mandatórum tuórum : ut hic, et in ætérnum, te auxiliánte, salvi et líberi esse mereámur, Salvátor mundi : Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

℣. Jube, domne.

Bened. Dies et actus nostros in sua pace dispónat Dóminus omnípotens.

℟. Amen.

In Officio feriali

DOminus autem dírigat corda et córpora nostra in caritáte Dei, et patiéntia Christi. Tu autem.

E Proprio de Tempore

Pro Oct. S. Joannis Bapt.

REges vidébunt, et consúrgent príncipes et adorábunt Dóminum, Deum tuum et Sanctum Israël, qui elégit te.

Pro Invent. S. Stephani

POsitis autem génibus, clamávit voce magna, dicens : Dómine, ne státuas illis hoc peccátum. Et cum hoc dixísset, obdormívit in Dómino.

E Communi Sanctorum

Pro Apostolis

IBant Apóstoli gaudéntes a conspéctu concílii, quóniam digni hábiti sunt pro nómine Jesu contumélíam pati.

Pro Martyre

JUstus cor suum trádidit ad vígilándum dilúculo ad Dóminum, qui fecit illum, et in conspéctu Altíssimi deprecábitur.

Pro pluribus Martyribus

FUlgébunt justi, et tamquam scintíllæ in arundinéto discúrrent. Judicábunt natiónes, et dominabúntur pópulis : et regnábit Dóminus illórum in perpétuum.

Pro Conf. Pont.

FUngi sacerdótio, et habére laudem in nómine ipsíus, et offérre illi incénsum dignum in odórem suavitátis.

Pro Conf. non Pont.

JUstum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam sanctórum; honestávit illum in labóribus, et complévit labóres illíus.

Pro Vírgine Martyre

DOmine, Deus meus, exaltásti super terram habitatiónem meam, et pro morte deíluénte deprecáta sum. Invocávi Dóminum, Patrem Dómini mei, ut non derelínquat me in die tribulatiónis meæ, et in témpore superbórum sine adjutório.

Pro Virgine non Martyre

OQuam pulchra est casta generátio cum claritáte! immortális est enim memória illíus : quóniam apud Deum nota est, et apud hómines.

Pro Martyre tantum

LAudábit usque ad mortem ánima mea Dóminum, quóniam éruis sustinéntes te, et líberas eos de manu angústiæ, Dómine, Deus noster.

Pro nec Virg. nec Mart.

MUltæ fíliæ congregavérunt divítias : tu supergréssa es univérsas. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo : múlier tímens Dóminum, ípsa laudábitur.

Pro Dedicatione Ecclesíæ

ET abstérget Deus omnem lácrimam ab óculis eórum : et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quía príma abiérunt. Et dixit qui sedébat in throno : Ecce, nova fácio ómnia.

In Officiis B. Maríæ V.

IN platéis sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans odórem dedi : quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

℣. Benedícite. ℟. Deus.

Benedictio Dóminus nos benedícat, et ab omni malo deféndat, et ad vitam perdúcat ætérnam. Et fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen.

Deinde dicitur tantum Pater noster secreto, nisi sequatur alia Hora.

AD TERTIAM

Pater noster et Ave.

℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus

NUnc, Sancte, nobis, Spíritus,
Unum Patri cum Fílio,
Dignáre promptus íngeri
Nostro refúsus péctori.

Os, língua, mens, sensus, vígor,
Confessiónem pérsonent,
Flamméscat igne cáritas,
Accéndat ardor próximos.

* Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

Ant. Respéxit me.

Psalmus 39, i

XspéctansXspectávi Dóminum, * et inténdit mihi.

Et exaudívit preces meas : * et edúxit me de lacu misériæ, et de luto fæcis.

Et státuit super petram pedes meos : * et diréxit gressus meos.

Et immísit in os meum cánticum novum, * carmen Deo nostro.

Vidébunt multi, et timébunt : * et sperábunt in Dómino.

Beátus vir, cujus est nomen Dómini spes ejus : * et non respéxit in vanitátes et insánias falsas.

Multa fecísti tu, Dómine, Deus meus, mirabília tua : * et cogitatiónibus tuis non est qui símilis sit tibi.

Annuntiávi et locútus sum : * multiplicáti sunt super número.

Sacrifícium et oblatiónem nolúisti : * aures autem perfecísti mihi.

Holocáustum et pro peccáto non postulásti : * tunc dixi : Ecce, vénio.

In cápite libri scriptum est de me ut fácerem voluntátem tuam : * Deus meus, vólui, et legem tuam in médio cordis mei.

Psalmus 39, ii

ANnuntiávi justítiam tuam in ecclésia magna, * ecce, lábia mea non prohibébo : Dómine, tu scisti.

Justítiam tuam non abscóndi in corde meo : * veritátem tuam et salutáre tuum dixi.

Non abscóndi misericórdiam tuam et veritátem tuam * a concílio multo.

Tu autem, Dómine, ne longe fácias miseratiónes tuas a me : * misericórdia tua et véritas tua semper suscepérunt me.

Quóniam circumdedérunt me mala, quorum non est númerus : * comprehendérunt me iniquitátes meæ, et non pótui ut vidérem.

Multiplicátæ sunt super capillos cápitis mei : * et cor meum derelíquit me.

Compláceat tibi, Dómine, ut éruas me : * Dómine, ad adjuvándum me réspice.

Psalmus 39, iii

COnfundántur et revereántur simul, qui quærunt ánimam meam, * ut áuferant eam.

Convertántur retrórsum, et revereántur, * qui volunt mihi mala.

Ferant conféstim confusiónem suam, * qui dicunt mihi : Euge, euge.

Exsúltent et læténtur super te omnes quæréntes te : * et dicant semper : Magnificétur Dóminus : qui díligunt salutáre tuum.

Ego autem mendícus sum, et pauper : * Dóminus sollícitus est mei.

Adjútor meus, et protéctor meus tu es : * Deus meus, ne tardáveris.

Ant. Respéxit me, et exaudívit deprecatiónem meam Dóminus.

In Officio feriali

Capitulum Jer. 17, 14

SAna me, Dómine, et sanábor : salvum me fac, et salvus ero : quóniam laus mea tu es.

℟. br. Sana ánimam meam, * Quia peccávi tibi. Sana. ℣. Ego dixi : Dómine, miserére mei. Quia. Glória Patri. Sana.

℣. Adjútor meus esto, ne derelínquas me. ℟. Neque despícias me, Deus, salutáris meus.

In Vigiliis communibus :

Preces feriales

KYrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo. ℣. Dómine, Deus virtútum, convérte nos. ℟. Et osténde fáciem tuam, et salvi érimus. ℣. Exsúrge, Christe, ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum. ℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Reliqua ut in Ordinario. 19

AD SEXTAM

Pater noster et Ave.

℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus

RECtor potens, verax Deus,
Qui témperas rerum vices,
Splendóre mane illúminas,
Et ígnibus merídiem :

Exstíngue flammas lítium,
Aufer calórem nóxium,
Confer salútem córporum,
Verámque pacem córdium.

* Præsta, Pater piissime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

Ant. Suscepísti me, Dómine.

Psalmus 40

EÁtus qui intélligit super egénum, et páuperem : * in die mala liberábit eum Dóminus.

Dóminus consérvet eum, et vivíficet eum, et beá-

tum fáciat eum in terra : * et non tradat eum in ánimam inimicórum ejus.

Dóminus opem ferat illi super lectum dclóris ejus : * univérsum stratum ejus versásti in infirmitáte ejus.

Ego dixi : Dómine, miserére mei : * sana ánimam meam, quia peccávi tibi.

Inimíci mei dixérunt mala mihi : * Quando moriétur, et períbit nomen ejus?

Et si ingrediebátur ut vidéret, vana loquebátur : * cor ejus congregávit iniquitátem sibi.

Egrediebátur foras, * et loquebátur in idípsum.

Advérsum me susurrábant omnes inimíci mei : * advérsum me cogitábant mala mihi.

Verbum iníquum constituérunt advérsum me : * Numquid qui dormit non adjíciet ut resúrgat?

Etenim homo pacis meæ, in quo sperávi : * qui edébat panes meos, magnificávit super me supplantatiónem.

Tu autem, Dómine, miserére mei, et resúscita me : * et retríbuam eis.

In hoc cognóvi quóniam voluísti me : * quóniam non gaudébit inimícus meus super me.

Me autem propter innocéntiam suscepísti : * et confirmásti me in conspéctu tuo in ætérnum.

Benedíctus Dóminus, Deus Israël, a sæculo et usque in sæculum : * fiat, fiat.

Psalmus 41, i

QUemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum : * ita desíderat ánima mea ad te, Deus.

Sitívit ánima mea ad Deum fortem vivum : * quando véniam, et appárebo ante fáciem Dei?

Fuérunt mihi lácrimæ meæ panes die ac nocte : * dum dícitur mihi quotídie : Ubi est Deus tuus?

Hæc recordátus sum, et effúdi in me ánimam meam : * quóniam transíbo in locum tabernáculi admirábilis, usque ad domum Dei.

In voce exsultatiónis, et confessiónis : * sonus epulántis.

Quare tristis es, ánima mea? * et quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultus mei, et Deus meus.

Psalmus 41, ii

AD meipsum ánima mea conturbáta est : * propterea memor ero tui de terra Jordánis, et Hermóniim a monte módico.

Abýssus abýssum invocat, * in voce cataractárum tuárum.

Omnia excélsa tua, et fluctus tui * super me transiérunt.

In die mandávit Dóminus misericórdiam suam : * et nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitæ meæ, * dicam Deo : Suscéptor meus es.

Quare oblítus es mei? * et quare contristátus incédo, dum afflígit me inimícus?

Dum confringúntur ossa mea, * exprobravérunt mihi qui tríbulant me inimíci mei.

Dum dicunt mihi per síngulos dies : Ubi est Deus tuus? * quare tristis es, ánima mea? et quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultus mei, et Deus meus.

Ant. Suscepísti me, Dómine : et confirmásti me in conspéctu tuo.

In Officio feriali

Capitulum Rom. 13, 8

NEmini quidquam debeátis, nisi ut ínvicem diligátis : qui enim díligit próximum, legem implévit.

℟. br. Benedícam Dóminum * In omni témpore. Benedícam. ℣. Semper laus ejus in ore meo. In omni témpore. Glória Patri. Benedícam. ℣. Dóminus regit me, et nihil mihi déerit. ℟. In loco páscuæ ibi me collocávit.

In Vigiliis communibus :

Preces feriales

KYrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo. ℣. Dómine, Deus virtútum, convérte nos. ℟. Et osténde fáciem tuam, et salvi érimus. ℣. Exsúrge, Christe, ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum. ℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Reliqua ut in Ordinario. 20

AD NONAM

Pater noster et Ave.

℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus

RErum, Deus, tenax vigor,
Immótus in te pérmanens,
Lucis diúrnæ témpora
Succéssibus detérminans :

Largíre lumen véspere,
Quo vita nusquamdécidat,
Sed prædmium mortis sacræ
Perénnis instet glória.

* Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

Ant. Salvásti nos.

Psalmus 43, i

Eus, áuribus nostris audívimus : * patres nostri annuntiavérunt nobis.

Opus, quod operátus es in diébus eórum, * et in diébus antíquis.

Manus tua gentes dispérdidit, et plantásti eos : * afflixísti pópulos, et expulísti eos.

Nec enim in gládio suo possedérunt terram, * et bráchium eórum non salvávit eos :

Sed déxtera tua, et bráchium tuum, et illuminátio vultus tui : * quóniam complacuísti in eis.

Tu es ipse Rex meus et Deus meus : * qui mandas salútes Jacob.

In te inimícos nostros ventilábimus cornu : * et in nómine tuo spernémus insurgéntes in nobis.

Non enim in arcu meo sperábo : * et gládius meus non salvábit me.

Salvásti enim nos de affligéntibus nos : * et odiéntes nos confudísti.

In Deo laudábimur tota die : * et in nómine tuo confitébimur in sæculum.

Psalmus 43, ii

NUnc autem repulísti et confudísti nos : * et non egrediéris, Deus, in virtútibus nostris.

Avertísti nos retrórsum post inimícos nostros : * et qui odérunt nos, diripiébant sibi.

Dedísti nos tamquam oves escárum : * et in géntibus dispersísti nos.

Vendidísti pópulum tuum sine prétio : * et non fuit multitúdo in commutatiónibus eórum.

Posuísti nos oppróbrium vicínis nostris, * subsannatiónem et derísum his, qui sunt in circúitu nostro.

Posuísti nos in similitúdinem géntibus : * commotiónem cápitis in pópulis.

Tota die verecúndia mea contra me est, * et confúsio faciéi meæ coopéruit me.

A voce exprobrántis, et obloquéntis : * a fácie inimíci, et persequéntis.

Hæc ómnia venérunt super nos, nec oblíti sumus te : * et iníque non égimus in testaménto tuo.

Et non recéssit retro cor nostrum : * et declinásti sémitas nostras a via tua :

Quóniam humiliásti nos in loco afflictiónis, * et coopéruit nos umbra mortis.

Psalmus 43, iii

SI oblíti sumus nomen Dei nostri, * et si expándimus manus nostras ad deum aliénum :

Nonne Deus requíret ista? * ipse enim novit abscóndita cordis.

Quóniam propter te mortificámur tota die : * æstimáti sumus sicut oves occisiónis.

Exsúrge, quare obdórmis, Dómine? * exsúrge, et ne repéllas in finem.

Quare fáciem tuam avértis, * oblivísceris inópiæ nostræ, et tribulatiónis nostræ?

Quóniam humiliáta est in púlvere ánima nostra : * conglutinátus est in terra venter noster.

Exsúrge, Dómine, ádjuva nos : * et rédime nos propter nomen tuum.

Ant. Salvásti nos, Dómine : et in nómine tuo confitébimur in sæcula.

In Officio feriali

Capit. 1 Petri 1, 17-19

IN timóre incolátus vestri témpore conversámini : sciéntes quod non corruptibílibus auro vel argénto redémpti estis, sed pretióso sánguine quasi Agni immaculáti Christi.

℟. br. Rédime me, Dómine, * Et miserére mei.

Rédime me, Dómine, et miserére mei. ℣. Pes enim meus stetit in via recta. Et miserére mei. Glória Patri. Rédime. ℣. Ab occúltis meis munda me, Dómine. ℟. Et ab aliénis parce servo tuo.

In Vigiliis communibus :

Preces feriales

KYrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo. ℣. Dómine, Deus virtútum, convérte nos. ℟. Et osténde fáciem tuam, et salvi érimus. ℣. Exsúrge, Christe, ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum. ℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Reliqua ut in Ordinario. 22

AD VESPERAS

Pater noster et Ave.

℣. Deus, in adjutórium.

Ant. Qui hábitas in cælis, * miserére nobis.

Psalmus 122

AD te levávi óculos meos, * qui hábitas in cælis.

Ecce, sicut óculi servórum * in mánibus dominórum suórum.

Sicut óculi ancíllæ in mánibus dóminæ suæ : * ita óculi nostri ad Dóminum, Deum nostrum, donec misereátur nostri.

Miserére nostri, Dómine, miserére nostri : * quia multum repléti sumus despectióne :

Quia multum repléta est ánima nostra : * oppróbrium abundántibus, et despéctio supérbis.

Ant. Qui hábitas in cælis, miserére nobis.

Ant. Adjutórium nostrum * in nómine Dómini.

Psalmus 123

NIsi quia Dóminus erat in nobis, dicat nunc Israël : * nisi quia Dóminus erat in nobis.

Cum exsúrgerent hómines in nos, * forte vivos deglutíssent nos :

Cum irascerétur furor eórum in nos, * fórsitan aqua absorbuísset nos.

Torréntem pertransívit ánima nostra : * fórsitan pertransísset ánima nostra aquam intolerábilem.

Benedíctus Dóminus * qui non dedit nos in captiónem déntibus eórum.

Anima nostra sicut passer erépta est * de láqueo venántium :

Láqueus contrítus est, * et nos liberáti sumus.

Adjutórium nostrum in nómine Dómini, * qui fecit cælum et terram.

Ant. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.

Ant. In circúitu pópuli sui * Dóminus, ex hoc nunc et usque in sæculum.

Psalmus 124

QUI confídunt in Dómino, sicut mons Sion : * non commovébitur in ætérnum, qui hábitat in Jerúsalem.

Montes in circúitu ejus : * et Dóminus in circúitu pópuli sui, ex hoc nunc et usque in sæculum.

Quia non relínquet Dóminus virgam peccatórum super sortem justórum : * ut non exténdant justi ad iniquitátem manus suas.

Bénefac, Dómine, bonis, * et rectis corde.

Declinántes autem in obligatiónes addúcet Dóminus cum operántibus iniquitátem : * pax super Israël.

Ant. In circúitu pópuli sui Dóminus, ex hoc nunc et usque in sæculum.

Ant. Magnificávit Dóminus * fácere nobíscum : facti sumus lætántes.

Psalmus 125

IN converténdo Dóminus captivitátem Sion : * facti sumus sicut consoláti :

Tunc replétum est gáudio os nostrum : * et lingua nostra exsultatióne.

Tunc dicent inter gentes : * Magnificávit Dóminus fácere cum eis.

Magnificávit Dóminus fácere nobíscum : * facti sumus lætántes.

Convérte, Dómine, captivitátem nostram, * sicut torrens in Austro.

Qui séminant in lácrimis, * in exsultatióne metent.

Eúntes ibant et flebant, * mitténtes sémina sua.

Veniéntes autem vénient cum exsultatióne, * portántes manípulos suos.

Ant. Magnificávit Dóminus fácere nobíscum : facti sumus lætántes.

Ant. Dóminus ædíficet * nobis domum, et custódiat civitátem.

Psalmus 126

NIsi Dóminus ædificáverit domum, * in vanum laboravérunt qui ædíficant eam.

Nisi Dóminus custodíerit civitátem, * frustra vígilat qui custódit eam.

Vanum est vobis ante lucem súrgere : * súrgite postquam sedéritis, qui manducátis panem dolóris.

Cum déderit diléctis suis somnum : * ecce heréditas Dómini fílii : merces, fructus ventris.

Sicut sagíttæ in manu poténtis : * ita fílii excussórum.

Beátus vir, qui implévit desidérium suum ex ipsis : * non confundétur cum loquétur inimícis suis in porta.

Ant. Dóminus ædíficet nobis domum, et custódiat civitátem.

In Officio feriali

Capitulum 2 Cor. 1, 3-4

BEnedíctus Deus, et Pater Dómini nostri Jesu Christi, Pater misericordiárum, et Deus totíus consolatiónis, qui consolátur nos in omni tribulatióne nostra.

Hymnus

TEllúris alme Cónditor
Mundi solum qui séparans,
Pulsis aquæ moléstiis,
Terram dedisti immóbilem :

Ut germen aptum próferens,
Fulvis decóra flóribus,
Fecúnda fructu sísteret,
Pastúmque gratum rédderet.

Mentis perústæ vúlnera
Munda viróre grátiæ :
Ut facta flétu díluat,
Motúsque pravos átterat.

Jussis tuis obtémperet :
Nullis malis appróximet :
Bonis repléri gáudeat,
Et mortis ictum nésciat.

Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

℣. Dirigátur, Dómine, orátio mea. ℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Ad Magnif. Ant. Exsultávit * spíritus meus in Deo, salutári meo.

Reliqua ut in Ordinario. 22

AD COMPLETORIUM

℣. Jube, domne.

Bened. Noctem quiétam, et finem perféctum concédat nobis Dóminus omnípotens. ℟. Amen.

Lectio br. 1 Petri 5, 8-9

FRatres : Sóbrii estóte, et vigiláte : quia adversárius vester diábolus tamquam leo rúgiens circuit, quærens quem dévoret : cui resístite fortes in fide. Tu autem, Dómine, miserére nobis. ℟. Deo grátias.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

Paternoster, quod dicitur totum secreto.

Confíteor. Misereátur. Indulgéntiam.

℣. Convérte nos, Deus, salutáris noster. ℟. Et avérte iram tuam a nobis.

℣. Deus, in adjutórium.

Ant. Tu Dómine.

Psalmus 11

SAlvum me fac, Dómine, quóniam defécit sanctus : * quóniam diminútæ sunt veritátes a fíliis hóminum.

Vana locúti sunt unusquísque ad próximum suum : * lábia dolósa, in corde et corde locúti sunt.

Dispérdat Dóminus univérsa lábia dolósa, * et linguam magníloquam.

Qui dixérunt : Linguam nostram magnificábimus, lábia nostra a nobis sunt, * quis noster Dóminus est?

Propter misériam ínopum, et gémitum páuperum, * nunc exsúrgam, dicit Dóminus.

Ponam in salutári : * fiduciáliter agam in eo.

Elóquia Dómini, elóquia casta : * argéntum igne examinátum, probátum terræ purgátum séptuplum.

Tu, Dómine, servábis nos : et custódies nos * a generatióne hac in ætérnum.

In circúitu ímpii ámbulant : * secúndum altitúdinem tuam multiplicásti fílios hóminum.

Psalmus 12

USquequo, Dómine, oblivíscéris me in finem? * Usquequo avértis fáciem tuam a me?

Quámdiu ponam consília in ánima mea, * dolórem in corde meo per diem?

Usquequo exaltábitur inimícus meus super me? * réspice, et exáudi me, Dómine, Deus meus.

Illúmina óculos meos ne umquam obdórmiam in morte : * nequándo dicat inimícus meus : Præválui advérsus eum.

Qui tríbulant me, exsultábunt si motus fúero : * ego autem in misericórdia tua sperávi.

Exsultábit cor meum in salutári tuo : cantábo Dómino qui bona tríbuit mihi : * et psallam nómini Dómini altíssimi.

Psalmus 15

COnsérva me, Dómine, quóniam sperávi in te. * Dixi Dómino : Deus meus es tu, quóniam bonórum meórum non eges.

Sanctis, qui sunt in terra ejus, * mirificávit omnes voluntátes meas in eis.

Multiplicátæ sunt infirmitátes eórum : * póstea acceleravérunt.

Non congregábo conventícula eórum de sanguínibus, * nec memor ero nóminum eórum per lábia mea.

Dóminus pars hereditátis meæ, et cálicis mei : * tu es, qui restítues hereditátem meam mihi.

Funes cecidérunt mihi in præcláris : * étenim heréditas mea præclára est mihi.

Benedícam Dóminum, qui tribuit mihi intellléctum : * ínsuper et usque ad noctem increpuérunt me renes mei.

Providébam Dóminum in conspéctu meo semper : * quóniam a dextris est mihi, ne commóvear.

Propter hoc lætátum est cor meum, et exsultávit lingua mea : * ínsuper et caro mea requiéscet in spe.

Quóniam non derelínques ánimam meam in ínferno : * nec dabis sanctum tuum vidére corruptiónem.

Notas mihi fecísti vias vitæ, adimplébis me lætítia cum vultu tuo : * delectatiónes in déxtera tua usque in finem.

Ant. Tu, Dómine, servábis nos : et custódies nos in ætérnum.

Hymnus

TE lucis ante términum,
Rerum Creátor, póscimus,
Ut pro tua cleméntia
Sis præsul et custódia.

Procul recédant sómnia,
Et nóctium phantásmata;
Hostémque nostrum cómprime,
Ne polluántur córpora.

* Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

Capitulum Jer. 14, 9

TU autem in nobis es, Dómine, et nomen sanctum tuum invocátum est super nos : ne derelínquas nos, Dómine, Deus noster.

℟. br. In manus tuas, Dómine, * Comménd spíritum meum. In manus. ℣. Redemisti nos, Dómine, Deus veritátis. Comméndo. Glória Patri. In manus. ℣. Custódi nos, Dómine, ut pupíllam óculi. ℟. Sub umbra alárum tuárum prótege nos.

Ant. Salva nos.

Canticum Simeonis
Luc. 2, 29-32

NUnc dimíttis servum tuum, Dómine, * secúndum verbum tuum in pace :

Quia vidérunt óculi mei * salutáre tuum,

Quod parásti * ante fáciem ómnium populórum.

Lumen ad revelatiónem géntium, * et glóriam plebis tuæ Israël.

Glória Patri.

Ant. Salva nos, Dómine, vigilántes, custódi nos dormiéntes : ut vigilémus cum Christo, et requiescámus in pace.

Preces (si dicendæ sint)

KYrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Credo in Deum secreto usque ad ℣. Carnis resurrectiónem. ℟. Vitam ætérnam. Amen. ℣. Benedíctus es, Dómine, Deus patrum nostrórum. ℟. Et laudábilis et gloriósus in sæcula. ℣. Benedicámus Patrem et Filium cum Sancto Spíritu. ℟. Laudémus, et superexaltémus eum in sæcula. ℣. Benedíctus es, Dómine, in firmaménto cæli. ℟. Et laudábilis, et gloriósus, et superexaltátus in sæcula. ℣. Benedícat et custódiat nos omnípotens et miséricors Dóminus. ℟. Amen. ℣. Dignáre, Dómine, nocte ista. ℟. Sine peccáto nos custodíre. ℣. Miserére nostri, Dómine. ℟. Miserére nostri. ℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te. ℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.

Orémus. Oratio

VIsita, quæsumus, Dómine, habitatiónem istam, et omnes insídias inimíci ab ea longe repélle : Angeli tui sancti hábitent in ea, qui nos in pace custódiant; et benedíctio tua sit super nos semper. Per Dóminum nostrum. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobíscum.
℣. Benedicámus Dómino.

Bendictio Benedícat et custódiat nos omnípotens et miséricors Dóminus, Pater, et Fílius, et Spíritus Sanctus. ℟. Amen.

Antiphona finalis B. M. V.

℣. Divínum auxílium.

Pater, Ave et Credo.

FERIA QUARTA

AD MATUTINUM

Pater, Ave et Credo.
℣. Dómine, lábia mea.
℣. Deus, in adjutórium.

In Officio feriali

Invitat. Deum magnum Dóminum, * Veníte, adorémus. Ps. 94 Veníte.

Hymnus

RErum Creátor óptime,
Rectórque noster, áspice :
Nos a quiéte nóxia
Mersos sopóre líbera.

Te, sancte Christe, póscimus,
Ignósce culpis ómnibus :
Ad confiténdum súrgimus,
Morásque noctis rúmpimus.

Mentes manúsque tóllimus,
Prophéta sicut nóctibus
Nobis geréndum præcipit,
Paulúsque gestis cénsuit.

Vides malum, quod fécimus :
Occúlta nostra pándimus :
Preces geméntes fúndimus,
Dimítte quod peccávimus.

* Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

In I Nocturno

Ant. Speciósus forma * præ fíliis hóminum, diffúsa est grátia in lábiis tuis.

Psalmus 44, i

Ructávit cor meum verbum bonum : * dico ego ópera mea Regi.

Lingua mea cálamus scribæ, * velóciter scribéntis.

Speciósus forma præ fíliis hóminum, diffúsa est grátia in lábiis tuis : * proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum, * potentíssime.

Spécie tua et pulchritúdine tua * inténde, próspere procéde, et regna.

Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagíttæ tuæ acútæ, pópuli sub te cadent, * in corda inimicórum Regis.

Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi : * virga directiónis virga regni tui.

Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * propterea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha, et gutta, et cásia a vestiméntis tuis, a dómibus ebúrneis : * ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo.

Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto : * circúmdata varietáte.

Ant. Speciósus forma præ fíliis hóminum, diffúsa est grátia in lábiis tuis.

Ant. Confitebúntur tibi * pópuli, Deus, in ætérnum.

Psalmus 44, ii

AUdi, fília, et vide, et inclína aurem tuam : * et oblivíscere pópulum tuum, et domum patris tui.

Et concupíscet Rex decórem tuum : * quóniam ipse est Dóminus, Deus tuus, et adorábunt eum.

Et fíliæ Tyri in munéribus * vultum tuum deprecabúntur : omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus fíliæ Regis ab intus, * in fímbriis áureis circumamícta varietátibus.

Adducéntur Regi vírgines post eam : * próximæ ejus afferéntur tibi.

Afferéntur in lætítia et exsultatióne : adducéntur in templum Regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii : * constítues eos príncipes super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui : * in omni generatióne et generatiónem.

Proptérea pópuli confitebúntur tibi in ætérnum : * et in sæculum sæculi.

Ant. Confitebúntur tibi pópuli, Deus, in ætérnum.

Ant. Adjútor in tribulatiónibus * Deus noster.

Psalmus 45

DEus noster refúgium, et virtus : * adjútor in tribulatiónibus, quæ invenérunt nos nimis.

Proptérea non timébimus dum turbábitur terra : * et transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt, et turbátæ sunt aquæ eórum : * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætificat civitátem Dei : * sanctificávit tabernáculum suum Altissimus.

Deus in médio ejus, non commovébitur : * adjuvábit eam Deus mane dilúculo.

Conturbátæ sunt gentes, et inclináta sunt regna : * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobiscum : * suscéptor noster Deus Jacob.

Venite, et vidéte ópera Dómini, quæ pósuit prodígia super terram : * áuferens bella usque ad finem terræ.

Arcum cónteret, et confringet arma : * et scuta combúret igni.

Vacáte, et vidéte quóniam ego sum Deus : * exaltábor in géntibus, et exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * suscéptor noster Deus Jacob.

Ant. Adjútor in tribulatiónibus Deus noster.

In Festis novem Lectionum :

℣. Dóminus virtútum nobiscum. ℟. Suscéptor noster Deus Jacob.

Absolutio. Exáudi, Dómine.

Bened. 1 Benedictióne perpétua. 2 Unigénitus Dei Fílius. 3 Spíritus Sancti grátia.

In II Nocturno

Ant. Magnus Dóminus, * ‡ et laudábilis nimis in civitáte Dei nostri. ‡

Psalmus 47

Agnus Dóminus, ‡ et laudábilis nimis * in civitáte Dei nostri, ‡ in monte sancto ejus.

Fundátur exsultatióne univérsæ terræ mons Sion, * látera Aquilónis, civitas Regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoscétur, * cum suscípiet eam.

Quóniam ecce reges terræ congregáti sunt : * convenérunt in unum.

Ipsi vidéntes sic admiráti sunt, conturbáti sunt, commóti sunt : * tremor apprehéndit eos.

Ibi dolóres ut parturiéntis : * in spíritu veheménti cónteres naves Tharsis.

Sicut audívimus, sic vídimus in civitáte Dómini virtútum, in civitáte Dei nostri : * Deus fundávit eam in ætérnum.

Suscépimus, Deus, misericórdiam tuam, * in médio templi tui.

Secúndum nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terræ : * justítia plena est déxtera tua.

Lætétur mons Sion, et exsúltent fíliæ Judæ * propter judícia tua, Dómine.

Circúmdate Sion, et complectímini eam : * narráte in túrribus ejus.

Pónite corda vestra in virtúte ejus : * et distribúite domos ejus, ut enarrétis in progénie áltera.

Quóniam hic est Deus, Deus noster in ætérnum, et in sæculum sæculi : * ipse reget nos in sæcula.

Ant. Magnus Dóminus, et laudábilis nimis in civitáte Dei nostri.

Ant. Os meum loquétur * sapiéntiam : et meditátio cordis mei prudéntiam.

Psalmus 48, i

AUdíte hæc, omnes gentes : * áuribus percípite omnes, qui habitátis orbem :

Quique terrígenæ, et fílii hóminum : * simul in unum dives et pauper.

Os meum loquétur sapiéntiam : * et meditátio cordis mei prudéntiam.

Inclinábo in parábolam aurem meam : * apériam in psaltério propositiónem meam.

Cur timébo in die mala? * iníquitas calcánei mei circúmdabit me :

Qui confídunt in virtúte sua : * et in multitúdine divitiárum suárum gloriántur.

Frater non rédimit, rédimet homo : * non dabit Deo placatiónem suam.

Et prétium redemptiónis ánimæ suæ : * et laborábit in ætérnum, et vivet adhuc in finem.

Non vidébit intéritum, cum víderit sapiéntes moriéntes : * simul insípiens, et stultus períbunt.

Et relínquent aliénis divítias suas : * et sepúlcra eórum domus illórum in ætérnum.

Tabernácula eórum in progénie et progénie : * vocavérunt nómina sua in terris suis.

Et homo, cum in honóre esset, non intelléxit : * comparátus est juméntis insipiéntibus, et símilis factus est illis.

Ant. Os meum loquétur sapiéntiam : et meditátio cordis mei prudéntiam.

Ant. Ne timúeris : * cum dívite non descéndet in sepúlcrum glória ejus.

Psalmus 48, ii

HÆC via illórum scándalum ipsis : * et póstea in ore suo complacébunt.

Sicut oves in inférno pósiti sunt : * mors depáscet eos.

Et dominabúntur eórum justi in matutíno : * et auxílium eórum veteráscet in inférno a glória eórum.

Verúmtamen Deus rédimet ánimam meam de manu inferi, * cum accéperit me.

Ne timúeris, cum dives factus fúerit homo : * et cum multiplicáta fúerit glória domus ejus.

Quóniam cum interíerit, non sumet ómnia : * neque descéndet cum eo glória ejus.

Quia ánima ejus in vita ipsíus benedicétur : * confitébitur tibi cum benefeceris ei.

Introibit usque in progénies patrum suórum : * et usque in ætérnum non vidébit lumen.

Homo, cum in honóre esset, non intelléxit : * comparátus est juméntis insipiéntibus, et símilis factus est illis.

Ant. Ne timúeris : cum dívite non descéndet in sepúlcrum glória ejus.

In Festis novem Lectionum :

℣. Deus rédimet ánimam meam de manu ínferi. ℟. Cum accéperit me.

Absolutio. Ipsíus píetas et. Bened. 4 Deus Pater omnípotens. 5 Christus perpétuæ. 6 Ignem sui amóris.

In III Nocturno

I

In Feriis extra Vigilias communes occurrentibus, et in Festis, cum ad Laudes non dicitur Psalmus 50 Miserére.

Ant. Deus deórum, * † Dóminus locútus est. ‡

Psalmus 49, i

EUs deórum, † Dóminus locútus est : * ‡ et vocávit terram.

A solis ortu usque ad occásum : * ex Sion spécies decóris ejus.

Deus maniféste véniet : * Deus noster et non silébit.

Ignis in conspéctu ejus exardéscet : * et in circúitu ejus tempéstas válida.

Advocábit cælum desúrsum : * et terram discérnere pópulum suum.

Congregáte illi sanctos ejus : * qui órdinant testaméntum ejus super sacrifícia.

Et annuntiábunt cæli justítiam ejus : * quóniam Deus judex est.

Audi, pópulus meus, et loquar : Israël, et testificábor tibi : * Deus, Deus tuus ego sum.

Non in sacrifíciis tuis árguam te : * holocáusta autem tua in conspéctu meo sunt semper.

Non accípiam de domo tua vítulos : * neque de grégibus tuis hircos.

Quóniam meæ sunt omnes feræ silvárum, * juménta in móntibus et boves.

Cognóvi ómnia volatília cæli : * et pulchritúdo agri mecum est.

Si esuríero, non dicam tibi : * meus est enim orbis terræ, et plenitúdo ejus.

Numquid manducábo carnes taurórum? * aut sánguinem hircórum potábo?

Immola Deo sacrifícium laudis : * et redde Altíssimo vota tua.

Et ínvoca me in die tribulatiónis : * éruam te, et honorificábis me.

Ant. Deus deórum, Dóminus locútus est.

Ant. Intellígite, * qui obliviscímini Deum.

Psalmus 49, ii

PEccatóri autem dixit Deus : * Quare tu enárras justitias meas, et assúmis testaméntum meum per os tuum?

Tu vero odísti disciplínam : * et projecísti sermónes meos retrórsum :

Si vidébas furem, currébas cum eo : * et cum adúlteris portiónem tuam ponébas.

Os tuum abundávit malítia : * et lingua tua concinnábat dolos.

Sedens advérsus fratrem tuum loquebáris, et advérsus fílium matris tuæ ponébas scándalum : * hæc fecísti, et tácui.

Existimásti, iníque, quod ero tui símilis : * árguam te, et státuam contra fáciem tuam.

Intellígite hæc, qui obliviscímini Deum : * nequándo rápiat, et non sit qui erípiat.

Sacrifícium laudis honorificábit me : * et illic iter, quo osténdam illi salutáre Dei.

Ant. Intellígite, qui obliviscímini Deum.

Ant. Acceptábis sacrifícium * justítiæ super altáre tuum, Dómine.

Psalmus 50

MIserére mei, Deus, * secúndum magnam misericórdiam tuam.

Et secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum, * dele iniquitátem meam.

Amplius lava me ab iniquitáte mea : * et a peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognósco : * et

peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, et malum coram te feci : * ut justificéris in sermónibus tuis, et vincas cum judicáris.

Ecce enim, in iniquitátibus concéptus sum : * et in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim, veritátem dilexísti : * incérta et occúlta sapiéntiæ tuæ manifestásti mihi.

Aspérges me hyssópo, et mundábor : * lavábis me, et super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium et lætitiam : * et exsultábunt ossa humiliáta.

Avérte fáciem tuam a peccátis meis : * et omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus : * et spíritum rectum innova in viscéribus meis.

Ne projícias me a fácie tua : * et spiritum sanctum tuum ne áuferas a me.

Redde mihi lætitiam salutáris tui : * et spíritu principáli confirma me.

Docébo iniquos vias tuas : * et impii ad te converténtur.

Líbera me de sanguínibus, Deus, Deus salútis meæ : * et exsultábit lingua mea justitiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries : * et os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam si voluisses sacrifícium, dedissem útique : * holocáustis non delectáberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribulátus : * cor contrítum, et humiliátum, Deus, non despícies.

Benigne fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion : * ut ædificéntur muri Jerúsalem.

Tunc acceptábis sacrifícium justítiæ, oblatiónes, et holocáusta : * tunc impónent super altáre tuum vítulos.

Ant. Acceptábis sacrifícium justítiæ super altáre tuum, Dómine.

In feriali Officio et in Festis :

℣. Audítui meo dabis gáudium et lætitiam. ℟. Et exsultábunt ossa humiliáta.

In Officio novem Lectionum

Absolutio. A vínculis.

Bened. 7 Evangélica léctio.

8 In Festis Domini : Divínum auxílium.

In Festis B. M. V. : Cujus festum cólimus, ipsa Virgo.

In Festis Sanctorum : Cujus (vel Quorum aut Quarum) festum cólimus. 9 Ad societátem. (Per evangélica dicta.)

In Officio trium Lectionum

Absolutio. A vínculis.

In Feriis cum Homilia :

Bened. 1 Evangélica. 2 Divínum. 3 Ad societátem.

In Feriis sine Homilia :

Bened. 1 Ille nos benedícat. 2 Divínum. 3 Ad societátem.

In Festis Sanctorum :

Bened. 1 Ille nos benedícat, qui sine fine vivit et regnat. ℟. Amen. 2 Cujus (vel Quorum aut Quarum). 3 Ad societátem.

In III Nocturno II

In Vigiliis communibus, cum ad Laudes dicitur Psalmus 50 Miserére.

Ant. Deus deórum. †

Psalmus 49, i

Deus deórum, † Dóminus locútus est : * et vocávit terram.

A solis ortu usque ad occásum : * ex Sion spécies decóris ejus.

Deus maniféste véniet : * Deus noster et non silébit.

Ignis in conspéctu ejus exardéscet : * et in circúitu ejus tempéstas válida.

Advocábit cælum desúrsum : * et terram discérnere pópulum suum.

Congregáte illi sanctos ejus : * qui órdinant testaméntum ejus super sacrifícia.

Et annuntiábunt cæli justítiam ejus : * quóniam Deus judex est.

Ant. Deus deórum, Dóminus locútus est.

Ant. Immola Deo.

Psalmus 49, ii

Audi, pópulus meus, et loquar : Israël, et testificábor tibi : * Deus, Deus tuus ego sum.

Non in sacrifíciis tuis árguam te : * holocáusta autem tua in conspéctu meo sunt semper.

Non accípiam de domo tua vítulos : * neque de grégibus tuis hircos.

Quóniam meæ sunt omnes feræ silvárum, * juménta in móntibus et boves.

Cognóvi ómnia volatilia cæli : * et pulchritúdo agri mecum est.

Si esuríero, non dicam tibi : * meus est enim orbis terræ, et plenitúdo ejus.

Numquid manducábo carnes taurórum? * aut sánguinem hircórum potábo?

Immola Deo sacrifícium laudis : * et redde Altíssimo vota tua.

Et invoca me in die tribulatiónis : * éruam te, et honorificábis me.

Ant. Immola Deo sacrifícium laudis.

Ant. Intellígite.

Psalmus 49, iii

Peccatóri autem dixit Deus : * Quare tu enárras justítias meas, et assúmis testaméntum meum per os tuum?

Tu vero odísti disciplínam : * et projecísti sermónes meos retrórsum :

Si vidébas furem, currébas cum eo : * et cum adúlteris portiónem tuam ponébas.

Os tuum abundávit malítia : * et lingua tua concinnábat dolos.

Sedens advérsus fratrem tuum loquebáris, et advérsus fílium matris tuæ ponébas scándalum : * hæc fecísti, et tácui.

Existimásti, iníque, quod ero tui símilis : * árguam te, et státuam contra fáciem tuam.

Intellígite hæc, qui obliviscímini Deum : * nequándo rápiat, et non sit qui erípiat.

Sacrifícium laudis honorificábit me : * et illic iter, quo osténdam illi salutáre Dei.

Ant. Intellígite, qui obliviscímini Deum.

℣. Sacrifícium laudis honorificábit me. ℟. Et illic iter, quo osténdam illi salutáre Dei.

Absolutio. A vínculis.

In Feriis cum Homilia :

Bened. 1 Evangélica. 2 Divínum. 3 Ad societátem.

In Feriis sine Homilia :

Bened. 1 Ille nos benedícat. 2 Divínum. 3 Ad societátem.

AD LAUDES I

In Feriis extra Vigilias communes occurrentibus, atque in Festis.

(Pater noster et Ave.)

℣. Deus, in adjutórium.

Ant. Dóminus regnávit, * † exsúltet terra. ‡

Psalmus 96

Dominus regnávit, † exsúltet terra : * ‡ læténtur ínsulæ multæ.

Nubes, et calígo in circúitu ejus : * justítia, et judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet, * et inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ : * vidit, et commóta est terra.

Montes, sicut cera fluxérunt a fácie Dómini : * a fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cæli justítiam ejus : * et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundánturomnes, qui adórant sculptília : * et qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum, omnes Angeli ejus : * audivit, et lætáta est Sion.

Et exsultavérunt fíliæ Judæ, * propter judícia tua, Dómine :

Quóniam tu Dóminus Altíssimus super omnem terram : * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum : * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde lætítia.

Lætámini, justi, in Dómino : * et confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

Ant. Dóminus regnávit, exsúltet terra.

Ant. Te decet hymnus, * † Deus, in Sion. ‡

Psalmus 64

TE decet hymnus, † Deus, in Sion : * ‡ et tibi reddétur votum in Jerúsalem.

Exáudi oratiónem meam : * ad te omnis caro véniet.

Verba iniquórum prævaluérunt super nos : * et impietátibus nostris tu propitiáberis.

Beátus, quem elegísti, et assumpsísti : * inhabitábit in átriis tuis.

Replébimur in bonis domus tuæ : * sanctum est templum tuum, mirábile in æquitáte.

Exáudi nos, Deus, salutáris noster, * spes ómnium fínium terræ, et in mari longe.

Præparans montes in virtúte tua, accínctus poténtia : * qui contúrbas profúndum maris sonum flúctuum ejus.

Turbabúntur gentes, et timébunt qui hábitant términos a signis tuis : * éxitus matutíni, et véspere delectábis.

Visitásti terram, et inebriásti eam : * multiplicásti locupletáre eam.

Flumen Dei replétum est aquis, parásti cibum illórum : * quóniam ita est præparátio ejus.

Rivos ejus inébria, multíplica genímina ejus : * in stillicídiis ejus lætábitur gérminans.

Benedíces corónæ anni benignitátis tuæ : * et campi tui replebúntur ubertáte.

Pinguéscent speciósa desérti : * et exsultatióne colles accingéntur.

Indúti sunt aríetes óvium, et valles abundábunt fruménto : * clamábunt, étenim hymnum dicent.

Ant. Te decet hymnus, Deus, in Sion.

Ant. Tibi, Dómine, psallam, * et intélligam in via immaculáta.

Psalmus 100

MIsericórdiam, et judícium * cantábo tibi, Dómine :

Psallam, et intélligam in via immaculáta, * quando vénies ad me.

Perambulábam in innocéntia cordis mei, * in médio domus meæ.

Non proponébam ante óculos meos rem injústam : * faciéntes prævaricatiónes odívi.

Non adhæsit mihi cor pravum : * declinántem a me malígnum non cognoscébam.

Detrahéntem secréto próximo suo, * hunc persequébar.

Supérbo óculo, et insatiábili corde, * cum hoc non edébam.

Oculi mei ad fidéles terræ ut sédeant mecum : * ámbulans in via immaculáta, hic mihi ministrábat.

Non habitábit in médio domus meæ qui facit supérbiam : * qui lóquitur iníqua, non diréxit in conspéctu oculórum meórum.

In matutíno interficiébam omnes peccatóres terræ : * ut dispérderem de civitáte Dómini omnes operántes iniquitátem.

Ant. Tibi, Dómine, psallam, et intélligam in via immaculáta.

Ant. Dómine, magnus es tu, * et præclárus in virtúte tua.

Canticum Judith
Judith 16, 15-21

HYmnum cantémus Dómino, * hymnum novum cantémus Deo nostro.

Adonái, Dómine, magnus es tu, et præclárus in virtúte tua, * et quem superáre nemo potest.

Tibi sérviat omnis creatúra tua : * quia dixísti, et facta sunt :

Misísti spíritum tuum, et creáta sunt, * et non est qui resístat voci tuæ.

Montes a fundaméntis movebúntur cum aquis : * petræ, sicut cera, liquéscent ante fáciem tuam.

Qui autem timent te, * magni erunt apud te per ómnia.

Væ genti insurgénti super genus meum : Dóminus enim omnípotens vindicábit in eis, * in die judícii visitábit illos.

Dabit enim ignem, et vermes in carnes eórum, * ut urántur, et séntiant usque in sempitérnum.

Ant. Dómine, magnus es tu, et præclárus in virtúte tua.

Ant. Laudábo Deum meum * in vita mea.

Psalmus 145

LAuda, ánima mea, Dóminum, laudábo Dóminum in vita mea : * psallam Deo meo quámdiu fúero.

Nolíte confídere in princípibus : * in fíliis hóminum, in quibus non est salus.

Exíbit spíritus ejus, et revertétur in terram suam : * in illa die períbunt omnes cogitatiónes eórum.

Beátus, cujus Deus Jacob adjútor ejus, spes ejus in Dómino, Deo ipsíus : * qui fecit cælum et terram, mare, et ómnia, quæ in eis sunt.

Qui custódit veritátem in sæculum, facit judícium injúriam patiéntibus : * dat escam esuriéntibus.

Dóminus solvit compedítos : * Dóminus illúminat cæcos.

Dóminus érigit elísos, * Dóminus díligit justos.

Dóminus custódit ádvenas, pupíllum et víduam suscípiet : * et vias peccatórum dispérdet.

Regnábit Dóminus in sæcula, Deus tuus, Sion, * in generatiónem et generatiónem.

Ant. Laudábo Deum meum in vita mea.

In Officio feriali

Capit. Rom. 13, 12-13

NOX præcéssit, dies autem appropinquávit. Abjiciámus ergo ópera tenebrárum, et induámur arma lucis. Sicut in die honéste ambulémus.

Hymnus

NOX, et tenébræ, et núbila,
Confúsa mundi et túrbida :
Lux intrat, albéscit polus :
Christus venit : discédite.

Calígo terræ scínditur
Percússa solis spículo,
Rebúsque jam color redit,
Vultu niténtis síderis.

Te, Christe, solum nóvimus :
Te mente pura et símplici,
Flendo et canéndo quæsumus,
Inténde nostris sénsibus.

Sunt multa fucis íllita,
Quæ luce purgéntur tua :
Tu, vera lux Cæléstium,
Vultu seréno illúmina.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc et per omne sæculum. Amen.

℣. Repléti sumus mane misericórdia tua. ℟. Exsultávimus, et delectáti sumus.

Ad Bened. Ant. De manu ómnium, * qui odérunt nos, liberávit nos Dóminus.

Reliqua ut in Ordinario. 11

AD LAUDES II

In Vigiliis communibus, quando fit Officium de Feria.

(Pater noster et Ave.)

℣. Deus, in adjutórium.

Ant. Amplius lava me.

Psalmus 50

Iserére mei, Deus, * secúndum magnam misericórdiam tuam.

Et secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum, * dele iniquitátem meam.

Amplius lava me ab iniquitáte mea : * et a peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognósco : * et peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, et malum coram te feci : * ut justificéris in sermónibus tuis, et vincas cum judicáris.

Ecce enim, in iniquitátibus concéptus sum : * et in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim, veritátem dilexísti : * incérta et occúlta sapiéntiæ tuæ manifestásti mihi.

Aspérges me hyssópo, et mundábor : * lavábis me, et super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium et lætítiam : * et exsultábunt ossa humiliáta.

Avérte fáciem tuam a peccátis meis : * et omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus : * et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

Ne projícias me a fácie tua : * et spíritum sanctum tuum ne áuferas a me.

Redde mihi lætítiam salutáris tui : * et spíritu principáli confírma me.

Docébo iníquos vias tuas : * et ímpii ad te converténtur.

Líbera me de sanguínibus, Deus, Deus salútis meæ : * et exsultábit lingua mea justítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries : * et os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam si voluísses sacrifícium, dedíssem útique : * holocáustis non delectáberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribulátus : * cor contrítum, et humiliátum, Deus, non despícies.

Benígne fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion : * ut ædificéntur muri Jerúsalem.

Tunc acceptábis sacrifícium justítiæ, oblatiónes, et holocásta : * tunc impónent super altáre tuum vítulos.

Ant. Amplius lava me, Dómine, ab injustítia mea.

Ant. Impietátibus nostris.

Psalmus 64

TE decet hymnus, Deus, in Sion : * et tibi reddétur votum in Jerúsalem.

Exaudi oratiónem meam : * ad te omnis caro véniet.

Verba iniquórum prævaluérunt super nos : * et impietátibus nostris tu propitiáberis.

Beátus, quem elegísti, et assumpsísti : * inhabitábit in átriis tuis.

Replébimur in bonis domus tuæ : * sanctum est templum tuum, mirábile in æquitáte.

Exáudi nos, Deus, salutáris noster, * spes ómnium fínium terræ, et in mari longe.

Præparans montes in virtúte tua, accínctus poténtia : * qui contúrbas profúndum maris sonum flúctuum ejus.

Turbabúntur gentes, et timébunt qui hábitant términos a signis tuis : * éxitus matutíni, et véspere delectábis.

Visitásti terram, et inebriásti eam : * multiplicásti locupletáre eam.

Flumen Dei replétum est aquis, parásti cibum illórum : * quóniam ita est præparátio ejus.

Rivos ejus inébria, multíplica genímina ejus : * in stillicídiis ejus lætábitur gérminans.

Benedices corónæ anni benignitátis tuæ : * et campi tui replebúntur ubertáte.

Pinguéscent speciósa desérti : * et exsultatióne colles accingéntur.

Indúti sunt aríetes óvium, et valles abundábunt fruménto : * clamábunt, étenim hymnum dicent.

Ant. Impietátibus nostris tu propitiáberis, Deus.

Ant. In innocéntia.

Psalmus 100

MIsericórdiam, et judícium * cantábo tibi, Dómine :

Psallam, et intélligam in via immaculáta, * quando vénies ad me.

Perambulábam in innocéntia cordis mei, * in médio domus meæ.

Non proponébam ante óculos meos rem injústam : * faciéntes prævaricatiónes odívi.

Non adhæsit mihi cor pravum : * declinántem a me malígnum non cognoscébam.

Detrahéntem secréto próximo suo, * hunc persequébar.

Supérbo óculo, et insatiábili corde, * cum hoc non edébam.

Oculi mei ad fidéles terræ ut sédeant mecum : * ám-

bulans in via immaculáta, hic mihi ministrábat.

Non habitábit in médio domus meæ qui facit supérbiam : * qui lóquitur iníqua, non diréxit in conspéctu oculórum meórum.

In matutíno interficiébam omnes peccatóres terræ : * ut dispérderem de civitáte Dómini omnes operántes iniquitátem.

Ant. In innocéntia cordis mei perambulábo, Dómine.

Ant. Exsultávit cor meum. †

Canticum Annæ

1 Reg. 2, 1-10

EXsultávit cor meum † in Dómino, * et exaltátum est cornu meum in Deo meo.

Dilatátum est os meum super inimícos meos : * quia lætáta sum in salutári tuo.

Non est sanctus, ut est Dóminus : neque enim est álius extra te, * et non est fortis sicut Deus noster.

Nolíte multiplicáre loqui sublímia, * gloriántes :

Recédant vétera de ore vestro : quia Deus scientiárum, Dóminus est, * et ipsi præparántur cogitatiónes.

Arcus fórtium superátus est, * et infírmi accíncti sunt róbore.

Repléti prius, pro pánibus se locavérunt : * et famélici saturáti sunt.

Donec stérilis péperit plúrimos : * et quæ multos habébat fílios, infirmáta est.

Dóminus mortíficat et vivíficat, * dedúcit ad ínferos et redúcit.

Dóminus páuperem facit et ditat, * humíliat et súblevat.

Súscitat de púlvere egénum, * et de stércore élevat páuperem :

Ut sédeat cum princípibus, * et sólium glóriæ téneat.

Dómini enim sunt cárdines terræ, * et pósuit super eos orbem.

Pedes sanctórum suórum servábit, et ímpii in ténebris conticéscent : * quia non in fortitúdine sua roborábitur vir.

Dóminum formidábunt adversárii ejus : * et super ipsos in cælis tonábit :

Dóminus judicábit fines terræ, et dabit impérium regi suo, * et sublimábit cornu Christi sui.

Ant. Exsultávit cor meum in Dómino, qui humíliat et súblevat.

Ant. Lauda. †

Psalmus 145

LAuda, † ánima mea, Dóminum, laudábo Dóminum in vita mea : *

psallam Deo meo quámdiu fúero.

Nolíte confídere in princípibus : * in fíliis hóminum, in quibus non est salus.

Exíbit spíritus ejus, et revertétur in terram suam : * in illa die períbunt omnes cogitatiónes eórum.

Beátus, cujus Deus Jacob adjútor ejus, spes ejus in Dómino, Deo ipsíus : * qui fecit cælum et terram, mare, et ómnia, quæ in eis sunt.

Qui custódit veritátem in sæculum, facit judícium injúriam patiéntibus : * dat escam esuriéntibus.

Dóminus solvit compedítos : * Dóminus illúminat cæcos.

Dóminus érigit elisos, * Dóminus díligit justos.

Dóminus custódit ádvenas, pupíllum et víduam suscípiet : * et vias peccatórum dispérdet.

Regnábit Dóminus in sæcula, Deus tuus, Sion, * in generatiónem et generatiónem.

Ant. Lauda, ánima mea, Dóminum, qui érigit elísos, et díligit justos.

Capit. Rom. 13, 12-13

NOX præcéssit, dies autem appropinquávit. Abjiciámus ergo ópera tenebrárum, et induámur arma lucis. Sicut in die honéste ambulémus.

Hymnus

NOX, et tenébræ, et núbila,
Confúsa mundi et túrbida :
Lux intrat, albéscit polus :
Christus venit : discédite.

Caligo terræ scínditur
Percússa solis spículo,
Rebúsque jam color redit,
Vultu niténtis síderis.

Te, Christe, solum nóvimus,
Te mente pura et símplici,
Flendo et canéndo quæsumus,
Inténde nostris sénsibus.

Sunt multa fucis íllita,
Quæ luce purgéntur tua :
Tu, vera lux Cæléstium,
Vultu seréno illúmina.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc et per omne sæculum. Amen.

℣. Repléti sumus mane misericórdia tua. ℟. Exsultávimus, et delectáti sumus.

Ad Bened. Ant. De manu ómnium, * qui odérunt nos, liberávit nos Dóminus.

Expleto Cantico ac repetita Antiphona, dicuntur sequentes

Preces feriales

KYrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster, quod dicitur a solo Hebdomadario

totum clara voce, usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo. ℣. Ego dixi : Dómine, miserére mei. ℟. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi. ℣. Convértere, Dómine, úsquequo? ℟. Et deprecábilis esto super servos tuos. ℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te. ℣. Sacerdótes tui induántur justítiam. ℟. Et sancti tui exsúltent. ℣. Orémus pro beatíssimo Papa nostro N. ℟. Dóminus consérvet eum, et vivíficet eum, et beátum fáciat eum in terra, et non tradat eum in ánimam inimicórum ejus. ℣. Orémus et pro Antístite nostro N. ℟. Stet et pascat in fortitúdine tua, Dómine, in sublimitáte nóminis tui. ℣. Dómine, salvum fac regem. ℟. Et exáudi nos in die, qua invocavérimus te. ℣. Salvum fac pópulum tuum, Dómine, et bénedic hereditáti tuæ. ℟. Et rege eos, et extólle illos usque in ætérnum. ℣. Meménto Congregatiónis tuæ. ℟. Quam possedísti ab inítio. ℣. Fiat pax in virtúte tua. ℟. Et abundántia in túrribus tuis. ℣. Orémus pro benefactóribus nostris. ℟. Retribúere dignáre, Dómine, ómnibus, nobis bona faciéntibus propter nomen tuum, vitam ætérnam. Amen. ℣. Orémus pro fidélibus defúnctis. ℟. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine, et lux perpétua lúceat eis. ℣. Requiéscant in pace. ℟. Amen. ℣. Pro frátribus nostris abséntibus. ℟. Salvos fac servos tuos, Deus meus, sperántes in te. ℣. Pro afflíctis et captivis. ℟. Líbera eos, Deus Israël, ex ómnibus tribulatiónibus suis. ℣. Mitte eis, Dómine, auxílium de sancto. ℟. Et de Sion tuére eos. ℣. Dómine, Deus virtútum, convérte nos, ℟. Et osténde fáciem tuam, et salvi érimus. ℣. Exsúrge, Christe, ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum. ℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Reliqua ut in Ordinario. 11

AD PRIMAM

Pater, Ave et Credo.

℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus

JAM lucis orto sídere,
Deum precémur súpplices,
Ut in diúrnis áctibus
Nos servet a nocéntibus.

Linguam refrénans témperet,
Ne litis horror ínsonet :
Visum fovéndo cóntegat,
Ne vanitátes háuriat.

Sint pura cordis íntima,
Absístat et vecórdia :
Carnis terat supérbiam
Potus cibíque párcitas.

Ut, cum dies abscésserit
Noctémque sors redúxerit,
Mundi per abstinéntiam
Ipsi canámus glóriam.

* Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc et per omne sæculum. Amen.

Ant. Misericórdia tua.

Psalmus 25

MUdica me, Dómine, quóniam ego in innocéntia mea ingréssus sum : * et in Dómino sperans non infirmábor.

Proba me, Dómine, et tenta me : * ure renes meos et cor meum.

Quóniam misericórdia tua ante óculos meos est : * et complácui in veritáte tua.

Non sedi cum concílio vanitátis : * et cum iníqua geréntibus non introíbo.

Odívi ecclésiam malignántium : * et cum ímpiis non sedébo.

Lavábo inter innocéntes manus meas : * et circúmdabo altáre tuum, Dómine :

Ut áudiam vocem laudis, * et enárrem univérsa mirabília tua.

Dómine, diléxi decórem domus tuæ, * et locum habitatiónis glóriæ tuæ.

Ne perdas cum impiis, Deus, ánimam meam, * et cum viris sánguinum vitam meam :

In quorum mánibus iniquitátes sunt : * déxtera eórum repléta est munéribus.

Ego autem in innocéntia mea ingréssus sum : * rédime me, et miserére mei.

Pes meus stetit in dirécto : * in ecclésiis benedícam te, Dómine.

Psalmus 51

QUid gloriáris in malítia, * qui potens es in iniquitáte?

Tota die injustítiam cogitávit lingua tua : * sicut novácula acúta fecísti dolum.

Dilexísti malítiam super benignitátem : * iniquitátem magis quam loqui æquitátem.

Dilexísti ómnia verba præcipitatiónis, * lingua dolósa.

Proptérea Deus déstruet te in finem, * evéllet te, et emigrábit te de tabernáculo tuo : et radícem tuam de terra vivéntium.

Vidébunt justi, et timébunt, et super eum ridébunt, et dicent : * Ecce homo, qui non pósuit Deum adjutórem suum :

Sed sperávit in multitúdine divitiárum suárum : * et præváluit in vanitáte sua.

Ego autem, sicut olíva fructífera in domo Dei, * sperávi in misericórdia Dei in ætérnum : et in sæculum sæculi.

Confitébor tibi in sæculum, quia fecísti : * et exspectábo nomen tuum, quóniam bonum est in conspéctu sanctórum tuórum.

Psalmus 52

DIxit insípiens in corde suo : * Non est Deus.

Corrúpti sunt, et abominábiles facti sunt in iniquitátibus : * non est qui fáciat bonum.

Deus de cælo prospéxit super fílios hóminum : * ut vídeas si est intélligens, aut requírens Deum.

Omnes declinavérunt, simul inútiles facti sunt : * non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum.

Nonne scient omnes qui operántur iniquitátem, * qui dévorant plebem meam ut cibum panis?

Deum non invocavérunt : * illic trepidavérunt timóre, ubi non erat timor.

Quóniam Deus dissipávit ossa eórum qui homínibus placent : * confúsi sunt, quóniam Deus sprevit eos.

Quis dabit ex Sion salutáre Israël? * cum convérterit Deus captivitátem plebis suæ, exsultábit Jacob, et lætábitur Israël.

¶ Quando ad Laudes dictus fuerit Ps. 50 Miserére, hic subjungitur sequens Ps. 96, qui in Laudibus locum non habuit.

Psalmus 96

DOminus regnávit, exsúltet terra : * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes, et calígo in circúitu ejus : * justítia, et judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet, * et inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ : * vidit, et commóta est terra.

Montes, sicut cera fluxérunt a fácie Dómini : * a fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cæli justítiam ejus : * et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes, qui adórant sculptília : * et

qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum, omnes Angeli ejus : * audívit, et lætáta est Sion.

Et exsultavérunt fíliæ Judæ, * propter judícia tua, Dómine :

Quóniam tu Dóminus Altíssimus super omnem terram : * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum : * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde lætítia.

Lætámini, justi, in Dómino : * et confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

Secus vero, tribus Psalmis expletis, statim dicitur Ant.

Ant. Misericórdia tua, Dómine, ante óculos meos: et complácui in veritáte tua.

In Officio Festi vel Octavæ :

Capitulum 1 Tim. 1, 17

REgi sæculórum immortáli et invisíbili, soli Deo honor et glória in sæcula sæculórum. Amen.

In omnibus autem Feriis et in Vigiliis communibus :

Capitulum Zach. 8, 19

PAcem et veritátem dilígite, ait Dóminus omnípotens. ℟. br. Christe, Fili Dei vivi, * Miserére nobis. Christe. ℣. *Qui sedes ad déxteram Patris*. Miserére nobis. Glória Patri. Christe. ℣. Exsúrge, Christe, ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum.

Preces dominicales et feriales (si dicendæ sint)

KYrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Credo in Deum secreto usque ad ℣. Carnis resurrectiónem. ℟. Vitam ætérnam. Amen. ℣. Et ego ad te, Dómine, clamávi. ℟. Et mane orátio mea prævéniet te. ℣. Repleátur os meum laude. ℟. Ut cantem glóriam tuam, tota die magnitúdinem tuam. ℣. Dómine, avérte fáciem tuam a peccátis meis. ℟. Et omnes iniquitátes meas dele. ℣. Cor mundum crea in me, Deus. ℟. Et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis. ℣. Ne projícias me a fácie tua. ℟. Et spíritum sanctum tuum ne áuferas a me. ℣. Redde mihi lætítiam salutáris tui. ℟. Et spíritu principáli confírma me.

In Precibus ferialibus tantum

℣. Eripe me, Dómine, ab hómine malo. ℟. A viro iníquo éripe me. ℣. Eripe me de inimícis meis, Deus meus. ℟. Et ab insurgéntibus in me líbera me. ℣. Eripe me de operántibus iniquitátem. ℟. Et de viris sánguinum salva me. ℣. Sic psalmum dicam nómini tuo in sæculum sæculi. ℟. Ut reddam vota mea de die in diem. ℣. Exáudi nos, Deus, salutáris noster. ℟. Spes ómnium fínium terræ, et in mari longe. ℣. Deus, in adjutórium meum inténde. ℟. Dómine, ad adjuvándum me festína. ℣. Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortális. ℟. Miserére nobis. ℣. Bénedic, ánima mea, Dómino. ℟. Et ómnia, quæ intra me sunt, nómini sancto ejus. ℣. Bénedic, ánima mea, Dómino. ℟. Et noli oblivísci omnes retributiónes ejus. ℣. Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis. ℟. Qui sanat omnes infirmitátes tuas. ℣. Qui rédimit de intéritu vitam tuam. ℟. Qui corónat te in misericórdia et miseratiónibus. ℣. Qui replet in bonis desidérium tuum. ℟. Renovábitur ut áquilæ juvéntus tua.

In utrisque Precibus

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

Confíteor. Misereátur. Indulgéntiam.

℣. Dignáre, Dómine, die isto. ℟. Sine peccáto nos custodíre. ℣. Miserére nostri, Dómine. ℟. Miserére nostri. ℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te. ℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.

Orémus. Oratio

DOmine, Deus omnípotens, qui ad principium hujus diéi nos pervenire fecísti : tua nos hódie salva virtúte; ut in hac die ad nullum declinémus peccátum, sed semper ad tuam justítiam faciéndam nostra procédant elóquia, dirigántur cogitatiónes et ópera. Per Dóminum. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobíscum.

℣. Benedicámus Dómino.

In Choro Martyrologium :

℣. Pretiósa in conspéctu Dómini. ℟. Mors Sanctórum ejus.

Et absolute, sine Orémus :

Oratio

SAncta María, et omnes Sancti intercédant pro nobis ad Dóminum, ut nos mereámur ab eo adjuvári et salvári, qui vivit et regnat in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

℣. Deus, in adjutórium meum inténde. ℟. Dómine, ad adjuvándum me festína. Et dicitur ter; ultimo additur : Glória Patri. Sicut erat.

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo. ℣. Réspice in servos tuos, Dómine, et in ópera tua, et dírige fílios eórum. ℟. Et sit splendor Dómini, Dei nostri, super nos, et ópera mánuum nostrárum dírige super nos, et opus mánuum nostrárum dírige. ℣. Glória Patri. ℟. Sicut erat.

Orémus. Oratio

DIrígere et sanctificáre, régere et gubernáre dignáre, Dómine Deus, Rex cæli et terræ, hódie corda et córpora nostra, sensus, sermónes et actus nostros in lege tua, et in opéribus mandatórum tuórum : ut hic, et in ætérnum, te auxiliánte, salvi et líberi esse mereámur, Salvátor mundi : Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

℣. Jube, domne.

Bened. Dies et actus nostros in sua pace dispónat Dóminus omnípotens.

℟. Amen.

In Officio feriali

DOminus autem dírigat corda et córpora nostra in caritáte Dei, et patiéntia Christi. Tu autem.

E Proprio Sanctorum

Pro Oct. S. Joannis Bapt.

REges vidébunt, et consúrgent príncipes et adorábunt Dóminum, Deum tuum et Sanctum Israël, qui elégit te.

Pro Invent. S. Stephani

POsitis autem génibus, clamávit voce magna, dicens : Dómine, ne státuas illis hoc peccátum. Et cum hoc dixísset, obdormívit in Dómino.

E Communi Sanctorum

Pro Apostolis

IBant Apóstoli gaudéntes a conspéctu concílii, quóniam digni hábiti sunt pro nómine Jesu contuméliam pati.

Pro Martyre

JUstus cor suum trádidit ad vigilándum dilúculo ad Dóminum, qui

fecit illum, et in conspéctu Altissimi deprecábitur.

Pro pluribus Martyribus

FUlgébunt justi, et tamquam scintillæ in arundinéto discúrrent. Judicábunt natiónes, et dominabúntur pópulis : et regnábit Dóminus illórum in perpétuum.

Pro Conf. Pont.

FUngi sacerdótio, et habére laudem in nómine ipsius, et offérre illi incénsum dignum in odórem suavitátis.

Pro Conf. non Pont.

JUstum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam sanctórum : honestávit illum in labóribus, et complévit labóres illíus.

Pro Virgine Martyre

DOmine, Deus meus, exaltásti super terram habitatiónem meam, et pro morte defluénte deprecáta sum. Invocávi Dóminum, Patrem Dómini mei, ut non derelínquat me in die tribulatiónis meæ, et in témpore superbórum sine adjutório.

Pro Virgine non Martyre

O Quam pulchra est casta generátio cum claritáte! immortális est enim memória illius : quóniam apud Deum nota est, et apud hómines.

Pro Martyre tantum

LAudábit usque ad mortem ánima mea Dóminum, quóniam éruis sustinéntes te, et liberas eos de manu angústiæ, Dómine, Deus noster.

Pro nec Virg. nec Mart.

MUltæ fíliæ congregavérunt divítias : tu supergréssa es univérsas. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo : múlier timens Dóminum, ipsa laudábitur.

Pro Dedicatione Ecclesiæ

ET abstérget Deus omnem lácrimam ab óculis eórum : et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abiérunt. Et dixit qui sedébat in throno : Ecce, nova fácio ómnia.

In Officiis B. Mariæ V.

IN platéis sicut cinnamómum et bálsamum aromatizans odórem dedi : quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

℣. Benedícite. ℟. Deus.

Benedictio Dóminus nos benedícat, et ab omni malo

defendat, et ad vitam perdúcat ætérnam. Et fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen.

Deinde dicitur tantum Pater noster secreto, nisi sequatur alia Hora.

AD TERTIAM

Pater noster et Ave.

℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus

NUnc, Sancte, nobis, Spíritus,
Unum Patri cum Fílio,
Dignáre promptus íngeri
Nostro refúsus péctori.

Os, lingua, mens, sensus, vigor
Confessiónem pérsonent,
Flamméscat igne cáritas,
Accéndat ardor próximos.

* Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

Ant. Deus ádjuvat me.

Psalmus 53

DEus, in nómine tuo salvum me fac : * et in virtúte tua júdica me.

Deus, exáudi oratiónem meam : * áuribus pércipe verba oris mei.

Quóniam aliéni insurrexérunt advérsum me, et fortes quæsiérunt ánimam meam : * et non proposuérunt Deum ante conspéctum suum.

Ecce enim, Deus ádjuvat me : * et Dóminus suscéptor est ánimæ meæ.

Avérte mala inimícis meis : * et in veritáte tua dispérde illos.

Voluntárie sacrificábo tibi, * et confitébor nómini tuo, Dómine : quóniam bonum est :

Quóniam ex omni tribulatióne eripuísti me : * et super inimícos meos despéxit óculus meus.

Psalmus 54, i

EXáudi, Deus, oratiónem meam, et ne despéxeris deprecatiónem meam : * inténde mihi, et exáudi me.

Contristátus sum in exercitatióne mea : * et conturbátus sum a voce inimíci, et a tribulatióne peccatóris.

Quóniam declinavérunt in me iniquitátes : * et in ira molésti erant mihi.

Cor meum conturbátum est in me : * et formído mortis cécidit super me.

Timor et tremor venérunt super me : * et contexérunt me ténebræ.

Et dixi : Quis dabit mihi pennas sicut colúmbæ, * et volábo, et requiéscam?

Ecce, elongávi fúgiens : * et mansi in solitúdine.

Exspectábam eum, qui salvum me fecit * a pusillanimitáte spíritus et tempestáte.

Præcípita, Dómine, dívide linguas eórum : * quóniam vidi iniquitátem, et contradictiónem in civitáte.

Die ac nocte circúmdabit eam super muros ejus iníquitas : * et labor in médio ejus, et injustítia.

Et non defécit de platéis ejus * usúra, et dolus.

Quóniam si inimícus meus maledixísset mihi, * sustinuíssem útique.

Et si is, qui óderat me, super me magna locútus fuísset, * abscondíssem me fórsitan ab eo.

Tu vero, homo unánimis : * dux meus, et notus meus :

Qui simul mecum dulces capiébas cibos : * in domo Dei ambulávimus cum consénsu.

Véniat mors super illos : * et descéndant in infernum vivéntes :

Quóniam nequítiæ in habitáculis eórum : * in médio eórum.

Psalmus 54, ii

EGO autem ad Deum clamávi : et Dóminus salvábit me.

Véspere, et mane, et merídie narrábo et annuntiábo : * et exáudiet vocem meam.

Rédimet in pace ánimam meam ab his, qui appropínquant mihi : * quóniam inter multos erant mecum.

Exáudiet Deus, et humiliábit illos, * qui est ante sæcula.

Non enim est illis commutátio, et non timuérunt Deum : * exténdit manum suam in retribuéndo.

Contaminavérunt testaméntum ejus, divísi sunt ab ira vultus ejus : * et appropinquávit cor illíus.

Mollíti sunt sermónes ejus super óleum : * et ipsi sunt jácula.

Jacta super Dóminum curam tuam, et ipse te enútriet : * non dabit in ætérnum fluctuatiónem justo.

Tu vero, Deus, dedúces eos, * in púteum intéritus.

Viri sánguinum, et dolósi non dimidiábunt dies suos : * ego autem sperábo in te, Dómine.

Ant. Deus ádjuvat me : et Dóminus suscéptor est ánimæ meæ.

In Officio feriali

Capitulum Jer. 17, 14

SAna me, Dómine, et sanábor : salvum me fac, et salvus ero : quóniam laus mea tu es.

℟. br. Sana ánimam meam, * Quia peccávi tibi. Sana. ℣. Ego dixi : Dómine, miserére mei. Quia. Glória Patri. Sana.

℣. Adjútor meus esto, ne derelínquas me. ℟. Neque despícias me, Deus, salutáris meus.

In Vigiliis communibus :

Preces feriales

KYrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo. ℣. Dómine, Deus virtútum, convérte nos. ℟. Et osténde fáciem tuam, et salvi érimus. ℣. Exsúrge, Christe, ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum. ℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Reliqua ut in Ordinario. 19

AD SEXTAM

Pater noster et Ave.

℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus

RECtor potens, verax Deus,
Qui témperas rerum vices,
Splendóre mane illúminas,
Et ígnibus merídiem :

Exstingue flammas lítium,
Aufer calórem nóxium,
Confer salútem córporum,
Verámque pacem córdium.

* Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

Ant. In Deo sperávi.

Psalmus 55

MIserére mei, Deus, quóniam conculcávit me homo : * tota die impúgnans tribulávit me.

Conculcavérunt me inimíci mei tota die : * quóniam multi bellántes adversum me.

Ab altitúdine diéi timébo : * ego vero in te sperábo.

In Deo laudábo sermónes meos, in Deo sperávi : * non timébo quid fáciat mihi caro.

Tota die verba mea exsecrabántur : * advérsum me omnes cogitatiónes eórum in malum.

Inhabitábunt et abscóndent : * ipsi calcáneum meum observábunt.

Sicut sustinuérunt ánimam meam, pro níhilo salvos fácies illos : * in ira pópulos confríinges.

Deus, vitam meam annuntiávi tibi : * posuísti lácrimas meas in conspéctu tuo.

Sicut et in promissióne tua : * tunc converténtur inimíci mei retrórsum :

In quacúmque die invocávero te : * ecce, cognóvi, quóniam Deus meus es.

In Deo laudábo verbum, in Dómino laudábo sermónem : * in Deo sperávi, non timébo quid fáciat mihi homo.

In me sunt, Deus, vota tua, * quæ reddam, laudatiónes tibi.

Quóniam eripuísti ánimam meam de morte, et pedes meos de lapsu : * ut pláceam coram Deo in lúmine vivéntium.

Psalmus 56

MIserére mei, Deus, miserére mei : * quóniam in te confídit ánima mea.

Et in umbra alárum tuárum sperábo, * donec tránseat iníquitas.

Clamábo ad Deum altíssimum : * Deum qui benefécit mihi.

Misit de cælo, et liberávit me : * dedit in oppróbrium conculcántes me.

Misit Deus misericórdiam suam, et veritátem suam, * et erípuit ánimam meam de médio catulórum leónum : dormívi conturbátus.

Fílii hóminum dentes eórum arma et sagíttæ : * et lingua eórum gládius acútus.

Exaltáre super cælos, Deus, * et in omnem terram glória tua.

Láqueum paravérunt pédibus meis : * et incurvavérunt ánimam meam.

Fodérunt ante fáciem meam fóveam : * et incidérunt in eam.

Parátum cormeum, Deus, parátum cor meum : * cantábo, et psalmum dicam.

Exsúrge, glória mea, exsúrge, psaltérium et cithara : * exsúrgam dilúculo.

Confitébor tibi in pópulis, Dómine : * et psalmum dicam tibi in géntibus :

Quóniam magnificáta est usque ad cælos misericórdia tua, * et usque ad nubes véritas tua.

Exaltáre super cælos Deus : * et super omnem terram glória tua.

Psalmus 57

SI vere útique justítiam loquímini : * recta judicáte, fílii hóminum.

Etenim in corde iniquitátes operámini : * in terra injustítias manus vestræ concínnant.

Alienáti sunt peccatóres a vulva, erravérunt ab útero : * locúti sunt falsa.

Furor illis secúndum similitúdinem serpéntis : * sicut áspidis surdæ, et obturántis aures suas.

Quæ non exáudiet vocem incantántium : * et venéfici incantántis sapiénter.

Deus cónteret dentes eórum in ore ipsórum : * molas leónum confrínget Dóminus.

Ad níhilum devénient tamquam aqua decúrrens : * inténdit arcum suum donec infirméntur.

Sicut cera, quæ fluit, auferéntur : * supercécidit ignis, et non vidérunt solem.

Priúsquam intellígerent spinæ vestræ rhamnum : * sicut vivéntes, sic in ira absórbet eos.

Lætábitur justus cum víderit vindictam : * manus suas lavábit in sánguine peccatóris.

Et dicet homo : Si útique est fructus justo : * útique est Deus júdicans eos in terra.

Ant. In Deo sperávi, non timébo quid fáciat mihi homo.

In Officio feriali

Capitulum Rom. 13, 8

NEmini quidquam debeátis, nisi ut ínvicem diligátis : qui enim díligit próximum, legem implévit.

℟. br. Benedícam Dóminum * In omni témpore. Benedícam. ℣. Semper laus ejus in ore meo. In omni témpore. Glória Patri. Benedícam. ℣. Dóminus regit me, et nihil mihi déerit. ℟. In loco páscuæ ibi me collocávit.

In Vigiliis communibus :

Preces feriales

KYrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed libera nos a malo. ℣. Dómine, Deus virtútum, convérte nos. ℟. Et osténde fáciem tuam, et salvi érimus. ℣. Exsúrge, Christe, ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum. ℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Reliqua ut in Ordinario. 20

AD NONAM

Pater noster et Ave.

℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus

RErum, Deus, tenax vigor,
Immótus in te pérmanens,
Lucis diúrnæ témpora
Successíbus detérminans :

Largíre lumen véspere,
Quo vita nusquam décidat,
Sed prémium mortis sacræ
Perénnis instet glória.

* Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,

Cum Spiritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

Ant. Deus meus.

Psalmus 58, i

Ripe me de inimícis meis, Deus meus : * et ab insurgéntibus in me libera me.

Eripe me de operántibus iniquitátem : * et de viris sánguinum salva me.

Quia ecce cepérunt ánimam meam : * irruérunt in me fortes.

Neque iníquitas mea, neque peccátum meum, Dómine, * sine iniquitáte cucúrri, et diréxi.

Exsúrge in occúrsum meum, et vide : * et tu, Dómine, Deus virtútum, Deus Israël,

Inténde ad visitándas omnes gentes : * non misereáris ómnibus, qui operántur iniquitátem.

Convertántur ad vésperam : et famem patiántur ut canes, * et circuibunt civitátem.

Ecce, loquéntur in ore suo, et gládius in lábiis eórum : * quóniam quis audivit?

Et tu, Dómine, deridébis eos : * ad níhilum dedúces omnes gentes.

Fortitúdinem meam ad te custódiam, quia, Deus, suscéptor meus es : * Deus meus, misericórdia ejus prævéniet me.

Psalmus 58, ii

Deus osténdet mihi super inimícos meos, ne occídas eos : * nequándo obliviscántur pópuli mei.

Dispérge illos in virtúte tua : * et depóne eos, protéctor meus, Dómine :

Delictum oris eórum, sermónem labiórum ipsórum : * et comprehendántur in supérbia sua.

Et de exsecratióne et mendácio annuntiabúntur in consummatióne : * in ira consummatiónis, et non erunt.

Et scient quia Deus dominábitur Jacob : * et fínium terræ.

Convertántur ad vésperam : et famem patiántur ut canes, * et circuibunt civitátem.

Ipsi dispergántur ad manducándum : * si vero non fúerint saturáti, et murmurábunt.

Ego autem cantábo fortitúdinem tuam : * et exsultábo mane misericórdiam tuam.

Quia factus es suscéptor meus, * et refúgium meum, in die tribulatiónis meæ.

Adjútor meus, tibi psallam, quia, Deus, suscéptor meus es : * Deus meus, misericórdia mea. Gl.

Psalmus 59

Deus, repulísti nos, et destruxísti nos : * irátus es, et misértus es nobis.

Commovísti terram, et conturbásti eam : * sana contritiónes ejus, quia commóta est.

Ostendísti pópulo tuo dura : * potásti nos vino compunctiónis.

Dedísti metuéntibus te significatiónem : * ut fúgiant a fácie arcus :

Ut liberéntur dilécti tui : * salvum fac déxtera tua, et exáudi me.

Deus locútus est in sancto suo : * Lætábor, et partíbor Síchimam : et convállem tabernaculórum metíbor.

Meus est Gálaad, et meus est Manásses : * et Ephraïm fortitúdo cápitis mei.

Juda rex meus : * Moab olla spei meæ.

In Idumæam exténdam calceaméntum meum : * mihi alienigenæ súbditi sunt.

Quis dedúcet me in civitátem munítam? * quis dedúcet me usque in Idumæam?

Nonne tu, Deus, qui repulísti nos, * et non egrediéris, Deus, in virtútibus nostris?

Da nobis auxílium de tribulatióne : * quia vana salus hóminis.

In Deo faciémus virtútem : * et ipse ad nihilum dedúcet tribulántes nos.

Ant. Deus meus, misericórdia tua prævéniet me.

In Officio feriali

Capit. 1 Petri 1, 17-19

In timóre incolátus vestri témpore conversámini : sciéntes quod non corruptibílibus auro vel argénto redémpti estis, sed pretióso sánguine quasi Agni immaculáti Christi.

℟. br. Rédime me, Dómine, * Et miserére mei. Rédime. ℣. Pes enim meus stetit in via recta. Et miserére mei. Glória Patri. Rédime. ℣. Ab occúltis meis munda me, Dómine. ℟. Et ab aliénis parce servo tuo.

In Vigiliis communibus :

Preces feriales

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo. ℣. Dómine, Deus virtútum, convérte nos. ℟. Et osténde fáciem tuam, et salvi érimus. ℣. Exsúrge, Christe, ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum. ℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Reliqua ut in Ordinario, 22

AD VESPERAS

Pater noster et Ave.

℣. Deus, in adjutórium.

Ant. Beáti omnes, * † qui timent Dóminum. ‡

Psalmus 127

Beáti omnes, † qui timent Dóminum, * ‡ ‡ qui ámbulant in viis ejus.

Labóres mánuum tuárum quia manducábis : * beátus es, et bene tibi erit.

Uxor tua sicut vitis abúndans, * in latéribus domus tuæ.

Filii tui sicut novéllæ olivárum, * in circúitu mensæ tuæ.

Ecce, sic benedicétur homo, * qui timet Dóminum.

Benedícat tibi Dóminus ex Sion : * et vídeas bona Jerúsalem ómnibus diébus vitæ tuæ.

Et vídeas fílios filiórum tuórum, * pacem super Israël.

Ant. Beáti omnes, qui timent Dóminum.

Ant. Confundántur omnes, * qui odérunt Sion.

Psalmus 128

Sæpe expugnavérunt me a juventúte mea, * dicat nunc Israël :

Sæpe expugnavérunt me a juventúte mea : * étenim non potuérunt mihi.

Supra dorsum meum fabricavérunt peccatóres : * prolongavérunt iniquitátem suam.

Dóminus justus concídit cervíces peccatórum : * confundántur et convertántur retrórsum omnes, qui odérunt Sion.

Fiant sicut fœnum tectórum : * quod priúsquam evellátur, exáruit :

De quo non implévit manum suam qui metit, * et sinum suum qui manípulos cólligit.

Et non dixérunt qui præteríbant : Benedíctio Dómini super vos : * benedíximus vobis in nómine Dómini.

Ant. Confundántur omnes, qui odérunt Sion.

Ant. De profúndis * † clamávi ad te, Dómine. ‡

Psalmus 129

De profúndis † clamávi ad te, Dómine : * ‡ Dómine, exáudi vocem meam :

Fiant aures tuæ intendéntes, * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes observáveris, Dómine : * Dómine, quis sustinébit?

Quia apud te propitiátio est : * et propter legem tuam sustínui te, Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus : * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem : * speret Israël in Dómino.

Quia apud Dóminum misericórdia : * et copiósa apud eum redémptio.

Et ipse rédimet Israël, * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Ant. De profúndis clamávi ad te, Dómine.

Ant. Dómine, * † non est exaltátum cor meum. ‡

Psalmus 130

DOmine, † non est exaltátum cor meum : * ‡ neque eláti sunt óculi mei.

Neque ambulávi in magnis : * neque in mirabílibus super me.

Si non humíliter sentiébam : * sed exaltávi ánimam meam :

Sicut ablactátus est super matre sua, * ita retribútio in ánima mea.

Speret Israël in Dómino, * ex hoc nunc et usque in sæculum.

Ant. Dómine, non est exaltátum cor meum.

Ant. Elégit Dóminus * Sion in habitatiónem sibi.

Psalmus 131

MEménto, Dómine, David, * et omnis mansuetúdinis ejus :

Sicut jurávit Dómino, * votum vovit Deo Jacob :

Si introíero in tabernáculum domus meæ, * si ascéndero in lectum strati mei :

Si dédero somnum óculis meis, * et pálpebris meis dormitatiónem :

Et réquiem tempóribus meis : donec invéniam locum Dómino, * tabernáculum Deo Jacob.

Ecce, audívimus eam in Ephrata : * invénimus eam in campis silvæ.

Introíbimus in tabernáculum ejus : * adorábimus in loco, ubi stetérunt pedes ejus.

Surge, Dómine, in réquiem tuam, * tu et arca sanctificatiónis tuæ.

Sacerdótes tui induántur justítiam : * et sancti tui exsúltent.

Propter David, servum tuum, * non avértas fáciem Christi tui.

Jurávit Dóminus David veritátem, et non frustrábitur eam : * De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Si custodíerint fílii tui testaméntum meum, * et testimónia mea hæc, quæ docébo eos :

Et fílii eórum usque in sæculum, * sedébunt super sedem tuam.

Quóniam elégit Dóminus Sion : * elégit eam in habitatiónem sibi.

Hæc réquies mea in sæculum sæculi : * hic habitábo quóniam elégi eam.

Víduam ejus benedícens benedícam : * páuperes ejus saturábo pánibus.

Sacerdótes ejus índuam salutári : * et sancti ejus exsultatióne exsultábunt.

Illuc prodúcam cornu David, * parávi lucérnam Christo meo.

Inimícos ejus índuam confusióne : * super ipsum autem efflorébit sanctificátio mea.

Ant. Elégit Dóminus Sion in habitatiónem sibi.

In Officio feriali

Capitulum 2 Cor. 1, 3-4

BEnedíctus Deus, et Pater Dómini nostri Jesu Christi, Pater misericordiárum, et Deus totíus consolatiónis, qui consolátur nos in omni tribulatióne nostra.

Hymnus

CÆli Deus sanctíssime,
Qui lúcidas mundi plagas
Candóre pingis ígneo,
Augens decóro lúmine :

Quarto die qui flámmeam
Dum solis accéndis rotam,
Lunæ minístras órdinem,
Vagósque cursus síderum :

Ut nóctibus, vel lúmini
Diremptiónis términum,
Primórdiis et ménsium
Signum dares notíssimum;

Expélle noctem córdium :
Abstérge sordes méntium :
Resólve culpæ vínculum :
Evérte moles críminum.

Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

℣. Dirigátur, Dómine, orátio mea. ℟. Sicut incénsum ín conspéctu tuo.

Ad Magnif. Ant. Respéxit Dóminus * humilitátem meam, et fecit in me magna, qui potens est.

Reliqua ut in Ordinario. 22

AD COMPLETORIUM

℣. Jube, domne.

Bened. Noctem quiétam, et finem perféctum concédat nobis Dóminus omnípotens. ℟. Amen.

Lectio br. 1 Petri 5, 8-9

FRatres : Sóbrii estóte, et vigiláte : quia adversárius vester diábolus tamquam leo rúgiens circuit, quærens quem dévoret : cui resístite fortes in fide. Tu autem, Dómine, miserére nobis.

℟. Deo grátias.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

Pater noster, quod dicitur totum secreto.

Confíteor. Misereátur. Indulgéntiam.

℣. Convérte nos, Deus, salutáris noster. ℟. Et avérte iram tuam a nobis.

℣. Deus, in adjutórium.

Ant. Immíttet Angelus Dómini.

Psalmus 33, i

Enedícam Dóminum in omni témpore : * semper laus ejus in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea : * áudiant mansuéti, et læténtur.

Magnificáte Dóminum mecum : * et exaltémus nomen ejus in idípsum.

Exquisívi Dóminum, et exaudívit me : * et ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

Accédite ad eum, et illumináminí : * et fácies vestræ non confundéntur.

Ipse pauper clamávit, et Dóminus exaudívit eum : * et de ómnibus tribulatiónibus ejus salvávit eum.

Immíttet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum : * et erípiet eos.

Gustáte, et vidéte quóniam suávis est Dóminus : * beátus vir, qui sperat in eo.

Timéte Dóminum, omnes sancti ejus : * quóniam non est inópia timéntibus eum.

Divites eguérunt et esuriérunt : * inquiréntes autem Dóminum non minuéntur omni bono.

Psalmus 33, ii

VEníte, fílii, audíte me : * timórem Dómini docébo vos.

Quis est homo qui vult vitam : * díligit dies vidére bonos?

Próhibe linguam tuam a malo : * et lábia tua ne loquántur dolum.

Divérte a malo, et fac bonum : * inquíre pacem, et perséquere eam.

Oculi Dómini super justos : * et aures ejus in preces eórum.

Vultus autem Dómini super faciéntes mala : * ut perdat de terra memóriam eórum.

Clamavérunt justi, et Dóminus exaudívit eos : * et ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Juxta est Dóminus iis, qui tribuláto sunt corde : * et húmiles spíritu salvábit.

Multæ tribulatiónes justórum : * et de ómnibus his liberábit eos Dóminus.

Custódit Dóminus ómnia ossa eórum : * unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péssima : * et qui odérunt justum, delínquent.

Rédimet Dóminus ánimas servórum suórum : * et non delínquent omnes qui sperant in eo.

Psalmus 60

EXáudi, Deus, deprecatiónem meam : * inténde oratióni meæ.

A fínibus terræ ad te clamávi : * dum anxiarétur cor meum, in petra exaltásti me.

Deduxísti me, quia factus es spes mea : * turris fortitúdinis a fácie inimíci.

Inhabitábo in tabernáculo tuo in sæcula : * prótegar in velaménto alárum tuárum.

Quóniam tu, Deus meus, exaudísti oratiónem meam : * dedísti hereditátem timéntibus nomen tuum.

Dies super dies regis adjícies : * annos ejus usque in diem generatiónis et generatiónis.

Pérmanet in ætérnum in conspéctu Dei : * misericórdiam et veritátem ejus quis requiret?

Sic psalmum dicam nómini tuo in sæculum sæculi : * ut reddam vota mea de die in diem.

Ant. Immíttet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum : et erípiet eos.

Hymnus

TE lucis ante términum,
Rerum Creátor, póscimus,
Ut pro tua cleméntia
Sis præsul et custódia.

Procul recédant sómnia,
Et nóctium phantásmata;
Hostémque nostrum cómprime,
Ne polluántur córpora.

* Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

Capitulum Jer. 14, 9

TU autem in nobis es, Dómine, et nomen sanctum tuum invocátum est super nos : ne derelínquas nos, Dómine, Deus noster. ℟. br. In manus tuas, Dómine, * ComménDo spíritum meum. In manus. ℣. Redemísti nos, Dómine, Deus veritátis. Comméndo. Glória Patri. In manus. ℣. Custódi nos, Dómine, ut pupíllam óculi. ℟. Sub umbra alárum tuárum prótege nos.

Ant. Salva nos.

Canticum Simeonis
Luc. 2, 29-32

NUnc dimíttis servum tuum, Dómine, * secúndum verbum tuum in pace :

Quia vidérunt óculi mei * salutáre tuum,

Quod parásti * ante fáciem ómnium populórum,

Lumen ad revelatiónem géntium, * et glóriam plebis tuæ Israël.

Glória Patri.

Ant. Salva nos, Dómine, vigiléntes, custódi nos dormiéntes; ut vigilémus cum Christo, et requiescámus in pace.

Preces (si dicendæ sint)

KYrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Credo in Deum secreto usque ad ℣. Carnis resurrectiónem. ℟. Vitam ætérnam. Amen. ℣. Benedíctus es, Dómine, Deus patrum nostrórum. ℟. Et laudábilis et gloriósus in sæcula. ℣. Benedicámus Patrem et Fílium cum Sancto Spíritu. ℟. Laudémus, et superexaltémus eum in sæcula. ℣. Benedíctus es, Dómine, in firmaménto cæli. ℟. Et laudábilis, et gloriósus, et superexaltátus in sæcula. ℣. Benedícat et custódiat nos omnípotens et miséricors Dóminus. ℟. Amen. ℣. Dignáre, Dómine, nocte ista. ℟. Sine peccáto nos custodíre. ℣. Miserére nostri, Dómine. ℟. Miserére nostri. ℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te. ℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobiscum.

Orémus. Oratio

VIsita, quæsumus, Dómine, habitatiónem istam, et omnes insídias inimíci ab ea longe repélle : Angeli tui sancti hábitent in ea, qui nos in pace custódiant; et benedíctio tua sit super nos semper. Per Dóminum. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobiscum.
℣. BenedicámusDómino.

Benedictio Benedícat et custódiat nos omnípotens et miséricors Dóminus, Pater, et Fílius, et Spíritus Sanctus. ℟. Amen.

Antiphona finalis B. M. V.

℣. Divínum auxílium.

Pater noster, Ave María et Credo.

FERIA QUINTA

AD MATUTINUM

Pater, Ave et Credo.
℣. Dómine, lábia mea.
℣. Deus, in adjutórium.

In Officio feriali

Invít. Regem ventúrum Dóminum, * Veníte, adorémus.

Hymnus

NOX atra rerum cónteGit
Terræ colóres ómnium :
Nos confiténtes póscimus
Te, juste judex córdium :

Ut áuferas piácula,
Sordésque mentis ábluas :
Donésque, Christe, grátiam,
Ut arceántur crímina.

Mens ecce torpet ímpia,
Quam culpa mordet nóxia :
Obscúra gestit tóllere,
Et te, Redémptor, quærere.

Repélle tu calíginem
Intrínsecus quam máxime,
Ut in beáto gáudeat
Se collocári lúmine.

Præsta, Pater piissime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

In I Nocturno

Ant. In Deo salutáre meum, * et glória mea : et spes mea in Deo est.

Psalmus 61

Onne Deo subjécta erit ánima mea? * ab ipso enim salutáre meum.

Nam et ipse Deus meus, et salutáris meus : * susceptor meus, non movébor ámplius.

Quoúsque irrúitis in hóminem? * interfícitis univérsi vos : tamquam paríeti inclináto et macériæ depúlsæ?

Verúmtamen prétium meum cogitavérunt repéllere, cucúrri in siti : * ore suo benedicébant, et corde suo maledicébant.

Verúmtamen Deo subjécta esto, ánima mea : * quóniam ab ipso patiéntia mea.

Quia ípse Deus meus, et salvátor meus : * adjútor meus, non emigrábo.

In Deo salutáre meum, et glória mea : * Deus auxílii mei, et spes mea in Deo est.

Speráte in eo, omnis congregátio pópuli, effúndite coram illo corda vestra : *

Deus adjútor noster in ætérnum.

Verúmtamen vani fílii hóminum, mendáces fílii hóminum in statéris : * ut decípiant ipsi de vanitáte in idípsum.

Nolíte speráre in iniquitáte, et rapínas nolíte concupíscere : * divítiæ si áffluant, nolíte cor appónere.

Semel locútus est Deus, duo hæc audívi, quia potéstas Dei est, et tibi, Dómine, misericórdia : * quia tu reddes unicuíque juxta ópera sua.

Ant. In Deo salutáre meum, et glória mea : et spes mea in Deo est.

Ant. Vidéte ópera Dómini, * et audítam fácite vocem laudis ejus.

Psalmus 65, i

JUbiláte Deo, omnis terra, psalmum dícite nómini ejus : * date glóriam laudi ejus.

Dícite Deo : Quam terribília sunt ópera tua, Dómine! * in multitúdine virtútis tuæ mentiéntur tibi inimíci tui.

Omnis terra adóret te, et psallat tibi : * psalmum dicat nómini tuo.

Veníte, et vidéte ópera Dei : * terríbilis in consíliis super fílios hóminum.

Qui convértit mare in áridam, in flúmine pertransíbunt pede : * ibi lætábimur in ipso.

Qui dominántur in virtúte sua in ætérnum, óculi ejus super gentes respíciunt : * qui exásperant non exalténtur in semetípsis.

Benedícite, gentes, Deum nostrum : * et audítam fácite vocem laudis ejus,

Qui pósuit ánimam meam ad vitam : * et non dedit in commotiónem pedes meos.

Quóniam probásti nos, Deus : * igne nos examinásti, sicut examinátur argéntum.

Induxísti nos in láqueum, posuísti tribulatiónes in dorso nostro : * imposuísti hómines super cápita nostra.

Transívimus per ignem et aquam : * et eduxísti nos in refrigérium.

Ant. Vidéte ópera Dómini, et audítam fácite vocem laudis ejus.

Ant. Audíte, omnes, * qui timétis Deum, quanta fecit ánimæ meæ.

Psalmus 65, ii

INtroíbo in domum tuam in holocáustis : * reddam tibi vota mea, quæ distinxérunt lábia mea.

Et locútum est os meum, * in tribulatióne mea.

Holocáusta medulláta ófferam tibi cum incénso arietum : * ófferam tibi boves cum hircis.

Venite, audite, et narrábo, omnes, qui timétis Deum, * quanta fecit ánimæ meæ.

Ad ipsum ore meo clamávi, * et exaltávi sub lingua mea.

Iniquitátem si aspéxi in corde meo, * non exáudiet Dóminus.

Proptérea exaudivit Deus, * et atténdit voci deprecatiónis meæ.

Benedictus Deus, * qui non amóvit oratiónem meam, et misericórdiam suam a me.

Ant. Audíte, omnes, qui timétis Deum, quanta fecit ánimæ meæ.

In Festis novem Lectionum :

℣. Non amóvit Dóminus oratiónem meam. ℟. Et misericórdiam suam a me.

Absolutio. Exáudi, Dómine.

Bened. 1 Benedictióne perpétua. 2 Unigénitus Dei Fílius. 3 Spíritus Sancti grátia.

In II Nocturno

Ant. Exsúrgat Deus, * † et dissipéntur inimici ejus. ‡

Psalmus 67, i

EXsúrgat Deus, † et dissipéntur inimíci ejus, * ‡ et fúgiant qui odérunt eum, a fácie ejus.

Sicut déficit fumus, deficiant : * sicut fluit cera a fácie ignis, sic péreant peccatóres a fácie Dei.

Et justi epuléntur, et exsúltent in conspéctu Dei : * et delecténtur in lætítia.

Cantáte Deo, psalmum dícite nómini ejus : * iter fácite ei, qui ascéndit super occásum : Dóminus nomen illi.

Exsultáte in conspéctu ejus : * turbabúntur a fácie ejus, patris orphanórum, et júdicis viduárum.

Deus in loco sancto suo : * Deus qui inhabitáre facit unius moris in domo :

Qui edúcit vinctos in fortitúdine, * similiter eos, qui exásperant, qui hábitant in sepúlcris.

Deus, cum egrederéris in conspéctu pópuli tui, * cum pertransires in desérto :

Terra mota est, étenim cæli distillavérunt a fácie Dei Sínaï, * a fácie Dei Israël.

Plúviam voluntáriam segregábis, Deus, hereditáti tuæ : * et infirmáta est, tu vero perfecísti eam.

Animália tua habitábunt in ea : * parásti in dulcédine tua páuperi, Deus.

Ant. Exsúrgat Deus, et dissipéntur inimíci ejus.

Ant. Deus noster, * Deus salvos faciéndi : et Dómini sunt éxitus mortis.

Psalmus 67, ii

DOminus dabit verbum evangelizántibus, * virtúte multa.

Rex virtútum dilécti dilécti : * et speciéi domus divídere spólia.

Si dormiátis inter médios cleros, pennæ colúmbæ deargentátæ, * et posterióra dorsi ejus in pallóre auri.

Dum discérnit cæléstis reges super eam, nive dealbabúntur in Selmon : * mons Dei, mons pinguis.

Mons coagulátus, mons pinguis : * ut quid suspicámini montes coagulátos?

Mons, in quo beneplácitum est Deo habitáre in eo : * étenim Dóminus habitábit in finem.

Currus Dei decem míllibus múltiplex, míllia lætántium : * Dóminus in eis in Sina in sancto.

Ascendísti in altum, cepísti captivitátem : * accepísti dona in homínibus :

Etenim non credéntes, * inhabitáre Dóminum Deum.

Benedíctus Dóminus die quotídie : * prósperum iter fáciet nobis Deus salutárium nostrórum.

Deus noster, Deus salvos faciéndi : * et Dómini Dómini éxitus mortis.

Verúmtamen Deus confrínget cápita inimicórum suórum : * vérticem capílli perambulántium in delíctis suis.

Dixit Dóminus : Ex Basan convértam, * convértam in profúndum maris :

Ut intingátur pes tuus in sánguine : * lingua canum tuórum ex inimícis, ab ipso.

Ant. Deus noster, Deus salvos faciéndi : et Dómini sunt éxitus mortis.

Ant. In ecclésiis * benedícite Dómino Deo.

Psalmus 67, iii

VIdérunt ingréssus tuos, Deus, * ingréssus Dei mei : regis mei qui est in sancto.

Prævenérunt príncipes conjúncti psalléntibus, * in médio juvenculárum tympanistriárum.

In ecclésiis benedícite Deo Dómino, * de fóntibus Israël.

Ibi Bénjamin adolescéntulus, * in mentis excéssu.

Príncipes Juda, duces eórum : * príncipes Zábulon, príncipes Néphthali.

Manda, Deus, virtúti tuæ : * confírma hoc, Deus, quod operátus es in nobis.

A templo tuo in Jerúsalem, * tibi ófferent reges múnera.

Increpa feras arúndinis, congregátio taurórum in vaccis populórum : * ut

exclúdant eos, qui probáti sunt argénto.

Dissipa gentes, quæ bella volunt : vénient legáti ex Ægýpto : * Æthiópia prævéniet manus ejus Deo.

Regna terræ, cantáte Deo : * psállite Dómino.

Psállite Deo, qui ascéndit super cælum cæli, * ad Oriéntem.

Ecce, dabit voci suæ vocem virtútis, date glóriam Deo super Israël, * magnificéntia ejus, et virtus ejus in núbibus.

Mirábilis Deus in sanctis suis, Deus Israël ipse dabit virtútem, et fortitúdinem plebi suæ, * benedíctus Deus.

Ant. In ecclésiis benedícite Dómino Deo.

In Festis novem Lectionum :

℣. Mirábilis Deus in sanctis suis. ℟. Deus Israël dabit virtútem plebi tuæ.

Absolutio. Ipsíus píetas et.

Bened. 4 Deus Pater omnípotens. 5 Christus perpétuæ. 6 Ignem sui amóris.

In III Nocturno

Ant. Salvum me fac, * † Deus : quóniam intravérunt aquæ usque ad ánimam meam. ‡

Psalmus 68, i

SAlvum me fac, † Deus : * quóniam intravérunt aquæ usque ad ánimam meam. ‡

Infíxus sum in limo profúndi : * et non est substántia.

Veni in altitúdinem maris : * et tempéstas demérsit me.

Laborávi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ : * defecérunt óculi mei, dum spero in Deum meum.

Multiplicáti sunt super capíllos cápitis mei, * qui odérunt me gratis.

Confortáti sunt qui persecúti sunt me inimíci mei injúste : * quæ non rápui, tunc exsolvébam.

Deus, tu scis insipiéntiam meam : * et delícta mea a te non sunt abscóndita.

Non erubéscant in me qui exspéctant te, Dómine, * Dómine virtútum.

Non confundántur super me * qui quærunt te, Deus Israël.

Quóniam propter te sustínui oppróbrium : * opéruit confúsio fáciem meam.

Extráneus factus sum frátribus meis, * et peregrínus fíliis matris meæ.

Quóniam zelus domus tuæ comédit me : * et oppróbria exprobrántium tibi cecidérunt super me.

Et opérui in jejúnio ánimam meam : * et factum est in oppróbrium mihi.

Et pósui vestiméntum meum cilícium : * et factus sum illis in parábolam.

Advérsum me loquebántur, qui sedébant in porta : * et in me psallébant qui bibébant vinum.

Ego vero oratiónem meam ad te, Dómine : * tempus benepláciti, Deus.

Ant. Salvum me fac, Deus : quóniam intravérunt aquæ usque ad ánimam meam.

Psalmus 68, ii

IN multitúdine misericórdiæ tuæ exáudi me, * in veritáte salútis tuæ :

Eripe me de luto, ut non infígar : * líbera me ab iis, qui odérunt me, et de profúndis aquárum.

Non me demérgat tempéstas aquæ, neque absórbeat me profúndum : * neque úrgeat super me púteus os suum.

Exáudi me, Dómine, quóniam benígna est misericórdia tua : * secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum réspice in me.

Et ne avértas fáciem tuam a púero tuo : * quóniam tríbulor, velóciter exáudi me.

Inténde ánimæ meæ, et líbera eam : * propter inimícos meos éripe me.

Tu scis impropérium meum, et confusiónem meam, * et reveréntiam meam.

In conspéctu tuo sunt omnes qui tríbulant me, * impropérium exspectávit cor meum, et misériam.

Et sustínui qui simul contristarétur, et non fuit : * et qui consolarétur, et non invéni.

Et dedérunt in escam meam fel : * et in siti mea potavérunt me acéto.

Fiat mensa eórum coram ipsis in láqueum, * et in retributiónes, et in scándalum.

Obscuréntur óculi eórum ne vídeant : * et dorsum eórum semper incúrva.

Effúnde super eos iram tuam : * et furor iræ tuæ comprehéndat eos.

Fiat habitátio eórum desérta : * et in tabernáculis eórum non sit qui inhábitet.

Quóniam quem tu percussísti, persecúti sunt : * et super dolórem vúlnerum meórum addidérunt.

Appóne iniquitátem super iniquitátem eórum : * et non intrent in justítiam tuam.

Deleántur de libro vivéntium : * et cum justis non scribántur.

Ant. Propter inimícos meos éripe me, Dómine.

Ant. Quærite Dóminum, * et vivet ánima vestra.

Psalmus 68, iii

EGO sum pauper et dolens : * salus tua, Deus, suscépit me.

Laudábo nomen Dei cum cántico : * et magnificábo eum in laude :

Et placébit Deo super vítulum novéllum : * córnua producéntem et úngulas.

Vídeant páuperes et lætántur : * quærite Deum, et vivet ánima vestra.

Quóniam exaudívit páuperes Dóminus : * et vinctos suos non despéxit.

Laudent illum cæli et terra, * mare, et ómnia reptília in eis.

Quóniam Deus salvam fáciet Sion : * et ædificabúntur civitátes Juda.

Et inhabitábunt ibi, * et hereditáte acquírent eam.

Et semen servórum ejus possidébit eam, * et qui díligunt nomen ejus, habitábunt in ea.

Ant. Quærite Dóminum, et vivet ánima vestra.

In feriali Officio et in Festis :

℣. Laudábo nomen Dei cum cántico. ℟. Et magnificábo eum in laude.

In Officio
novem Lectionum

Absolutio. A vínculis.

Bened. 7 Evangélica léctio. 8 In Festis Domini : Divínum auxílium.

In Festis B. M. V. : Cujus festum cólimus, ipsa Virgo.

In Festis Sanctorum : Cujus (vel Quorum aut Quarum) festum cólimus. 9 Ad societátem. (Per evangélica dicta.)

In Officio
trium Lectionum

Absolutio. Exáudi, Dómine.

In Feriis cum Homilia :

Bened. 1 Evangélica. 2 Divínum. 3 Ad societátem.

In Feriis sine Homilia :

Bened. 1 Benedictióne. 2 Unigénitus. 3 Spíritus Sancti.

In Festis Sanctorum :

Bened. 1 Ille nos benedícat, qui sine fine vivit et regnat. ℟. Amen. 2 Cujus (vel Quorum aut Quarum). 3 Ad societátem.

AD LAUDES I

In Feriis extra Vigilias communes occurrentibus, atque in Festis.

(Pater noster et Ave.)

℣. Deus, in adjutórium.

Ant. Jubiláte * in conspéctu regis Dómini.

Psalmus 97

CAntáte Dómino cánticum novum : * quia mirabília fecit.

Salvávit sibi déxtera ejus : * et bráchium sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus salutáre suum : * in conspé-

ctu géntium revelávit justítiam suam.

Recordátus est misericórdiæ suæ, * et veritátis suæ dómui Israël.

Vidérunt omnes términi terræ * salutáre Dei nostri.

Jubiláte Deo, omnis terra : * cantáte, et exsultáte, et psállite.

Psállite Dómino in cíthara, in cíthara et voce psalmi : * in tubis ductílibus, et voce tubæ córneæ.

Jubiláte in conspéctu regis Dómini : * moveátur mare, et plenitúdo ejus : orbis terrárum, et qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, simul montes exsultábunt a conspéctu Dómini : * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in justítia, * et pópulos in æquitáte.

Ant. Jubiláte in conspéctu regis Dómini.

Ant. Dómine, * † refúgium factus es nobis. ‡

Psalmus 89

DOmine, † refúgium factus es nobis : * ‡ a generatióne in generatiónem.

Priúsquam montes fíerent, aut formarétur terra et orbis : * a sæculo et usque in sæculum tu es, Deus.

Ne avértas hóminem in humilitátem : * et dixísti : Convertímini, fílii hóminum.

Quóniam mille anni ante óculos tuos, * tamquam dies hestérna, quæ prætériit.

Et custódia in nocte, * quæ pro níhilo habéntur, eórum anni erunt.

Mane sicut herba tránseat, mane flóreat, et tránseat : * véspere décidat, indúret et aréscat.

Quia defécimus in ira tua, * et in furóre tuo turbáti sumus.

Posuísti iniquitátes nostras in conspéctu tuo : * sæculum nostrum in illuminatióne vultus tui.

Quóniam omnes dies nostri defecérunt : * et in ira tua defécimus.

Anni nostri sicut aránea meditabúntur : * dies annórum nostrórum in ipsis, septuagínta anni.

Si autem in potentátibus octogínta anni : * et ámplius eórum, labor et dolor.

Quóniam supervénit mansuetúdo : * et corripiémur.

Quis novit potestátem iræ tuæ : * et præ timóre tuo iram tuam dinumeráre?

Déxteram tuam sic notam fac : * et erudítos corde in sapiéntia.

Convértere, Dómine, úsquequo? * et deprecábilis esto super servos tuos.

Repléti sumus mane misericórdia tua : * et exsultávimus, et delectáti sumus ómnibus diébus nostris.

Lætáti sumus pro diébus, quibus nos humiliásti : * annis, quibus vídimus mala.

Réspice in servos tuos, et in ópera tua : * et dírige fílios eórum.

Et sit splendor Dómini, Dei nostri, super nos, et ópera mánuum nostrárum dírige super nos : * et opus mánuum nostrárum dírige.

Ant. Dómine, refúgium factus es nobis.

Ant. Dómine, * in cælo misericórdia tua.

Psalmus 35

DIxit injústus ut delinquat in semetípso : * non est timor Dei ante óculos ejus.

Quóniam dolóse egit in conspéctu ejus : * ut inveniátur iníquitas ejus ad ódium.

Verba oris ejus iníquitas, et dolus : * nóluit intellígere ut bene ágeret.

Iniquitátem meditátus est in cubíli suo : * ástitit omni viæ non bonæ, malítiam autem non odívit.

Dómine, in cælo misericórdia tua : * et véritas tua usque ad nubes.

Justítia tua sicut montes Dei : * judícia tua abýssus multa.

Hómines, et juménta salvábis, Dómine : * quemádmodum multiplicásti misericórdiam tuam, Deus.

Fílii autem hóminum, * in tégmine alárum tuárum sperábunt.

Inebriabúntur ab ubertáte domus tuæ : * et torrénte voluptátis tuæ potábis eos.

Quóniam apud te est fons vitæ : * et in lúmine tuo vidébimus lumen.

Præténde misericórdiam tuam sciéntibus te, * et justítiam tuam his, qui recto sunt corde.

Non véniat mihi pes superbiæ : * et manus peccatóris non móveat me.

Ibi cecidérunt qui operántur iniquitátem : * expúlsi sunt, nec potuérunt stare.

Ant. Dómine, in cælo misericórdia tua.

Ant. Pópulus meus, * ait Dóminus, bonis meis adimplébitur.

Canticum Jeremiæ

Jer. 31, 10-14

AUdíte verbum Dómini, gentes, * et annuntiáte in ínsulis, quæ procul sunt,

Et dícite : Qui dispérsit Israël, congregábit eum : * et custódiet eum sicut pastor gregem suum.

Redémit enim Dóminus Jacob, * et liberábit eum de manu potentióris.

Et vénient, et laudábunt in monte Sion : * et cónfluent ad bona Dómini.

Super fruménto, et vino, et óleo, * et fetu pécorum et armentórum :

Erítque ánima eórum quasi hortus irríguus, * et ultra non esúrient.

Tunc lætábitur virgo in choro, * júvenes et senes simul :

Et convértam luctum eórum in gáudium, * et consolábor eos, et lætificábo a dolóre suo.

Et inebriábo ánimam sacerdótum pinguédine : * et pópulus meus bonis meis adimplébitur.

Ant. Pópulus meus, ait Dóminus, bonis meis adimplébitur.

Ant. Deo nostro * jucúnda sit laudátio.

Psalmus 146

LAudáte Dóminum quóniam bonus est psalmus : * Deo nostro sit jucúnda, decóraque laudátio.

Ædíficans Jerúsalem Dóminus : * dispersiónes Israélis congregábit.

Qui sanat contrítos corde : * et álligat contritiónes eórum.

Qui número multitúdinem stellárum : * et ómnibus eis nómina vocat.

Magnus Dóminus noster, et magna virtus ejus : * et sapiéntiæ ejus non est número.

Suscípiens mansuétos Dóminus : * humílians autem peccatóres usque ad terram.

Præcínite Dómino in confessióne : * psállite Deo nostro in cíthara.

Qui óperit cælum núbibus : * et parat terræ plúviam.

Qui prodúcit in móntibus fœnum : * et herbam servitúti hóminum.

Qui dat juméntis escam ipsórum : * et pullis corvórum invocántibus eum.

Non in fortitúdine equi voluntátem habébit : * nec in tíbiis viri beneplácitum erit ei.

Beneplácitum est Dómino super timéntes eum : * et in eis, qui sperant super misericórdia ejus.

Ant. Deo nostro jucúnda sit laudátio.

In Officio feriali

Capit. Rom. 13, 12-13

NOX præcéssit, dies autem appropinquávit. Abjiciámus ergo ópera tenebrárum, et induámur arma lucis. Sicut in die honéste ambulémus.

Hymnus

LUX ecce surgit áurea,
Pallens facéssat cæcitas,
Quæ nosmet in præceps diu
Erróre traxit dévio.

Hæc lux serénum cónferat,
Purósque nos præstet sibi :
Nihil loquámur súbdolum :
Volvámus obscúrum nihil.

Sic tota decúrrat dies,
Ne lingua mendax, ne manus
Oculíve peccent lúbrici,
Ne noxa corpus ínquinet.

Speculátor astat désuper,
Qui nos diébus ómnibus,
Actúsque nostros próspicit
A luce prima in vésperum.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc et per omne sæculum. Amen.

℣. Repléti sumus mane misericórdia tua. ℟. Exsultávimus, et delectáti sumus.

Ad Bened. Ant. In sanctitáte * serviámus Dómino, et liberábit nos ab inimícis nostris.

Reliqua ut in Ordinario. 9

AD LAUDES II

In Vigiliis communibus, quando fit Officium de Feria.

(Pater noster et Ave.)

℣. Deus, in adjutórium.

Ant. Tibi soli peccávi.

Psalmus 50

MIserére mei, Deus, * secúndum magnam misericórdiam tuam.

Et secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum, * dele iniquitátem meam.

Amplius lava me ab iniquitáte mea : * et a peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognósco : * et peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, et malum coram te feci : * ut justificéris in sermónibus tuis, et vincas cum judicáris.

Ecce enim, in iniquitátibus concéptus sum : * et in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim, veritátem dilexísti : * incérta et occúlta sapiéntiæ tuæ manifestásti mihi.

Aspérges me hyssópo, et mundábor : * lavábis me, et super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium et lætítiam : * et exsultábunt ossa humiliáta.

Avérte fáciem tuam a peccátis meis : * et omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus : * et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

Ne projícias me a fácie tua : * et spíritum sanctum tuum ne áuferas a me.

Redde mihi lætítiam salutáris tui : * et spíritu principáli confírma me.

Docébo iníquos vias tuas : * et ímpii ad te converténtur.

Líbera me de sanguínibus, Deus, Deus salútis meæ : * et exsultábit lingua mea justítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries : * et os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam si voluísses sacrifícium, dedíssem útique : * holocáustis non delectáberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribulátus : * cor contrítum, et humiliátum, Deus, non despícies.

Benígne fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion : * ut ædificéntur muri Jerúsalem.

Tunc acceptábis sacrifícium justítiæ, oblatiónes, et holocáusta : * tunc impónent super altáre tuum vítulos.

Ant. Tibi soli peccávi, Dómine : miserére mei.

Ant. Convértere, Dómine.

Psalmus 89

DOmine, refúgium factus es nobis : * a generatióne in generatiónem.

Priúsquam montes fíerent, aut formarétur terra et orbis : * a sæculo et usque in sæculum tu es, Deus.

Ne avértas hóminem in humilitátem : * et dixísti : Convertímini, fílii hóminum.

Quóniam mille anni ante óculos tuos, * tamquam dies hestérna, quæ prætériit,

Et custódia in nocte, * quæ pro níhilo habéntur, eórum anni erunt.

Mane sicut herba tránseat, mane flóreat, et tránseat : * véspere décidat, indúret et aréscat.

Quia defécimus in ira tua, * et in furóre tuo turbáti sumus.

Posuísti iniquitátes nostras in conspéctu tuo : * sæculum nostrum in illuminatióne vultus tui.

Quóniam omnes dies nostri defecérunt : * et in ira tua defécimus.

Anni nostri sicut aránea meditabúntur : * dies annórum nostrórum in ipsis, septuagínta anni.

Si autem in potentátibus, octogínta anni : * et ámplius eórum, labor et dolor.

Quóniam supervénit mansuetúdo : * et corripiémur.

Quis novit potestátem iræ tuæ : * et præ timóre tuo iram tuam dinumeráre?

Déxteram tuam sic notam fac : * et erudítos corde in sapiéntia.

Convértere, Dómine, úsquequo? * et deprecábilis esto super servos tuos.

Repléti sumus mane misericórdia tua : * et exsultávimus, et delectáti sumus ómnibus diébus nostris.

Lætáti sumus pro diébus, quibus nos humiliásti : * annis, quibus vídimus mala.

Réspice in servos tuos, et in ópera tua : * et dírige fílios eórum.

Et sit splendor Dómini, Dei nostri, super nos, et ópera mánuum nostrárum dírige super nos : * et opus mánuum nostrárum dírige.

Ant. Convértere, Dómine, et deprecábilis esto super servos tuos.

Ant. Multiplicásti, Deus.

Psalmus 35

DIxit injústus ut delínquat in semetípso : * non est timor Dei ante óculos ejus.

Quóniam dolóse egit in conspéctu ejus : * ut inveniátur iníquitas ejus ad ódium.

Verba oris ejus iníquitas, et dolus : * nóluit intellígere ut bene ágeret.

Iniquitátem meditátus est in cubíli suo : * ástitit omni viæ non bonæ, malítiam autem non odívit.

Dómine, in cælo misericórdia tua : * et véritas tua usque ad nubes.

Justítia tua sicut montes Dei : * judícia tua abýssus multa.

Hómines, et juménta salvábis, Dómine : * quemádmodum multiplicásti misericórdiam tuam, Deus.

Fílii autem hóminum, * in tégmine alárum tuárum sperábunt.

Inebriabúntur ab ubertáte domus tuæ : * et torrénte voluptátis tuæ potábis eos.

Quóniam apud te est fons vitæ : * et in lúmine tuo vidébimus lumen.

Præténde misericórdiam tuam sciéntibus te, * et justítiam tuam his, qui recto sunt corde.

Non véniat mihi pes superbiæ : * et manus peccatóris non móveat me.

Ibi cecidérunt qui operántur iniquitátem : * expúlsi sunt, nec potuérunt stare. Gl.

Ant. Multiplicásti, Deus, misericórdiam tuam.

Ant. Fortitúdo mea.

Canticum Moysis
Exodi 15, 1-19

CAntémus Dómino : glorióse enim magnificátus est, * equum et ascensórem dejécit in mare.

Fortitúdo mea, et laus mea Dóminus, * et factus est mihi in salútem :

Iste Deus meus, et glorificábo eum : * Deus patris mei, et exaltábo eum.

Dóminus quasi vir pugnátor, Omnípotens nomen ejus. * Currus Pharaónis et exércitum ejus projécit in mare.

Elécti príncipes ejus submérsi sunt in Mari Rubro : * abýssi operuérunt eos, descendérunt in profúndum quasi lapis.

Déxtera tua, Dómine, magnificáta est in fortitúdine : déxtera tua, Dómine, percússit inimícum. * Et in multitúdine glóriæ tuæ deposuísti adversários tuos :

Misísti iram tuam, quæ devorávit eos sicut stípulam. * Et in spíritu furóris tui congregátæ sunt aquæ :

Stetit unda fluens, * congregátæ sunt abýssi in médio mari.

Dixit inimícus : Pérsequar et comprehéndam, * dívidam spólia, implébitur ánima mea :

Evaginábo gládium meum, * interfíciet eos manus mea.

Flavit spíritus tuus, et opéruit eos mare : * submérsi sunt quasi plumbum in aquis veheméntibus.

Quis símilis tui in fórtibus, Dómine? * quis símilis tui, magníficus in sanctitáte, terríbilis atque laudábilis, fáciens mirabília?

Extendísti manum tuam, et devorávit eos terra. * Dux fuisti in misericórdia tua pópulo quem redemísti :

Et portásti eum in fortitúdine tua, * ad habitáculum sanctum tuum.

Ascendérunt pópuli, et iráti sunt : * dolóres obtinuérunt habitatóres Philísthiim.

Tunc conturbáti sunt príncipes Edom, robústos Moab obtínuit tremor : * obriguérunt omnes habitatóres Chánaan.

Irruat super eos formído et pavor, * in magnitúdine bráchii tui.

Fiant immóbiles quasi lapis, donec pertránseat pópulus tuus, Dómine, * donec pertránseat pópulus tuus iste, quem possedísti.

Introdúces eos, et plantábis in monte hereditátis tuæ, * firmíssimo habitáculo tuo quod operátus es, Dómine :

Sanctuárium tuum, Dómine, quod firmavérunt manus tuæ. * Dóminus regnábit in ætérnum et ultra.

Ingréssus est enim eques Phárao cum cúrribus et equítibus ejus in mare : * et redúxit super eos Dóminus aquas maris :

Fílii autem Israël ambulavérunt per siccum * in médio ejus.

Ant. Fortitúdo mea, et laus mea Dóminus : et factus est mihi in salútem.

Ant. Laudáte. †

Psalmus 146

LAudáte † Dóminum quóniam bonus est psalmus : * Deo nostro sit jucúnda, decóraque laudátio.

Ædíficans Jerúsalem Dóminus : * dispersiónes Israélis congregábit.

Qui sanat contrítos corde : * et álligat contritiónes eórum.

Qui númerat multitúdinem stellárum : * et ómnibus eis nómina vocat.

Magnus Dóminus noster, et magna virtus ejus : * et sapiéntiæ ejus non est número.

Suscipiens mansuétos Dóminus : * humílians autem peccatóres usque ad terram.

Præcínite Dómino in confessióne : * psállite Deo nostro in cíthara.

Qui óperit cælum núbibus : * et parat terræ plúviam.

Qui prodúcit in móntibus fœnum : * et herbam servitúti hóminum.

Qui dat juméntis escam ipsórum : * et pullis corvórum invocántibus eum.

Non in fortitúdine equi voluntátem habébit : * nec in tíbiis viri beneplácitum erit ei.

Beneplácitum est Dómino super timéntes eum : * et in eis, qui sperant super misericórdia ejus.

Ant. Laudáte Dóminum, qui sanat contritos corde, et álligat contritiónes eórum.

Capit. Rom. 13, 12-13

NOX præcéssit, dies autem appropinquávit. Abjiciámus ergo ópera tenebrárum, et induámur arma lucis. Sicut in die honéste ambulémus.

Hymnus

LUX ecce surgit áurea,
Pallens facéssat cæcitas,
Quæ nosmet in præceps diu
Erróre traxit dévio.

Hæc lux serénum cónferat,
Purósque nos præstet sibi :
Nihil loquámur súbdolum ;
Volvámus obscúrum nihil.

Sic tota decúrrat dies,
Ne lingua mendax, ne manus
Oculíve peccent lúbrici,
Ne noxa corpus ínquinet,

Speculátor astat désuper,
Qui nos diébus ómnibus,
Actúsque nostros próspicit
A luce prima in vésperum.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc et per omne sæculum. Amen.

℣. Repléti sumus mane misericórdia tua. ℟. Exsultávimus, et delectáti sumus.

Ad Bened. Ant. In sanctitáte * serviámus Dómino, et liberábit nos ab inimícis nostris.

Expleto Cantico ac repetita Antiphona, dicuntur sequentes

Preces feriales

KYrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster, quod dicitur a solo Hebdomadario totum clara voce, usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo. ℣. Ego dixi : Dómine, miserére mei. ℟. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi. ℣. Convértere, Dómine, úsquequo? ℟. Et deprecábilis esto super servos tuos. ℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te. ℣. Sacerdótes tui induántur justítiam. ℟. Et sancti tui exsúltent. ℣. Orémus pro beatíssimo Papa nostro N. ℟. Dóminus consérvet eum, et vivíficet eum, et beátum fáciat eum in terra, et non tradat eum in ánimam inimicórum ejus. ℣. Orémus et pro Antístite nostro N. ℟. Stet et pascat in fortitúdine tua, Dómine, in sublimitáte nóminis tui. ℣. Dómine, salvum fac regem. ℟. Et exáudi nos in die, qua invocavérimus te. ℣. Salvum fac pópulum tuum, Dómine, et bénedic hereditáti tuæ. ℟. Et rege eos, et extólle illos usque in ætérnum. ℣. Meménto Congregatiónis tuæ. ℟. Quam possedísti ab inítio. ℣. Fiat pax in virtúte tua. ℟. Et abundántia in túrribus tuis. ℣. Orémus pro benefactóribus nostris. ℟. Retribúere dignáre, Dómine, ómnibus, nobis bona faciéntibus propter nomen tuum, vitam ætérnam. Amen. ℣. Orémus pro fidélibus defúnctis. ℟. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine, et lux perpétua lúceat eis. ℣. Requiéscant in pace. ℟. Amen. ℣. Pro frátribus nostris abséntibus. ℟. Salvos fac servos

tuos, Deus meus, sperántes in te. ℣. Pro afflíctis et captívis. ℟. Libera eos, Deus Israël, ex ómnibus tribulatiónibus suis. ℣. Mitte eis, Dómine, auxílium de sancto. ℟. Et de Sion tuére eos. ℣. Dómine, Deus virtútum, convérte nos. ℟. Et osténde fáciem tuam, et salvi érimus. ℣. Exsúrge, Christe, ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum. ℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Reliqua ut in Ordinario. 9

AD PRIMAM

Pater, Ave et Credo.
℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus

JAM lucis orto sídere,
Deum precémur súpplices,
Ut in diúrnis áctibus
Nos servet a nocéntibus.

Linguam refrénans témperet,
Ne litis horror ínsonet :
Visum fovéndo cóntegat,
Ne vanitátes háuriat.

Sint pura cordis íntima,
Absístat et vecórdia :
Carnis terat supérbiam
Potus cibíque párcitas.

Ut, cum dies abscésserit
Noctémque sors redúxerit,
Mundi per abstinéntiam
Ipsi canámus glóriam.

* Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc et per omne sæculum. Amen.

Ant. In loco páscuæ.

Psalmus 22

DOminus regit me, et nihil mihi déerit : * in loco páscuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me : * ánimam meam convértit.

Dedúxit me super sémitas justítiæ, * propter nomen suum.

Nam, et si ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala : * quóniam tu mecum es.

Virga tua, et báculus tuus : * ipsa me consoláta sunt.

Parásti in conspéctu meo mensam, * advérsus eos, qui tríbulant me.

Impinguásti in óleo caput meum : * et calix meus inébrians quam præclárus est!

Et misericórdia tua subsequétur me : * ómnibus diébus vitæ meæ :

Et ut inhábitem in domo Dómini, * in longitúdinem diérum.

Psalmus 71, i

DEus, judícium tuum regi da : * et justítiam tuam fílio regis :

Judicáre pópulum tuum in justítia, * et páuperes tuos in judício.

Suscípiant montes pacem pópulo : * et colles justítiam.

Judicábit páuperes pópuli, et salvos fáciet fílios páuperum : * et humiliábit calumniatórem.

Et permanébit cum sole, et ante lunam, * in generatióne et generatiónem.

Descéndet sicut plúvia in vellus : * et sicut stillicídia stillántia super terram.

Oriétur in diébus ejus justítia, et abundántia pacis: * donec auferátur luna.

Et dominábitur a mari usque ad mare : * et a flúmine usque ad términos orbis terrárum.

Psalmus 71, ii

CORam illo prócident Æthiópes : * et inimíci ejus terram lingent.

Reges Tharsis, et ínsulæ múnera ófferent : * reges Arabum et Saba dona addúcent.

Et adorábunt eum omnes reges terræ : * omnes gentes sérvient ei :

Quia liberábit páuperem a poténte : * et páuperem, cui non erat adjútor.

Parcet páuperi et ínopi : * et ánimas páuperum salvas fáciet.

Ex usúris et iniquitáte rédimet ánimas eórum : * et honorábile nomen eórum coram illo.

Et vivet, et dábitur ei de auro Arábiæ, et adorábunt de ipso semper : * tota die benedicent ei.

Et erit firmaméntum in terra in summis móntium, superextollétur super Líbanum fructus ejus : * et florébunt de civitáte sicut fœnum terræ.

Sit nomen ejus benedictum in sæcula : * ante solem pérmanet nomen ejus.

Et benedicéntur in ipso omnes tribus terræ : * omnes gentes magnificábunt eum.

Benedíctus Dóminus, Deus Israël, * qui facit mirabilia solus :

Et benedíctum nomen majestátis ejus in ætérnum : * et replébitur majestáte ejus omnis terra : fiat, fiat.

¶ Quando ad Laudes dictus fuerit Ps. 50 Miserére, hic subjungitur sequens Ps. 97, qui in Laudibus locum non habuit.

Psalmus 97

CAntáte Dómino cánticum novum : * quia mirabilia fecit.

Salvávit sibi déxtera ejus : * et bráchium sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus salutáre suum : * in conspéctu géntium revelávit justítiam suam.

Recordátus est misericórdiæ suæ, * et veritátis suæ dómui Israël.

Vidérunt omnes términi terræ * salutáre Dei nostri.

Jubiláte Deo, omnis terra : * cantáte, et exsultáte, et psállite.

Psállite Dómino in cithara, in cithara et voce psalmi : * in tubis ductilibus, et voce tubæ córneæ.

Jubiláte in conspéctu regis Dómini : * moveátur mare, et plenitúdo ejus : orbis terrárum, et qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, simul montes exsultábunt a conspéctu Dómini : * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in justitia, * et pópulos in æquitáte.

Secus vero, tribus Psalmis expletis, statim dicitur Ant.

Ant. In loco páscuæ, ibi Dóminus me collocávit.

In Officio Festi vel Octavæ :

Capitulum 1 Tim. 1, 17

REgi sæculórum immortáli et invisibili, soli Deo honor et glória in sæcula sæculórum. Amen.

In omnibus autem Feriis et in Vigíliis communibus :

Capitulum Zach. 8, 19

PAcem et veritátem dilígite, ait Dóminus omnipotens.

℟. br. Christe, Fili Dei vivi, * Miserére nobis. Christe. ℣. *Qui sedes ad déxteram Patris.* Miserére nobis. Glória Patri. Christe. ℣. Exsúrge, Christe, ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum.

Preces dominicales et feriales (si dicendæ sint)

KYrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster, secreto usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed libera nos a malo.

Credo in Deum secreto usque ad ℣. Carnis resurrectiónem. ℟. Vitam ætérnam. Amen. ℣. Et ego ad te, Dómine, clamávi. ℟. Et mane orátio mea prævéniet te. ℣. Repleátur os meum laude. ℟. Ut cantem glóriam tuam, tota die magnitúdinem tuam. ℣. Dómine, avérte fáciem tuam a peccátis meis. ℟. Et omnes iniquitátes meas dele. ℣. Cor mundum crea in me, Deus. ℟. Et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis. ℣. Ne projícias me a fácie tua. ℟. Et spíritum sanctum tuum ne áuferas a me. ℣. Redde mihi lætítiam salutáris tui. ℟. Et spíritu principáli confírma me.

In Precibus ferialibus tantum

℣. Eripe me, Dómine, ab hómine malo. ℟. A viro iníquo éripe me. ℣. Eripe me de inimícis meis, Deus meus. ℟. Et ab insurgéntibus in me líbera me. ℣. Eripe me de operántibus iniquitátem. ℟. Et de viris sánguinum salva me. ℣. Sic psalmum dicam nómini tuo in sæculum sæculi. ℟. Ut reddam vota mea de die in diem. ℣. Exáudi nos, Deus, salutáris noster. ℟. Spes ómnium fínium terræ, et in mari longe. ℣. Deus, in adjutórium meum inténde. ℟. Dómine, ad adjuvándum me festína. ℣. Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortális. ℟. Miserére nobis. ℣. Bénedic, ánima mea, Dómino. ℟. Et ómnia, quæ intra me sunt, nómini sancto ejus. ℣. Bénedic, ánima mea, Dómino. ℟. Et noli oblivísci omnes retributiónes ejus. ℣. Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis. ℟. Qui sanat omnes infirmitátes tuas. ℣. Qui rédimit de intéritu vitam tuam. ℟. Qui corónat te in misericórdia et miseratiónibus. ℣. Qui replet in bonis desidérium tuum. ℟. Renovábitur ut áquilæ juvéntus tua.

In utrisque Precibus

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

Confíteor. Misereátur. Indulgéntiam.

℣. Dignáre, Dómine, die isto. ℟. Sine peccáto nos custodíre. ℣. Miserére nostri, Dómine. ℟. Miserére nostri. ℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te. ℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.

Orémus. Oratio

DOmine, Deus omnípotens, qui ad princípium hujus diéi nos pervenire fecísti : tua nos hódie salva virtúte; ut in hac die ad nullum declinémus peccátum, sed semper ad tuam justítiam faciéndam nostra procédant elóquia, dirigántur cogitatiónes et ópera. Per Dóminum. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobíscum.
℣. Benedicámus Dómino.

In Choro Martyrologium.

℣. Pretiósa in conspéctu Dómini. ℟. Mors Sanctórum ejus.

Et absolute, sine Orémus :

Oratio

SAncta María, et omnes Sancti intercédant pro nobis ad Dóminum, ut nos mereámur ab eo adjuvári et salvári, qui vivit et regnat in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

℣. Deus, in adjutórium meum inténde. ℟. Dómine, ad adjuvándum me festína. Et dicitur ter; ultimo additur : Glória Patri. Sicut erat.

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo. ℣. Réspice in servos tuos, Dómine, et in ópera tua, et dírige fílios eórum. ℟. Et sit splendor Dómini, Dei nostri, super nos, et ópera mánuum nostrárum dírige super nos, et opus mánuum nostrárum dírige. ℣. Glória Patri. ℟. Sicut erat.

Orémus. Oratio

DIrígere et sanctificáre, régere et gubernáre dignáre, Dómine Deus, Rex cæli et terræ, hódie corda et córpora nostra, sensus, sermónes et actus nostros in lege tua, et in opéribus mandatórum tuórum : ut hic, et in ætérnum, te auxiliánte, salvi et líberi esse mereámur, Salvátor mundi : Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

℣. Jube, domne.

Bened. Dies et actus nostros in sua pace dispónat Dóminus omnípotens.

℟. Amen.

In Officio feriali

DOminus autem dírigat corda et córpora nostra in caritáte Dei, et patiéntia Christi. Tu autem.

E Proprio Sanctorum

Pro Oct. S. Joannis Bapt.

REges vidébunt, et consúrgent príncipes et adorábunt Dóminum, Deum tuum et Sanctum Israël, qui elégit te.

Pro Inventione S. Stephani

POsitis autem génibus, clamávit voce magna, dicens : Dómine, ne státuas illis hoc peccátum. Et cum hoc dixísset, obdormívit in Dómino.

E Communi Sanctorum

Pro Apostolis

IBant Apóstoli gaudéntes a conspéctu concílii, quóniam digni hábiti sunt pro nómine Jesu contuméliam pati.

Pro Martyre

JUstus cor suum trádidit ad vigilándum dilúculo ad Dóminum, qui fecit illum, et in conspéctu Altíssimi deprecábitur.

Pro pluribus Martyribus

FUlgébunt justi, et tamquam scintíllæ in arundinéto discúrrent. Judicábunt natiónes, et dominabúntur pópulis : et regnábit Dóminus illórum in perpétuum.

Pro Conf. Pont.

FUngi sacerdótio, et habére laudem in nómine ipsius, et offérre illi incénsum dignum in odórem suavitátis.

Pro Conf. non Pont.

JUstum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam sanctórum; honestávit illum in labóribus, et complévit labores illius.

Pro Virgine Martyre

DOmine, Deus meus, exaltásti super terram habitatiónem meam, et pro morte defluénte deprecáta sum. Invocávi Dóminum, Patrem Dómini mei, ut non derelínquat me in die tribulationis meæ, et in témpore superbórum sine adjutório.

Pro Virgine non Martyre

O Quam pulchra est casta generátio cum claritáte! immortális est enim memória illius : quóniam apud Deum nota est, et apud hómines.

Pro Martyre tantum

LAudábit usque ad mortem ánima mea Dóminum, quóniam éruis sustinéntes te, et liberas eos de manu angústiæ, Dómine, Deus noster.

Pro nec Virg. nec Mart.

MUltæ fíliæ congregavérunt divitias : tu supergréssa es univérsas. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo : múlier timens Dóminum, ipsa laudábitur.

Pro Dedicatione Ecclesiæ

ET abstérget Deus omnem lácrimam ab óculis eórum : et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abiérunt. Et dixit qui sedébat in throno : Ecce, nova fácio ómnia.

In Officiis B. Mariæ V.

IN platéis sicut cinnamómum et bálsamum aromatizans odórem dedi : quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

℣. Benedícite. ℟. Deus.

Benedictio Dóminus nos benedícat, et ab omni malo defréndat, et ad vitam perdúcat ætérnam. Et fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen.

Deinde dicitur tantum Pater noster secreto, nisi sequatur alia Hora.

AD TERTIAM

Pater noster et Ave.

℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus

Nunc, Sancte, nobis, Spíritus,
Unum Patri cum Fílio,
Dignáre promptus íngeri
Nostro refúsus péctori.

Os, lingua, mens, sensus, vigor
Confessiónem pérsonent,
Flamméscat igne cáritas,
Accéndat ardor próximos.

* Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

Ant. Quam bonus. †

Psalmus 72, i

Quam bonus † Israël Deus, * his qui recto sunt corde!

Mei autem pæne moti sunt pedes : * pæne effúsi sunt gressus mei.

Quia zelávi super iníquos, * pacem peccatórum videns.

Quia non est respéctus morti eórum : * et firmaméntum in plaga eórum.

In labóre hóminum non sunt, * et cum homínibus non flagellabúntur :

Ideo ténuit eos supérbia, * opérti sunt iniquitáte et impietáte sua.

Pródiit quasi ex ádipe iníquitas eórum : * transiérunt in affléctum cordis.

Cogitavérunt, et locúti sunt nequítiam : * iniquitátem in excélso locúti sunt.

Posuérunt in cælum os suum : * et lingua eórum transívit in terra.

Psalmus 72, ii

Deo convertétur pópulus meus hic : * et dies pleni inveniéntur in eis.

Et dixérunt : Quómodo scit Deus, * et si est sciéntia in excélso?

Ecce, ipsi peccatóres, et abundántes in sæculo, * obtinuérunt divítias.

Et dixi : Ergo sine causa justificávi cor meum, * et lavi inter innocéntes manus meas :

Et fui flagellátus tota die, * et castigátio mea in matutínis.

Si dicébam : Narrábo sic : * ecce, natiónem filiórum tuórum reprobávi.

Existimábam ut cognóscerem hoc, * labor est ante me :

Donec intrem in Sanctuárium Dei : * et intélligam in novíssimis eórum.

Psalmus 72, iii

Verúmtamen propter dolos posuísti eis : * dejecísti eos dum allevaréntur.

Quómodo facti sunt in desolatiónem, súbito defecérunt : * periérunt propter iniquitátem suam.

Velut sómnium surgéntium, Dómine, * in civitáte tua imáginem ipsórum ad níhilum rédiges.

Quia inflammátum est cor meum, et renes mei commutáti sunt : * et ego ad níhilum redáctus sum, et nescívi.

Ut juméntum factus sum apud te : * et ego semper tecum.

Tenuísti manum déxteram meam : et in voluntáte tua deduxísti me, * et cum glória suscepísti me.

Quid enim mihi est in cælo? * et a te quid vólui super terram?

Defécit caro mea, et cor meum : * Deus cordis mei, et pars mea Deus in ætérnum.

Quia ecce, qui elóngant se a te, períbunt : * perdidísti omnes, qui fornicántur abs te.

Mihi autem adhærére Deo bonum est : * pónere in Dómino Deo spem meam :

Ut annúntiem omnes prædicatiónes tuas, * in portis fíliæ Sion.

Ant. Quam bonus Israël Deus, his, qui recto sunt corde?

In Officio feriali

Capitulum Jer. 17, 14

Sana me, Dómine, et sanábor : salvum me fac, et salvus ero : quóniam laus mea tu es.

℟. br. Sana ánimam meam, * Quia peccávi tibi. Sana. ℣. Ego dixi : Dómine, miserére mei. Quia. Glória Patri. Sana.

℣. Adjútor meus esto, ne derelínquas me. ℟. Neque despícias me, Deus, salutáris meus.

In Vigiliis communibus :

Preces feriales

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo. ℣. Dómine, Deus virtútum, convérte nos. ℟. Et osténde fáciem tuam, et salvi érimus. ℣. Exsúrge, Christe,

ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum. ℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Reliqua ut in Ordinario. 19

AD SEXTAM

Pater noster et Ave.

℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus

Rector potens, verax Deus,
Qui témperas rerum vices,
Splendóre mane illúminas,
Et ígnibus merídiem :

Exstíngue flammas lítium,
Aufer calórem nóxium,
Confer salútem córporum,
Verámque pacem córdium.

* Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

Ant. Memor esto.

Psalmus 73, i

Ut quid, Deus, repulísti in finem : * irátus est furor tuus super oves páscuæ tuæ?

Memor esto congregatiónis tuæ, * quam possedísti ab inítio.

Redemísti virgam hereditátis tuæ : * mons Sion, in quo habitásti in eo.

Leva manus tuas in supérbias eórum in finem : * quanta malignátus est inimícus in sancto!

Et gloriáti sunt qui odérunt te : * in médio solemnitátis tuæ.

Posuérunt signa sua, signa : * et non cognovérunt sicut in éxitu super summum.

Quasi in silva lignórum secúribus excidérunt jánuas ejus in idípsum : * in secúri et áscia dejecérunt eam.

Incendérunt igni Sanctuárium tuum : * in terra polluérunt tabernáculum nóminis tui.

Dixérunt in corde suo cognátio eórum simul : * Quiéscere faciámus omnes dies festos Dei a terra.

Signa nostra non vidimus, jam non est prophéta : * et nos non cognóscet ámplius.

Psalmus 73, ii

Usquequo, Deus, improperábit inimícus : * irritat adversárius nomen tuum in finem?

Ut quid avértis manum tuam, et déxteram tuam, * de médio sinu tuo in finem?

Deus autem Rex noster ante sæcula : * operátus est salútem in médio terræ.

Tu confirmásti in virtúte tua mare : * contribulásti cápita dracónum in aquis.

Tu confregísti cápita dracónis : * dedísti eum escam pópulis Æthiopum.

Tu dirupísti fontes, et torréntes : * tu siccásti flúvios Ethan.

Tuus est dies, et tua est nox : * tu fabricátus es auróram et solem.

Tu fecísti omnes términos terræ : * æstátem et ver tu plasmásti ea.

Psalmus 73, iii

MEmor esto hujus, inimícus improperávit Dómino : * et pópulus insípiens incitávit nomen tuum.

Ne tradas béstiis ánimas confiténtes tibi, * et ánimas páuperum tuórum ne obliviscáris in finem.

Réspice in testaméntum tuum : * quia repléti sunt, qui obscuráti sunt terræ dómibus iniquitátum.

Ne avertátur húmilis factus confúsus : * pauper et inops laudábunt nomen tuum.

Exsúrge, Deus, júdica causam tuam : * memor esto improperiórum tuórum, eórum quæ ab insipiénte sunt tota die.

Ne obliviscáris voces inimicórum tuórum : * supérbia eórum, qui te odérunt, ascéndit semper.

Ant. Memor esto congregatiónis tuæ, Dómine, quam possedísti ab inítio.

In Officio feriali

Capitulum Rom. 13, 8

NEmini quidquam debeátis, nisi ut ínvicem diligátis : qui enim díligit próximum, legem implévit.

℟. br. Benedícam Dóminum * In omni témpore. Benedícam. ℣. Semper laus ejus in ore meo. In omni. Glória Patri. Benedícam. ℣. Dóminus regit me, et nihil mihi déerit. ℟. In loco páscuæ ibi me collocávit.

In Vigiliis communibus :

Preces feriales

KYrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo. ℣. Dómine, Deus virtútum, convérte nos. ℟. Et osténde fáciem tuam, et salvi érimus. ℣. Exsúrge, Christe, ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum. ℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Reliqua ut in Ordinario. 20

AD NONAM

Pater noster et Ave.

℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus

RErum, Deus, tenax vigor,
Immótus in te pérmanens,
Lucis diúrnæ témpora
Successibus detérminans :

Largíre lumen véspere,
Quo vita nusquam décidat,
Sed præmium mortis sacræ
Perénnis instet glória.

* Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

Ant. Invocábimus.

Psalmus 74

Onfitébimur tibi, Deus : * confitébimur, et invocábimus nomen tuum.

Narrábimus mirabília tua : * cum accépero tempus, ego justítias judicábo.

Liquefácta est terra, et omnes qui hábitant in ea : * ego confirmávi colúmnas ejus.

Dixi iníquis : Nolíte iníque ágere : * et delinquéntibus : Nolíte exaltáre cornu :

Nolíte extóllere in altum cornu vestrum : * nolíte loqui advérsus Deum iniquitátem.

Quia neque ab Oriénte, neque ab Occidénte, neque a desértis móntibus : * quóniam Deus judex est.

Hunc humíliat, et hunc exáltat : * quia calix in manu Dómini vini meri plenus misto.

Et inclinávit ex hoc in hoc : verúmtamen fæx ejus non est exinaníta : * bibent omnes peccatóres terræ.

Ego autem annuntiábo in sæculum : * cantábo Deo Jacob.

Et ómnia córnua peccatórum confríngam : * et exaltabúntur córnua justi.

Psalmus 75, i

NOtus in Judæa Deus : * in Israël magnum nomen ejus.

Et factus est in pace locus ejus : * et habitátio ejus in Sion.

Ibi confrégit poténtias árcuum, * scutum, gládium, et bellum.

Illúminans tu mirabíliter a móntibus ætérnis : * turbáti sunt omnes insipiéntes corde.

Dormiérunt somnum suum : * et nihil invenérunt omnes viri divitiárum in mánibus suis.

Ab increpatióne tua, Deus Jacob, * dormitavérunt qui ascendérunt equos.

Psalmus 75, ii

TU terríbilis es, et quis resístet tibi? * ex tunc ira tua.

De cælo audítum fecísti judícium : * terra trémuit et quiévit.

Cum exsúrgeret in judícium Deus, * ut salvos fáceret omnes mansuétos terræ.

Quóniam cogitátio hóminis confitébitur tibi : * et relíquiæ cogitatiónis diem festum agent tibi.

Vovéte, et réddite Dómino, Deo vestro : * omnes, qui in circúitu ejus affértis múnera.

Terríbili et ei qui aufert spíritum príncipum, * terríbili apud reges terræ.

Ant. Invocábimus nomen tuum, Dómine : narrábimus mirabília tua.

In Officio feriali

Capit. 1 Petri 1, 17-19

IN timóre incolátus vestri témpore conversámini : sciéntes quod non corruptibílibus auro vel argénto redémpti estis, sed pretióso sánguine quasi Agni immaculáti Christi.

℟. br. Rédime me, Dómine, * Et miserére mei. Rédime. ℣. Pes enim meus stetit in via recta. Et miserére mei. Glória Patri. Rédime. ℣. Ab occúltis meis munda me, Dómine. ℟. Et ab aliénis parce servo tuo.

In Vigiliis communibus :

Preces feriales

KYrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo. ℣. Dómine, Deus virtútum, convérte nos. ℟. Et osténde fáciem tuam, et salvi érimus. ℣. Exsúrge, Christe, ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum. ℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Reliqua ut in Ordinario. 22

AD VESPERAS

Pater noster et Ave.

℣. Deus, in adjutórium.

Ant. Ecce, quam bonum * † et quam jucúndum, habitáre fratres in unum. ‡

Psalmus 132

Cce, quam bonum † et quam jucúndum, * habitáre fratres in unum : ‡

Sicut unguéntum in cápite, * quod descéndit in barbam, barbam Aaron.

Quod descéndit in oram vestiménti ejus : * sicut ros Hermon, qui descéndit in montem Sion.

Quóniam illic mandávit Dóminus benedictiónem, * et vitam usque in sæculum.

Ant. Ecce, quam bonum et quam jucúndum, habitáre fratres in unum!

Ant. Confitémini Dómino * † quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Psalmus 135, i

CONfitémini Dómino † quóniam bonus : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Confitémini Deo deórum : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Confitémini Dómino dominórum : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Qui facit mirabília magna solus : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Qui fecit cælos in intelléctu : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Qui firmávit terram super aquas : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Qui fecit luminária magna : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Solem in potestátem diéi : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Lunam, et stellas in potestátem noctis : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Ant. Confitémini Dómino quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Ant. Confitémini Dómino, * quia in humilitáte nostra memor fuit nostri.

Psalmus 135, ii

QUI percússit Ægýptum cum primogénitis eórum : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Qui edúxit Israël de médio eórum : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

In manu poténti, et bráchio excélso : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Qui divísit Mare Rubrum in divisiónes : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Et edúxit Israël per médium ejus : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Et excússit Pharaónem, et virtútem ejus in Mari Rubro : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Qui tradúxit pópulum suum per desértum : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Qui percússit reges magnos : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Et occídit reges fortes : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Sehon, regem Amorrhæórum : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Et Og, regem Basan : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Et dedit terram eórum hereditátem : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Hereditátem Israël, servo suo : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Quia in humilitáte nostra memor fuit nostri : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Et redémit nos ab inimícis nostris : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Qui dat escam omni carni : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Confitémini Deo cæli : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Confitémini Dómino dominórum : * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Ant. Confitémini Dómino, quia in humilitáte nostra memor fuit nostri.

Ant. Adhæreat lingua mea * fáucibus meis, si non memínero tui, Jerúsalem.

Psalmus 136

SUper flúmina Babylónis, illic sédimus et flévimus : * cum recordarémur Sion :

In salícibus in médio ejus, * suspéndimus órgana nostra.

Quia illic interrogavérunt nos, qui captívos duxérunt nos, * verba cantiónum :

Et qui abduxérunt nos : * Hymnum cantáte nobis de cánticis Sion.

Quómodo cantábimus cánticum Dómini : * in terra aliéna?

Si oblítus fúero tui, Jerúsalem, * oblivióni detur déxtera mea.

Adhæreat lingua mea fáucibus meis, * si non memínero tui :

Si non proposúero Jerúsalem, * in princípio lætítiæ meæ.

Memor esto, Dómine, filiórum Edom, * in die Jerúsalem :

Qui dicunt : Exinaníte, exinaníte : * usque ad fundaméntum in ea.

Fília Babylónis mísera : * beátus, qui retríbuet tibi retributiónem tuam, quam retribuísti nobis.

Beátus, qui tenébit, * et allídet párvulos tuos ad petram.

Ant. Adhæreat lingua mea fáucibus meis, si non memínero tui, Jerúsalem.

Ant. Confitébor * † nómini tuo, Dómine, super misericórdia et veritáte tua.

Psalmus 137

CONfitébor † tibi, Dómine, in toto corde meo : * quóniam audísti verba oris mei.

In conspéctu Angelórum psallam tibi : * adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

Super misericórdia tua, et veritáte tua : * quóniam magnificásti super omne, nomen sanctum tuum.

In quacúmque die invocávero te, exáudi me : * multiplicábis in ánima mea virtútem.

Confiteántur tibi, Dómine, omnes reges terræ : * quia audiérunt ómnia verba oris tui :

Et cantent in viis Dómini : * quóniam magna est glória Dómini.

Quóniam excélsus Dóminus, et humília réspicit : * et alta a longe cognóscit.

Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me : * et super iram inimicórum meórum extendísti manum tuam, et salvum me fecit déxtera tua.

Dóminus retríbuet pro me : * Dómine, misericórdia tua in sæculum : ópera mánuum tuárum ne despícias.

Ant. Confitébor nómini tuo, Dómine, super misericórdia et veritáte tua.

In Officio feriali

Capitulum 2 Cor. 1, 3-4

BEnedíctus Deus, et Pater Dómini nostri Jesu Christi, Pater misericordiárum, et Deus totíus consolatiónis, qui consolátur nos in omni tribulatióne nostra.

Hymnus

MAgnæ Deus poténtiæ, Qui fértili natos aqua

Partim relínquis gúrgiti, Partim levas in áëra.

Demérsa lymphis ímprimens, Subvécta cælis érigens : Ut stirpe ab una pródita, Divérsa répleant loca :

Largíre cunctis sérvulis, Quos mundat unda Sánguinis, Nescíre lapsus críminum, Nec ferre mortís tædium.

Ut culpa nullum déprimat : Nullum efferat jactántia : Elísa mens ne cóncidat : Eláta mens ne córruat.

Præsta, Pater piíssime, Patríque compar Unice, Cum Spíritu Paráclito Regnans per omne sæculum. Amen.

℣. Dirigátur, Dómine, orátio mea. ℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Ad Magnif. Ant. Fecit Deus * poténtiam in bráchio suo : dispérsit supérbos mente cordis sui.

Reliqua ut in Ordinario. 22

AD COMPLETORIUM

℣. Jube, domne.

Bened. Noctem quiétam, et finem perféctum concédat nobis Dóminus omnípotens. ℟. Amen.

Lectio br. 1 Petri 5, 8-9

FRatres : Sóbrii estóte, et vigiláte : quia adversárius vester diábolus

tamquam leo rúgiens círcuit, quærens quem dévoret : cui resístite fortes in fide. Tu autem, Dómine. ℟. Deo grátias.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

Pater noster, quod dicitur totum secreto.

Confíteor. Misereátur. Indulgéntiam.

℣. Convérte nos, Deus, salutáris noster. ℟. Et avérte iram tuam a nobis.

℣. Deus, in adjutórium.

Ant. Adjútor meus.

Psalmus 69

EUs, in adjutórium meum inténde : * Dómine, ad adjuvándum me festína.

Confundántur et revereántur, * qui quærunt ánimam meam.

Avertántur retrórsum, et erubéscant, * qui volunt mihi mala.

Avertántur statim erubescéntes, * qui dicunt mihi : Euge, euge.

Exsúltent et læténtur in te omnes qui quærunt te, * et dicant semper : Magnificétur Dóminus : qui díligunt salutáre tuum.

Ego vero egénus, et pauper sum : * Deus, ádjuva me.

Adjútor meus, et liberátor meus es tu : * Dómine, ne moréris.

Psalmus 70, i

IN te, Dómine, sperávi, non confúndar in ætérnum : * in justítia tua líbera me, et éripe me.

Inclína ad me aurem tuam, * et salva me.

Esto mihi in Deum protectórem, et in locum munítum : * ut salvum me fácias.

Quóniam firmaméntum meum, * et refúgium meum es tu.

Deus meus, éripe me de manu peccatóris, * et de manu contra legem agéntis et iníqui :

Quóniam tu es patiéntia mea, Dómine : * Dómine, spes mea a juventúte mea.

In te confirmátus sum ex útero : * de ventre matris meæ tu es protéctor meus.

In te cantátio mea semper : * tamquam prodígium factus sum multis : et tu adjútor fortis.

Repleátur os meum laude, ut cantem glóriam tuam : * tota die magnitúdinem tuam.

Ne projícias me in témpore senectútis : * cum defécerit virtus mea, ne derelínquas me.

Quia dixérunt inimíci mei mihi : * et qui custodiébant ánimam meam, consílium fecérunt in unum,

Dicéntes : Deus derelíquit eum, persequímini,

et comprehéndite eum : * quia non est qui erípiat.

Deus, ne elongéris a me : * Deus meus, in auxílium meum réspice.

Psalmus 70, ii

GOnfundántur, et defíciant detrahéntes ánimæ meæ : * operiántur confusióne, et pudóre qui quærunt mala mihi.

Ego autem semper sperábo : * et adjíciam super omnem laudem tuam.

Os meum annuntiábit justítiam tuam : * tota die salutáre tuum.

Quóniam non cognóvi litteratúram, introíbo in poténtias Dómini : * Dómine, memorábor justítiæ tuæ solíus.

Deus, docuísti me a juventúte mea : * et usque nunc pronuntiábo mirabília tua.

Et usque in senéctam et sénium : * Deus, ne derelínquas me.

Donec annúntiem bráchium tuum * generatióni omni, quæ ventúra est :

Poténtiam tuam, et justítiam tuam, Deus, usque in altíssima, quæ fecísti magnália : * Deus, quis símilis tibi?

Quantas ostendísti mihi tribulatiónes multas et malas : et convérsus vivificásti me : * et de abýssis terræ íterum reduxísti me :

Multiplicásti magnificéntiam tuam : * et convérsus consolátus es me.

Nam et ego confitébor tibi in vasis psalmi veritátem tuam : * Deus, psallam tibi in cíthara, Sanctus Israël.

Exsultábunt lábia mea cum cantávero tibi : * et ánima mea, quam redemísti.

Sed et lingua mea tota die meditábitur justítiam tuam : * cum confúsi et revériti fúerint, qui quærunt mala mihi.

Ant. Adjútor meus, et liberátor meus esto, Dómine.

Hymnus

TE lucis ante términum,
Rerum Creátor, póscimus,
Ut pro tua cleméntia
Sis præsul et custódia.

Procul recédant sómnia,
Et nóctium phantásmata;
Hostémque nostrum cómprime,
Ne polluántur córpora.

* Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

Capitulum Jer. 14, 9

TU autem in nobis es, Dómine, et nomen sanctum tuum invocátum est super nos : ne derelínquas

nos, Dómine, Deus noster.

℟. br. In manus tuas, Dómine, * Comméndo spíritum meum. In manus. ℣. Redemísti nos, Dómine, Deus veritátis. Comméndo. Glória Patri. In manus. ℣. Custódi nos, Dómine, ut pupíllam óculi. ℟. Sub umbra alárum tuárum prótege nos.

Ant. Salva nos.

Canticum Simeonis
Luc. 2, 29-32

NUnc dimíttis servum tuum, Dómine, * secúndum verbum tuum in pace :

Quia vidérunt óculi mei * salutáre tuum,

Quod parásti * ante fáciem ómnium populórum,

Lumen ad revelatiónem géntium, * et glóriam plebis tuæ Israël.

Ant. Salva nos, Dómine, vigilántes, custódi nos dormiéntes; ut vigilémus cum Christo, et requiescámus in pace.

Preces (si dicendæ sint)

KYrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Credo in Deum secreto usque ad ℣. Carnis resurrectiónem. ℟. Vitam ætérnam. Amen. ℣. Benedíctus es, Dómine, Deus patrum nostrórum. ℟. Et laudábilis et glorióus in sæcula. ℣. Benedicámus Patrem et Fílium cum Sancto Spíritu. ℟. Laudémus, et superexaltémus eum in sæcula. ℣. Benedíctus es, Dómine, in firmaménto cæli. ℟. Et laudábilis, et glorióus, et superexaltátus in sæcula. ℣. Benedícat et custódiat nos omnípotens et miséricors Dóminus. ℟. Amen. ℣. Dignáre, Dómine, nocte ista. ℟. Sine peccáto nos custodíre. ℣. Miserére nostri, Dómine. ℟. Miserére nostri. ℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te. ℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.

Orémus. Oratio

VIsita, quæsumus, Dómine, habitatiónem istam, et omnes insídias inimíci ab ea longe repélle : Angeli tui sancti hábitent in ea, qui nos in pace custódiant; et benedíctio tua sit super nos semper. Per Dóminum.

℟. Amen.

℣. Dóminus vobíscum.

℣. Benedicámus Dómino.

Benedictio Benedícat et custódiat nos omnípotens et miséricors Dóminus, Pater, et Fílius, et Spíritus Sanctus. ℟. Amen.

Antiphona finalis beatæ Maríæ Virginis.

℣. Divínum auxílium.

Pater noster, Ave María et Credo.

FERIA SEXTA

AD MATUTINUM

Pater, Ave et Credo.

℣. Dómine, lábia mea.

℣. Deus, in adjutórium.

In Officio feriali

Invit. Dóminum, Deum nostrum, * Veníte, adorémus. Ps. 94 Veníte. 3

Hymnus

TU, Trinitátis Unitas,
Orbem poténter quæ regis,
Atténde laudis cánticum,
Quod excubántes psállimus.

Nam léctulo consúrgimus
Noctis quiéto témpore,
Ut flagitémus ómnium
A te medélam vúlnerum.

Quo fraude quidquid dæmonum
In nóctibus deliquimus,
Abstérgat illud cælitus
Tuæ potéstas glóriæ.

Ne corpus astet sórdidum,
Nec torpor instet córdium,
Ne críminis contágio
Tepéscat ardor spíritus.

Ob hoc, Redémptor, quæsumus,
Reple tuo nos lúmine,
Per quod diérum círculis
Nullis ruámus áctibus.

Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

In I Nocturno

Ant. Suscitávit Dóminus * testimónium in Jacob : et legem pósuit in Israël.

Psalmus 77, i

ATténdite, pópule meus, legem meam : * inclináte aurem vestram in verba oris mei.

Apériam in parábolis os meum : * loquar propositiónes ab initio.

Quanta audívimus et cognóvimus ea : * et patres nostri narravérunt nobis.

Non sunt occultáta a fíliis eórum, * in generatióne áltera.

Narrántes laudes Dómini, et virtútes ejus, * et mirabília ejus, quæ fecit.

Et suscitávit testimónium in Jacob : * et legem pósuit in Israël.

Quanta mandávit pátribus nostris nota fácere ea fíliis suis : * ut cognóscat generátio áltera.

Fílii qui nascéntur, et exsúrgent, * et narrábunt fíliis suis,

Ut ponant in Deo spem suam, et non obliviscántur óperum Dei : * et mandáta ejus exquírant.

Ne fiant sicut patres eórum : * generátio prava et exásperans.

Generátio, quæ non diréxit cor suum : * et non est créditus cum Deo spíritus ejus.

Ant. Suscitávit Dóminus testimónium in Jacob : et legem pósuit in Israël.

Ant. Coram pátribus eórum * fecit Deus mirabília.

Psalmus 77, ii

FIlii Ephrem intendéntes et mitténtes arcum : * convérsi sunt in die belli.

Non custodiérunt testaméntum Dei : * et in lege ejus noluérunt ambuláre.

Et oblíti sunt benefactórum ejus, * et mirabílium ejus quæ osténdit eis.

Coram pátribus eórum fecit mirabília in terra Ægýpti, * in campo Táneos.

Interrúpit mare, et perdúxit eos : * et státuit aquas quasi in utre.

Et dedúxit eos in nube diéi : * et tota nocte in illuminatióne ignis.

Interrúpit petram in erémo : * et adaquávit eos velut in abýsso multa.

Et edúxit aquam de petra : * et dedúxit tamquam flúmina aquas.

Ant. Coram pátribus eórum fecit Deus mirabília.

Ant. Jánuas cæli apéruit * Dóminus, et pluit illis manna ad manducándum.

Psalmus 77, iii

ET apposuérunt adhuc peccáre ei : * in iram excitavérunt Excélsum in inaquóso.

Et tentavérunt Deum in córdibus suis, * ut péterent escas animábus suis.

Et male locúti sunt de Deo : * dixérunt : Numquid póterit Deus paráre mensam in desérto?

Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, * et torréntes inundavérunt.

Numquid et panem póterit dare, * aut paráre mensam pópulo suo?

Ideo audívit Dóminus, et distulit : * et ignis accénsus est in Jacob, et ira ascéndit in Israël :

Quia non credidérunt in Deo, * nec speravérunt in salutári ejus :

Et mandávit núbibus désuper, * et jánuas cæli apéruit.

Et pluit illis manna ad manducándum, * et panem cæli dedit eis.

Panem Angelórum manducávit homo, * cibária misit eis in abundántia.

Tránstulit Austrum de cælo : * et indúxit in virtúte sua Africum.

Et pluit super eos sicut púlverem carnes : * et sicut arénam maris volatilia pennáta.

Et cecidérunt in médio castrórum eórum : * circa tabernácula eórum.

Et manducavérunt, et saturáti sunt nimis, et desidérium eórum áttulit eis : * non sunt fraudáti a desidério suo.

Adhuc escæ eórum erant in ore ipsórum : * et ira Dei ascéndit super eos.

Et occídit pingues eórum, * et eléctos Israël impedívit.

Ant. Jánuas cæli apéruit Dóminus, et pluit illis manna ad manducándum.

In Festis novem Lectionum :

℣. Deus percússit petram, et fluxérunt aquæ. ℟. Et torréntes inundavérunt.

Absolutio. Exáudi, Dómine.

Bened. 1 Benedictióne perpétua. 2 Unigénitus Dei Fílius. 3 Spíritus Sancti grátia.

In II Nocturno

Ant. Deus adjútor * est eórum : et Excélsus redémptor eórum est.

Psalmus 77, iv

IN ómnibus his peccavérunt adhuc : * et non credidérunt in mirabílibus ejus.

Et defecérunt in vanitáte dies eórum : * et anni eórum cum festinatióne.

Cum occíderet eos, quærébant eum : * et revertebántur, et dilúculo veniébant ad eum.

Et rememoráti sunt quia Deus adjútor est eórum : * et Deus excélsus redémptor eórum est.

Et dilexérunt eum in ore suo, * et lingua sua mentíti sunt ei :

Cor autem eórum non erat rectum cum eo : * nec fidéles hábiti sunt in testaménto ejus.

Ipse autem est miséricors, et propitius fiet peccátis eórum : * et non dispérdet eos.

Et abundávit ut avérteret iram suam : * et non accéndit omnem iram suam :

Et recordátus est quia caro sunt : * spíritus vadens, et non rédiens.

Quóties exacerbavérunt eum in desérto, * in iram concitavérunt eum in inaquóso?

Et convérsi sunt, et tentavérunt Deum : * et Sanctum Israël exacerbavérunt.

Ant. Deus adjútor est eórum : et Excélsus redémptor eórum est.

Ant. Redémit eos * Dóminus de manu tribulántis.

Psalmus 77, v

NON sunt recordáti manus ejus, * die qua redémit eos de manu tribulántis.

Sicut pósuit in Ægýpto signa sua, * et prodígia sua in campo Táneos.

Et convértit in sánguinem flúmina eórum, * et imbres eórum, ne bíberent.

Misit in eos cœnomýiam, et comédit eos : * et ranam, et dispérdidit eos.

Et dedit ærúgini fructus eórum, * et labóres eórum locústæ.

Et occidit in grándine víneas eórum, * et moros eórum in pruína.

Et trádidit grándini juménta eórum : * et possessiónem eórum igni.

Misit in eos iram indignatiónis suæ : * indignatiónem, et iram, et tribulatiónem : immissiónes per ángelos malos.

Viam fecit sémitæ iræ suæ, non pepércit a morte animábus eórum : * et juménta eórum in morte conclúsit.

Et percússit omne primogénitum in terra Ægýpti : * primítias omnis labóris eórum in tabernáculis Cham.

Et ábstulit sicut oves pópulum suum : * et perdúxit eos tamquam gregem in desérto.

Et dedúxit eos in spe, et non timuérunt : * et inimícos eórum opéruit mare.

Et indúxit eos in montem sanctificatiónis suæ, * montem, quem acquisívit déxtera ejus.

Et ejécit a fácie eórum gentes : * et sorte divísit eis terram in funículo distributiónis.

Et habitáre fecit in tabernáculis eórum * tribus Israël.

Et tentavérunt, et exacerbavérunt Deum excélsum : * et testimónia ejus non custodiérunt.

Et avertérunt se, et non servavérunt pactum : * quemádmodum patres eórum, convérsi sunt in arcum pravum.

In iram concitavérunt eum in cóllibus suis : * et in sculptilibus suis ad æmulatiónem eum provocavérunt.

Ant. Redémit eos Dóminus de manu tribulántis.

Ant. Ædificávit * Deus sanctifícium suum in terra.

Psalmus 77, vi

AUdívit Deus, et sprevit : * et ad níhilum redégit valde Israël.

Et répulit tabernáculum Silo, * tabernáculum suum, ubi habitávit in homínibus.

Et trádidit in captivitátem virtútem eórum : * et pulchritúdinem eórum in manus inimíci.

Et conclúsit in gládio pópulum suum : * et hereditátem suam sprevit.

Júvenes eórum comédit ignis : * et vírgines eórum non sunt lamentátæ.

Sacerdótes eórum in gládio cecidérunt : * et víduæ eórum non plorabántur.

Et excitátus est tamquam dórmiens Dóminus, * tamquam potens crapulátus a vino.

Et percússit inimicos suos in posterióra : * oppróbrium sempitérnum dedit illis.

Et répulit tabernáculum Joseph : * et tribum Ephraim non elégit :

Sed elégit tribum Juda, * montem Sion quem diléxit.

Et ædificávit sicut unicórnium sanctifícium suum in terra, * quam fundávit in sæcula.

Et elégit David, servum suum, et sústulit eum de grégibus óvium : * de post fetántes accépit eum.

Páscere Jacob, servum suum, * et Israël, hereditátem suam :

Et pavit eos in innocéntia cordis sui : * et in intellléctibus mánuum suárum dedúxit eos.

Ant. Ædificávit Deus sanctificium suum in terra.

In Festis novem Lectionum :

℣. Elégit Dóminus tribum Juda. ℟. Montem Sion quem diléxit.

Absolutio. Ipsíus píetas et.

Bened. 4 Deus Pater omnípotens. 5 Christus perpétuæ. 6 Ignem sui amóris.

In III Nocturno

Ant. Adjuva nos, * Deus, salutáris noster : et propítius esto peccátis nostris.

Psalmus 78

DEus, venérunt gentes in hereditátem tuam, polluérunt templum sanctum tuum : * posuérunt Jerúsalem in pomórum custódiam.

Posuérunt morticina servórum tuórum, escas volatílibus cæli : * carnes sanctórum tuórum béstiis terræ.

Effudérunt sánguinem eórum tamquam aquam in circúitu Jerúsalem : * et non erat qui sepelíret.

Facti sumus oppróbrium vicínis nostris : * subsannátio et illúsio his, qui in circúitu nostro sunt.

Usquequo, Dómine, irascéris in finem : * accendétur velut ignis zelus tuus?

Effúnde iram tuam in gentes, quæ te non novérunt : * et in regna, quæ nomen tuum non invocavérunt :

Quia comedérunt Jacob : * et locum ejus desolavérunt.

Ne memíneris iniquitátum nostrárum antiquárum, cito antícipent nos misericórdiæ tuæ : * quia páuperes facti sumus nimis.

Adjuva nos, Deus, salutáris noster : et propter glóriam nóminis tui, Dómine, líbera nos : * et propítius esto peccátis nostris, propter nomen tuum :

Ne forte dicant in géntibus : Ubi est Deus eórum? * et innotéscat in natiónibus coram óculis nostris.

Ultio sánguinis servórum tuórum, qui effúsus est : * intróeat in conspéctu tuo gémitus compeditórum.

Secúndum magnitúdinem bráchii tui, * pósside fílios mortificatórum.

Et redde vicínis nostris séptuplum in sinu eórum : * impropérium ipsórum, quod exprobravérunt tibi, Dómine.

Nos autem pópulus tuus, et oves páscuæ tuæ, * confitébimur tibi in sæculum.

In generatiónem et generatiónem * annuntiábimus laudem tuam.

Ant. Adjuva nos, Deus, salutáris noster : et propítius esto peccátis nostris.

Ant. Ego sum Dóminus, * Deus tuus, Israël, qui edúxi te de terra Ægýpti.

Psalmus 80

EXsultáte Deo, adjutóri nostro : * jubiláte Deo Jacob.

Súmite psalmum, et date týmpanum : * psaltérium jucúndum cum cíthara.

Buccináte in Noeménia tuba, * in insígni die solemnitátis vestræ.

Quia præcéptum in Israël est : * et judícium Deo Jacob.

Testimónium in Joseph pósuit illud, cum exíret de terra Ægýpti : * linguam, quam non nóverat, audívit.

Divértit ab onéribus dorsum ejus : * manus ejus in cóphino serviérunt.

In tribulatióne invocásti me, et liberávi te : * exaudívi te in abscóndito tempestátis : probávi te apud aquam contradictiónis.

Audi, pópulus meus, et contestábor te : * Israël, si audíeris me, non erit in te deus recens, neque adorábis deum aliénum.

Ego enim sum Dóminus, Deus tuus, qui edúxi te de terra Ægýpti : * diláta os tuum, et implébo illud.

Et non audívit pópulus meus vocem meam : * et Israël non inténdit mihi.

Et dimísi eos secúndum desidéria cordis eórum, * ibunt in adinventiónibus suis.

Si pópulus meus audísset me : * Israël si in viis meis ambulásset :

Pro níhilo fórsitan inimícos eórum humiliássem : * et super tribulántes eos misíssem manum meam.

Inimíci Dómini mentíti sunt ei : * et erit tempus eórum in sæcula.

Et cibávit eos ex ádipe fruménti : * et de petra, melle saturávit eos.

Ant. Ego sum Dóminus, Deus tuus, Israël, qui edúxi te de terra Ægýpti.

Ant. Ne táceas, Deus, * quóniam inimíci tui extulérunt caput.

Psalmus 82

DEus, quis símilis erit tibi? * Ne táceas, neque compescáris, Deus :

Quóniam ecce inimíci tui sonuérunt : * et qui odérunt te, extulérunt caput.

Super pópulum tuum malignavérunt consílium : * et cogitavérunt advérsus sanctos tuos.

Dixérunt : Veníte, et disperdámus eos de gente : * et non memorétur nomen Israël ultra.

Quóniam cogitavérunt unanímiter : * simul advérsum te testaméntum disposuérunt, tabernácula Idumæórum et Ismahelítæ :

Moab, et Agaréni, Gebal, et Ammon, et Amalec : * alienígenæ cum habitántibus Tyrum.

Etenim Assur venit cum illis : * facti sunt in adjutórium fíliis Lot.

Fac illis sicut Mádian, et Sísaræ : * sicut Jabin in torrénte Cisson.

Disperiérunt in Endor : * facti sunt ut stercus terræ.

Pone príncipes eórum sicut Oreb, et Zeb, * et Zébee, et Sálmana :

Omnes príncipes eórum : * qui dixérunt : Hereditáte possideámus Sanctuárium Dei.

Deus meus, pone illos ut rotam : * et sicut stípulam ante fáciem venti.

Sicut ignis, qui combúrit silvam : * et sicut flamma combúrens montes :

Ita persequéris illos in tempestáte tua : * et in ira tua turbábis eos.

Imple fácies eórum ignomínia : * et quærent nomen tuum, Dómine.

Erubéscant, et conturbéntur in sæculum sæculi : * et confundántur et péreant.

Et cognóscant quia nomen tibi Dóminus : * tu solus Altíssimus in omni terra.

Ant. Ne táceas, Deus, quóniam inimíci tui extulérunt caput.

In feriali Officio et in Festis :

℣. Cognóscant quia nomen tibi Dóminus. ℟. Tu solus Altíssimus super omnem terram.

In Officio
novem Lectionum

Absolutio. A vínculis.

Bened. 7 Evangélica léctio. 8 In Festis Domini : Divínum auxílium.

In Festis B. M. V. : Cujus festum cólimus, ipsa Virgo.

In Festis Sanctorum : Cujus (vel Quorum aut Quarum) festum cólimus. 9 Ad societátem. (Per evangélica dicta.)

In Officio
trium Lectionum

Absolutio. Ipsíus píetas et.

In Feriis cum Homilia :

Bened. 1 Evangélica. 2 Divínum. 3 Ad societátem.

In Feriis sine Homilia :

Bened. 1 Deus Pater. 2 Christus perpétuæ. 3 Ignem sui amóris.

In Festis Sanctorum :

Bened. 1 Ille nos benedícat, qui sine fine vivit et regnat. ℟. Amen. 2 Cujus (vel Quorum aut Quarum.) 3 Ad societátem.

AD LAUDES I

In Feriis extra Vigilias communes occurrentibus, atque in Festis.

(Pater noster et Ave.)

℣. Deus, in adjutórium.

Ant. Exaltáte * Dóminum, Deum nostrum, et adoráte in monte sancto ejus.

Psalmus 98

DOminus regnávit, irascántur pópuli : * qui sedet super Chérubim, moveátur terra.

Dóminus in Sion magnus : * et excélsus super omnes pópulos.

Confiteántur nómini tuo magno : quóniam terríbile, et sanctum est : * et honor regis judícium díligit.

Tu parásti directiónes : * judícium et justítiam in Jacob tu fecísti.

Exaltáte Dóminum, Deum nostrum, et adoráte scabéllum pedum ejus : * quóniam sanctum est.

Móyses et Aaron in sacerdótibus ejus : * et Sámuel inter eos, qui ínvocant nomen ejus :

Invocábant Dóminum, et ipse exaudiébat eos : * in

colúmna nubis loquebátur ad eos.

Custodiébant testimónia ejus, * et præcéptum quod dedit illis.

Dómine, Deus noster, tu exaudiébas eos : * Deus, tu propítius fuísti eis, et ulcíscens in omnes adinventiónes eórum.

Exaltáte Dóminum, Deum nostrum, et adoráte in monte sancto ejus : * quóniam sanctus Dóminus, Deus noster.

Ant. Exaltáte Dóminum, Deum nostrum, et adoráte in monte sancto ejus.

Ant. Eripe me * de inimícis meis, Dómine, ad te confúgi.

Psalmus 142

DOmine, exáudi oratiónem meam : áuribus pércipe obsecratiónem meam in veritáte tua : * exáudi me in tua justítia.

Et non intres in judícium cum servo tuo : * quia non justificábitur in conspéctu tuo omnis vivens.

Quia persecútus est inimícus ánimam meam : * humiliávit in terra vitam meam.

Collocávit me in obscúris sicut mórtuos sæculi : * et anxiátus est super me spíritus meus, in me turbátum est cor meum.

Memor fui diérum antiquórum, meditátus sum in ómnibus opéribus tuis : * in factis mánuum tuárum meditábar.

Expándi manus meas ad te : * ánima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velóciter exáudi me, Dómine : * defécit spíritus meus.

Non avértas fáciem tuam a me : * et símilis ero descendéntibus in lacum.

Audítam fac mihi mane misericórdiam tuam : * quia in te sperávi.

Notam fac mihi viam, in qua ámbulem : * quia ad te levávi ánimam meam.

Eripe me de inimícis meis, Dómine, ad te confúgi : * doce me fácere voluntátem tuam, quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam : * propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me, in æquitáte tua.

Edúces de tribulatióne ánimam meam : * et in misericórdia tua dispérdes inimícos meos.

Et perdes omnes, qui tríbulant ánimam meam : * quóniam ego servus tuus sum.

Ant. Eripe me de inimícis meis, Dómine, ad te confúgi.

Ant. Benedixísti, * † Dómine, terram tuam : remisísti iniquitátem plebis tuæ.

Psalmus 84

BEnedixísti, † Dómine, terram tuam : * avertísti captivitátem Jacob.

Remisísti iniquitátem plebis tuæ : * operuísti ómnia peccáta eórum.

Mitigásti omnem iram tuam : * avertísti ab ira indignatiónis tuæ.

Convérte nos, Deus, salutáris noster : * et avérte iram tuam a nobis.

Numquid in ætérnum irascéris nobis? * aut exténdes iram tuam a generatióne in generatiónem?

Deus, tu convérsus vivificábis nos : * et plebs tua lætábitur in te.

Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam : * et salutáre tuum da nobis.

Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus : * quóniam loquétur pacem in plebem suam.

Et super sanctos suos : * et in eos, qui convertúntur ad cor.

Verúmtamen prope timéntibus eum salutáre ipsíus : * ut inhábitet glória in terra nostra.

Misericórdia, et véritas obviavérunt sibi : * justítia, et pax osculátæ sunt.

Véritas de terra orta est : * et justítia de cælo prospéxit.

Etenim Dóminus dabit benignitátem : * et terra nostra dabit fructum suum.

Justítia ante eum ambulábit : * et ponet in via gressus suos.

Ant. Benedixísti, Dómine, terram tuam : remisísti iniquitátem plebis tuæ.

Ant. In Dómino justificábitur, * et laudábitur omne semen Israël.

Canticum Isaiæ

Is. 45, 15-26

VEre tu es Deus abscónditus, * Deus Israël, Salvátor.

Confúsi sunt, et erubuérunt omnes : * simul abiérunt in confusiónem fabricatóres errórum.

Israël salvátus est in Dómino salúte ætérna : * non confundémini, et non erubescétis usque in sæculum sæculi.

Quia hæc dicit Dóminus creans cælos, * ipse Deus formans terram, et fáciens eam, ipse plastes ejus :

Non in vanum creávit eam, ut habitarétur formávit eam : * Ego Dóminus, et non est álius.

Non in abscóndito locútus sum, * in loco terræ tenebróso :

Non dixi sémini Jacob frustra : Quærite me : * ego Dóminus loquens justitiam, annúntians recta.

Congregámini, et veníte, et accédite simul * qui salváti estis ex géntibus :

Nesciérunt qui levant lignum sculptúræ suæ, * et rogant deum non salvántem.

Annuntiáte, et venite, et consiliámini simul : * Quis audítum fecit hoc ab inítio, ex tunc prædíxit illud?

Numquid non ego Dóminus, et non est ultra Deus absque me? * Deus justus, et salvans non est præter me.

Convertímini ad me, et salvi éritis, omnes fines terræ : * quia ego Deus, et non est álius.

In memetípso jurávi, egrediétur de ore meo justítiæ verbum, * et non revertétur :

Quia mihi curvábitur omne genu, * et jurábit omnis lingua.

Ergo in Dómino, dicet, meæ sunt justítiæ et impérium : * ad eum vénient, et confundéntur omnes qui repúgnant ei.

In Dómino justificábitur, et laudábitur * omne semen Israël.

Ant. In Dómino justificábitur, et laudábitur omne semen Israël.

Ant. Lauda, * † Jerúsalem, Dóminum. ‡

Psalmus 147

LAuda, † Jerúsalem, Dóminum : * ‡ lauda Deum tuum, Sion.

Quóniam confortávit seras portárum tuárum : * benedíxit fíliis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pacem : * et ádipe fruménti sátiat te.

Qui emíttit elóquium suum terræ : * velóciter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam : * nébulam sicut cinerem spargit.

Mittit crystállum suam sicut buccéllas : * ante fáciem frígoris ejus quis sustinébit?

Emíttet verbum suum, et liquefáciet ea : * flabit spíritus ejus, et fluent aquæ.

Qui annúntiat verbum suum Jacob : * justitias, et judícia sua Israël.

Non fecit táliter omni natióni : * et judícia sua non manifestávit eis.

Ant. Lauda, Jerúsalem, Dóminum.

In Officio feriali

Capit. Rom. 13, 12-13

NOX præcéssit, dies autem appropinquávit. Abjiciámus ergo ópera tenebrárum, et induámur arma lucis. Sicut in die honéste ambulémus.

Hymnus

ÆTérna cæli glória,
Beáta spes mortálium,
Summi Tonántis Unice,
Castæque proles Vírginis :

Da déxteram surgéntibus,
Exsúrgat et mens sóbria,
Flagrans et in laudem Dei
Grates repéndat débitas.

Ortus refúlget Lúcifer,
Præítque solem núntius :
Cadunt tenébræ nóctium :
Lux sancta nos illúminet.

Manénsque nostris sénsibus,
Noctem repéllat sæculi,
Omníque fine témporis
Purgáta servet péctora.

Quæsíta jam primum fides
In corde radíces agat :
Secúnda spes congáudeat,
Qua major exstat cáritas.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc et per omne sæculum. Amen.

℣. Repléti sumus mane misericórdia tua. ℟. Exsultávimus, et delectáti sumus.

Ad Bened. Ant. Per víscera misericórdiæ * Dei nostri visitávit nos Oriens ex alto.

Reliqua ut in Ordinario. 9

AD LAUDES II

In Vigiliis communibus, quando fit Officium de Feria.

(Pater noster et Ave.)

℣. Deus, in adjutórium.

Ant. Cor contrítum.

Psalmus 50

MIserére mei, Deus, * secúndum magnam misericórdiam tuam.

Et secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum, * dele iniquitátem meam.

Amplius lava me ab iniquitáte mea : * et a peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognósco : * et peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, et malum coram te feci : * ut justificéris in sermónibus tuis, et vincas cum judicáris.

Ecce enim, in iniquitátibus concéptus sum : * et in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim, veritátem dilexísti : * incérta et occúlta sapiéntiæ tuæ manifestásti mihi.

Aspérges me hyssópo, et mundábor : * lavábis me, et super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gaudium et lætítiam : * et exsultábunt ossa humiliáta.

Avérte fáciem tuam a peccátis meis : * et omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus : * et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

Ne projícias me a fácie tua : * et spíritum sanctum tuum ne áuferas a me.

Redde mihi lætítiam salutáris tui : * et spíritu principáli confírma me.

Docébo iníquos vias tuas : * et ímpii ad te converténtur.

Líbera me de sanguínibus, Deus, Deus salútis meæ : * et exsultábit lingua mea justítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries : * et os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam si voluísses sacrifícium, dedíssem útique : * holocáustis non delectáberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribulátus : * cor contrítum, et humiliátum, Deus, non despícies.

Benígne fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion : * ut ædificéntur muri Jerúsalem.

Tunc acceptábis sacrifícium justítiæ, oblatiónes, et holocáusta : * tunc impónent super altáre tuum vítulos.

Ant. Cor contrítum, et humiliátum, Deus, non despícies.

Ant. Propter nomen tuum.

Psalmus 142

DOmine, exáudi oratiónem meam : áuribus pércipe obsecratiónem meam in virtúte tua : * exáudi me in tua justítia.

Et non intres in judícium cum servo tuo : * quia non justificábitur in conspéctu tuo omnis vivens.

Quia persecútus est inimícus ánimam meam : * humiliávit in terra vitam meam.

Collocávit me in obscúris sicut mórtuos sæculi : * et anxiátus est super me spíritus meus, in me turbátum est cor meum.

Memor fui diérum antiquórum, meditátus sum in ómnibus opéribus tuis : * in factis mánuum tuárum meditábar.

Expándi manus meas ad te : * ánima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velóciter exáudi me, Dómine : * defécit spíritus meus.

Non avértas fáciem tuam a me : * et símilis ero descendéntibus in lacum.

Audítam fac mihi mane misericórdiam tuam : * quia in te sperávi.

Notam fac mihi viam, in qua ámbulem : * quia ad te levávi ánimam meam.

Eripe me de inimícis meis, Dómine, ad te confúgi : * doce me fácere voluntátem tuam, quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam : * propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me, in æquitáte tua.

Edúces de tribulatióne ánimam meam : * et in misericórdia tua dispérdes inimícos meos.

Et perdes omnes, qui tríbulant ánimam meam : * quóniam ego servus tuus sum.

Ant. Propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me, in æquitáte tua.

Ant. Deus, tu convérsus.

Psalmus 84

BEnedixísti, Dómine, terram tuam : * avertísti captivitátem Jacob.

Remisísti iniquitátem plebis tuæ : * operuísti ómnia peccáta eórum.

Mitigásti omnem iram tuam : * avertísti ab ira indignatiónis tuæ.

Convérte nos, Deus, salutáris noster : * et avérte iram tuam a nobis.

Numquid in ætérnum irascéris nobis? * aut exténdes iram tuam a generatióne in generatiónem?

Deus, tu convérsus vivificábis nos : * et plebs tua lætábitur in te.

Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam : * et salutáre tuum da nobis.

Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus : * quóniam loquétur pacem in plebem suam.

Et super sanctos suos : * et in eos, qui convertúntur ad cor.

Verúmtamen prope timéntes eum salutáre ipsíus : * ut inhábitet glória in terra nostra.

Misericórdia, et véritas obviavérunt sibi : * justítia, et pax osculátæ sunt.

Véritas de terra orta est : * et justítia de cælo prospéxit.

Etenim Dóminus dabit benignitátem : * et terra nostra dabit fructum suum.

Justítia ante eum ambulábit : * et ponet in via gressus suos.

Ant. Deus, tu convérsus vivificábis nos : et plebs tua lætábitur in te.

Ant. Cum irátus fúeris.

Canticum Habacuc
Hab. 3, 2-19

DOmine, audívi auditiónem tuam, * et tímui.

Dómine, opus tuum, * in médio annórum vivífica illud :

In médio annórum notum fácies : * cum irátus fúeris, misericórdiæ recordáberis.

Deus a b Austro véniet, * et sanctus de monte Pharan :

Opéruit cælos glória ejus : * et laudis ejus plena est terra.

Splendor ejus ut lux erit : * córnua in mánibus ejus :

Ibi abscóndita est fortitúdo ejus : * ante fáciem ejus ibit mors.

Et egrediétur diábolus ante pedes ejus. * Stetit, et mensus est terram.

Aspéxit, et dissólvit gentes : * et contríti sunt montes sæculi.

Incurváti sunt colles mundi, * ab itinéribus ætérnitátis ejus.

Pro iniquitáte vidi tentória Æthiópiæ, * turbabúntur pelles terræ Mádian.

Numquid in flumínibus irátus es, Dómine? * aut in flumínibus furor tuus? vel in mari indignátio tua?

Qui ascéndes super equos tuos : * et quadrígæ tuæ salvátio.

Súscitans suscitábis arcum tuum : * juraménta tríbubus quæ locútus es.

Flúvios scindes terræ : vidérunt te, et doluérunt montes : * gurges aquárum tránsiit.

Dedit abýssus vocem suam : * altitúdo manus suas levávit.

Sol, et luna stetérunt in habitáculo suo, * in luce sagittárum tuárum, ibunt in splendóre fulgurántis hastæ tuæ.

In frémitu conculcábis terram : * et in furóre obstupefácies gentes.

Egréssus es in salútem pópuli tui : * in salútem cum Christo tuo.

Percussísti caput de domo ímpii : * denudásti fundaméntum ejus usque ad collum.

Maledixísti sceptris ejus, cápiti bellatórum ejus, * veniéntibus ut turbo ad dispergéndum me.

Exsultátio eórum * sicut ejus, qui dévorat páuperem in abscóndito.

Viam fecísti in mari equis tuis, * in luto aquárum multárum.

Audívi, et conturbátus est venter meus : * a voce contremuérunt lábia mea.

Ingrediátur putrédo in óssibus meis, * et subter me scáteat.

Ut requiéscam in die tribulatiónis : * ut ascéndam ad pópulum accínctum nostrum.

Ficus enim non florébit : * et non erit germen in víneis.

Mentiétur opus olívæ : * et arva non áfferent cibum.

Abscindétur de ovíli pecus : * et non erit arméntum in præsépibus.

Ego autem in Dómino gaudébo : * et exsultábo in Deo Jesu meo.

Deus Dóminus fortitúdo mea : * et ponet pedes meos quasi cervórum.

Et super excélsa mea dedúcet me victor * in psalmis canéntem.

Ant. Cum irátus fúeris, Dómine, misericórdiæ recordáberis.

Ant. Lauda. †

Psalmus 147

Lauda, †Jerúsalem, Dóminum : * lauda Deum tuum, Sion.

Quóniam confortávit seras portárum tuárum : * benedíxit fíliis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pacem : * et ádipe fruménti sátiat te.

Qui emíttit elóquium suum terræ : * velóciter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam : * nébulam sicut cínerem spargit.

Mittit crystállum suam sicut buccéllas : * ante fáciem frígoris ejus quis sustinébit?

Emíttet verbum suum, et liquefáciet ea : * flabit spíritus ejus, et fluent aquæ.

Qui annúntiat verbum suum Jacob : * justítias, et judícia sua Israël.

Non fecit táliter omni natióni : * et judícia sua non manifestávit eis.

Ant. Lauda Deum tuum, Sion, qui annúntiat judícia sua Israël.

Capit. Rom. 13, 12-13

Nox præcéssit, dies autem appropinquávit. Abjiciámus ergo ópera tenebrárum, et induámur arma lucis. Sicut in die honéste ambulémus.

Hymnus

Ætérna cæli glória,
Beáta spes mortálium,
Summi Tonántis Unice,
Castæque proles Vírginis :

Da dexteram surgéntibus,
Exsúrgat et mens sóbria,
Flagrans et in laudem Dei
Grates repéndat débitas.

Ortus refúlget Lúcifer,
Præítque solem núntius :
Cadunt tenébræ nóctium :
Lux sancta nos illúminet.

Manénsque nostris sénsibus,
Noctem repéllat sæculi,
Omníque fine témporis
Purgáta servet péctora.

Quæsíta jam primum fides
In corde radices agat :
Secúnda spes congáudeat,
Qua major exstat cáritas.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc et per omne sæculum. Amen.

℣. Repléti sumus mane misericórdia tua. ℟. Exsultávimus, et delectáti sumus.

Ad Bened. Ant. Per víscera misericórdiæ * Dei nostri visitávit nos Oriens ex alto.

Expleto Cantico ac repetita Antiphona, dicuntur sequentes

Preces feriales

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster, quod dicitur a solo Hebdomadario totum clara voce, usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo. ℣. Ego dixi : Dómine, miserére mei. ℟. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi. ℣. Convértere, Dómine, úsquequo? ℟. Et deprecábilis esto super servos tuos. ℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te. ℣. Sacerdótes tui induántur justítiam. ℟. Et sancti tui exsúltent. ℣. Orémus pro beatíssimo Papa nostro N. ℟. Dóminus consérvet eum, et vivíficet eum, et beátum fáciat eum in terra, et non tradat eum in ánimam inimicórum ejus. ℣. Orémus et pro Antístite nostro N. ℟. Stet et pascat in fortitúdine tua, Dómine, in sublimitáte nóminis tui. ℣. Dómine, salvum fac regem. ℟. Et exáudi nos in die, qua invocavérimus te. ℣. Salvum fac pópulum tuum, Dómine, et bénedic hereditáti tuæ. ℟. Et rege eos, et extólle illos usque in ætérnum. ℣. Meménto Congregatiónis tuæ. ℟. Quam possedísti ab initio. ℣. Fiat pax in virtúte tua. ℟. Et abundántia in túrribus tuis. ℣. Orémus pro benefactóribus nostris. ℟. Retribúere dignáre, Dómine, ómnibus, nobis bona faciéntibus propter nomen tuum, vitam ætérnam. Amen. ℣. Orémus pro fidélibus defúnctis. ℟. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine, et lux perpétua lúceat eis. ℣. Requiéscant in pace. ℟. Amen. ℣. Pro frátribus nostris absséntibus. ℟. Salvos fac servos tuos, Deus meus, sperántes in te. ℣. Pro afflíctis et captívis. ℟. Líbera eos, Deus Israël, ex ómnibus tribulatiónibus suis. ℣. Mitte eis, Dómine, auxílium de sancto. ℟. Et de Sion tuére eos. ℣. Dómine, Deus virtútum, convérte nos. ℟. Et osténde fáciem tuam, et salvi érimus. ℣. Exsúrge, Christe, ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum. ℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Reliqua ut in Ordinario. 9

AD PRIMAM

Pater, Ave et Credo.

℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus

Jam lucis orto sídere,
Deum precémur súpplices,
Ut in diúrnis áctibus
Nos servet a nocéntibus.

Linguam refrénans témperet,
Ne litis horror ínsonet :
Visum fovéndo cóntegat,
Ne vanitátes háuriat.

Sint pura cordis íntima,
Absístat et vecórdia :
Carnis terat supérbiam
Potus cibíque párcitas.

Ut, cum dies abscésserit
Noctémque sors redúxerit,
Mundi per abstinéntiam
Ipsi canámus glóriam.

* Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc et per omne sæculum. Amen.

Ant. Ne discédas a me.

Psalmus 21, i

Deus, Deus meus, réspice in me : quare me dereliquísti? * longe a salúte mea verba delictórum meórum.

Deus meus, clamábo per diem, et non exáudies : * et nocte, et non ad insipiéntiam mihi.

Tu autem in sancto hábitas, * laus Israël.

In te speravérunt patres nostri : * speravérunt, et liberásti eos.

Ad te clamavérunt, et salvi facti sunt : * in te speravérunt, et non sunt confúsi.

Ego autem sum vermis, et non homo : * oppróbrium hóminum, et abjéctio plebis.

Omnes vidéntes me, derisérunt me : * locúti sunt lábiis, et movérunt caput.

Sperávit in Dómino, erípiat eum : * salvum fáciat eum, quóniam vult eum.

Quóniam tu es, qui extraxísti me de ventre : * spes mea ab ubéribus matris meæ. In te projéctus sum ex útero :

De ventre matris meæ Deus meus es tu, * ne discésseris a me.

Quóniam tribulátio próxima est : * quóniam non est qui ádjuvet.

Psalmus 21, ii

Circumdedérunt me víituli multi : * tauri pingues obsedérunt me.

Aperuérunt super me os suum, * sicut leo rápiens et rúgiens.

Sicut aqua effúsus sum : * et dispérsa sunt ómnia ossa mea.

Factum est cor meum tamquam cera liquéscens * in médio ventris mei.

Aruit tamquam testa virtus mea, et lingua mea adhæsit fáucibus meis : * et in púlverem mortis deduxísti me.

Quóniam circumdedérunt me canes multi : * concílium malignántium obsédit me.

Fodérunt manus meas et pedes meos : * dinumeravérunt ómnia ossa mea.

Ipsi vero consideravérunt et inspexérunt me : * divisérunt sibi vestiménta mea, et super vestem meam misérunt sortem.

Tu autem, Dómine, ne elongáveris auxílium tuum a me : * ad defensiónem meam cónspice.

Erue a frámea, Deus, ánimam meam : * et de manu canis únicam meam :

Salva me ex ore leónis : * et a córnibus unicórnium humilitátem meam.

Narrábo nomen tuum frátribus meis : * in médio ecclésiæ laudábo te.

Psalmus 21, iii

QUI timétis Dóminum, laudáte eum : * univérsum semen Jacob, glorificáte eum.

Tímeat eum omne semen Israël : * quóniam non sprevit, neque despéxit deprecatiónem páuperis :

Nec avértit fáciem suam a me : * et cum clamárem ad eum, exaudívit me.

Apud te laus mea in eclésia magna : * vota mea reddam in conspéctu timéntium eum.

Edent páuperes, et saturabúntur : et laudábunt Dóminum qui requírunt eum : * vivent corda eórum in sæculum sæculi.

Reminiscéntur et converténtur ad Dóminum * univérsi fines terræ :

Et adorábunt in conspéctu ejus * univérsæ famíliæ géntium.

Quóniam Dómini est regnum : * et ipse dominábitur géntium.

Manducavérunt et adoravérunt omnes pingues terræ : * in conspéctu ejus cadent omnes qui descéndunt in terram.

Et ánima mea illi vivet : * et semen meum sérviet ipsi.

Annuntiábitur Dómino generátio ventúra : * et annuntiábunt cæli justítiam ejus pópulo qui nascétur, quem fecit Dóminus.

¶ Quando ad Laudes dictus fuerit Ps. 50 Miserére, hic subjungitur sequens Ps. 98, qui in Laudibus locum non habuit.

Psalmus 98

DOminus regnávit, irascántur pópuli : * qui sedet super Chérubim, moveátur terra.

Dóminus in Sion magnus : * et excélsus super omnes pópulos.

Confiteántur nómini tuo magno : quóniam terríbile, et sanctum est : * et honor regis judícium díligit.

Tu parásti directiónes : * judícium et justítiam in Jacob tu fecísti.

Exaltáte Dóminum, Deum nostrum, et adoráte scabéllum pedum ejus : * quóniam sanctum est.

Móyses et Aaron in sacerdótibus ejus : * et Sámuel inter eos, qui ínvocant nomen ejus :

Invocábant Dóminum, et ipse exaudiébat eos : * in colúmna nubis loquebátur ad eos.

Custodiébant testimónia ejus, * et præcéptum quod dedit illis.

Dómine, Deus noster, tu exaudiébas eos : * Deus, tu propítius fuísti eis, et ulcíscens in omnes adinventiónes eórum.

Exaltáte Dóminum, Deum nostrum, et adoráte in monte sancto ejus : * quóniam sanctus Dóminus, Deus noster.

Secus vero, tribus Psalmis expletis, statim dicitur Ant.

Ant. Ne discédas a me, Dómine : quóniam tribulátio próxima est : quóniam non est qui ádjuvet.

In Officio Festi vel Octavæ :

Capitulum 1 Tim. 1, 17

REgi sæculórum immortáli et invisíbili, soli Deo honor et glória in sæcula sæculórum. Amen.

In omnibus autem Feriis et in Vigiliis communibus :

Capitulum Zach. 8, 19

PAcem et veritátem dilígite, ait Dóminus omnípotens.

℟. br. Christe, Fili Dei vivi, * Miserére nobis. Christe. ℣. *Qui sedes ad déxteram Patris.* Miserére nobis. Glória Patri. Christe. ℣. Exsúrge, Christe, ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum.

Preces dominicales et feriales (si dicendæ sint)

KYrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Credo in Deum secreto usque ad ℣. Carnis resurrectiónem. ℟. Vitam ætérnam. Amen. ℣. Et ego ad te, Dómine, clamávi. ℟. Et mane orátio mea prævéniet te. ℣. Repleátur os meum laude. ℟. Ut cantem glóriam tuam, tota die magnitúdinem tuam. ℣. Dómine, avérte fáciem tuam a peccátis

meis. ℟. Et omnes iniquitátes meas dele. ℣. Cor mundum crea in me, Deus. ℟. Et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis. ℣. Ne projícias me a fácie tua. ℟. Et spíritum sanctum tuum ne áuferas a me. ℣. Redde mihi lætítiam salutáris tui. ℟. Et spíritu principáli confírma me.

In Precibus ferialibus tantum

℣. Eripe me, Dómine, ab hómine malo. ℟. A viro iníquo éripe me. ℣. Eripe me de inimícis meis, Deus meus. ℟. Et ab insurgéntibus in me líbera me. ℣. Eripe me de operántibus iniquitátem. ℟. Et de viris sánguinum salva me. ℣. Sic psalmum dicam nómini tuo in sæculum sæculi. ℟. Ut reddam vota mea de die in diem. ℣. Exáudi nos, Deus, salutáris noster. ℟. Spes ómnium fínium terræ, et in mari longe. ℣. Deus, in adjutórium meum inténde. ℟. Dómine, ad adjuvándum me festína. ℣. Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortális. ℟. Miserére nobis. ℣. Bénedic, ánima mea, Dómino. ℟. Et ómnia, quæ intra me sunt, nómini sancto ejus. ℣. Bénedic, ánima mea, Dómino. ℟. Et noli oblísci omnes retributiónes ejus. ℣. Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis. ℟. Qui sanat omnes infirmitátes tuas. ℣. Qui rédimit de intéritu vitam tuam. ℟. Qui corónat te in misericórdia et miseratiónibus. ℣. Qui replet in bonis desidérium tuum. ℟. Renovábitur ut áquilæ juvéntus tua.

In utrisque Precibus

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

Confíteor. Misereátur. Indulgéntiam.

℣. Dignáre, Dómine, die isto. ℟. Sine peccáto nos custodíre. ℣. Miserére nostri, Dómine. ℟. Miserére nostri. ℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te. ℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.

Orémus. Oratio

DOmine, Deus omnípotens, qui ad princípium hujus diéi nos pervenire fecísti : tua nos hódie salva virtúte; ut in hac die ad nullum declinémus peccátum, sed semper ad tuam justítiam faciéndam nostra procédant elóquia,

dirigántur cogitatiónes et ópera. Per Dóminum.

℟. Amen.

℣. Dóminus vobíscum.

℣. Benedicámus Dómino.

In Choro Martyrologium.

℣. Pretiósa in conspéctu Dómini. ℟. Mors Sanctórum ejus.

Et absolute, sine Orémus :

Oratio

SAncta María, et omnes Sancti intercédant pro nobis ad Dóminum, ut nos mereámur ab eo adjuvári et salvári, qui vivit et regnat in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

℣. Deus, in adjutórium meum inténde. ℟. Dómine, ad adjuvándum me festína. Et dicitur ter; ultimo additur : Glória Patri. Sicut erat.

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo. ℣. Réspice in servos tuos, Dómine, et in ópera tua, et dírige fílios eórum. ℟. Et sit splendor Dómini, Dei nostri, super nos, et ópera mánuum nostrárum dírige super nos, et opus mánuum nostrárum dírige. ℣. Glória Patri. ℟. Sicut erat.

Orémus. Oratio

DIrígere et sanctificáre, régere et gubernáre dignáre, Dómine Deus, Rex cæli et terræ, hódie corda et córpora nostra, sensus, sermónes et actus nostros in lege tua, et in opéribus mandatórum tuórum : ut hic, et in ætérnum, te auxiliánte, salvi et líberi esse mereámur, Salvátor mundi : Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

℣. Jube, domne.

Bened. Dies et actus nostros in sua pace dispónat Dóminus omnípotens.

℟. Amen.

In Officio feriali

DOminus autem dírigat corda et córpora nostra in caritáte Dei, et patiéntia Christi. Tu autem.

E Proprio Sanctorum

Pro Oct. S. Joannis Bapt.

REges vidébunt, et consúrgent príncipes et adorábunt Dóminum, Deum tuum et Sanctum Israël, qui elégit te.

Pro Invent. S. Stephani

POsitis autem génibus, clamávit voce magna, dicens : Dómine, ne státuas illis hoc peccátum. Et cum hoc dixísset, obdormívit in Dómino.

E Communi Sanctorum

Pro Apostolis

IBant Apóstoli gaudéntes a conspéctu concílii, quóniam digni hábiti sunt pro nómine Jesu contuméliam pati.

Pro Martyre

JUstus cor suum trádidit ad vigilándum dilúculo ad Dóminum, qui fecit illum, et in conspéctu Altíssimi deprecábitur.

Pro pluribus Martyribus

FUlgébunt justi, et tamquam scintíllæ in arundinéto discúrrent. Judicábunt natiónes, et dominabúntur pópulis : et regnábit Dóminus illórum in perpétuum.

Pro Conf. Pont.

FUngi sacerdótio, et habére laudem in nómine ipsíus, et offérre illi incénsum dignum in odórem suavitátis.

Pro Conf. non Pont.

JUstum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam sanctórum; honestávit illum in labóribus, et complévit labóres illíus.

Pro Virgine Martyre

DOmine, Deus meus, exaltásti super terram habitatiónem meam, et pro morte defluénte deprecáta sum. Invocávi Dóminum, Patrem Dómini mei, ut non derelínquat me in die tribulatiónis meæ, et in témpore superbórum sine adjutório.

Pro Virgine non Martyre

OQuam pulchra est casta generátio cum claritáte! immortális est enim memória illíus : quóniam apud Deum nota est, et apud hómines.

Pro Martyre tantum

LAudábit usque ad mortem ánima mea Dóminum, quóniam éruis sustinéntes te, et líberas eos de manu angústiæ, Dómine, Deus noster.

Pro nec Virg. nec Mart.

MUltæ fíliæ congregavérunt divítias : tu supergréssa es univérsas. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo : múlier timens Dóminum, ipsa laudábitur.

Pro Dedicatione Ecclesiæ

ET abstérget Deus omnem lácrimam ab óculis eórum : et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abiérunt. Et dixit qui sedébat in throno : Ecce, nova fácio ómnia.

In Officiis B. Mariæ V.

IN platéis sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans odórem dedi : quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

℣. Benedícite. ℟. Deus.

Benedictio Dóminus nos benedícat, et ab omni malo deféndat, et ad vitam perdúcat ætérnam. Et fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen.

Deinde dicitur tantum Pater noster secreto, nisi sequatur alia Hora.

AD TERTIAM

Pater noster et Ave.

℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus

NUnc, Sancte, nobis, Spíritus,
Unum Patri cum Fílio,
Dignáre promptus íngeri
Nostro refúsus péctori.

Os, lingua, mens, sensus, vigor
Confessiónem pérsonent,
Flamméscat igne cáritas,
Accéndat ardor próximos.

* Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

Ant. Excita, Dómine.

Psalmus 79, i

QUI regis Israël, inténde : * qui dedúcis velut ovem Joseph.

Qui sedes super Chérubim, * manifestáre coram Ephraïm, Bénjamin, et Manásse.

Excita poténtiam tuam, et veni, * ut salvos fácias nos.

Deus, convérte nos : * et osténde fáciem tuam, et salvi érimus.

Dómine,Deus virtútum,* quoúsque irascéris super oratiónem servi tui?

Cibábis nos pane lacrimárum : * et potum dabis nobis in lácrimis in mensúra?

Posuísti nos in contradictiónem vicínis nostris : * et inimíci nostri subsannavérunt nos.

Deus virtútum, convérte nos : * et osténde fáciem tuam, et salvi érimus.

Psalmus 79, ii

VIneam de Ægýpto transtulísti : * ejecísti gentes, et plantásti eam.

Dux itíneris fuísti in conspéctu ejus : * plantásti radíces ejus, et implévit terram.

Opéruit montes umbra ejus : * et arbústa ejus cedros Dei.

Exténdit pálmites suos usque ad mare : * et usque ad flumen propágines ejus.

Ut quid destruxísti macériam ejus : * et vindémiant eam omnes, qui prætergrediúntur viam?

Exterminávit eam aper de silva : * et singuláris ferus depástus est eam.

Deus virtútum, convértere : * réspice de cælo, et vide, et vísita víneam istam.

Et pérfice eam, quam plantávit déxtera tua : * et super fílium hóminis, quem confirmásti tibi.

Incénsa igni, et suffóssa * ab increpatióne vultus tui períbunt.

Fiat manus tua super virum déxteræ tuæ : * et super fílium hóminis, quem confirmásti tibi.

Et non discédimus a te, vivificábis nos : * et nomen tuum invocábimus.

Dómine, Deus virtútum, convérte nos : * et osténde fáciem tuam, et salvi érimus.

Psalmus 81

Deus stetit in synagóga deórum : * in médio autem deos dijúdicat.

Usquequo judicátis iniquitátem : * et fácies peccatórum súmitis?

Judicáte egéno, et pupíllo : * húmilem, et páuperem justificáte.

Erípite páuperem : * et egénum de manu peccatóris liberáte.

Nesciérunt, neque intellexérunt, in ténebris ámbulant : * movebúntur ómnia fundaménta terræ.

Ego dixi : Dii estis, * et fílii Excélsi omnes.

Vos autem sicut hómines moriémini : * et sicut unus de princípibus cadétis.

Surge, Deus, júdica terram : * quóniam tu hereditábis in ómnibus géntibus.

Ant. Excita, Dómine, poténtiam tuam, ut salvos fácias nos.

In Officio feriali

Capitulum Jer. 17, 14

Sana me, Dómine, et sanábor : salvum me fac, et salvus ero : quóniam laus mea tu es.

℟. br. Sana ánimam meam, * Quia peccávi tibi. Sana. ℣. Ego dixi : Dómine, miserére mei. Quia. Glória Patri. Sana.

℣. Adjútor meus esto, ne derelínquas me. ℟. Neque despícias me, Deus, salutáris meus.

In Vigiliis communibus :

Preces feriales

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo. ℣. Dómine, Deus virtútum, convérte nos. ℟. Et osténde fáciem tuam, et salvi érimus. ℣. Exsúrge, Christe, ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum. ℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Reliqua ut in Ordinario. 19

AD SEXTAM

Pater noster et Ave.

℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus

Rector potens, verax Deus,
Qui témperas rerum vices,
Splendóre mane illúminas,
Et ígnibus meridiem :

Exstíngue flammas lítium,
Aufer calórem nóxium,
Confer salútem córporum,
Verámque pacem córdium.

* Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

Ant. Beáti, qui hábitant.

Psalmus 83, i

Quam dilécta tabernácula tua, Dómine virtútum : * concupíscit, et déficit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum, et caro mea * exsultavérunt in Deum vivum.

Etenim passer invénit sibi domum : * et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altária tua, Dómine virtútum : * Rex meus, et Deus meus.

Beáti, qui hábitant in domo tua, Dómine : * in sæcula sæculórum laudábunt te.

Beátus vir, cujus est auxílium abs te : * ascensiónes in corde suo dispósuit in valle lacrimárum in loco, quem pósuit.

Etenim benedictiónem dabit legislátor, ibunt de virtúte in virtútem : * vidébitur Deus deórum in Sion.

Psalmus 83, ii

Domine, Deus virtútum, exáudi oratiónem meam : * áuribus pércipe, Deus Jacob.

Protéctor noster, áspice, Deus : * et réspice in fáciem Christi tui :

Quia mélior est dies una in átriis tuis, * super míllia.

Elégi abjéctus esse in domo Dei mei : * magis quam habitáre in tabernáculis peccatórum.

Quia misericórdiam, et veritátem diligit Deus : * grátiam et glóriam dabit Dóminus.

Non privábit bonis eos, qui ámbulant in innocéntia : * Dómine virtútum, beátus homo, qui sperat in te.

Psalmus 86

Fundaménta ejus in móntibus sanctis : * díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob.

Gloriósa dicta sunt de te, * cívitas Dei.

Memor ero Rahab, et Babylónis * sciéntium me.

Ecce, alienígenæ, et Tyrus, et pópulus Æthiópum, * hi fuérunt illic.

Numquid Sion dicet : Homo, et homo natus est in ea : * et ipse fundávit eam Altíssimus?

Dóminus narrábit in scriptúris populórum, et príncipum : * horum, qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium ómnium * habitátio est in te.

Ant. Beáti, qui hábitant in domo tua, Dómine.

In Officio feriali

Capitulum Rom. 13, 8

Nemini quidquam debeátis, nisi ut ínvicem diligátis : qui enim díligit próximum, legem implévit.

℟. br. Benedícam Dóminum * In omni témpore. Benedícam. ℣. Semper laus ejus in ore meo. In omni. Glória Patri. Benedícam. ℣. Dóminus regit me, et nihil mihi déerit. ℟. In loco páscuæ ibi me collocávit.

In Vigiliis communibus :

Preces feriales

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo. ℣. Dómine, Deus virtútum, convérte nos. ℟. Et osténde fáciem tuam, et salvi érimus. ℣. Exsúrge, Christe, ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum. ℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Reliqua ut in Ordinario. 20

AD NONAM

Pater noster et Ave.

℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus

Rerum, Deus, tenax vigor,
Immótus in te pérmanens,
Lucis diúrnæ témpora
Successíbus detérminans :

Largíre lumen véspere,
Quo vita nusquam décidat,
Sed prémium mortis sacræ
Perénnis instet glória.

* Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

Ant. Misericórdia et véritas.

Psalmus 88, i

Isericórdias Dómini * in ætérnum cantábo.

In generatiónem et generatiónem * annuntiábo veritátem tuam in ore meo.

Quóniam dixísti: In ætérnum misericórdia ædificábitur in cælis : * præparábitur véritas tua in eis.

Dispósui testaméntum eléctis meis, jurávi David, servo meo : * Usque in ætérnum præparábo semen tuum.

Et ædificábo in generatiónem et generatiónem * sedem tuam.

Confitebúntur cæli mirabília tua, Dómine : * étenim veritátem tuam in ecclésia sanctórum.

Quóniam quis in núbibus æquábitur Dómino : * símilis erit Deo in fíliis Dei?

Deus, qui glorificátur in consílio sanctórum : * magnus et terríbilis super omnes qui in circúitu ejus sunt.

Dómine, Deus virtútum, quis símilis tibi? * potens es, Dómine, et véritas tua in circúitu tuo.

Tu domináris potestáti maris : * motum autem flúctuum ejus tu mítigas.

Tu humiliásti sicut vulnerátum, supérbum : * in bráchio virtútis tuæ dispersísti inimícos tuos.

Tui sunt cæli, et tua est terra, orbem terræ et plenitúdinem ejus tu fundásti : * aquilónem, et mare tu creásti.

Thabor et Hermon in nómine tuo exsultábunt : * tuum bráchium cum poténtia.

Firmétur manus tua, et exaltétur déxtera tua : * justítia et judícium præparátio sedis tuæ.

Misericórdia et véritas præcédent fáciem tuam : * beátus pópulus, qui scit jubilatiónem.

Dómine, in lúmine vultus tui ambulábunt, et in nómine tuo exsultábunt tota die : * et in justítia tua exaltabúntur.

Quóniam glória virtútis eórum tu es : * et in beneplácito tuo exaltábitur cornu nostrum.

Quia Dómini est assúmptio nostra, * et Sancti Israël, regis nostri.

Psalmus 88, ii

TUnc locútus es in vísióne sanctis tuis, et dixísti : * Pósui adjutórium in poténte : et exaltávi eléctum de plebe mea.

Invéni David, servum meum : * óleo sancto meo unxi eum.

Manus enim mea auxiliábitur ei : * et bráchium meum confortábit eum.

Nihil proficiet inimícus in eo, * et fílius iniquitátis non appónet nocére ei.

Et concídam a fácie ipsíus inimícos ejus : * et odiéntes eum in fugam convértam.

Et véritas mea, et misericórdia mea cum ipso : * et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Et ponam in mari manum ejus : * et in flumínibus déxteram ejus.

Ipse invocábit me : Pater meus es tu : * Deus meus, et suscéptor salútis meæ.

Et ego primogénitum ponam illum * excélsum præ régibus terræ.

In ætérnum servábo illi misericórdiam meam : * et testaméntum meum fidéle ipsi.

Et ponam in sæculum sæculi semen ejus : * et thronum ejus sicut dies cæli.

Si autem derelíquerint fílii ejus legem meam : * et in judíciis meis non ambuláverint :

Si justítias meas profanáverint : * et mandáta mea non custodíerint :

Visitábo in virga iniquitátes eórum : * et in verbéribus peccáta eórum.

Misericórdiam autem meam non dispérgam ab eo : * neque nocébo in veritáte mea :

Neque profanábo testaméntum meum : * et quæ procédunt de lábiis meis, non fáciam írrita.

Semel jurávi in sancto meo : Si David méntiar : * semen ejus in ætérnum manébit.

Et thronus ejus sicut sol in conspéctu meo, * et sicut luna perfécta in ætérnum : et testis in cælo fidélis.

Psalmus 88, iii

TU vero repulísti et despexísti : * distulísti Christum tuum.

Evertísti testaméntum servi tui : * profanásti in terra Sanctuárium ejus.

Destruxísti omnes sepes ejus : * posuísti firmaméntum ejus formídinem.

Diripuérunt eum omnes transeúntes viam : * factus est oppróbrium vicínis suis.

Exaltásti déxteram depriméntium eum : * lætificásti omnes inimícos ejus.

Avertísti adjutórium gládii ejus : * et non es auxiliátus ei in bello.

Destruxísti eum ab emundatióne : * et sedem ejus in terram collisísti.

Minorásti dies témporis ejus : * perfudísti eum confusióne.

Usquequo, Dómine, avértis in finem : * exardéscet sicut ignis ira tua?

Memoráre quæ mea substántia : * numquid enim vane constituísti omnes fílios hóminum?

Quis est homo, qui vivet, et non vidébit mortem : * éruet ánimam suam de manu ínferi?

Ubi sunt misericórdiæ tuæ antíquæ, Dómine, * sicut jurásti David in veritáte tua?

Memor esto, Dómine, oppróbrii servórum tuórum * (quod continui in sinu meo) multárum géntium.

Quod exprobravérunt inimíci tui, Dómine, * quod exprobravérunt commutatiónem Christi tui.

Benedíctus Dóminus in ætérnum : * fiat, fiat.

Ant. Misericórdia et véritas præcédent fáciem tuam, Dómine.

In Officio feriali

Capit. 1 Petri 1, 17-19

IN timóre incolátus vestri témpore conversámini : sciéntes quod non corruptibílibus auro vel argénto redémpti estis, sed pretióso sánguine quasi Agni immaculáti Christi.

℟. br. Rédime me, Dómine, * Et miserére mei. Rédime. ℣. Pes enim meus stetit in via recta. Et. Glória Patri. Rédime.

℣. Ab occúltis meis munda me, Dómine. ℟. Et ab aliénis parce servo tuo.

In Vigiliis communibus :

Preces feriales

KYrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo. ℣. Dómine, Deus virtútum, convérte nos. ℟. Et osténde fáciem tuam, et salvi érimus. ℣. Exsúrge, Christe, ádjuva nos. ℟. Et libera nos propter nomen tuum. ℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Reliqua ut in Ordinario. 22

AD VESPERAS

Pater noster et Ave.

℣. Deus, in adjutórium.

Ant. Dómine, * † probásti me, et cognovísti me. ‡

Psalmus 138, i

Omine, † probásti me, et cognovísti me : * ‡ tu cognovísti sessiónem meam, et resurrectiónem meam.

Intellexísti cogitatiónes meas de longe : * sémitam meam, et funículum meum investigásti.

Et omnes vias meas prævidísti : * quia non est sermo in lingua mea.

Ecce, Dómine, tu cognovísti ómnia novíssima, et antíqua : * tu formásti me, et posuísti super me manum tuam.

Mirábilis facta est sciéntia tua ex me : * confortáta est, et non pótero ad eam.

Quo ibo a spíritu tuo? * et quo a fácie tua fúgiam?

Si ascéndero in cælum, tu illic es : * si descéndero in inférnum, ades.

Si súmpsero pennas meas dilúculo, * et habitávero in extrémis maris :

Etenim illuc manus tua dedúcet me : * et tenébit me déxtera tua.

Et dixi : Fórsitan ténebræ conculcábunt me : * et nox illumináti mea in delíciis meis.

Quia ténebræ non obscurabúntur a te, et nox sicut dies illumináibitur : * sicut ténebræ ejus, ita et lumen ejus.

Quia tu possedísti renes meos : * suscepísti me de útero matris meæ.

Ant. Dómine, probásti me, et cognovísti me.

Ant. Mirabília ópera tua, * Dómine, et ánima mea cognóscit nimis.

Psalmus 138, ii

Confitébor tibi quia terribíliter magnificátus es : * mirabília ópera tua, et ánima mea cognóscit nimis.

Non est occultátum os meum a te, quod fecísti in occúlto : * et substántia mea in inferióribus terræ.

Imperféctum meum vidérunt óculi tui, et in libro tuo omnes scribéntur : * dies formabúntur, et nemo in eis.

Mihi autem nimis honorificáti sunt amíci tui, Deus : * nimis confortátus est principátus eórum.

Dinumerábo eos, et super arénam multiplicabúntur : * exsurréxi, et adhuc sum tecum.

Si occíderis, Deus, peccatóres : * viri sánguinum, declináte a me :

Quia dícitis in cogitatióne : * Accípient in vanitáte civitátes tuas.

Nonne quí odérunt te, Dómine, óderam? * et super inimícos tuos tabescébam?

Perfécto ódio óderam illos : * et inimici facti sunt mihi.

Proba me, Deus, et scito cor meum : * intérroga me, et cognósce sémitas meas.

Et vide, si vía iniquitátis in me est : * et deduc me in via ætérna.

Ant. Mirabília ópera tua, Dómine, et ánima mea cognóscit nimis.

Ant. Ne derelínquas me, * Dómine, virtus salútis meæ.

Psalmus 139

Ripe me, Dómine, ab hómine malo : * a viro iniquo éripe me.

Qui cogitavérunt iniquitátes in corde : * tota die constituébant prœlia.

Acuérunt linguas suas sicut serpéntis : * venénum áspidum sub lábiis eórum.

Custódi me, Dómine, de manu peccatóris : * et ab homínibus iniquis éripe me.

Qui cogitavérunt supplantáre gressus meos : * abscondérunt supérbi láqueum mihi :

Et funes extendérunt in láqueum : * juxta iter scándalum posuérunt mihi.

Dixi Dómino : Deus meus es tu : * exáudi, Dómine, vocem deprecatiónis meæ.

Dómine, Dómine, virtus salútis meæ : * obumbrásti super caput meum in die belli.

Ne tradas me, Dómine, a desidério meo peccatóri : * cogitavérunt contra me, ne derelínquas me, ne forte exalténtur.

Caput circúitus eórum : * labor labiórum ipsórum opériet eos.

Cadent super eos carbónes, in ignem dejicies eos : * in misériis non subsístent.

Vir linguósus non dirigétur in terra : * virum injústum mala cápient in intéritu.

Cognóvi quia fáciet Dóminus judícium ínopis : * et vindictam páuperum.

Verúmtamen justi confitebúntur nómini tuo : * et habitábunt recti cum vultu tuo.

Ant. Ne derelinquas me, Dómine, virtus salútis meæ.

Ant. Dómine, * ✝ clamávi ad te, exáudi me. ✝

Psalmus 140

Domine, ✝ clamávi ad te, exáudi me : * ✝ inténde voci meæ, cum clamávero ad te.

Dirigátur orátio mea sicut incénsum in conspéctu tuo : * elevátio mánuum meárum sacrifícium vespertinum.

Pone, Dómine, custódiam ori meo : * et óstium circumstántiæ lábiis meis.

Non declínes cor meum in verba malitiæ, * ad excusándas excusatiónes in peccátis.

Cum homínibus operántibus iniquitátem : * et non communicábo cum eléctis eórum.

Corrípiet me justus in misericórdia, et increpábit me : * óleum autem peccatóris non impinguet caput meum.

Quóniam adhuc et orátio mea in beneplácitis eórum : * absórpti sunt juncti petræ júdices eórum.

Audient verba mea quóniam potuérunt : * sicut crassitúdo terræ erúpta est super terram.

Dissipáta sunt ossa nostra secus inférnum : * quia ad te, Dómine, Dómine, óculi mei : in te sperávi, non áuferas ánimam meam.

Custódi me a láqueo, quem statuérunt mihi : * et a scándalis operántium iniquitátem.

Cadent in retiáculo ejus peccatóres : * singuláriter sum ego donec tránseam.

Ant. Dómine, clamávi ad te, exáudi me.

Ant. Educ de custódia * ánimam meam, Dómine, ad confiténdum nómini tuo.

Psalmus 141

Voce mea ad Dóminum clamávi : * voce mea ad Dóminum deprecátus sum :

Effúndo in conspéctu ejus oratiónem meam, * et tribulatiónem meam ante ipsum pronúntio.

In deficiéndo ex me spíritum meum, * et tu cognovísti sémitas meas.

In via hac, qua ambulábam, * abscondérunt láqueum mihi.

Considerábam ad déxteram, et vidébam : * et non erat qui cognósceret me.

Périit fuga a me, * et non est qui requírat ánimam meam.

Clamávi ad te, Dómine, * dixi : Tu es spes mea, pórtio mea in terra vivéntium.

Inténde ad deprecatiónem meam : * quia humiliátus sum nimis.

Líbera me a persequéntibus me : * quia confortáti sunt super me.

Educ de custódia ánimam meam ad confiténdum nómini tuo : * me exspéctant justi, donec retríbuas mihi.

Ant. Educ de custódia ánimam meam, Dómine, ad confiténdum nómini tuo.

In Officio feriali

Capitulum 2 Cor. 1, 3-4

Benedictus Deus, et Pater Dómini nostri Jesu Christi, Pater misericordiárum, et Deus totíus consolatiónis, qui consolátur nos in omni tribulatióne nostra.

Hymnus

Hominis supérne Cónditor,
Qui cuncta solus órdinans,
Humum jubes prodúcere
Reptántis et feræ genus :
Et magna rerum córpora,
Dictu jubéntis vívida,
Per témporum certas vices
Obtemperáre sérvulis :

Repélle, quod cupídinis
Ciénte vi nos ímpetit,
Aut móribus se súggerit,
Aut áctibus se intérserit.

Da gaudiórum prǽmia,
Da gratiárum múnera :
Dissólve litis víncula :
Astrínge pacis fœdera.

Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

℣. Dirigátur, Dómine, orátio mea. ℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Ad Magnif. Ant. Depósuit Dóminus * poténtes de sede, et exaltávit húmiles.

Reliqua ut in Ordinario. 22

AD COMPLETORIUM

℣. Jube, domne.

Bened. Noctem quiétam, et finem perféctum concédat nobis Dóminus omnípotens. ℟. Amen.

Lectio br. 1 Petri 5, 8-9

FRatres : Sóbrii estóte, et vigiláte : quia adversárius vester diábolus tamquam leo rúgiens circuit, quærens quem dévoret : cui resístite fortes in fide. Tu autem, Dómine, miserére nobis.

℟. Deo grátias.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

Pater noster, quod dicitur totum secreto.

Confíteor. Misereátur. Indulgéntiam.

℣. Convérte nos, Deus, salutáris noster. ℟. Et avérte íram tuam a nobis.

℣. Deus, in adjutórium.

Ant. Voce mea. †

Psalmus 76, i

Oce mea † ad Dóminum clamávi : * voce mea ad Deum, et inténdit mihi.

In die tribulatiónis meæ Deum exquísivi, mánibus meis nocte contra eum : * et non sum decéptus.

Rénuit consolári ánima mea, * memor fui Dei, et delectátus sum, et exercitátus sum : et defécit spíritus meus.

Anticipavérunt vigílias óculi mei : * turbátus sum, et non sum locútus.

Cogitávidies antíquos : * et annos ætérnos in mente hábui.

Et meditátus sum nocte cum corde meo, * et exercitábar, et scopébam spíritum meum.

Numquid in ætérnum projíciet Deus : * aut non appónet ut complacítior sit adhuc?

Aut in finem misericórdiam suam abscíndet, * a

generatióne in generatiónem?

Aut obliviscétur miseréri Deus? * aut continébit in ira sua misericórdias suas?

Et dixi : Nunc cœpi : * hæc mutátio déxteræ Excélsi.

Memor fui óperum Dómini : * quia memor ero ab inítio mirabílium tuórum.

Et meditábor in ómnibus opéribus tuis : * et in adinventiónibus tuis exercébor.

Psalmus 76, ii

DEus, in sancto via tua : quis Deus magnus sicut Deus noster? * tu es Deus qui facis mirabília.

Notam fecísti in pópulis virtútem tuam : * redemísti in bráchio tuo pópulum tuum, fílios Jacob et Joseph.

Vidérunt te aquæ, Deus, vidérunt te aquæ : * et timuérunt, et turbátæ sunt abýssi.

Multitúdo sónitus aquárum : * vocem dedérunt nubes.

Etenim sagíttæ tuæ tránseunt : * vox tonítrui tui in rota.

Illuxérunt coruscatiónes tuæ orbi terræ : * commóta est, et contrémuit terra.

In mari via tua, et sémitæ tuæ in aquis multis : * et vestígia tua non cognoscéntur.

Deduxísti sicut oves pópulum tuum, * in manu Móysi et Aaron.

Psalmus 85

INclína, Dómine, aurem tuam, et exáudi me : * quóniam inops, et pauper sum ego.

Custódi ánimam meam, quóniam sanctus sum : * salvum fac servum tuum, Deus meus, sperántem in te.

Miserére mei, Dómine, quóniam ad te clamávi tota die : * lætífica ánimam servi tui, quóniam ad te, Dómine, ánimam meam levávi.

Quóniam tu, Dómine, suávis, et mitis : * et multæ misericórdiæ ómnibus invocántibus te.

Auríbus pércipe, Dómine, oratiónem meam : * et inténde voci deprecatiónis meæ.

In die tribulatiónis meæ clamávi ad te : * quia exaudísti me.

Non est símilis tui in diis, Dómine : * et non est secúndum ópera tua.

Omnes gentes quascúmque fecísti, vénient, et adorábunt coram te, Dómine : * et glorificábunt nomen tuum.

Quóniam magnus es tu, et fáciens mirabília : * tu es Deus solus.

Deduc me, Dómine, in via tua, et ingrédiar in veritáte tua : * lætétur cor meum ut tímeat nomen tuum.

Confitébor tibi, Dómine, Deus meus, in toto corde meo, * et glorificábo nomen tuum in ætérnum :

Quia misericórdia tua magna est super me : * et eruísti ánimam meam ex inférno inferióri.

Deus, iníqui insurrexérunt super me, et synagóga poténtium quæsiérunt ánimam meam : * et non proposuérunt te in conspéctu suo.

Et tu, Dómine, Deus miserátor et miséricors, * pátiens, et multæ misericórdiæ, et verax.

Réspice in me, et miserére mei, * da impérium tuum púero tuo : et salvum fac fílium ancíllæ tuæ.

Fac mecum signum in bonum, ut vídeant qui odérunt me, et confundántur : * quóniam tu, Dómine, adjuvísti me, et consolátus es me.

Ant. Voce mea ad Dóminum clamávi : neque obliviscétur miseréri Deus.

Hymnus

TE lucis ante términum,
Rerum Creátor, póscimus,
Ut pro tua cleméntia
Sis præsul et custódia.

Procul recédant sómnia,
Et nóctium phantásmata;
Hostémque nostrum cómprime,
Ne polluántur córpora.

* Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

Capitulum Jer. 14, 9

TU autem in nobis es, Dómine, et nomen sanctum tuum invocátum est super nos : ne derelínquas nos, Dómine, Deus noster.

℟. br. In manus tuas, Dómine, * Comméndo spíritum meum. In manus. ℣. Redemísti nos, Dómine, Deus veritátis. Comméndo. Glória Patri. In manus. ℣. Custódi nos, Dómine, ut pupíllam óculi. ℟. Sub umbra alárum tuárum prótege nos.

Ant. Salva nos.

Canticum Simeonis
Luc. 2, 29-32

NUnc dimíttis servum tuum, Dómine, * secúndum verbum tuum in pace :

Quia vidérunt óculi mei * salutáre tuum,

Quod parásti * ante fáciem ómnium populórum,

Lumen ad revelatiónem géntium, * et glóriam plebis tuæ Israël.

Glória Patri.

Ant. Salva nos, Dómine, vigiántes, custódi nos dormiéntes; ut vigilémus cum Christo, et requiescámus in pace.

Preces (si dicendæ sint)

KYrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Credo in Deum secreto usque ad ℣. Carnis resurrectiónem. ℟. Vitam ætérnam. Amen. ℣. Benedíctus es, Dómine, Deus patrum nostrórum. ℟. Et laudábilis et gloriósus in sæcula. ℣. Benedicámus Patrem et Fílium cum Sancto Spíritu. ℟. Laudémus, et superexaltémus eum in sæcula. ℣. Benedíctus es, Dómine, in firmaménto cæli. ℟. Et laudábilis, et gloriósus, et superexaltátus in sæcula. ℣. Benedícat et custódiat nos omnípotens et miséricors Dóminus. ℟. Amen. ℣. Dignáre, Dómine, nocte ista. ℟. Sine peccáto nos custodíre. ℣. Miserére nostri, Dómine. ℟. Miserére nostri. ℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te. ℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.

Orémus. Oratio

VIsita, quæsumus, Dómine, habitatiónem istam, et omnes insídias inimíci ab ea longe repélle: Angeli tui sancti hábitent in ea, qui nos in pace custódiant; et benedíctio tua sit super nos semper. Per Dóminum. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobíscum.
℣. Benedicámus Dómino.

Benedictio Benedícat et custódiat nos omnípotens et miséricors Dóminus, Pater, et Fílius et Spíritus Sanctus. ℟. Amen.

Antiphona finalis beatæ Mariæ Virginis.

℣. Divínum auxílium.

Pater noster, Ave María et Credo.

SABBATO

AD MATUTINUM

Pater, Ave et Credo.
℣. Dómine, lábia mea.
℣. Deus, in adjutórium.

In Officio feriali

Invit. Pópulus Dómini, et oves páscuæ ejus : * Veníte, adorémus. Ps. 94 Veníte.

Hymnus

SUmmæ Parens cleméntiæ,
Mundi regis qui máchinam,
Unius et substántiæ,
Trinúsque persónis Deus :

Nostros pius cum cánticis
Fletus benígne súscipe :
Ut corde puro sórdium
Te perfruámur lárgius.

Lumbos jecúrque mórbidum
Flammis adúre cóngruis,
Accíncti ut artus éxcubent,
Luxu remóto péssimo.

Quicúmque ut horas nóctium
Nunc concinéndo rúmpimus,
Ditémur omnes áffatim
Donis beátæ pátriæ.

Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

In I Nocturno

Ant. Memor fuit in sæculum * testaménti sui Dóminus, Deus noster.

Psalmus 104, i

COnfitémini Dómino, et invocáte nomen ejus : * annuntiáte inter gentes ópera ejus.

Cantáte ei, et psállite ei : * narráte ómnia mirabília ejus.

Laudámini in nómine sancto ejus : * lætétur cor quæréntium Dóminum.

Quærite Dóminum, et confirmámini : * quærite fáciem ejus semper.

Mementóte mirabílium ejus, quæ fecit : * prodígia ejus, et judícia oris ejus.

Semen Abraham, servi ejus : * fílii Jacob, elécti ejus.

Ipse Dóminus Deus noster : * in univérsa terra judícia ejus.

Memor fuit in sæculum testaménti sui : * verbi, quod mandávit in mille generatiónes :

Quod dispósuit ad Abraham : * et juraménti sui ad Isaac :

Et státuit illud Jacob in præcéptum : * et Israël in testaméntum ætérnum :

Dicens : Tibi dabo terram Chánaan, * funículum hereditátis vestræ.

Cum essent número brevi, * paucíssimi et íncolæ ejus :

Et pertransiérunt de gente in gentem, * et de regno ad pópulum álterum.

Non relíquit hóminem nocére eis : * et corrípuit pro eis reges.

Nolíte tángere christos meos : * et in prophétis meis nolíte malignári.

Ant. Memor fuit in sæculum testaménti sui Dóminus, Deus noster.

Ant. Auxit Dóminus * pópulum suum : et firmávit eum super inimícos ejus.

Psalmus 104, ii

ET vocávit famem super terram : * et omne firmaméntum panis contrívit.

Misit ante eos virum : * in servum venúmdatus est Joseph.

Humiliavérunt in compédibus pedes ejus, ferrum pertránsiit ánimam ejus, * donec veníret verbum ejus.

Elóquium Dómini inflammávit eum : * misit rex, et solvit eum; princeps populórum, et dimísit eum.

Constítuit eum dóminum domus suæ : * et príncipem omnis possessiónis suæ :

Ut erudíret príncipes ejus sicut semetípsum : * et senes ejus prudéntiam docéret.

Et intrávit Israël in Ægýptum : * et Jacob áccola fuit in terra Cham.

Et auxit pópulum suum veheménter : * et firmávit eum super inimícos ejus.

Convértit cor eórum ut odírent pópulum ejus : * et dolum fácerent in servos ejus.

Misit Móysen, servum suum : * Aaron, quem elégit ipsum.

Pósuit in eis verba signórum suórum, * et prodigiórum in terra Cham.

Ant. Auxit Dóminus pópulum suum : et firmávit eum super inimícos ejus.

Ant. Edúxit Deus * pópulum suum in exsultatióne, et eléctos suos in lætítia.

Psalmus 104, iii

MIsit ténebras, et obscurávit : * et non exacerbávit sermónes suos.

Convértit aquas eórum in sánguinem : * et occídit pisces eórum.

Edidit terra eórum ranas * in penetrálibus regum ipsórum.

Dixit, et venit cœnomyía : * et cínifes in ómnibus fínibus eórum.

Pósuit plúvias eórum grándinem : * ignem comburéntem in terra ipsórum.

Et percússit víneas eórum, et ficúlneas eórum : * et contrívit lignum fínium eórum.

Dixit, et venit locústa, et bruchus, * cujus non erat númerus :

Et comédit omne fœnum in terra eórum : * et comédit omnem fructum terræ eórum.

Et percússit omne primogénitum in terra eórum : * primítias omnis labóris eórum.

Et edúxit eos cum argénto et auro : * et non erat in tríbubus eórum infírmus.

Lætáta est Ægýptus in profectióne eórum : * quia incúbuit timor eórum super eos.

Expándit nubem in protectiónem eórum, * et ignem ut lucéret eis per noctem.

Petiérunt, et venit cotúrnix : * et pane cæli saturávit eos.

Dirúpit petram, et fluxérunt aquæ : * abiérunt in sicco flúmina;

Quóniam memor fuit verbi sancti sui, * quod hábuit ad Abraham, púerum suum.

Et edúxit pópulum suum in exsultatióne, * et eléctos suos in lætítia.

Et dedit illis regiónes géntium : * et labóres populórum possedérunt :

Ut custódiant justificatiónes ejus, * et legem ejus requírant.

Ant. Edúxit Deus pópulum suum in exsultatióne, et eléctos suos in lætítia.

In Festis novem Lectionum :

℣. Memor fuit Dóminus verbi sancti tui. ℟. Quod locútus est ad Abraham, púerum suum.

Absolutio. Exáudi, Dómine.

Bened. 1 Benedictióne perpétua. 2 Unigénitus Dei Fílius. 3 Spíritus Sancti grátia.

In II Nocturno

Ant. Salvávit eos Dóminus * propter nomen suum.

Psalmus 105, i

CONfitémini Dómino quóniam bonus : * quóniam in sæculum misericórdia ejus.

Quis loquétur poténtias Dómini, * audítas fáciet omnes laudes ejus?

Beáti, qui custódiunt judícium, * et fáciunt justítiam in omni témpore.

Meménto nostri, Dómine, in beneplácito pópuli tui : * vísita nos in salutári tuo :

Ad vidéndum in bonitáte electórum tuórum, ad lætándum in lætítia gentis

tuæ : * ut laudéris cum hereditáte tua.

Peccávimus cum pátribus nostris : * injúste égimus, iniquitátem fécimus.

Patres nostri in Ægýpto non intellexérunt mirabília tua : * non fuérunt mémores multitúdinis misericórdiæ tuæ.

Et irritavérunt ascendéntes in mare, * Mare Rubrum.

Et salvávit eos propter nomen suum : * ut notam fáceret poténtiam suam.

Et increpuit Mare Rubrum, et exsiccátum est : * et dedúxit eos in abýssis sicut in desérto.

Et salvávit eos de manu odiéntium : * et redémit eos de manu inimíci.

Et opéruit aqua tribulántes eos : * unus ex eis non remánsit.

Et credidérunt verbis ejus : * et laudavérunt laudem ejus.

Cito fecérunt, oblíti sunt óperum ejus : * et non sustinuérunt consílium ejus.

Et concupiérunt concupiscéntiam in desérto : * et tentavérunt Deum in inaquóso.

Et dedit eis petitiónem ipsórum : * et misit saturitátem in ánimas eórum.

Ant. Salvávit eos Dóminus propter nomen suum.

Ant. Oblíti sunt Deum, * qui salvávit eos.

Psalmus 105, ii

ET irritavérunt Móysen in castris : * Aaron, sanctum Dómini.

Apérta est terra, et deglutívit Dathan : * et opéruit super congregatiónem Abíron.

Et exársit ignis in synagóga eórum : * flamma combússit peccatóres.

Et fecérunt vítulum in Horeb : * et adoravérunt scúlptile.

Et mutavérunt glóriam suam * in similitúdinem vítuli comedéntis fœnum.

Oblíti sunt Deum, qui salvávit eos, * qui fecit magnália in Ægýpto, mirabília in terra Cham : terribília in Mari Rubro.

Et dixit ut dispérderet eos : * si non Móyses, eléctus ejus, stetísset in confractióne in conspéctu ejus :

Ut avérteret iram ejus ne dispérderet eos : * et pro níhilo habuérunt terram desiderábilem :

Non credidérunt verbo ejus, et murmuravérunt in tabernáculis suis : * non exaudiérunt vocem Dómini.

Et elevávit manum suam super eos : * ut prostérneret eos in desérto :

Et ut dejíceret semen eórum in natiónibus : * et dispérgeret eos in regiónibus.

Et initiáti sunt Beélphegor : * et comedérunt sacrifícia mortuórum.

Et irritavérunt eum in adinventiónibus suis : * et multiplicáta est in eis ruína.

Et stetit Phínees, et placávit : * et cessávit quassátio.

Et reputátum est ei in justítiam, * in generatiónem et generatiónem usque in sempitérnum.

Ant. Oblíti sunt Deum, qui salvávit eos.

Ant. Cum tribularéntur, * vidit Dóminus : et audívit oratiónem eórum.

Psalmus 105, iii

ET irritavérunt eum ad Aquas contradictiónis : * et vexátus est Móyses propter eos : quia exacerbavérunt spíritum ejus.

Et distínxit in lábiis suis : * non disperdidérunt gentes, quas dixit Dóminus illis.

Et commísti sunt inter gentes, et didicérunt ópera eórum : et serviérunt sculptílibus eórum : * et factum est illis in scándalum.

Et immolavérunt fílios suos, * et fílias suas dæmóniis.

Et effudérunt sánguinem innocéntem : * sánguinem filiórum suórum et filiárum suárum, quas sacrificavérunt sculptílibus Chánaan.

Et infécta est terra in sanguínibus, et contamináta est in opéribus eórum : * et fornicáti sunt in adinventiónibus suis.

Et irátus est furóre Dóminus in pópulum suum : * et abominátus est hereditátem suam.

Et trádidit eos in manus géntium : * et dominati sunt eórum qui odérunt eos.

Et tribulavérunt eos inimíci eórum, et humiliáti sunt sub mánibus eórum : * sæpe liberávit eos.

Ipsi autem exacerbavérunt eum in consílio suo : * et humiliáti sunt in iniquitátibus suis.

Et vidit, cum tribularéntur : * et audivit oratiónem eórum.

Et memor fuit testaménti sui : * et pœnítuit eum secúndum multitúdinem misericórdiæ suæ.

Et dedit eos in misericórdias * in conspéctu ómnium qui céperant eos.

Salvos nos fac, Dómine, Deus noster : * et cóngrega nos de natiónibus :

Ut confiteámur nómini sancto tuo : * et gloriémur in laude tua.

Benedictus Dóminus Deus Israël, a sæculo et usque in sæculum : * et dicet omnis pópulus : Fiat, fiat.

Ant. Cum tribularéntur, vidit Dóminus : et audívit oratiónem eórum.

In Officiis novem Lectionum :

℣. Salvos nos fac, Dómine, Deus noster. ℟. Ut confiteámur nómini sancto tuo.

Absolutio. Ipsius pietas et.
Bened. 4 Deus Pater omnípotens. 5 Christus perpétuæ. 6 Ignem sui amóris.

In III Nocturno

Ant. Clamavérunt ad Dóminum : * et de necessitátibus eórum liberávit eos.

Psalmus 106, i

Confitémini Dómino quóniam bonus : * quóniam in sæculum misericórdia ejus.

Dicant qui redémpti sunt a Dómino, quos redémit de manu inimíci : * et de regiónibus congregávit eos :

A solis ortu, et occásu : * ab aquilóne, et mari.

Erravérunt in solitúdine in inaquóso : * viam civitátis habitáculi non invenérunt.

Esuriéntes, et sitiéntes : * ánima eórum in ipsis defécit.

Et clamavérunt ad Dóminum cum tribularéntur : * et de necessitátibus eórum erípuit eos.

Et dedúxit eos in viam rectam : * ut irent in civitátem habitatiónis.

Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus : * et mirabília ejus fíliis hóminum.

Quia satiávit ánimam inánem : * et ánimam esuriéntem satiávit bonis.

Sedéntes in ténebris, et umbra mortis : * vinctos in mendicitáte et ferro.

Quia exacerbavérunt elóquia Dei : * et consílium Altíssimi irritavérunt.

Et humiliátum est in labóribus cor eórum : * infirmáti sunt, nec fuit qui adjuváret.

Et clamavérunt ad Dóminum cum tribularéntur : * et de necessitátibus eórum liberávit eos.

Et edúxit eos de ténebris, et umbra mortis : * et vincula eórum disrúpit.

Ant. Clamavérunt ad Dóminum : et de necessitátibus eórum liberávit eos.

Ant. Ipsi vidérunt * ópera Dei, et mirabília ejus.

Psalmus 106, ii

Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus: * et mirabília ejus fíliis hóminum.

Quia contrívit portas æreas : * et vectes férreos confrégit.

Suscépit eos de via iniquitátis eórum : * propter injustítias enim suas humiliáti sunt.

Omnem escam abominata est ánima eórum : * et appropinquavérunt usque ad portas mortis.

Et clamavérunt ad Dóminum cum tribularéntur : * et de necessitátibus eórum liberávit eos.

Misit verbum suum, et sanávit eos: * et erípuit eos de interitiónibus eórum.

Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus : * et mirabília ejus fíliis hóminum.

Et exáltent eum in ecclésia plebis : * et in cáthedra seniórum laudent eum.

Et sacrificent sacrifícium laudis : * et annúntient ópera ejus in exsultatióne.

Qui descéndunt mare in návibus, * faciéntes operatiónem in aquis multis.

Ipsi vidérunt ópera Dómini, * et mirabília ejus in profúndo.

Dixit, et stetit spíritus procéllæ : * et exaltáti sunt fluctus ejus.

Ascéndunt usque ad cælos, et descéndunt usque ad abýssos : * ánima eórum in malis tabescébat.

Turbáti sunt, et moti sunt sicut ébrius : * et omnis sapiéntia eórum devoráta est.

Et clamavérunt ad Dóminum cum tribularéntur : * et de necessitátibus eórum edúxit eos.

Et státuit procéllam ejus in auram : * et siluérunt fluctus ejus.

Et lætáti sunt quia siluérunt : * et dedúxit eos in portum voluntátis eórum.

Ant. Ipsi vidérunt ópera Dei, et mirabília ejus.

Ant. Vidébunt recti, * et lætabúntur, et intélligent misericórdias Dómini.

Psalmus 106, iii

Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus: * et mirabília ejus fíliis hóminum.

Et exáltent eum in ecclésia plebis : * et in cáthedra seniórum laudent eum.

Pósuit flúmina in desértum : * et éxitus aquárum in sitim.

Terram fructíferam in salsúginem, * a malítia inhabitántium in ea.

Pósuit desértum in stagna aquárum : * et terram sine aqua in éxitus aquárum.

Et collocávit illic esuriéntes : * et constituérunt civitátem habitatiónis.

Et seminavérunt agros, et plantavérunt víneas : * et fecérunt fructum nativitátis.

Et benedíxit eis, et multiplicáti sunt nimis : * et juménta eórum non minorávit.

Et pauci facti sunt : * et vexáti sunt a tribulatióne malórum, et dolóre.

Effúsa est contémptio super príncipes : * et erráre fecit eos in ínvio, et non in via.

Et adjúvit páuperem de inópia : * et pósuit sicut oves famílias.

Vidébunt recti, et lætabúntur : * et omnis iníquitas oppilábit os suum.

Quis sápiens et custódiet hæc? * et intélliget misericórdias Dómini?

Ant. Vidébunt recti, et lætabúntur, et intélligent misericórdias Dómini.

In feriali Officio in Officio sanctæ Mariæ in Sabbato et in Festis :

℣. Exáltent Dóminum in ecclésia plebis. ℟. Et in cáthedra seniórum laudent eum.

In Officio novem Lectionum

Absolutio. A vínculis.
Bened. 7 Evangélica léctio. 8 In Festis Domini : Divínum auxílium.
In Festis B. M. V. : Cujus festum cólimus, ipsa Virgo.
In Festis Sanctorum : Cujus (vel Quorum aut Quarum) festum cólimus. 9 Ad societátem. (Per evangélica dicta.)

In Officio trium Lectionum

Absolutio. A vínculis.

In Feriis cum Homilia :

Bened. 1 Evangélica. 2 Divínum. 3 Ad societátem.

In Octava simplici :

Bened. 1 Ille nos benedícat. 2 Cujus (vel Quorum aut Quarum). 3 Ad societátem.

In Officio sanctæ Mariæ in Sabbato

Absol. Précibus et méritis beátæ Maríæ semper Vírginis et ómnium Sanctórum, perdúcat nos Dóminus ad regna cælórum. Amen.
Bened. 1 Nos cum prole pia benedícat Virgo María. Amen.
2 Ipsa Virgo vírginum intercédat pro nobis ad Dóminum. Amen.
3 Per Vírginem Matrem concédat nobis Dóminus salútem et pacem. Amen.

AD LAUDES I

In Sabbatis extra Vigilias communes occurrentibus, in Festis novem Lectionum, in omnibus Officiis de Octava non privilegiata, atque in Officio sanctæ Mariæ in Sabbato.

(Pater noster et Ave.)

℣. Deus, in adjutórium.

Ant. Fílii Sion * exsúltent in Rege suo.

Psalmus 149

Cantáte Dómino cánticum novum : * laus ejus in ecclésia sanctórum.

Lætétur Israël in eo, qui fecit eum : * et fílii Sion exsúltent in rege suo.

Laudent nomen ejus in choro : * in týmpano, et psaltério psallant ei :

Quia beneplácitum est Dómino in pópulo suo : *

et exaltábit mansuétos in salútem.

Exsultábunt sancti in glória : * lætabúntur in cubílibus suis.

Exaltatiónes Dei in gútture eórum : * et gládii ancípites in mánibus eórum.

Ad faciéndam vindíctam in natiónibus : * increpatiónes in pópulis.

Ad alligándos reges eórum in compédibus : * et nóbiles eórum in mánicis férreis.

Ut fáciant in eis judícium conscríptum : * glória hæc est ómnibus sanctis ejus.

Ant. Fílii Sion exsúltent in Rege suo.

Ant. Quam magnificáta * sunt ópera tua, Dómine!

Psalmus 91

BOnum est confitéri Dómino : * et psállere nómini tuo, Altíssime.

Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam : * et veritátem tuam per noctem.

In decachórdo, psaltério : * cum cántico, in cíthara.

Quia delectásti me, Dómine, in factúra tua : * et in opéribus mánuum tuárum exsultábo.

Quam magnificáta sunt ópera tua, Dómine! * nimis profúndæ factæ sunt cogitatiónes tuæ.

Vir insípiens non cognóscet : * et stultus non intélliget hæc.

Cum exórti fúerint peccatóres sicut fœnum : * et apparúerint omnes, qui operántur iniquitátem :

Ut intéreant in sæculum sæculi : * tu autem Altíssimus in ætérnum, Dómine.

Quóniam ecce inimíci tui, Dómine, quóniam ecce inimíci tui períbunt : * et dispergéntur omnes, qui operántur iniquitátem.

Et exaltábitur sicut unicórnis cornu meum : * et senéctus mea in misericórdia úberi.

Et despéxit óculus meus inimícos meos : * et in insurgéntibus in me malignántibus áudiet auris mea.

Justus ut palma florébit : * sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Plantáti in domo Dómini, * in átriis domus Dei nostri florébunt.

Adhuc multiplicabúntur in senécta úberi : * et bene patiéntes erunt, ut annúntient :

Quóniam rectus Dóminus Deus noster : * et non est iníquitas in eo.

Ant. Quam magnificáta sunt ópera tua, Dómine!

Ant. Lætábitur justus * in Dómino, et sperábit in eo.

Psalmus 63

EXáudi, Deus, oratiónem meam cum déprecor : * a timóre inimíci éripe ánimam meam.

Protexísti me a convéntu malignántium : * a multitúdine operántium iniquitátem.

Quia exacuérunt ut gládium linguas suas : * intendérunt arcum rem amáram, ut sagíttent in occúltis immaculátum.

Súbito sagittábunt eum, et non timébunt : * firmavérunt sibi sermónem nequam.

Narravérunt ut abscónderent láqueos : * dixérunt : Quis vidébit eos?

Scrutáti sunt iniquitátes : * defecérunt scrutántes scrutínio.

Accédet homo ad cor altum : * et exaltábitur Deus.

Sagittæ parvulórum factæ sunt plagæ eórum : * et infirmátæ sunt contra eos linguæ eórum.

Conturbáti sunt omnes qui vidébant eos : * et timuit omnis homo.

Et annuntiavérunt ópera Dei, * et facta ejus intellexérunt.

Lætábitur justus in Dómino, et sperábit in eo, * et laudabúntur omnes recti corde.

Ant. Lætábitur justus in Dómino, et sperábit in eo.

Ant. Osténde nobis, Dómine, * lumen miseratiónum tuárum.

Canticum Ecclesiastici

Eccli. 36, 1-16

MIserére nostri, Deus ómnium, et réspice nos, * et osténde nobis lucem miseratiónum tuárum :

Et immitte timórem tuum super gentes, * quæ non exquisiérunt te,

Ut cognóscant quia non est Deus nisi tu, * et enárrent magnália tua.

Alleva manum tuam super gentes aliénas, * ut videant poténtiam tuam.

Sicut enim in conspéctu eórum sanctificátus es in nobis, * sic in conspéctu nostro magnificáberis in eis,

Ut cognóscant te, sicut et nos cognóvimus, * quóniam non est Deus præter te, Dómine.

Innova signa, et immúta mirabília. * Glorifica manum, et bráchium dextrum.

Excita furórem, et effúnde iram. * Tolle adversárium, et affligе inimicum.

Festína tempus, et meménto finis, * ut enárrent mirabília tua.

In ira flammæ devorétur qui salvátur : * et qui péssimant plebem tuam, invéniant perditiónem.

Cóntere caput príncipum inimicórum, * dicéntium : Non est álius præter nos.

Cóngrega omnes tribus Jacob : ut cognóscant quia non est Deus nisi tu, * et enárrent magnália tua :

Et hereditábis eos, * sicut ab inítio.

Miserére plebi tuæ, super quam invocátum est nomen tuum : * et Israël, quem coæquásti primogénito tuo.

Miserére civitáti sanctificatiónis tuæ Jerúsalem, * civitáti requiéi tuæ.

Reple Sion inenarrabílibus verbis tuis, * et glória tua pópulum tuum.

Ant. Osténde nobis, Dómine, lucem miseratiónum tuárum.

Ant. Omnis spíritus * laudet Dóminum.

Psalmus 150

LAudáte Dóminum in sanctis ejus : * laudáte eum in firmaménto virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus : * laudáte eum secúndum multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in sono tubæ : * laudáte eum in psaltério, et cíthara.

Laudáte eum in týmpano, et choro : * laudáte eum in chordis, et órgano.

Laudáte eum in cýmbalis benesonántibus : laudáte eum in cýmbalis jubilatiónis : * omnis spíritus laudet Dóminum.

Ant. Omnis spíritus laudet Dóminum.

In Officio Festi vel Octavæ ac sanctæ Mariæ in Sabbato Capitulum, Hymnus, Versus, Ant. ad Benedictus et Oratio ut in Proprio vel Communi.

Reliqua ut in Ordinario. 19

AD LAUDES II

In Vigiliis communibus, quando fit Officium de Feria.

(Pater noster et Ave.)

℣. Deus, in adjutórium.

Ant. Benígne fac, Dómine.

Psalmus 50

MIserére mei, Deus, * secúndum magnam misericórdiam tuam.

Et secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum, * dele iniquitátem meam.

Amplius lava me ab iniquitáte mea : * et a peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognósco : * et peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, et malum coram te feci : * ut justificéris in sermónibus tuis, et vincas cum judicáris.

Ecce enim, in iniquitátibus concéptus sum : * et in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim, veritátem dilexísti : * incérta et occúlta sapiéntiæ manifestásti mihi.

Aspérges me hyssópo, et mundábor : * lavábis me, et super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium et lætítiam : * et exsultábunt ossa humiliáta.

Avérte fáciem tuam a peccátis meis : * et omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus : * et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

Ne projícias me a fácie tua : * et spíritum sanctum tuum ne áuferas a me.

Redde mihi lætítiam salutáris tui : * et spíritu principáli confírma me.

Docébo iníquos vias tuas : * et ímpii ad te converténtur.

Líbera me de sanguínibus, Deus, Deus salútis meæ : * et exsultábit lingua mea justítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries : * et os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam si voluísses sacrifícium, dedíssem útique : * holocáustis non delectáberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribulátus : * cor contrítum, et humiliátum, Deus, non despícies.

Benígne fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion : * ut ædificéntur muri Jerúsalem.

Tunc acceptábis sacrifícium justítiæ, oblatiónes, et holocáusta : * tunc impónent super altáre tuum vítulos.

Ant. Benígne fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion.

Ant. Rectus Dóminus.

Psalmus 91

BOnum est confitéri Dómino : * et psállere nómini tuo, Altíssime.

Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam : * et veritátem tuam per noctem.

In decachórdo, psaltério : * cum cántico, in cíthara.

Quia delectásti me, Dómine, in factúra tua : * et in opéribus mánuum tuárum exsultábo.

Quam magnificáta sunt ópera tua, Dómine! * nimis profúndæ factæ sunt cogitatiónes tuæ.

Vir insípiens non cognóscet : * et stultus non intélliget hæc.

Cum exórti fúerint peccatóres sicut fœnum : * et apparúerint omnes, qui operántur iniquitátem :

Ut intéreant in sæculum sæculi : * tu autem Altíssimus in ætérnum, Dómine.

Quóniam ecce inimíci tui, Dómine, quóniam ecce inimíci tui períbunt : * et dispergéntur omnes, qui operántur iniquitátem.

Et exaltábitur sicut unicórnis cornu meum : * et senéctus mea in misericórdia úberi.

Et despéxit óculus meus inimícos meos : * et in insurgéntibus in me malignántibus áudiet auris mea.

Justus ut palma florébit : * sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Plantáti in domo Dómini, * in átriis domus Dei nostri florébunt.

Adhuc multiplicabúntur in senécta úberi : * et bene patiéntes erunt, ut annúntient :

Quóniam rectus Dóminus, Deus noster : * et non est iníquitas in eo.

Ant. Rectus Dóminus, Deus noster : et non est iníquitas in eo.

Ant. A timóre inimíci.

Psalmus 63

EXáudi, Deus, oratiónem meam cum déprecor : * a timóre inimíci éripe ánimam meam.

Protexísti me a convéntu malignántium : * a multitúdine operántium iniquitátem.

Quia exacuérunt ut gládium linguas suas : * intendérunt arcum rem amáram, ut sagíttent in occúltis immaculátum.

Súbito sagittábunt eum, et non timébunt : * firmavérunt sibi sermónem nequam.

Narravérunt ut abscónderent láqueos : * dixérunt : Quis vidébit eos?

Scrutáti sunt iniquitátes : * defecérunt scrutántes scrutínio.

Accédet homo ad cor altum : * et exaltábitur Deus.

Sagíttæ parvulórum factæ sunt plagæ eórum : * et infirmátæ sunt contra eos linguæ eórum.

Conturbáti sunt omnes qui vidébant eos : * et tímuit omnis homo.

Et annuntiavérunt ópera Dei, * et facta ejus intellexérunt.

Lætábitur justus in Dómino, et sperábit in eo, * et laudabúntur omnes recti corde.

Ant. A timóre inimíci éripe, Dómine, ánimam meam.

Ant. In servis suis.

Canticum Moysis
Deut. 32, 1-43

AUdíte, cæli, quæ loquor : * áudiat terra verba oris mei.

Concréscat ut plúvia doctrína mea, * fluat ut ros elóquium meum,

Quasi imber super herbam, et quasi stillæ super grámina. * Quia nomen Dómini invocábo :

Date magnificéntiam Deo nostro. * Dei perfécta sunt ópera, et omnes viæ ejus judícia :

Deus fidélis, et absque ulla iniquitáte, justus et rectus. * Peccavérunt ei, et non fílii ejus in sórdibus :

Generátio prava atque pervérsa. * Hæccine reddis Dómino, pópule stulte et insípiens?

Numquid non ipse est pater tuus, * qui possédit te, et fecit, et creávit te?

Meménto diérum antiquórum, * cógita generatiónes síngulas :

Intérroga patrem tuum, et annuntiábit tibi : * majóres tuos, et dicent tibi.

Quando dividébat Altíssimus gentes : * quando separábat fílios Adam,

Constítuit términos populórum * juxta númerum filiórum Israël.

Pars autem Dómini, pópulus ejus : * Jacob funículus hereditátis ejus.

Invénit eum in terra desérta, * in loco horróris, et vastæ solitúdinis :

Circumdúxit eum, et dócuit : * et custodívit quasi pupíllam óculi sui.

Sicut áquila próvocans ad volándum pullos suos, * et super eos vólitans,

Expándit alas suas, et assúmpsit eum, * atque portávit in húmeris suis.

Dóminus solus dux ejus fuit : * et non erat cum eo deus aliénus.

Constítuit eum super excélsam terram : * ut coméderet fructus agrórum,

Ut súgeret mel de petra, * oleúmque de saxo durissimo.

Butýrum de arménto, et lac de óvibus * cum ádipe agnórum, et aríetum filiórum Basan :

Et hircos cum medúlla trítici, * et sánguinem uvæ bíberet meracíssimum.

Incrassátus est diléctus, et recalcitrávit : * incrassátus, impinguátus, dilatátus,

Derelíquit Deum, factórem suum, * et recéssit a Deo, salutári suo.

Provocavérunt eum in diis aliénis, * et in abominatiónibus ad iracúndiam concitavérunt.

Immolavérunt dæmóniis, et non Deo, * diis, quos ignorábant :

Novi recentésque venérunt, * quos non coluérunt patres eórum.

Deum qui te génuit dereliquísti, * et oblítus es Dómini, creatóris tui.

Vidit Dóminus, et ad iracúndiam concitátus est : * quia provocavérunt eum fílii sui et fíliæ.

Et ait : Abscóndam fáciem meam ab eis, * et considerábo novíssima eórum :

Generátio enim pervérsa est, * et infidéles fílii.

Ipsi me provocavérunt in eo, qui non erat Deus, * et irritavérunt in vanitátibus suis :

Et ego provocábo eos in eo, qui non est pópulus, * et in gente stulta irritábo illos.

Ignis succénsus est in furóre meo, * et ardébit usque ad inférni novíssima :

Devorabítque terram cum gérmine suo, * et móntium fundaménta combúret.

Congregábo super eos mala, * et sagíttas meas complébo in eis.

Consuméntur fame, * et devorábunt eos aves morsu amaríssimo :

Dentes bestiárum immíttam in eos, * cum furóre trahéntium super terram, atque serpéntium.

Foris vastábit eos gládius, et intus pavor, * júvenem simul ac vírginem, lacténtem cum hómine sene.

Dixi : Ubinam sunt? * cessáre fáciam ex homínibus memóriam eórum.

Sed propter iram inimicórum dístuli : * ne forte superbírent hostes eórum,

Et dícerent : * Manus nostra excélsa, et non Dóminus, * fecit hæc ómnia.

Gens absque consílio est, et sine prudéntia. * Utinam sáperent, et intellígerent, ac novíssima providérent.

Quómodo persequátur unus mille, * et duo fugent decem míllia?

Nonne ideo, quia Deus suus véndidit eos, * et Dóminus conclúsit illos?

Non enim est Deus noster ut dii eórum : * et inimíci nostri sunt júdices.

De vínea Sodomórum, vínea eórum, * et de suburbánis Gomórrhæ :

Uva eórum uva fellis, * et botri amaríssimi.

Fel dracónum vinum eórum, * et venénum áspidum insanábile.

Nonne hæc cóndita sunt apud me, * et signáta in thesáuris meis?

Mea est últio, et ego retríbuam in témpore, * ut labátur pes eórum :

Juxta est dies perditiónis, * et adésse festínant témpora.

Judicábit Dóminus pópulum suum, * et in servis suis miserébitur :

Vidébit quod infirmáta sit manus, * et clausi quoque defecérunt, residuíque consúmpti sunt.

Et dicet : Ubi sunt dii eórum, * in quibus habébant fidúciam?

De quorum víctimis comedébant ádipes, * et bibébant vinum libáminum :

Surgant, et opituléntur vobis, * et in necessitáte vos prótegant.

Vidéte quod ego sim solus, * et non sit álius Deus præter me :

Ego occídam, et ego vívere fáciam : percútiam, et ego sanábo, * et non est qui de manu mea possit erúere.

Levábo ad cælum manum meam, et dicam : * Vivo ego in ætérnum.

Si acúero ut fulgur gládium meum, * et arripúerit judícium manus mea :

Reddam ultiónem hóstibus meis, * et his qui odérunt me retríbuam.

Inebriábo sagíttas meas sánguine, * et gládius meus devorábit carnes,

De cruóre occisórum, * et de captivitáte, nudáti inimicórum cápitis.

Laudáte, gentes, pópulum ejus, * quia sánguinem servórum suórum ulciscétur :

Et vindíctam retríbuet in hostes eórum, * et propítius erit terræ pópuli sui.

Ant. In servis suis miserébitur Dóminus : * et propítius erit terræ pópuli sui.

Ant. Laudáte. †

Psalmus 150

Laudáte † Dóminum in sanctis ejus : * laudáte eum in firmaménto virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus : * laudáte eum secúndum multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in sono tubæ : * laudáte eum in psaltério, et cíthara.

Laudáte eum in týmpano, et choro : * laudáte eum in chordis, et órgano.

Laudáte eum in cýmbalis benesonántibus : laudáte eum in cýmbalis jubilatiónis : * omnis spíritus laudet Dóminum.

Ant. Laudáte Dóminum secúndum multitúdinem magnitúdinis ejus.

Capit. Rom. 13, 12-13

Nox præcéssit, dies autem appropinquávit. Abjiciámus ergo ópera tenebrárum, et induámur arma lucis. Sicut in die honéste ambulémus.

Hymnus

Auróra jam spargit polum :
Terris dies illábitur :
Lucis resúltat spículum :
Discédat omne lúbricum.

Phantásma noctis éxsulet :
Mentis reátus córruat :
Quidquid tenébris hórridum
Nox áttulit culpæ, cadat.

Ut mane, quod nos últimum
Hic deprecámur cérnui,
Cum luce nobis éffluat,
Hoc dum canóre cóncrepat.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc et per omne sæculum. Amen.

℣. Repléti sumus mane misericórdia tua. ℟. Exsultávimus, et delectáti sumus.

Ad Bened. Ant. Illúmina, Dómine, * sedéntes in ténebris et umbra mortis, et dírige pedes nostros in viam pacis.

Expléto Cantico ac repetita Antiphona, dicuntur sequentes

Preces feriales

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster, quod dicitur a solo Hebdomadario totum clara voce, usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo. ℣. Ego dixi : Dómine, miserére mei. ℟. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi. ℣. Convértere, Dómine, úsquequo? ℟. Et deprecábilis esto super servos tuos. ℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te. ℣. Sacerdótes tui induántur justítiam. ℟. Et sancti tui exsúltent. ℣. Orémus pro beatíssimo Papa nostro N. ℟. Dóminus consérvet eum, et vivíficet eum, et beátum fáciat eum in terra, et non tradat eum in ánimam inimicórum ejus. ℣. Orémus et pro Antístite nostro N. ℟. Stet et pascat in fortitúdine tua, Dómine, in sublimitáte nóminis tui. ℣. Dómine, salvum fac regem. ℟. Et exáudi nos in die, qua invocavérimus te. ℣. Salvum fac pópulum tuum, Dómine, et bénedic hereditáti tuæ. ℟. Et rege eos, et extólle illos usque in ætérnum. ℣. Meménto Congregatiónis tuæ. ℟. Quam possedísti ab inítio. ℣. Fiat pax in virtúte tua. ℟. Et abundántia in túrribus tuis. ℣. Orémus pro benefactóribus nostris. ℟. Retribúere dignáre, Dómine, ómnibus, nobis bona faciéntibus propter nomen tuum, vitam ætérnam. Amen. ℣. Orémus pro fidélibus defúnctis. ℟. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine, et lux perpétua lúceat eis. ℣. Requiéscant

in pace. ℟. Amen. ℣. Pro frátribus nostris abséntibus. ℟. Salvos fac servos tuos, Deus meus, sperántes in te. ℣. Pro afflíctis et captívis. ℟. Líbera eos, Deus Israël, ex ómnibus tribulatiónibus suis. ℣. Mitte eis, Dómine, auxílium de sancto. ℟. Et de Sion tuére eos. ℣. Dómine, Deus virtútum, convérte nos. ℟. Et osténde fáciem tuam, et salvi érimus. ℣. Exsúrge, Christe, ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum. ℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Reliqua ut in Ordinario. 19

AD PRIMAM

Pater, Ave et Credo.

℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus

JAM lucis orto sídere,
Deum precémur súpplices,
Ut in diúrnis áctibus
Nos servet a nocéntibus.

Linguam refrénans témperet,
Ne litis horror ínsonet :
Visum fovéndo cóntegat,
Ne vanitátes háuriat.

Sint pura cordis íntima,
Absístat et vecórdia :
Carnis terat supérbiam
Potus cibíque párcitas.

Ut, cum dies abscésserit
Noctémque sors redúxerit,
Mundi per abstinéntiam
Ipsi canámus glóriam.

* Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc et per omne sæculum. Amen.

Ant. Exaltáre, Dómine.

Psalmus 93, i

DEus ultiónum Dóminus : * Deus ultiónum líbere egit.

Exaltáre, qui júdicas terram : * redde retributiónem supérbis.

Usquequo peccatóres, Dómine, * úsquequo peccatóres gloriabúntur :

Effabúntur, et loquéntur iniquitátem : * loquéntur omnes, qui operántur injustítiam?

Pópulum tuum, Dómine, humiliavérunt : * et hereditátem tuam vexavérunt.

Víduam, et ádvenam interfecérunt : * et pupíllos occidérunt.

Et dixérunt : Non vidébit Dóminus, * nec intélliget Deus Jacob.

Intellígite, insipiéntes in pópulo : * et stulti, aliquándo sápite.

Qui plantávit aurem, non áudiet? * aut qui finxit óculum, non consíderat?

Qui córripit gentes, non árguet : * qui docet hóminem sciéntiam?

Dóminus scit cogitatiónes hóminum, * quóniam vanæ sunt.

Psalmus 93, ii

BEátus homo, quem tu erudíeris, Dómine* : et de lege tua docúeris eum,

Ut mítiges ei a diébus malis : * donec fodiátur peccatóri fóvea.

Quia non repéllet Dóminus plebem suam : * et hereditátem suam non derelínquet.

Quoadúsque justítia convertátur in judícium : * et qui juxta illam omnes qui recto sunt corde.

Quis consúrget mihi advérsus malignántes? * aut quis stabit mecum advérsus operántes iniquitátem?

Nisi quia Dóminus adjúvit me : * paulo minus habitásset in inférno ánima mea.

Si dicébam : Motus est pes meus : * misericórdia tua, Dómine, adjuvábat me.

Secúndum multitúdinem dolórum meórum in corde meo : * consolatiónes tuæ lætificavérunt ánimam meam.

Numquid adhæret tibi sedes iniquitátis : * qui fingis labórem in præcépto?

Captábunt in ánimam justi : * et sánguinem innocéntem condemnábunt.

Et factus est mihi Dóminus in refúgium : * et Deus meus in adjutórium spei meæ.

Et reddet illis iniquitátem ipsórum : et in malítia eórum dispérdet eos : * dispérdet illos Dóminus, Deus noster.

Psalmus 107

PArátum cor meum, Deus, parátum cor meum : * cantábo, et psallam in glória mea.

Exsúrge, glória mea, exsúrge, psaltérium et cíthara : * exsúrgam dilúculo.

Confitébor tibi in pópulis, Dómine : * et psallam tibi in natiónibus.

Quia magna est super cælos misericórdia tua : * et usque ad nubes véritas tua :

Exaltáre super cælos, Deus, et super omnem terram glória tua : * ut liberéntur dilécti tui.

Salvum fac déxtera tua, et exáudi me : * Deus locútus est in sancto suo :

Exsultábo, et dívidam Síchimam, * et convállem tabernaculórum dimétiar.

Meus est Gálaad, et meus est Manásses : * et Ephraïm suscéptio cápitis mei.

Juda rex meus : * Moab lebes spei meæ.

In Idumæam exténdam calceaméntum meum : * mihi alienígenæ amíci facti sunt.

Quis dedúcet me in civitátem munítam? * quis dedúcet me usque in Idumæam?

Nonne tu, Deus, qui repulísti nos, * et non exíbis, Deus, in virtútibus nostris?

Da nobis auxílium de tribulatióne : * quia vana salus hóminis.

In Deo faciémus virtútem : * et ipse ad níhilum dedúcet inimícos nostros.

¶ Quando ad Laudes dictus fuerit Ps. 50 Miserére, hic subjungitur sequens Ps. 149, qui in Laudibus locum non habuit.

Psalmus 149

CAntáte Dómino cánticum novum : * laus ejus in ecclésia sanctórum.

Lætétur Israël in eo, qui fecit eum : * et fílii Sion exsúltent in rege suo.

Laudent nomen ejus in choro : * in týmpano, et psaltério psallant ei :

Quia beneplácitum est Dómino in pópulo suo : * et exaltábit mansuétos in salútem.

Exsultábunt sancti in glória : * lætabúntur in cubílibus suis.

Exaltatiónes Dei in gútture eórum : * et gládii ancípites in mánibus eórum.

Ad faciéndam vindíctam in natiónibus : * increpatiónes in pópulis.

Ad alligándos reges eórum in compédibus : * et nóbiles eórum in mánicis férreis.

Ut fáciant in eis judícium conscríptum : * glória hæc est ómnibus sanctis ejus.

Secus vero, tribus Psalmis expletis, statim dicitur Ant.

Ant. Exaltáre, Dómine, qui júdicas terram : redde retributiónem supérbis.

In Officio Festi vel Octavæ, Dominicæ anticipatæ ac sanctæ Mariæ in Sabbato :

Capitulum 1 Tim. 1, 17

REgi sæculórum immortáli et invisíbili, soli Deo honor et glória in sæcula sæculórum. Amen.

In omnibus autem Feriis et in Vigiliis communibus :

Capitulum Zach. 8, 19

PAcem et veritátem dilígite, ait Dóminus omnípotens.

℟. br. Christe, Fili Dei vivi, * Miserére nobis. Christe. ℣. *Qui sedes ad déxteram Patris.* Miserére nobis. Glória Patri. Christe. ℣. Exsúrge, Christe, ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum.

In Officio sanctæ Mariæ in Sabbato dicitur sequens

℣. Qui natus es de María Vírgine.

Preces dominicales et feriales (si dicendæ sint)

KYrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Credo in Deum secreto usque ad ℣. Carnis resurrectiónem. ℟. Vitam ætérnam. Amen. ℣. Et ego ad te, Dómine, clamávi. ℟. Et mane orátio mea prævéniet te. ℣. Repleátur os meum laude. ℟. Ut cantem glóriam tuam, tota die magnitúdinem tuam. ℣. Dómine, avérte fáciem tuam a peccátis meis. ℟. Et omnes iniquitátes meas dele. ℣. Cor mundum crea in me, Deus. ℟. Et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis. ℣. Ne projícias me a fácie tua. ℟. Et spíritum sanctum tuum ne áuferas a me. ℣. Redde mihi lætítiam salutáris tui. ℟. Et spíritu principáli confírma me.

In Precibus ferialibus tantum

℣. Eripe me, Dómine, ab hómine malo. ℟. A viro iníquo éripe me. ℣. Eripe me de inimícis meis, Deus meus. ℟. Et ab insurgéntibus in me líbera me. ℣. Eripe me de operántibus iniquitátem. ℟. Et de viris sánguinum salva me. ℣. Sic psalmum dicam nómini tuo in sæculum sæculi. ℟. Ut reddam vota mea de die in diem. ℣. Exáudi nos, Deus, salutáris noster. ℟. Spes ómnium fínium terræ, et in mari longe. ℣. Deus, in adjutórium meum inténde. ℟. Dómine, ad adjuvándum me festína. ℣. Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortális. ℟. Miserére nobis. ℣. Bénedic, ánima mea, Dómino. ℟. Et ómnia, quæ intra me sunt, nómini sancto ejus. ℣. Bénedic, ánima mea, Dómino. ℟. Et noli oblivísci omnes retributiónes ejus. ℣. Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis. ℟. Qui sanat omnes infirmitátes tuas. ℣. Qui rédimit de intéritu vitam tuam. ℟. Qui corónat te in misericórdia et miseratiónibus. ℣. Qui replet in bonis desidérium tuum. ℟. Renovábitur ut áquilæ juvéntus tua.

In utrisque Precibus

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

Confíteor. Misereátur. Indulgéntiam.

℣. Dignáre, Dómine, die isto. ℟. Sine peccáto nos custodíre. ℣. Miserére nostri, Dómine. ℟. Miserére nostri. ℣. Fiatmisericórdia tua, Dómine, super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te. ℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.

Orémus. **Oratio**

DOmine, Deus omnípotens, qui ad princípium hujus diéi nos pervenire fecísti : tua nos hódie salva virtúte; ut in hac die ad nullum declinémus peccátum, sed semper ad tuam justítiam faciéndam nostra procédant elóquia, dirigántur cogitatiónes et ópera. Per Dóminum.

℟. Amen.

℣. Dóminus vobíscum.

℣. Benedicámus Dómino.

Deinde in Choro legitur Martyrologium. Postea Hebdomadarius dicit :

℣. Pretiósa in conspéctu Dómini. ℟. Mors Sanctórum ejus.

Et absolute, sine Orémus :

Oratio

SAncta María, et ómnes Sancti intercédant pro nobis ad Dóminum, ut nos mereámur ab eo adjuvári et salvári, qui vivit et regnat in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

℣. Deus, in adjutórium meum inténde. ℟. Dómine, ad adjuvándum me festína. Et dicitur ter; ultimo additur : Glória Patri. Sicut erat.

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo. ℣. Réspice in servos tuos, Dómine, et in ópera tua, et dírige fílios eórum. ℟. Et sit splendor Dómini, Dei nostri, super nos, et ópera mánuum nostrárum dírige super nos, et opus mánuum nostrárum dírige. ℣. Glória Patri. ℟. Sicut erat.

Orémus. **Oratio**

DIrígere et sanctificáre, régere et gubernáre dignáre, Dómine Deus, Rex cæli et terræ, hódie corda et córpora nostra, sensus, sermónes et actus nostros in lege tua, et in opéribus mandatórum tuórum : ut hic, et in ætérnum, te auxiliánte, salvi et líberi esse mereámur, Salvátor mundi : Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

℣. Jube, domne.

Bened. Dies et actus nostros in sua pace dispónat Dóminus omnípotens.

℟. Amen.

In Officio feriali

DOminus autem dirigat corda et córpora nostra in caritáte Dei, et patiéntia Christi. Tu autem.

E Proprio Sanctorum

Pro Oct. S. Joannis Bapt.

REges vidébunt, et consúrgent príncipes et adorábunt Dóminum, Deum tuum et Sanctum Israël, qui elégit te.

Pro Invent. S. Stephani

POsitis autem génibus, clamávit voce magna, dicens : Dómine, ne státuas illis hoc peccátum. Et cum hoc dixisset, obdormivit in Dómino.

E Communi Sanctorum

Pro Apostolis

IBant Apóstoli gaudéntes a conspéctu concilii, quóniam digni hábiti sunt pro nómine Jesu contuméliam pati.

Pro Martyre

JUstus cor suum trádidit ad vigilándum dilúculo ad Dóminum, qui fecit illum, et in conspéctu Altíssimi deprecábitur.

Pro pluribus Martyribus

FUlgébunt justi, et tamquam scintíllæ in arundinéto discúrrent. Judicábunt natiónes, et dominabúntur pópulis : et regnábit Dóminus illórum in perpétuum.

Pro Conf. Pont.

FUngi sacerdótio, et habére laudem in nómine ipsíus, et offérre illi incénsum dignum in odórem suavitátis.

Pro Conf. non Pont.

JUstum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam sanctórum : honestávit illum in labóribus, et complévit labóres illíus.

Pro Virgine Martyre

DOmine, Deus meus, exaltásti super terram habitatiónem meam, et pro morte defluénte deprecáta sum. Invocávi Dóminum, Patrem Dómini mei, ut non derelínquat me in die tribulatiónis meæ, et in témpore superbórum sine adjutório.

Pro Virgine non Martyre

O Quam pulchra est casta generátio cum claritáte! immortális est enim memória illíus : quóniam apud Deum nota est, et apud hómines.

Pro Martyre tantum

LAudábit usque ad mortem ánima mea Dóminum, quóniam éruis susti-

néntes te, et líberas eos de manu angústiæ, Dómine, Deus noster.

Pro nec Virg. nec Mart.

MUltæ fíliæ congregavérunt divítias : tu supergréssa es univérsas. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo : múlier timens Dóminum, ipsa laudábitur.

Pro Dedicatione Ecclesiæ

ET abstérget Deus omnem lácrimam ab óculis eórum : et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abiérunt. Et dixit qui sedébat in throno : Ecce, nova fácio ómnia.

In Officiis B. Mariæ V.

IN platéis sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans odórem dedi : quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

℣. Benedícite. ℟. Deus.

Benedictio Dóminus nos benedícat, et ab omni malo deféndat, et ad vitam perdúcat ætérnam. Et fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen.

Deinde dicitur tantum Pater noster secreto, nisi sequatur alia Hora.

AD TERTIAM

Pater noster et Ave.

℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus

NUnc, Sancte, nobis, Spíritus,
Unum Patri cum Fílio,
Dignáre promptus íngeri
Nostro refúsus péctori.

Os, lingua, mens, sensus, vigor
Confessiónem pérsonent,
Flamméscat igne cáritas,
Accéndat ardor próximos.

* Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

Ant. Clamor meus.

Psalmus 101, i

Omine, exáudi oratiónem meam : * et clamor meus ad te véniat.

Non avértas fáciem tuam a me : * in quacúmque die tríbulor, inclína ad me aurem tuam.

In quacúmque die invocávero te, * velóciter exáudi me.

Quia defecérunt sicut fumus dies mei : * et ossa mea sicut crémium aruérunt.

Percússus sum ut fœnum, et áruit cor meum : * quia oblítus sum comédere panem meum.

A voce gémitus mei * adhæsit os meum carni meæ.

Símilis factus sum pellicáno solitúdinis : * factus sum sicut nyctícorax in domicílio.

Vigilávi, * et factus sum sicut passer solitárius in tecto.

Tota die exprobrábant mihi inimíci mei : * et qui laudábant me, advérsum me jurábant.

Quia cínerem tamquam panem manducábam, * et potum meum cum fletu miscébam.

A fácie iræ et indignatiónis tuæ : * quia élevans allisísti me.

Dies mei sicut umbra declinavérunt : * et ego sicut fœnum árui.

Tu autem, Dómine, in ætérnum pérmanes : * et memoriále tuum in generatiónem et generatiónem.

Psalmus 101, ii

TU exsúrgens miserébéris Sion : * quia tempus miseréndi ejus, quia venit tempus.

Quóniam placuérunt servis tuis lápides ejus : * et terræ ejus miserebúntur.

Et timébunt gentes nomen tuum, Dómine, * et omnes reges terræ glóriam tuam.

Quia ædificávit Dóminus Sion * et vidébitur in glória sua.

Respéxit in oratiónem humílium : * et non sprevit precem eórum.

Scribántur hæc in generatióne áltera : * et pópulus, qui creábitur, laudábit Dóminum :

Quia prospéxit de excélso sancto suo : * Dóminus de cælo in terram aspéxit :

Ut audiret gémitus compeditórum : * ut sólveret fílios interemptórum :

Ut annúntient in Sion nomen Dómini : * et laudem ejus in Jerúsalem.

In conveniéndo pópulos in unum, * et reges ut sérviant Dómino.

Psalmus 101, iii

RESpóndit ei in via virtútis suæ : * Paucitátem diérum meórum núntia mihi.

Ne révoces me in dimídio diérum meórum : * in generatiónem et generatiónem anni tui.

Inítio tu, Dómine, terram fundásti : * et ópera mánuum tuárum sunt cæli.

Ipsi períbunt, tu autem pérmanes : * et omnes sicut vestiméntum veteráscent.

Et sicut opertórium mutábis eos, et mutabúntur : * tu autem idem ipse es, et anni tui non defícient.

Fílii servórum tuórum habitábunt : * et semen eórum in sæculum dirigétur.

Ant. Clamor meus, Dómine, ad te pervéniat : * non avértas fáciem tuam a me.

In Officio feriali

Capitulum Jer. 17, 14

SAna me, Dómine, et sanábor : salvum me fac, et salvus ero : quóniam laus mea tu es.

℟. br. Sana ánimam meam, * Quia peccávi tibi. Sana. ℣. Ego dixi : Dómine, miserére mei. Quia. Glória Patri. Sana. ℣. Adjútor meus esto, ne derelínquas me. ℟. Neque despícias me, Deus, salutáris meus.

In Vigiliis communibus :

Preces feriales

KYrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo. ℣. Dómine, Deus virtútum, convérte nos. ℟. Et osténde fáciem tuam, et salvi érimus. ℣. Exsúrge, Christe, ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum. ℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Reliqua ut in Ordinario. 19

AD SEXTAM

Pater noster et Ave.

℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus

RECtor potens, verax Deus,
Qui témperas rerum vices,
Splendóre mane illúminas,
Et ígnibus meridiem :

Exstíngue flammas lítium,
Aufer calórem nóxium,
Confer salútem córporum,
Verámque pacem córdium.

* Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

Ant. Dómine, Deus meus.

Psalmus 103, i

Enedic, ánima mea, Dómino : * Dómine, Deus meus, magnificátus es veheménter.

Confessiónem, et decórem induísti : * amictus lúmine sicut vestiménto :

Exténdens cælum sicut pellem : * qui tegis aquis superióra ejus.

Qui ponis nubem ascénsum tuum : * qui ámbulas super pennas ventórum.

Qui facis ángelos tuos, spíritus : * et minístros tuos ignem uréntem.

Qui fundásti terram super stabilitátem suam : * non inclinábitur in sæculum sæculi.

Abýssus, sicut vestiméntum, amíctus ejus : * super montes stabunt aquæ.

Ab increpatióne tua fúgient : * a voce tonítrui tui formidábunt.

Ascéndunt montes : et descéndunt campi * in locum, quem fundásti eis.

Términum posuísti, quem non transgrediéntur : * neque converténtur operíre terram.

Qui emíttis fontes in convállibus : * inter médium móntium pertransíbunt aquæ.

Potábunt omnes béstiæ agri : * exspectábunt ónagri in siti sua.

Super ea vólucres cæli habitábunt : * de médio petrárum dabunt voces.

Psalmus 103, ii

RIgans montes de superióribus suis : * de fructu óperum tuórum satiábitur terra :

Prodúcens fœnum juméntis, * et herbam servitúti hóminum :

Ut edúcas panem de terra : * et vinum lætíficet cor hóminis :

Ut exhílaret fáciem in óleo : * et panis cor hóminis confírmet.

Saturabúntur ligna campi, et cedri Líbani, quas plantávit : * illic pásseres nidificábunt.

Heródii domus dux est eórum : * montes excélsi cervis : petra refúgium herináciis.

Fecit lunam in témpora : * sol cognóvit occásum suum.

Posuísti ténebras, et facta est nox : * in ipsa pertransíbunt omnes béstiæ silvæ.

Cátuli leónum rugiéntes, ut rápiant, * et quærant a Deo escam sibi.

Ortus est sol, et congregáti sunt : * et in cubílibus suis collocabúntur.

Exíbit homo ad opus suum : * et ad operatiónem suam usque ad vésperum.

Psalmus 103, iii

QUam magnificáta sunt ópera tua, Dómine! * ómnia in sapiéntia fecísti : impléta est terra possessióne tua.

Hoc mare magnum, et spatiósum mánibus : * illic reptília, quorum non est númerus.

Animália pusílla cum magnis : * illic naves pertransíbunt.

Draco iste, quem formásti ad illudéndum ei : * ómnia a te exspéctant ut des illis escam in témpore.

Dante te illis, cólligent : * aperiénte te manum tuam, ómnia implebúntur bonitáte.

Averténte autem te fáciem, turbabúntur : * áuferes spíritum eórum, et defícient, et in púlverem suum reverténtur.

Emíttes spíritum tuum, et creabúntur : * et renovábis fáciem terræ.

Sit glória Dómini in sæculum : * lætábitur Dóminus in opéribus suis :

Qui réspicit terram, et facit eam trémere : * qui tangit montes, et fúmigant.

Cantábo Dómino in vita mea : * psallam Deo meo, quámdiu sum.

Jucúndum sit ei elóquium meum : * ego vero delectábor in Dómino.

Defíciant peccatóres a terra, et iníqui ita ut non sint : * bénedic, ánima mea, Dómino.

Ant. Dómine, Deus meus, magnificátus es veheménter.

In Officio feriali

Capitulum Rom. 13, 8

NEmini quidquam debeátis, nisi ut ínvicem diligátis : qui enim diligit próximum, legem implévit.

℟. br. Benedícam Dóminum * In omni témpore. Benedícam. ℣. Semper laus ejus in ore meo. In.

Glória Patri. Benedícam. ℣. Dóminus regit me, et nihil mihi déerit. ℟. In loco páscuæ ibi me collocávit.

In Vigiliis communibus :

Preces feriales

KYrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo. ℣. Dómine, Deus virtútum, convérte nos. ℟. Et osténde fáciem tuam, et salvi érimus. ℣. Exsúrge, Christe, ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum. ℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Reliqua ut in Ordinario. 20

AD NONAM

Pater noster et Ave.

℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus

RErum, Deus, tenax vigor,
Immótus in te pérmanens,
Lucis diúrnæ témpora
Successíbus detérminans :

Largíre lumen véspere,
Quo vita nusquam déciat,
Sed prǽmium mortis sacræ
Perénnis instet glória.

* Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

Ant. Ne tacúeris, Deus.

Psalmus 108, i

EUs, laudem meam ne tacúeris : * quia os peccatóris, et os dolósi super me apértum est.

Locúti sunt advérsum me lingua dolósa, et sermónibus ódii circumdedérunt me : * et expugnavérunt me gratis.

Pro eo ut me dilígerent, detrahébant mihi : * ego autem orábam.

Et posuérunt advérsum me mala pro bonis : * et ódium pro dilectióne mea.

Constítue super eum peccatórem : * et diábolus stet a dextris ejus.

Cum judicátur, éxeat condemnátus : * et orátio ejus fiat in peccátum.

Fiant dies ejus pauci : * et episcopátum ejus accípiat alter.

Fiant fílii ejus órphani : * et uxor ejus vídua.

Nutántes transferántur fílii ejus, et mendícent : * et ejiciántur de habitatiónibus suis.

Scrutétur fœnerátor omnem substántiam ejus : * et dirípiant aliéni labóres ejus.

Non sit illi adjútor : * nec sit qui misereátur pupíllis ejus.

Fiant nati ejus in intéritum : * in generatióne una deleátur nomen ejus.

Psalmus 108, ii

IN memóriam rédeat iníquitas patrum ejus in conspéctu Dómini : * et peccátum matris ejus non deleátur.

Fiant contra Dóminum semper, et dispéreat de terra memória eórum : * pro eo quod non est recordátus fácere misericórdiam.

Et persecútus est hóminem ínopem, et mendícum, * et compúnctum corde mortificáre.

Et diléxit maledictiónem, et véniet ei : * et nóluit benedictiónem, et elongábitur ab eo.

Et índuit maledictiónem sicut vestiméntum, * et intrávit sicut aqua in interióra ejus, et sicut óleum in óssibus ejus.

Fiat ei sicut vestiméntum, quo operítur : * et sicut zona, qua semper præcíngitur.

Hoc opus eórum, qui détrahunt mihi apud Dóminum : * et qui loquúntur mala advérsus ánimam meam.

Et tu, Dómine, Dómine, fac mecum propter nomen

tuum : * quia suávis est misericórdia tua.

Psalmus 108, iii

Líbera me quia egénus, et pauper ego sum : * et cor meum conturbátum est intra me.

Sicut umbra cum declínat, ablátus sum : * et excússus sum sicut locústæ.

Génua mea infirmáta sunt a jejúnio : * et caro mea immutáta est propter óleum.

Et ego factus sum oppróbrium illis : * vidérunt me, et movérunt cápita sua.

Adjuva me, Dómine, Deus meus : * salvum me fac secúndum misericórdiam tuam.

Et sciant quia manus tua hæc : * et tu, Dómine, fecísti eam.

Maledícent illi, et tu benedíces : * qui insúrgunt in me, confundántur : servus autem tuus lætábitur.

Induántur qui détrahunt mihi, pudóre : * et operiántur sicut diplóide confusióne sua.

Confitébor Dómino nimis in ore meo : * et in médio multórum laudábo eum.

Quia ástitit a dextris páuperis, * ut salvam fáceret a persequéntibus ánimam meam.

Ant. Ne tacúeris, Deus, quia sermónibus ódii circumdedérunt me.

In Officio feriali

Capit. 1 Petri 1, 17-19

IN timóre incolátus vestri témpore conversámini : sciéntes quod non corruptibílibus auro vel argénto redémpti estis, sed pretióso sánguine quasi Agni immaculáti Christi.

℟. br. Rédime me, Dómine, * Et miserére mei. Rédime. ℣. Pes enim meus stetit in via recta. Et. Glória Patri. Rédime. ℣. Ab occúltis meis munda me, Dómine. ℟. Et ab aliénis parce servo tuo.

In Vigíliis communibus :

Preces feriales

KYrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo. ℣. Dómine, Deus virtútum, convérte nos. ℟. Et osténde fáciem tuam, et salvi érimus. ℣. Exsúrge, Christe, ádjuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum. ℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Reliqua ut in Ordinario. 22

AD VESPERAS

Pater noster et Ave.

℣. Deus, in adjutórium.

Ant. Benedíctus Dóminus. †

¶ Antiphonæ cum Psalmis assignatæ semper in Sabbato dicuntur pro I Vesperis Dominicæ sequentis, quando agendum est Officium de ipsa Dominica, in Dominicis minoribus, extra Octavas Sanctissimi Corporis Christi ac Sacratissimi Cordis Jesu.

Psalmus 143, i

BEnedíctus Dóminus, † Deus meus, qui docet manus meas ad prœlium, * et dígitos meos ad bellum.

Misericórdia mea, et refúgium meum : * susceptor meus, et liberátor meus :

Protéctor meus, et in ipso sperávi : * qui subdit pópulum meum sub me.

Dómine, quid est homo, quia innotuísti ei? * aut fílius hóminis, quia réputas eum?

Homo vanitáti símilis factus est : * dies ejus sicut umbra prætéreunt.

Dómine, inclína cælos tuos, et descénde : * tange montes, et fumigábunt.

Fúlgura coruscatiónem, et dissipábis eos : * emítte sagíttas tuas, et conturbábis eos.

Emítte manum tuam de alto, éripe me, et líbera me de aquis multis : * de manu filiórum alienórum.

Quorum os locútum est vanitátem : * et déxtera eórum, déxtera iniquitátis.

Ant. Benedíctus Dóminus, susceptor meus, et liberátor meus.

Ant. Beátus pópulus.

Psalmus 143, ii

DEus, cánticum novum cantábo tibi : * in psaltério decachórdo psallam tibi.

Qui das salútem régibus : * qui redemísti David, servum tuum, de gládio malígno : éripe me.

Et érue me de manu filiórum alienórum, quorum os locútum est vanitátem : * et déxtera eórum, déxtera iniquitátis :

Quorum fílii, sicut novéllæ plantatiónes * in juventúte sua.

Fíliæ eórum compósitæ : * circumornátæ ut similitúdo templi.

Promptuária eórum plena, * eructántia ex hoc in illud.

Oves eórum fetósæ, abundántes in egréssibus suis : * boves eórum crassæ.

Non est ruína macériæ, neque tránsitus : * neque clamor in platéis eórum.

Beátum dixérunt pópulum, cui hæc sunt : * beátus pópulus, cujus Dóminus Deus ejus.

Ant. Beátus pópulus, cujus Dóminus Deus ejus.

Ant. Magnus Dóminus.

Psalmus 144, i

EXaltábo te, Deus meus, rex : * et benedícam nómini tuo in sæculum, et in sæculum sæculi.

Per síngulos dies benedícam tibi : * et laudábo nomen tuum in sæculum, et in sæculum sæculi.

Magnus Dóminus, et laudábilis nimis : * et magnitúdinis ejus non est finis.

Generátio et generátio laudábit ópera tua : * et poténtiam tuam pronuntiábunt.

Magnificéntiam glóriæ sanctitátis tuæ loquéntur : * et mirabília tua narrábunt.

Et virtútem terribílium tuórum dicent : * et magnitúdinem tuam narrábunt.

Memóriam abundántiæ suavitátis tuæ eructábunt : * et justítia tua exsultábunt.

Ant. Magnus Dóminus, et laudábilis nimis : et magnitúdinis ejus non est finis.

Ant. Suávis Dóminus.

Psalmus 144, ii

MIserátor, et miséricors Dóminus : * pátiens, et multum miséricors.

Suávis Dóminus univérsis : * et miseratiónes ejus super ómnia ópera ejus.

Confiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua : * et sancti tui benedícant tibi.

Glóriam regni tui dicent : * et poténtiam tuam loquéntur :

Ut notam fáciant fíliis hóminum poténtiam tuam : * et glóriam magnificéntiæ regni tui.

Regnum tuum regnum ómnium sæculórum : * et dominátio tua in omni generatióne et generatiónem.

Ant. Suávis Dóminus univérsis : et miseratiónes ejus super ómnia ópera ejus.

Ant. Fidélis Dóminus. †

Psalmus 144, iii

FIdélis Dóminus † in ómnibus verbis suis : * et sanctus in ómnibus opéribus suis.

Allevat Dóminus omnes qui córruunt : * et érigit omnes elísos.

Oculi ómnium in te sperant, Dómine : * et tu das escam illórum in témpore opportúno.

Aperis tu manum tuam : * et imples omne ánimal benedictióne.

Justus Dóminus in ómnibus viis suis : * et sanctus in ómnibus opéribus suis.

Prope est Dóminus ómnibus invocántibus

eum : * ómnibus invocántibus eum in veritáte.

Voluntátem timéntium se fáciet : * et deprecatiónem eórum exáudiet : et salvos fáciet eos.

Custódit Dóminus omnes diligéntes se : * et omnes peccatóres dispérdet.

Laudatiónem Dómini loquétur os meum : * et benedícat omnis caro nómini sancto ejus in sæculum, et in sæculum sæculi.

Ant. Fidélis Dóminus in ómnibus verbis suis : et sanctus in ómnibus opéribus suis.

In Sabbatis extra Octavas Ssmi Corporis Christi ac Sacratissimi Cordis Jesu dicitur

Capitulum Rom. 11, 33

O Altitúdo divitiárum sapiéntiæ et sciéntiæ Dei : quam incomprehensibília sunt judícia ejus, et investigábiles viæ ejus!

Hymnus

JAM sol recédit ígneus :
Tu, lux perénnis, Unitas,
Nostris, beáta Trinitas,
Infúnde lumen córdibus.

Te mane laudum cármine,
Te deprecámur véspere;
Dignéris ut te súpplices
Laudémus inter Cælites.

* Patri, simúlque Fílio,
Tibíque, Sancte Spíritus,
Sicut fuit, sit júgiter
Sæclum per omne glória.
Amen.

℣. Vespertína orátio ascéndat ad te, Dómine.
℟. Et descéndat super nos misericórdia tua.

Ad Magnificat Antiphona ut in Proprio de Tempore.

Expleto Cantico ac repetita Antiphona, dicitur Oratio Dominicæ sequentis propria, quæ per totam hebdomadam suam in feriali Officio adhibetur, nisi specialis Oratio habeatur.

Reliqua ut in Ordinario. 22

AD COMPLETORIUM

℣. Jube, domne.

Bened. Noctem quiétam, et finem perféctum concédat nobis Dóminus omnípotens. ℟. Amen.

Lectio br. 1 Petri 5, 8-9

FRatres : Sóbrii estóte, et vigiláte : quia adversárius vester diábolus tamquam leo rúgiens circuit, quærens quem dévoret : cui resístite fortes in fide. Tu autem.

℟. Deo grátias.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

Pater noster, quod dicitur totum secreto.

Confíteor. Misereátur. Indulgéntiam.

℣. Convérte nos, Deus, salutáris noster. ℟. Et avérte iram tuam a nobis.
℣. Deus, in adjutórium.

Ant. Intret orátio mea.

Psalmus 87

DOmine, Deus salútis meæ : * in die clamávi, et nocte coram te.

Intret in conspéctu tuo orátio mea : * inclína aurem tuam ad precem meam :

Quia repléta est malis ánima mea : * et vita mea inférno appropinquávit.

Æstimátus sum cum descendéntibus in lacum : * factus sum sicut homo sine adjutório, inter mórtuos liber.

Sicut vulneráti dormiéntes in sepúlcris, quorum non es memor ámplius : * et ipsi de manu tua repúlsi sunt.

Posuérunt me in lacu inferióri : * in tenebrósis, et in umbra mortis.

Super me confirmátus est furor tuus : * et omnes fluctus tuos induxisti super me.

Longe fecísti notos meos a me : * posuérunt me abominatiónem sibi.

Tráditus sum, et non egrediébar : * óculi mei languérunt præ inópia.

Clamávi ad te, Dómine, tota die : * expándi ad te manus meas.

Numquid mórtuis fácies mirabília : * aut médici suscitábunt, et confitebúntur tibi?

Numquid narrábit áliquis in sepúlcro misericórdiam tuam, * et veritátem tuam in perditióne?

Numquid cognoscéntur in ténebris mirabília tua, * et justítia tua in terra oblivióne?

Et ego ad te, Dómine, clamávi : * et mane orátio mea prævéniet te.

Ut quid, Dómine, repéllis oratiónem meam : * avértis fáciem tuam a me?

Pauper sum ego, et in labóribus a juventúte mea : * exaltátus autem, humiliátus sum et conturbátus.

In me transiérunt iræ tuæ : * et terróres tui conturbavérunt me.

Circumdedérunt me sicut aqua tota die : * circumdedérunt me simul.

Elongásti a me amícum et próximum : * et notos meos a miséria.

Psalmus 102, i

BEnedic, ánima mea, Dómino : * et ómnia, quæ intra me sunt, nómini sancto ejus.

Bénedic, ánima mea, Dómino : * et noli oblivísci omnes retributiónes ejus.

Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis : * qui sanat omnes infirmitátes tuas.

Qui rédimit de intéritu vitam tuam : * qui corónat te in misericórdia et miseratiónibus.

Qui replet in bonis desidérium tuum : * renovábitur ut áquilæ juvéntus tua :

Fáciens misericórdias Dóminus : * et judícium ómnibus injúriam patiéntibus.

Notas fecit vias suas Móysi, * fíliis Israël voluntátes suas.

Miserátor, et misércors Dóminus : * longánimis, et multum misércors.

Non in perpétuum irascétur : * neque in ætérnum comminábitur.

Non secúndum peccáta nostra fecit nobis : * neque secúndum iniquitátes nostras retríbuit nobis.

Quóniam secúndum altitúdinem cæli a terra : * corroborávit misericórdiam suam super timéntes se.

Quantum distat ortus ab occidénte : * longe fecit a nobis iniquitátes nostras.

Psalmus 102, ii

QUómodo miserétur pater filiórum, misértus est Dóminus timéntibus se : * quóniam ipse cognóvit figméntum nostrum.

Recordátus est quóniam pulvis sumus : * homo, sicut fœnum dies ejus, tamquam flos agri sic efflorébit.

Quóniam spíritus pertransíbit in illo, et non subsístet : * et non cognóscet ámplius locum suum.

Misericórdia autem Dómini ab ætérno, * et usque in ætérnum super timéntes eum.

Et justitia illíus in fílios filiórum, * his qui servant testaméntum ejus :

Et mémores sunt mandatórum ipsíus, * ad faciéndum ea.

Dóminus in cælo parávit sedem suam : * et regnum ipsíus ómnibus dominábitur.

Benedícite Dómino, omnes Angeli ejus : * poténtes virtúte, faciéntes verbum illíus, ad audiéndam vocem sermónum ejus.

Benedícite Dómino, omnes virtútes ejus : * minístri ejus, qui fácitis voluntátem ejus.

Benedícite Dómino, ómnia ópera ejus : * in omni loco dominatiónis ejus, benedic, ánima mea, Dómino.

Ant. Intret orátio mea in conspéctu tuo, Dómine.

Hymnus

TE lucis ante términum,
Rerum Creátor, póscimus,
Ut pro tua cleméntia
Sis præsul et custódia.

Procul recédant sómnia,
Et nóctium phantásmata;
Hostémque nostrum cómprime,
Ne polluántur córpora.

* Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito,
Regnans per omne sæculum. Amen.

Capitulum Jer. 14, 9

TU autem in nobis es, Dómine, et nomen sanctum tuum invocátum est super nos : ne derelínquas nos, Dómine, Deus noster.

℟. br. In manus tuas, Dómine, * Comménd spíritum meum. In. ℣. Redemísti nos, Dómine, Deus veritátis. Comméndo. Glória Patri. In manus. ℣. Custódi nos, Dómine, ut pupíllam óculi. ℟. Sub umbra alárum tuárum prótege nos.

Ant. Salva nos.

Canticum Simeonis
Luc. 2, 29-32

NUnc dimíttis servum tuum, Dómine, * secúndum verbum tuum in pace :
Quia vidérunt óculi mei * salutáre tuum,
Quod parásti * ante fáciem ómnium populórum,
Lumen ad revelatiónem géntium, * et glóriam plebis tuæ Israël.

Ant. Salva nos, Dómine, vigilántes, custódi nos dormiéntes; ut vigilémus cum Christo, et requiescámus in pace.

Preces (si dicendæ sint)

KYrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.
Pater noster secreto usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.
Credo in Deum secreto usque ad ℣. Carnis resurrectiónem. ℟. Vitam ætérnam. Amen. ℣. Benedíctus es, Dómine, Deus patrum nostrórum. ℟. Et laudábilis et gloriósus in sæcula. ℣. Benedicámus Patrem et Fílium cum Sancto Spíritu. ℟. Laudémus, et superexaltémus eum in sæcula. ℣. Benedíctus es, Dómine, in firmaménto cæli. ℟. Et laudábilis, et gloriósus, et superexaltátus in sæcula. ℣. Benedícat et custódiat nos omnípotens et miséricors Dóminus. ℟. Amen. ℣. Dignáre, Dómine, nocte ista. ℟. Sine peccáto nos custodíre. ℣. Miserére nostri, Dómine. ℟. Miserére nostri. ℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te. ℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.

Orémus. Oratio

VIsita, quæsumus, Dómine, habitatiónem istam, et omnes insídias inimíci ab ea longe repélle : Angeli tui sancti hábitent in ea, qui nos in pace custódiant; et benedictio tua sit super nos semper. Per Dóminum nostrum. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobíscum.
℣. Benedicámus Dómino.

Benedictio Benedícat et custódiat nos omnípotens et miséricors Dóminus, Pater, et Fílius, et Spíritus Sanctus. ℟. Amen.

Antiphona finalis B. M. V.

℣. Divínum auxílium.

Pater, Ave María et Credo.

Proprium de Tempore

DOMINICA I POST PENTECOSTEN

In Festo Ssmæ Trinitatis

DUPLEX I CLASSIS

IN I VESPERIS

Ant. 1 Glória tibi, Trínitas * æquális, una Déitas, et ante ómnia sæcula, et nunc et in perpétuum.

Psalmi de Dominica 57, sed loco ultimi Ps. 116 Laudáte Dóminum, omnes gentes. 78

2 Laus et perénnis glória * Deo Patri, et Fílio, Sancto simul Paráclito, in sæculórum sæcula.

3 Glória laudis * résonet in ore ómnium, Patri, genitæque Proli, Spirítui Sancto páriter resúltet laude perénni.

4 Laus Deo Patri, * parilíque Proli, et tibi, Sancte, stúdio perénni, Spíritus, nostro résonet ab ore, omne per ævum.

5 Ex quo ómnia, * per quem ómnia, in quo ómnia : ipsi glória in sæcula.

Capitulum Rom. 11, 33

O Altitúdo divitiárum sapiéntiæ et sciéntiæ Dei : quam incomprehensibília sunt judícia ejus, et investigábiles viæ ejus!

Hymnus

JAM sol recédit ígneus :
Tu, lux perénnis, Unitas,
Nostris, beáta Trínitas,
Infúnde amórem córdibus.

Te mane laudum cármine,
Te deprecámur véspere;
Dignéris ut te súpplices
Laudémus inter cælites.

Patri, simúlque Fílio,
Tibíque, Sancte Spíritus,
Sicut fuit, sit júgiter
Sæclum per omne glória.
Amen.

℣. Benedicámus Patrem et Fílium cum Sancto Spíritu. ℟. Laudémus et superexaltémus eum in sæcula.

Ad Magnif. Ant. Grátias * tibi, Deus, grátias tibi, vera et una Trínitas, una et summa Déitas, sancta et una Unitas.

Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, qui dedísti fámulis tuis in confessióne veræ fídei, ætérnæ Trinitátis glóriam agnóscere, et in poténtia majestátis adoráre Unitátem : quæsumus; ut, ejúsdem fídei firmitáte, ab ómnibus semper muniámur advérsis. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Dominicæ occurrentis :

Ant. Lóquere, Dómine, quia audit servus tuus.

℣. Vespertína orátio ascéndat ad te, Dómine. ℟. Et descéndat super nos misericórdia tua.

Oratio

DEus, in te sperántium fortitúdo, adésto propitius invocatiónibus nostris : et quia sine te nihil potest mortális infírmitas, præsta auxilium grátiæ tuæ; ut in exsequéndis mandátis tuis, et voluntáte tibi et actióne placeámus. Per Dóminum.

Completorium de Dominica.

AD MATUTINUM

Invitat. Deum verum, unum in Trinitáte, et Trinitátem in Unitáte, * Veníte, adorémus. Ps. 94 Veníte, exsultémus. 3

Hymnus

SUmmæ Parens cleméntiæ,
Mundi regis qui máchinam,
Unius et substántiæ,
Trinúsque persónis Deus :

Da déxteram surgéntibus,
Exsúrgat ut mens sóbria,
Flagrans et in laudem Dei
Grates repéndat débitas.

Deo Patri sit glória,
Natóque Patris único,
Cum Spíritu Paráclito,
In sempitérna sæcula.
Amen.

In I Nocturno

Ant. Adésto, unus Deus * omnípotens, Pater, Fílius, et Spíritus Sanctus.

Psalmus 8

Omine, Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua, * super cælos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo cælos tuos, ópera digitórum tuórum : * lunam et stellas, quæ tu fundásti.

Quíd est homo, quod memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulo minus ab Angelís, glória et honóre coronásti eum : * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves et boves univérsas : ínsuper et pécora campi.

Vólucres cæli, et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine, Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Ant. Adésto, unus Deus omnípotens, Pater, Filius, et Spíritus Sanctus.

Ant. Te unum * in substántia, Trinitátem in persónis confitémur.

Psalmus 18

CÆli enárrant glóriam Dei, * et ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum, * et nox nocti indicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ, neque sermónes, * quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum : * et in fines orbis terræ verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum : * et ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo :

Exsultávit ut gigas ad curréndam viam, * a summo cælo egréssio ejus :

Et occúrsus ejus usque ad summum ejus : * nec est qui se abscóndat a calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta, convértens ánimas : * testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

Justitiæ Dómini rectæ, lætificántes corda : * præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in sæculum sæculi : * judícia Dómini vera, justificáta in semetipsa.

Desiderabília super aurum et lápidem pretiósum multum : * et dulcióra super mel et favum.

Etenim servus tuus custódit ea, * in custodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? ab occúltis meis munda me : * et ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint dominàti, tunc immaculátus

ero : * et emundábor a delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei : * et meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Dómine, adjútor meus, * et redémptor meus.

Ant. Te unum in substántia, Trinitátem in persónis confitémur.

Ant. Te semper idem * esse, vívere, et intellígere, profitémur.

Psalmus 23

DOmini est terra, et plenitúdo ejus : * orbis terrárum, et univérsi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum : * et super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus et mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino : * et misericórdiam a Deo, salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini, portæ ætérnales : * et introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus fortis et potens : Dóminus potens in prœlio.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini, portæ ætérnales : * et introíbit Rex glóriæ?

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est Rex glóriæ.

Ant. Te semper idem esse, vívere, et intellígere, profitémur.

℣. Benedicámus Patrem et Fílium cum Sancto Spíritu. ℟. Laudémus et superexaltémus eum in sæcula.

De Isaía Prophéta

Lectio i Cap. 6, 1-12

N anno, quo mórtuus est rex Ozías, vidi Dóminum sedéntem super sólium excélsum et elevátum : et ea, quæ sub ipso erant, replébant templum. Séraphim stabant super illud : sex alæ uni, et sex alæ álteri : duábus velábant fáciem ejus, et duábus velábant pedes ejus, et duábus volábant. Et clamábant alter ad álterum, et dicébant : Sanctus, sanctus, sanctus Dóminus Deus exercítuum, plena est omnis terra glória ejus. Et commóta sunt superliminária cárdinum a voce clamántis, et domus repléta est fumo.

℟. Vidi Dóminum sedéntem super sólium excélsum et elevátum, et plena erat omnis terra majestáte ejus : * Et ea, quæ sub ipso erant, replébant templum. ℣. Séraphim stabant super illud : sex alæ uni, et sex alæ álteri. — Et.

Lectio ii

ET dixi : Væ mihi, quia tácui, quia vir pollútus lábiis ego sum, et in médio pópuli pollúta lábia habéntis ego hábito, et Regem Dóminum exercítuum vidi óculis meis. Et volávit ad me unus de Séraphim, et in manu ejus cálculus, quem fórcipe túlerat de altári. Et tétigit os meum, et dixit : Ecce, tétigit hoc lábia tua, et auferétur iníquitas tua, et peccátum tuum mundábitur. Et audívi vocem Dómini dicéntis : Quem mittam? et quis ibit nobis? Et dixi : Ecce ego, mitte me.

℟. Benedíctus Dóminus, Deus Israël, qui facit mirabília magna solus : * Et benedíctum nomen majestátis ejus in ætérnum. ℣. Replébitur majestáte ejus omnis terra : fiat, fiat. — Et.

Lectio iii

ET dixit : Vade, et dices pópulo huic : Audíte audiéntes, et nolíte intellígere : et vidéte visiónem, et nolíte cognóscere. Excæca cor pópuli hujus, et aures ejus aggráva, et óculos ejus claude, ne forte vídeat óculis suis, et áuribus suis áudiat, et corde suo intélligat, et convertátur, et sanem eum. Et dixi : Usquequo, Dómine? Et dixit : Donec desoléntur civitátes absque habitatóre, et domus sine hómine, et terra relinquétur desérta, et longe fáciet Dóminus hómines, et multiplicábitur quæ derelícta fúerat in médio terræ.

℟. Benedícat nos Deus, Deus noster, benedícat nos Deus : * Et métuant eum omnes fines terræ. ℣. Deus misereátur nostri, et benedícat nos Deus. — Et. Glória Patri. Et.

In II Nocturno

Ant. Te invocámus, * te laudámus, te adorámus, o beáta Trinitas.

Psalmus 46

OMnes gentes, pláudite mánibus : * jubiláte Deo in voce exsultatiónis.

Quóniam Dóminus excélsus, terríbilis : * Rex magnus super omnem terram.

Subjécit pópulos nobis : * et gentes sub pédibus nostris.

Elégit nobis hereditátem suam : * spéciem Jacob, quam diléxit.

Ascéndit Deus in júbilo : * et Dóminus in voce tubæ.

Psállite Deo nostro, psállite : * psállite Regi nostro, psállite.

Quóniam Rex omnis terræ Deus : * psállite sapiénter.

Regnábit Deus super gentes : * Deus sedet super sedem sanctam suam.

Príncipes populórum congregáti sunt cum Deo Abraham : * quóniam dii fortes terræ veheménter eleváti sunt.

Ant. Te invocámus, te laudámus, te adorámus, o beáta Trínitas.

Ant. Spes nostra, * salus nostra, honor noster, o beáta Trínitas.

Psalmus 47

MAgnus Dóminus, et laudábilis nimis * in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus.

Fundátur exsultatióne univérsæ terræ mons Sion, * látera Aquilónis, cívitas Regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoscétur, * cum suscípiet eam.

Quóniam ecce reges terræ congregáti sunt : * convenérunt in unum.

Ipsi vidéntes sic admiráti sunt, conturbáti sunt, commóti sunt : * tremor apprehéndit eos.

Ibi dolóres ut parturiéntis : * in spíritu veheménti cónteres naves Tharsis.

Sicut audívimus, sic vídimus in civitáte Dómini virtútum, in civitáte Dei nostri : * Deus fundávit eam in ætérnum.

Suscépimus, Deus, misericórdiam tuam, * in médio templi tui.

Secúndum nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terræ : * justítia plena est déxtera tua.

Lætétur mons Sion, et exsúltent fíliæ Judæ, * propter judícia tua, Dómine.

Circúmdate Sion, et complectímini eam : * narráte in túrribus ejus.

Pónite corda vestra in virtúte ejus : * et distribúite domos ejus, ut enarrétis in progénie áltera.

Quóniam hic est Deus, Deus noster in ætérnum, et in sæculum sæculi : * ipse reget nos in sæcula.

Ant. Spes nostra, salus nostra, honor noster, o beáta Trínitas.

Ant. Líbera nos, * salva nos, vivífica nos, o beáta Trínitas.

Psalmus 71

DEus, judícium tuum regi da : * et justítiam tuam fílio regis :

Judicáre pópulum tuum in justítia, * et páuperes tuos in judício.

Suscípiant montes pacem pópulo : * et colles justítiam.

Judicábit páuperes pópuli, et salvos fáciet fílios páuperum : * et humiliábit calumniatórem.

Et permanébit cum sole, et ante lunam, * in generatióne et generatiónem.

Descéndet sicut plúvia in vellus : * et sicut stillicídia stillántia super terram.

Oriétur in diébus ejus justítia, et abundántia pacis : * donec auferátur luna.

Et dominábitur a mari usque ad mare : * et a flúmine usque ad términos orbis terrárum.

Coram illo prócident Æthíopes : * et inimíci ejus terram lingent.

Reges Tharsis, et ínsulæ múnera ófferent : * reges Arabum et Saba dona addúcent.

Et adorábunt eum omnes reges terræ : * omnes gentes sérvient ei :

Quia liberábit páuperem a poténte : * et páuperem, cui non erat adjútor.

Parcet páuperi et ínopi : * et ánimas páuperum salvas fáciet.

Ex usúris et iniquitáte rédimet ánimas eórum : * et honorábile nomen eórum coram illo.

Et vivet, et dábitur ei de auro Arábiæ, et adorábunt de ipso semper : * tota die benedícent ei.

Et erit firmaméntum in terra in summis móntium, superextollétur super Líbanum fructus ejus : * et florébunt de civitáte sicut fœnum terræ.

Sit nomen ejus benedíctum in sæcula : * ante solem pérmanet nomen ejus.

Et benedicéntur in ipso omnes tribus terræ : * omnes gentes magnificábunt eum.

Benedíctus Dóminus, Deus Israël, * qui facit mirabília solus :

Et benedíctum nomen majestátis ejus in ætérnum : * et replébitur majestáte ejus omnis terra : fiat, fiat.

Ant. Líbera nos, salva nos, vivífica nos, o beáta Trínitas.

℣. Benedíctus es, Dómine, in firmaménto cæli. ℟. Et laudábilis et gloriósus in sæcula.

Ex libro sancti Fulgéntii Epíscopi, de fide ad Petrum

Inter Opera Augustini, tom. 3

Lectio iv

IDes, quam sancti Patriárchæ atque Prophétæ ante incarnatiónem Fílii Dei divínitus accepérunt, quam

étiam sancti Apóstoli ab ipso Dómino in carne pósito audiérunt, et Spíritus Sancti magistério instrúcti non solum sermóne prædicavérunt, verum étiam ad instructiónem salubérrimam posterórum scriptis suis índitam reliquérunt; unum Deum prædicat Trinitátem, id est, Patrem, et Fílium, et Spíritum Sanctum. Sed Trínitas vera non esset, si una eadémque persóna dicerétur Pater et Fílius et Spíritus Sanctus.

℟. Quis Deus magnus sicut Deus noster? * Tu es Deus, qui facis mirabília. ℣. Notam fecísti in pópulis virtútem tuam : redemísti in bráchio tuo pópulum tuum. — Tu.

Lectio v

SI enim, sicut est Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti una substántia, sic esset una persóna; nihil omníno esset, in quo veráciter Trínitas dicerétur. Rursus quidem Trínitas esset vera, sed unus Deus Trínitas ipsa non esset, si quemádmodum Pater, et Fílius, et Spíritus Sanctus personárum sunt ab ínvicem proprietáte distíncti, sic fuíssent naturárum quoque diversitáte discréti. Sed quia in illo uno vero Deo Trinitáte, non solum quod unus Deus est, sed étiam quod Trínitas est, naturáliter verum est; proptérea ipse verus Deus in persónis Trínitas est, et in una natúra unus est.

℟. Tibi laus, tibi glória, tibi gratiárum áctio in sæcula sempitérna, * O beáta Trínitas. ℣. Et benedíctum nomen glóriæ tuæ sanctum : et laudábile et superexaltátum in sæcula. — O beáta.

Lectio vi

PER hanc unitátem naturálem totus Pater in Fílio et Spíritu Sancto est, totus Fílius in Patre et Spíritu Sancto est, totus quoque Spíritus Sanctus in Patre et Fílio. Nullus horum extra quémlibet ipsórum est : quia nemo álium aut præcédit ætérnitáte, aut excédit magnitúdine, aut súperat potestáte : quia nec Fílio nec Spíritu Sancto, quantum ad natúræ divínæ unitátem pértinet, aut antérior aut major Pater est; nec Fílii ætérnitas atque imménsitas, velut antérior aut major, Spíritus Sancti immensitátem ætérnitatémque aut præcédere aut excédere naturáliter potest.

℟. Magnus Dóminus, et laudábilis nimis : * Et sapiéntiæ ejus non est númerus. ℣. Magnus Dóminus, et magna virtus ejus : et sapiéntiæ ejus non est finis. — Et sapiéntiæ. Glória Patri. Et sapiéntiæ.

In III Nocturno

Ant. Cáritas * Pater est, grátia Fílius, communicátio Spíritus Sanctus, o beáta Trínitas.

Psalmus 95

CAntáte Dómino cánticum novum : * cantáte Dómino, omnis terra.

Cantáte Dómino, et benedícite nómini ejus : * annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter gentes glóriam ejus, * ín ómnibus pópulis mirabília ejus.

Quóniam magnus Dóminus, et laudábilis nimis : * terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii géntium dæmónia : * Dóminus autem cælos fecit.

Conféssio, et pulchritúdo in conspéctu ejus : * sanctimónia et magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afférte Dómino, pátriæ géntium, afférte Dómino glóriam et honórem : * afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, et introíte in átria ejus : * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur a fácie ejus univérsa terra : * dícite in géntibus quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terræ qui non commovébitur : * judicábit pópulos in æquitáte.

Læténtur cæli, et exsúltet terra : commoveátur mare, et plenitúdo ejus : * gaudébunt campi, et ómnia quæ in eis sunt.

Tunc exsultábunt ómnia ligna silvárum a fácie Dómini, quia venit : * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte, * et pópulos in veritáte sua.

Ant. Cáritas Pater est, grátia Fílius, communicátio Spíritus Sanctus, o beáta Trínitas.

Ant. Verax est * Pater, véritas Fílius, véritas Spíritus Sanctus, o beáta Trínitas.

Psalmus 96

DOminus regnávit, exsúltet terra : * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes, et calígo in circúitu ejus : * justítia, et judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet, * et inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ : * vidit, et commóta est terra.

Montes, sicut cera fluxérunt a fácie Dómini : * a fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cæli justítiam ejus : * et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes, qui adórant sculptilia : * et qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum, omnes Angeli ejus : * audívit, et lætáta est Sion.

Et exsultavérunt fíliæ Judæ, * propter judícia tua, Dómine.

Quóniam tu Dóminus Altíssimus super omnem terram : * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum : * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde lætítia.

Lætámini, justi, in Dómino : * et confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

Ant. Verax est Pater, véritas Fílius, véritas Spíritus Sanctus, o beáta Trínitas.

Ant. Pater, * et Fílius, et Spíritus Sanctus una substántia est, o beáta Trínitas.

Psalmus 97

CAntáte Dómino cánticum novum : * quia mirabília fecit.

Salvávit sibi déxtera ejus : * et bráchium sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus salutáre suum : * in conspéctu géntium revelávit justítiam suam.

Recordátus est misericórdiæ suæ, * et veritátis suæ dómui Israël.

Vidérunt omnes términi terræ * salutáre Dei nostri.

Jubiláte Deo, omnis terra : * cantáte, et exsultáte, et psállite.

Psállite Dómino in cíthara, in cíthara et voce psalmi : * in tubis ductílibus, et voce tubæ córneæ.

Jubiláte in conspéctu regis Dómini : * moveátur mare, et plenitúdo ejus : orbis terrárum, et qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, simul montes exsultábunt a conspéctu Dómini : * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in justítia, * et pópulos in æquitáte.

Ant. Pater, et Fílius, et Spíritus Sanctus una substántia est, o beáta Trínitas.

℣. Verbo Dómini cæli firmáti sunt. ℟. Et Spíritu

oris ejus omnis virtus eórum.

Léctio sancti Evangélii
secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 28, 18-20

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Data est mihi omnis potéstas in cælo et in terra. Eúntes ergo docéte omnes gentes, baptizántes eos in nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti. Et réliqua.

Homilia sancti Gregórii
Nazianzéni
Tractatus de fide,
post initium

QUis catholicórum ignórat Patrem vere esse Patrem, Fílium vere esse Fílium, et Spíritum Sanctum vere esse Spíritum Sanctum? sicut ipse Dóminus ad Apóstolos suos dicit : Eúntes baptizáte omnes gentes in nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti. Hæc est perfécta Trínitas in unitáte consístens, quam scílicet unius substántiæ profitémur. Non enim nos secúndum córporum conditiónem, divisiónem in Deo fácimus; sed secúndum divínæ natúræ poténtiam, quæ in matéria non est, et nóminum persónas vere constáre crédimus, et unitátem divinitátis esse testámur.

℟. Benedicámus Patrem, et Fílium cum Sancto Spíritu : * Laudémus et superexaltémus eum in sæcula. ℣. Benedíctus es, Dómine, in firmaménto cæli : et laudábilis et gloriósus in sæcula. — Laudémus.

Bened. Divínum auxílium.

Lectio viii

NEC extensiónem partis alicújus ex parte, ut quidam putavérunt, Dei Fílium dícimus : nec verbum sine re, velut sonum vocis, accípimus : sed tria nómina et tres persónas unius esse essántiæ, unius majestátis atque poténtiæ crédimus. Et ídeo unum Deum confitémur : quia únitas majestátis, plúrium vocábulo deos próhibet appellári. Dénique Patrem et Fílium cathólice nominámus; duos autem Deos dícere, nec póssumus, nec debémus. Non quod Fílius Dei Deus non sit, immo verus Deus de Deo vero; sed quia non aliúnde, quam de ipso uno Patre, Dei Fílium nóvimus, perínde unum Deum dícimus. Hoc enim Prophétæ, hoc Apóstoli tradidérunt; hoc ipse Dóminus dócuit, cum dicit : Ego et Pater unum sumus. Unum ad unitátem divinitátis, ut dixi, refert; Sumus autem, persónis assignat.

℟. Duo Séraphim clamábant alter ad álterum : * Sanctus, sanctus, sanctus Dóminus, Deus Sábaoth : * Plena est omni terra glória ejus. ℣. Tres sunt qui testimónium dant in cælo : Pater, Verbum, et Spíritus Sanctus; et hi tres unum sunt. — Sanctus. Glória Patri. Plena.

Bened. Per evangélica dicta.

Léctio sancti Evangélii
secúndum Lucam

Lectio ix Cap. 6, 36-42

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Estóte misericórdes, sicut et Pater vester miséricors est. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni
Epíscopi
Sermo 15 in Ev. Matthæi de
verbis Domini, post initium

DUO sunt ópera misericórdiæ, quæ nos líberant, quæ bréviter ipse Dóminus pósuit in Evangélio : Dimíttite, et dimittétur vobis; date, et dábitur vobis. Dimíttite, et dimittétur vobis, ad ignoscéndum pértinet : Date, et dábitur vobis, ad præstándum benefícium pértinet. Quod ait de ignoscéndo, et tu vis tibi ignósci quod peccas, et habes álium, cui tu possis ignóscere. Rursus, quod pértinet ad tribuéndum benefícium, petit te mendícus, et tu es Dei mendícus. Omnes enim, quando orámus, mendíci Dei sumus : ante jánuam magni Patrisfamílias stamus, immo et prostérnimur, súpplices ingemíscimus, áliquid voléntes accípere; et ipsum áliquid, ipse Deus est. Quid a te petit mendícus? Panem. Et tu quid petis a Deo, nisi Christum, qui dicit : Ego sum panis vivus, qui de cælo descéndi? Ignósci vobis vultis? ignóscite : Remíttite, et remittétur vobis. Accípere vultis? date, et dábitur vobis.

Te Deum laudámus. 7

AD LAUDES

Ant. 1 Glória tibi, Trínitas * æquális, una Déitas, et ante ómnia sæcula, et nunc et in perpétuum.

Psalmi de Dominica. 36

2 Laus et perénnis glória * Deo Patri, et Fílio, Sancto simul Paráclito, in sæculórum sæcula.

3 Glória laudis * résonet in ore ómnium, Patri, genitæque Proli, Spirítui Sancto páriter resúltet laude perénni.

4 Laus Deo Patri, * parilíque Proli, et tibi, Sancte, stúdio perénni, Spíritus, nostro résonet ab ore, omne per ævum.

5 Ex quo ómnia, * per quem ómnia, in quo ómnia : ipsi glória in sæcula.

Capitulum Rom. 11, 33

O Altitúdo divitiárum sapiéntiæ et sciéntiæ Dei : quam incomprehensibília sunt judícia ejus, et investigábiles viæ ejus!

Hymnus

TU, Trinitátis Unitas,
Orbem poténter quæ regis,
Atténde laudis cánticum,
Quod excubántes psállimus.

Ortus refúlget Lúcifer,
Præítque solem núntius :
Cadunt tenébræ nóctium :
Lux sancta nos illúminet.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc et per omne sæculum. Amen.

℣. Benedicámus Patrem et Fílium cum Sancto Spíritu. ℟. Laudémus et superexaltémus eum in sæcula.

Ad Bened. Ant. Benedícta sit * sancta creátrix et gubernátrix ómnium, sancta et indivídua Trínitas, nunc, et semper, et per infinita sæcula sæculórum.

Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, qui dedisti fámulis tuis in confessióne veræ fídei, ætérnæ Trinitátis glóriam agnóscere, et in poténtia majestátis adoráre Unitátem : quæsumus; ut, ejúsdem fídei firmitáte, ab ómnibus semper muniámur advérsis. Per Dóminum.

Et fit Commem. Dominicæ.

Ant. Estóte ergo misericórdes, sicut et Pater vester miséricors est, dicit Dóminus.

℣. Dóminus regnávit, decórem índuit. ℟. Induit Dóminus fortitúdinem, et præcínxit se virtúte.

Oratio

DEus, in te sperántium fortitúdo, adésto propítius invocatiónibus nostris : et quia sine te nihil potest mortális infirmitas, præsta auxílium grátiæ tuæ; ut in exsequéndis mandátis tuis, et voluntáte tibi et actióne placeámus. Per Dóminum.

Ad Horas Psalmi de Dominica, ad Primam tamen ut in Festis, addito Symbolo Quicúmque, ut in Psalterio. 44

AD TERTIAM

Capit. O altitúdo, ut supra.

℟. br. Benedicámus Patrem et Fílium * Cum Sancto Spíritu. Benedicámus. ℣. Laudémus et superexaltémus eum in sæcula. Cum. Glória Patri. Benedicámus.

℣. Benedíctus es, Dómine, in firmaménto cæli. ℟. Et laudábilis et gloriósus in sæcula.

AD SEXTAM

Ant. Glória laudis * résonet in ore ómnium, Patri, genitǽque Proli, Spirítui Sancto páriter resúltet laude perénni.

Capitulum 2 Cor. 13, 13

GRátia Dómini nostri Jesu Christi et cáritas Dei et communicátio Sancti Spíritus sit cum ómnibus vobis. Amen.

℟. br. Benedíctus es, Dómine, * In firmaménto cæli. Benedíctus. ℣. Et laudábilis et gloriósus in sæcula. In. Glória Patri. Benedíctus. ℣. Verbo Dómini cæli firmáti sunt. ℟. Et Spíritu oris ejus omnis virtus eórum.

AD NONAM

Ant. Ex quo ómnia, * per quem ómnia, in quo ómnia : ipsi glória in sæcula.

Capitulum 1 Joann. 5, 7

TRes sunt, qui testimónium dant in cælo : Pater, Verbum et Spíritus Sanctus; et hi tres unum sunt.

℟. br. Verbo Dómini * Cæli firmáti sunt. Verbo. ℣. Et Spíritu oris ejus omnis virtus eórum. Cæli. Glória Patri. Verbo.

℣. Sit nomen Dómini benedíctum. ℟. Ex hoc nunc, et usque in sæculum.

IN II VESPERIS

Antiphonæ et Capitulum de Laudibus 286; Psalmi de Dominica. 57

Hymnus

JAM sol recédit ígneus :
Tu, lux perénnis, Unitas,
Nostris, beáta Trínitas,
Infúnde amórem córdibus.

Te mane laudum cármine,
Te deprecámur véspere;
Dignéris ut te súpplices
Laudémus inter cælites.

* Patri, simúlque Fílio,
Tibíque, Sancte Spíritus,
Sicut fuit, sit júgiter
Sæclum per omne glória.
Amen.

℣. Benedíctus es, Dómine, in firmaménto cæli. ℟. Et laudábilis et gloriósus in sæcula.

Ad Magnif. Ant. Te Deum * Patrem ingénitum, te Fílium unigénitum, te Spíritum Sanctum Paráclitum, sanctam et indivíduam Trinitátem, toto corde et ore confitémur, laudámus, atque benedícimus : tibi glória in sæcula.

Oratio

OMnipotens sempitérne Deus, qui dedísti fámulis tuis in confessióne veræ fídei, ætérnæ Trinitátis glóriam agnóscere, et in poténtia majestátis adoráre Unitátem : quǽsumus; ut, ejúsdem fídei firmitáte, ab ómnibus semper muniámur advérsis. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Dominicæ.

Ant. Nolíte judicáre, ut non judicémini : in quo enim judício judicavéritis, judicabímini, dicit Dóminus.

℣. Dirigátur, Dómine, orátio mea. ℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Oratio

DEus, in te sperántium fortitúdo, adésto propítius invocatiónibus nostris : et quia sine te nihil potest mortális infírmitas, præsta auxílium grátiæ tuæ; ut in exsequéndis mandátis tuis, et voluntáte tibi et actióne placeámus. Per Dóminum.

Completorium de Dominica.

FERIA SECUNDA

Omnia dicuntur ut in Ordinario et Psalterio cum Oratione præcedentis Dominicæ Deus, in te, ut supra.

Hac nocte ponuntur libri Regum, de quibus legitur usque ad Sabbatum ante Dominicam I Augusti inclusive : si quid vero de his libris supersit, adveniente dicta Dominica, omittitur.

Incipit liber primus Regum

Lectio i Cap. 1, 1-11

FUit vir unus de Ramáthaim Sophim de monte Ephraim, et nomen ejus Elcana, fílius Jéroham, fílii Eliu, fílii Thohu, fílii Suph, Ephrathæus. Et hábuit duas uxóres, nomen uni Anna, et nomen secúndæ Phenénna. Fuerúntque Phenénnæ fílii, Annæ autem non erant líberi. Et ascendébat vir ille de civitáte sua, statútis diébus, ut adoráret et sacrificáret Dómino exercítuum in Silo. Erant autem ibi duo fílii Heli, Ophni et Phínees, sacerdótes Dómini.

Responsoria hujus Feriæ, si hac nocte dici non potuerint, ponuntur cum suis Lectionibus in Feria III aut IV, si hæ Lectiones in alterutra resumendæ sunt juxta Rubricas; secus omittantur.

℟. Præparáte corda vestra Dómino, et servíte illi soli : * Et liberábit vos de mánibus inimicórum vestrórum. ℣. Convertímini ad eum in toto corde vestro, et auférte deos aliénos de médio vestri. — Et.

Lectio ii

VEnit ergo dies, et immolávit Elcana, deditque Phenénnæ uxóri suæ, et cunctis fíliis ejus, et filiábus partes; Annæ autem dedit partem unam tristis, quia Annam diligébat; Dóminus autem conclúserat vulvam ejus. Affligébat quoque eam æmula ejus, et veheménter angébat, in tantum ut exprobráret quod Dóminus conclusísset vulvam ejus. Sicque faciébat per singulos annos, cum, redeúnte témpore, ascénderent ad templum Dómini, et sic provocábat eam. Porro illa flebat, et non capiébat cibum. Dixit ergo ei Elcana vir suus : Anna, cur fles? et quare non cómedis? et quam ob rem afflígitur cor tuum? Numquid non ego mélior tibi sum quam decem fílii?

℟. Deus ómnium exaudítor est : ipse misit Angelum suum, et tulit me de óvibus patris mei; * Et unxit me unctióne misericórdiæ suæ. ℣. Dóminus, qui erípuit me de ore leónis, et de manu béstiæ liberávit me. — Et unxit.

In Festis ritus simplicis : Glória Patri. Et.

Lectio iii

SUrréxit autem Anna, postquam coméderat et bíberat in Silo, et Heli sacerdóte sedénte super sellam ante postes templi Dómini. Cum esset Anna amáro ánimo, orávit ad Dóminum flens lárgiter, et votum vovit dicens : Dómine exercítuum, si respíciens víderis afflictiónem fámulæ tuæ, et recordátus mei fúeris, nec oblítus ancíllæ tuæ, dederísque servæ tuæ sexum vírilem, dabo eum Dómino ómnibus diébus vitæ ejus, et novácula non ascéndet super caput ejus.

℟. Dóminus, qui erípuit me de ore leónis, et de manu béstiæ liberávit me, * Ipse me erípiet de mánibus inimicórum meórum. ℣. Misit Deus misericórdiam suam et veritátem suam : ánimam meam erípuit de médio catulórum leónum. — Ipse. Glória Patri. Ipse.

FERIA TERTIA

De libro primo Regum

Lectio i Cap. 1, 12-28

FActum est autem, cum illa multiplicáret preces coram Dómino, ut Heli observáret os ejus. Porro Anna loquebátur in corde suo, tantúmque lábia illius movebántur, et vox pénitus non audiebátur. Æstimávit ergo eam Heli temuléntam dixítque ei : Usquequo ébria eris? Digere paulísper vinum, quo mades. Respóndens Anna,

Nequáquam, inquit, dómine mi; nam múlier infélix nimis ego sum, vinúmque et omne quod inebriáre potest, non bibi, sed effúdi ánimam meam in conspéctu Dómini. Ne réputes ancíllam tuam quasi unam de filiábus Bélial, quia ex multitúdine dolóris et mæróris mei locúta sum usque in præsens. Tunc Heli ait ei : Vade in pace, et Deus Israël det tibi petitiónem tuam, quam rogásti eum. Et illa dixit : Utinam invéniat ancílla tua grátiam in óculis tuis.

℟. Percússit Saul mille, et David decem míllia : * Quia manus Dómini erat cum illo; percússit Philisthæum, et ábstulit oppróbrium ex Israël. ℣. Nonne iste est David, de quo canébant in choro, dicéntes : Saul percússit mille, et David decem míllia? — Quia.

Lectio ii

ET ábiit múlier in viam suam et comédit, vultúsque illíus non sunt ámplius in divérsa mutáti. Et surrexérunt mane et adoravérunt coram Dómino, reversíque sunt et venérunt in domum suam Rámatha. Cognóvit autem Elcana Annam uxórem suam, et recordátus est ejus Dóminus. Et factum est post círculum diérum concépit Anna et péperit fílium vocavítque nomen ejus Sámuel, eo quod a Dómino postulásset eum. Ascéndit autem vir ejus Elcana et omnis domus ejus, ut immoláret Dómino hóstiam solémnem et votum suum, et Anna non ascéndit; dixit enim viro suo : Non vadam, donec ablactétur infans, et ducam eum, ut appáreat ante conspéctum Dómini et máneat ibi júgiter.

℟. Montes Gélboë, nec ros nec plúvia véniant super vos, * Ubi cecidérunt fortes Israël. ℣. Omnes montes, qui estis in circúitu ejus, vísitet Dóminus; a Gélboë autem tránseat. — Ubi.

In Octavis et Festis ritus simplicis : Glória Patri. Ubi.

Lectio iii

ET ait ei Elcana vir suus : Fac quod bonum tibi vidétur et mane donec ablactes eum : precórque ut ímpleat Dóminus verbum suum. Mansit ergo múlier et lactávit fílium suum, donec amovéret eum a lacte. Et addúxit eum secum, postquam ablactáverat, in vítulis tribus et tribus módiis farínæ et ámphora vini, et addúxit eum ad domum Dómini in Silo. Puer autem erat adhuc infántulus. Et immolavérunt vítulum et obtulérunt púerum Heli, et ait Anna : Obsecro, mi dómine, vivit ánima tua, dómine : ego sum illa múlier, quæ steti coram te hic orans Dóminum. Pro púero isto orávi, et dedit mihi Dóminus petitiónem meam quam postulávi eum. Idcírco et ego commodávi eum Dómino cunctis diébus, quibus fúerit commodátus Dómino. Et adoravérunt ibi Dóminum.

℟. Ego te tuli de domo patris tui, dicit Dóminus, et pósui te páscere gregem pópuli mei : * Et fui tecum in ómnibus, ubicúmque ambulásti, firmans regnum tuum in ætérnum. ℣. Fecíque tibi nomen grande, juxta nomen magnórum, qui sunt in terra : et réquiem dedi tibi ab ómnibus inimícis tuis. — Et. Glória Patri. Et.

FERIA QUARTA

De libro primo Regum

Lectio i Cap. 2, 12-21

PORro fílii Heli, fílii Bélial, nesciéntes Dóminum neque offícium sacerdótum ad pópulum, sed quicúmque immolásset víctimam, veniébat puer sacerdótis dum coqueréntur carnes et habébat fuscínulam tridéntem in manu sua et mittébat eam in lebétem vel in caldáriam aut in ollam sive in cácabum, et omne quod levábat fuscínula tollébat sacérdos sibi. Sic faciébant univérso Israéli veniéntium in Silo.

℟. Peccávi super númerum arénæ maris, et multiplicáta sunt peccáta mea; et non sum dignus vidére altitúdinem cæli præ multitúdine iniquitátis meæ : quóniam irritávi iram tuam, * Et malum coram te feci. ℣. Quóniam iniquitátem meam ego cognósco : et delíctum meum contra me est semper, quia tibi soli peccávi. — Et.

Lectio ii

ETiam, ántequam adoléret ádipem, veniébat puer sacerdótis et dicébat immolánti : Da mihi carnem ut coquam sacerdóti; non enim accípiam a te carnem coctam sed crudam. Dicebátque illi ímmolans : Incendátur primum juxta morem hódie adeps, et tolle tibi quantumcúmque desíderat ánima tua. Qui respóndens aiébat ei : Nequáquam; nunc enim dabis, alióquin tollam vi. Erat ergo peccátum puerórum grande nimis coram Dómino, quia retrahébant hómines a sacrifício Dómini.

℟. Exaudísti, Dómine, oratiónem servi tui, ut ædificárem templum nómini tuo : * Bénedic et sanctífica domum istam in sempitérnum, Deus Israël. ℣. Dómine, qui custódis pactum cum servis tuis, qui ámbulant coram te in toto corde suo. — Bénedic.

In Octavis et Festis ritus simplicis : Glória Patri. Bénedic.

Lectio iii

SAmuel autem ministrábat ante fáciem Dómini, puer accínctus ephod líneo. Et túnicam parvam faciébat ei mater sua, quam afferébat statútis diébus ascéndens cum viro suo ut immoláret hóstiam solémnem. Et benedíxit Heli Elcanæ et uxóri ejus dixítque ei : Reddat tibi Dóminus semen de muliére hac, pro fænore, quod commodásti Dómino. Et abiérunt in locum suum. Visitávit ergo Dóminus Annam, et concépit et péperit tres fílios et duas fílias. Et magnificátus est puer Sámuel apud Dóminum.

℟. Audi, Dómine, hymnum et oratiónem, quam servus tuus orat coram te hódie : ut sint óculi tui apérti, et aures tuæ intentæ, * Super domum istam die ac nocte. ℣. Réspice, Dómine, de sanctuário tuo, et de excélso cælórum habitáculo. — Super. Glória Patri. Super.

Vesperæ de sequenti.

FERIA QUINTA

In Festo Ssmi Corporis Christi

DUPLEX I CLASSIS

CUM OCTAVA PRIVILEGIATA II ORDINIS

IN I VESPERIS

Ant. Sacérdos in ætérnum * Christus Dóminus secúndum órdinem Melchísedech, panem et vinum óbtulit.

Psalmus 109

DIxit Dóminus Dómino meo : * Sede a dextris meis :

Donec ponam inimícos tuos, * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion : * dominâre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum : * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum : * Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

Dóminus a dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas : * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet : * proptérea exaltábit caput.

Ant. Sacérdos in ætérnum Christus Dóminus secúndum órdinem Melchísedech, panem et vinum óbtulit.

Ant. Miserátor Dóminus * escam dedit timéntibus se in memóriam suórum mirabílium.

Psalmus 110

CONfitébor tibi, Dómine, in toto corde meo : * in consílio justórum, et congregatióne.

Magna ópera Dómini : * exquisíta in omnes voluntátes ejus.

Conféssio et magnificéntia opus ejus : * et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Memóriam fecit mirabílium suórum, miséricors et miserátor Dóminus : * escam dedit timéntibus se.

Memor erit in sæculum testaménti sui : * virtútem óperum suórum annuntiábit pópulo suo :

Ut det illis hereditátem géntium : * ópera mánuum ejus véritas, et judícium.

Fidélia ómnia mandáta ejus : confirmáta in sæculum sæculi, * facta in veritáte et æquitáte.

Redemptiónem misit pópulo suo : * mandávit in ætérnum testaméntum suum.

Sanctum, et terríbile nomen ejus : * inítium sapiéntiæ timor Dómini.

Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum : * laudátio ejus manet in sæculum sæculi.

Ant. Miserátor Dóminus escam dedit timéntibus se in memóriam suórum mirabílium.

Ant. Cálicem salutáris * accípiam : et sacrificábo hóstiam laudis.

Psalmus 115

CRédidi, propter quod locútus sum : * ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo : * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino, * pro ómnibus, quæ retríbuit mihi?

Cálicem salutáris accípiam : * et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus : * pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus :

O Dómine, quia ego servus tuus : * ego servus tuus, et fílius ancíllæ tuæ.

Dirupísti víncula mea : * tibi sacrificábo hóstiam laudis, et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli ejus : * in átriis domus Dómini, in médio tui, Jerúsalem.

Ant. Cálicem salutáris accípiam : et sacrificábo hóstiam laudis.

Ant. Sicut novéllæ olivárum, * Ecclésiæ fílii sint in circúitu mensæ Dómini.

Psalmus 127

BEáti omnes, qui timent Dóminum, * qui ámbulant in viis ejus.

Labóres mánuum tuárum quia manducábis : * beátus es, et bene tibi erit.

Uxor tua sicut vitis abúndans, * in latéribus domus tuæ.

Fílii tui sicut novéllæ olivárum, * in circúitu mensæ tuæ.

Ecce, sic benedicétur homo, * qui timet Dóminum.

Benedícat tibi Dóminus ex Sion : * et vídeas bona Jerúsalem ómnibus diébus vitæ tuæ.

Et vídeas filios filiórum tuórum, * pacem super Israël.

Ant. Sicut novéllæ olivárum, Ecclésiæ fílii sint in circúitu mensæ Dómini.

Ant. Qui pacem * ponit fines Ecclésiæ, fruménti ádipe sátiat nos Dóminus.

Psalmus 147

LAuda, Jerúsalem, Dóminum : * lauda Deum tuum, Sion.

Quóniam confortávit seras portárum tuárum : * benedíxit fíliis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pacem : * et ádipe fruménti sátiat te.

Qui emíttit elóquium suum terræ : * velóciter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam : * nébulam sicut cínerem spargit.

Mittit crystállum suam sicut buccéllas : * ante fáciem frígoris ejus quis sustinébit?

Emíttet verbum suum, et liquefáciet ea : * flabit spíritus ejus, et fluent aquæ.

Qui annúntiat verbum suum Jacob : * justítias, et judícia sua Israël.

Non fecit táliter omni natióni : * et judícia sua non manifestávit eis.

Ant. Qui pacem ponit fines Ecclésiæ, fruménti ádipe sátiat nos Dóminus.

Capit. 1 Cor. 11, 23-24

FRatres : Ego enim accépi a Dómino, quod et trádidi vobis, quóniam Dóminus Jesus, in qua nocte tradebátur, accépit panem, et grátias agens fregit, et dixit : Accípite et manducáte; hoc est corpus meum, quod pro vobis tradétur : hoc fácite in meam commemoratiónem.

Hymnus

PAnge, lingua, gloriósi
Córporis mystérium,
Sanguinísque pretiósi,
Quem in mundi prétium
Fructus ventris generósi
Rex effúdit géntium.

Nobis datus, nobis natus
Ex intácta Vírgine,
Et in mundo conversátus,
Sparso verbi sémine,
Sui moras incolátus
Miro clausit órdine.

In suprémæ nocte cœnæ
Recúmbens cum frátribus,
Observáta lege plene
Cibis in legálibus,
Cibum turbæ duodénæ
Se dat suis mánibus.

Verbum caro, panem verum
Verbo carnem éfficit;
Fitque sanguis Christi merum;
Et si sensus déficit,
Ad firmándum cor sincérum
Sola fides súfficit.

¶ Sequens stropha, si coram Sanctissimo exposito Officium persolvatur, dicitur flexis genibus.

Tantum ergo Sacraméntum
Venerémur cérnui;
Et antíquum documéntum
Novo cedat rítui;
Præstet fides suppleméntum
Sénsuum defectui.
Genitóri, Genitóque
Laus et jubilátio,
Salus, honor, virtus quoque
Sit et benedíctio :
Procedénti ab utróque
Compar sit laudátio.
Amen.

℣. Panem de cælo præstitísti eis, allelúja. ℟. Omne delectaméntum in se habéntem, allelúja.

In I Vesperis

Ad Magnif. Ant. O quam suávis est, * Dómine, spíritus tuus, qui, ut dulcédinem tuam in fílios demonstráres, pane suavíssimo de cælo præstito, esuriéntes reples bonis, fastidiósos dívites dimíttens inánes.

In II Vesperis

Ad Magnif. Ant. O sacrum convívium, * in quo Christus súmitur; recólitur memória passiónis ejus; mens implétur grátia; et futúræ glóriæ nobis pignus datur, allelúja.

Oratio

DEus, qui nobis sub Sacraménto mirábili passiónis tuæ memóriam reliquísti : tríbue, quæsumus, ita nos córporis et sánguinis tui sacra mystéria venerári; ut redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter sentiámus : Qui vivis.

Completorium de Dominica.

Conclusio Hymnorum per totam Octavam erit :

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

AD MATUTINUM

Invit. Christum Regem adorémus dominántem géntibus : * Qui se manducántibus dat spíritus pinguédinem. Ps. 94 Veníte. 3

Hymnus

SAcris solémniis juncta sint gáudia,
Et ex præcórdiis sonent præcónia;
Recédant vétera, nova sint ómnia,
Corda, voces et ópera.

Noctis recólitur cœna novíssima,
Qua Christus créditur agnum et ázyma
Dedísse frátribus, juxta legítima
Priscis indúlta pátribus.

Post agnum týpicum, explétis épulis,
Corpus Domínicum datum discípulis,
Sic totum ómnibus, quod totum síngulis,
Ejus fatémur mánibus.

Dedit fragílibus córporis férculum,
Dedit et trístibus sánguinis póculum,
Dicens : Accípite quod trado vásculum;
Omnes ex eo bíbite.

Sic sacrifícium istud instítuit,
Cujus offícium commítti vóluit
Solis presbýteris, quibus sic cóngruit,
Ut sumant, et dent céteris.

Panis angélicus fit panis hóminum;
Dat panis cælicus figúris términum;
O res mirábilis : mandúcat Dóminum
Pauper, servus et húmilis.

Te, trina Déitas únaque, póscimus :
Sic nos tu vísita, sicut te cólimus;
Per tuas sémitas duc nos quo téndimus,
Ad lucem, quam inhábitas. Amen.

In I Nocturno

Ant. Fructum salutíferum * gustándum dedit Dóminus mortis suæ témpore.

Psalmus 1

BEátus vir, qui non ábiit in consílio impiórum, et in via peccatórum non stetit, * et in cáthedra pestilentiæ non sedit :

Sed in lege Dómini volúntas ejus, * et in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantátum est secus decúrsus aquárum, * quod fructum suum dabit in témpore suo :

Et fólium ejus non défluet : * et ómnia quæcúmque fáciet, prosperabúntur.

Non sic ímpii, non sic : * sed tamquam pulvis, quem projicit ventus a fácie terræ.

Ideo non resúrgent ímpii in judício : * neque peccatóres in concílio justórum.

Quóniam novit Dóminus viam justórum : * et iter impiórum períbit.

Ant. Fructum salutíferum gustándum dedit Dóminus mortis suæ témpore.

Ant. A fructu fruménti * et vini multiplicáti fidéles in pace Christi requiéscunt.

Psalmus 4

CUM invocárem exaudívit me Deus justítiæ meæ : * in tribulatióne dilatásti mihi.

Miserére mei, * et exáudi oratiónem meam.

Fílii hóminum, úsquequo gravi corde? * ut quid dilígitis vanitátem, et quæritis mendácium?

Et scitóte quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum : * Dóminus exáudiet me cum clamávero ad eum.

Irascimini, et nolíte peccáre : * quæ dícitis in córdibus vestris, in cubilibus vestris compungímini.

Sacrificáte sacrifícium justítiæ, et speráte in Dómino. * Multi dicunt : Quis osténdit nobis bona?

Signátum est super nos lumen vultus tui, Dómine : * dedísti lætítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini, et ólei sui * multiplicáti sunt.

In pace in idípsum * dórmiam, et requiéscam;

Quóniam tu, Dómine, singuláriter in spe * constituísti me.

Ant. A fructu fruménti et vini multiplicáti fidéles in pace Christi requiéscunt.

Ant. Communióne cálicis, * quo Deus ipse súmitur, non vitulórum sánguine, congregávit nos Dóminus.

Psalmus 15

CONsérva me, Dómine, quóniam sperávi in te. * Dixi Dómino : Deus meus es tu, quóniam bonórum meórum non eges.

Sanctis, qui sunt in terra ejus, * mirificávit omnes voluntátes meas in eis.

Multiplicátæ sunt infirmitátes eórum : * póstea acceleravérunt.

Non congregábo conventícula eórum de sanguínibus, * nec memor ero nóminum eórum per lábia mea.

Dóminus pars hereditátis meæ, et cálicis mei : * tu es, qui restítues hereditátem meam mihi.

Funes cecidérunt mihi in præcláris : * étenim heréditas mea præclára est mihi.

Benedícam Dóminum, qui tríbuit mihi intellléctum : * ínsuper et usque ad noctem increpuérunt me renes mei.

Providébam Dóminum in conspéctu meo semper : * quóniam a dextris est mihi, ne commóvear.

Propter hoc lætátum est cor meum, et exsultávit lingua mea : * ínsuper et caro mea requiéscet in spe.

Quóniam non derelínques ánimam meam in inférno :*

nec dabis sanctum tuum vidére corruptiónem.

Notas mihi fecísti vias vitæ, adimplébis me lætítia cum vultu tuo : * delectatiónes in déxtera tua usque in finem.

Ant. Communióne cálicis, quo Deus ipse súmitur, non vitulórum sánguine, congregávit nos Dóminus.

℣. Panem cæli dedit eis, allelúja. ℟. Panem Angelórum manducávit homo, allelúja.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios

Lectio i Cap. 11, 20-32

Convenientibus vobis in unum, jam non est Domínicam cœnam manducáre. Unusquísque enim suam cœnam præsúmit ad manducándum. Et álius quidem ésurit, álius autem ébrius est. Numquid domos non habétis ad manducándum et bibéndum? aut Ecclésiam Dei contémnitis, et confúnditis eos, qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos? In hoc non laudo.

℟. Immolábit hædum multitúdo filiórum Israël ad vésperam Paschæ : * Et edent carnes et ázymos panes. ℣. Pascha nostrum immolátus est Christus : ítaque epulémur in ázymis sinceritátis et veritátis. — Et.

Lectio ii

EGO enim accépi a Dómino, quod et trádidi vobis, quóniam Dóminus Jesus, in qua nocte tradebátur, accépit panem, et grátias agens fregit, et dixit : Accípite, et manducáte; hoc est corpus meum, quod pro vobis tradétur : hoc fácite in meam commemoratiónem. Simíliter et cálicem, postquam cœnávit, dicens : Hic calix novum testaméntum est in meo sánguine; hoc fácite, quotiescúmque bibétis, in meam commemoratiónem. Quotiescúmque enim manducábitis panem hunc, et cálicem bibétis, mortem Dómini annuntiábitis, donec véniat.

℟. Comedétis carnes, et saturabímini pánibus : * Iste est panis, quem dedit vobis Dóminus ad vescéndum. ℣. Non Móyses dedit vobis panem de cælo, sed Pater meus dat vobis panem de cælo verum. — Iste.

Lectio iii

ITaque quicúmque manducáverit panem hunc, vel bíberit cálicem Dómini indígne, reus erit córporis et sánguinis Dómini. Probet autem seipsum homo : et sic de pane illo edat, et de cálice bibat. Qui enim mandúcat et bibit indigne, judícium sibi mandúcat et bibit, non dijúdicans corpus Dómini. Ideo inter vos multi infirmi et imbecilles, et dórmiunt multi. Quod si nosmetipsos dijudicarémus, non útique judicarémur. Dum judicámur autem, a Dómino corripimur, ut non cum hoc mundo damnémur.

℟. Respéxit Elias ad caput suum subcinericium panem; qui surgens comédit et bibit : * Et ambulávit in fortitúdine cibi illíus usque ad montem Dei. ℣. Si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum. — Et. Glória Patri. Et.

In II Nocturno

Ant. Memor sit Dóminus * sacrificii nostri : et holocáustum nostrum pingue fiat.

Psalmus 19

Xáudiat te Dóminus in die tribulatiónis : * prótegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxílium de sancto : * et de Sion tueátur te.

Memor sit omnis sacrifícii tui : * et holocáustum tuum pingue fiat.

Tribuat tibi secúndum cor tuum : * et omne consílium tuum confírmet.

Lætábimur in salutári tuo : * et in nómine Dei nostri magnificábimur.

Impleat Dóminus omnes petitiónes tuas : * nunc cognóvi quóniam salvum fecit Dóminus Christum suum.

Exáudiet illum de cælo sancto suo : * in potentátibus salus déxteræ ejus.

Hi in cúrribus, et hi in equis : * nos autem in nómine Dómini, Dei nostri, invocábimus.

Ipsi obligáti sunt, et cecidérunt : * nos autem surréximus et erécti sumus.

Dómine, salvum fac regem : * et exáudi nos in die, qua invocavérimus te.

Ant. Memor sit Dóminus sacrifícii nostri : et holocáustum nostrum pingue fiat.

Ant. Parátur * nobis mensa Dómini advérsus omnes, qui tribulant nos.

Psalmus 22

DOminus regit me, et nihil mihi déerit : * in loco páscuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me : * ánimam meam convértit.

Dedúxit me super sémitas justítiæ, * propter nomen suum.

Nam, et si ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala : * quóniam tu mecum es.

Virga tua, et báculus tuus : * ipsa me consoláta sunt.

Parásti in conspéctu meo mensam, * advérsus eos, qui tríbulant me.

Impinguásti in óleo caput meum : * et calix meus inébrians quam præclárus est!

Et misericórdia tua subsequétur me * ómnibus diébus vitæ meæ :

Et ut inhábitem in domo Dómini, * in longitúdinem diérum.

Ant. Parátur nobis mensa Dómini advérsus omnes, qui tríbulant nos.

Ant. In voce exsultatiónis * résonent epulántes in mensa Dómini.

Psalmus 41

QUemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum : * ita desíderat ánima mea ad te, Deus.

Sitívit ánima mea ad Deum fortem vivum : * quando véniam, et appárebo ante fáciem Dei?

Fuérunt mihi lácrimæ meæ panes die ac nocte : * dum dícitur mihi quotídie : Ubi est Deus tuus?

Hæc recordátus sum, et effúdi in me ánimam meam : * quóniam transíbo in locum tabernáculi admirábilis, usque ad domum Dei.

In voce exsultatiónis, et confessiónis : * sonus epulántis.

Quare tristis es, ánima mea? * et quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultus mei, et Deus meus.

Ad meípsum ánima mea conturbáta est : * propterea memor ero tui de terra Jordánis, et Hermóniim a monte módico.

Abýssus abýssum ínvocat, * in voce cataractárum tuárum.

Omnia excélsa tua, et fluctus tui * super me transiérunt.

In die mandávit Dóminus misericórdiam suam : * et nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitæ meæ, * dicam Deo : Susceptor meus es.

Quare oblítus es mei? * et quare contristátus incédo, dum afflígit me inimícus?

Dum confringúntur ossa mea, * exprobravérunt mihi qui tríbulant me inimíci mei.

Dum dicunt mihi per síngulos dies : Ubi est Deus tuus? * quare tristis es, ánima mea? et quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultus mei, et Deus meus.

Ant. In voce exsultatiónis résonent epulántes in mensa Dómini.

℣. Cibávit illos ex ádipe fruménti, allelúja. ℟. Et de petra, melle saturávit eos, allelúja.

Sermo sancti Thomæ Aquinátis

Opusculum 57

Lectio iv

Mménsa divínæ largitátis benefícia, exhíbita pópulo christiáno, inæstimábilem ei cónferunt dignitátem. Neque enim est, aut fuit aliquándo tam grandis nátio, quæ hábeat deos appropinquántes sibi, sicut adest nobis Deus noster. Unigénitus síquidem Dei Fílius, suæ divinitátis volens nos esse partícipes, natúram nostram assúmpsit, ut hómines deos fáceret factus homo. Et hoc ínsuper, quod de nostro assúmpsit, totum nobis cóntulit ad salútem. Corpus namque suum pro nostra reconciliatióne in ara crucis hóstiam óbtulit Deo Patri, sánguinem suum fudit in prétium simul et lavácrum; ut redémpti a miserábili servitúte, a peccátis ómnibus mandarémur. Ut autem tanti benefícii jugis in nobis manéret memória, corpus suum in cibum, et sánguinem suum in potum, sub spécie panis et vini suméndum fidélibus derelíquit.

℟. Cœnántibus illis, accépit Jesus panem, et benedíxit, ac fregit, dedítque discípulis suis, et ait : * Accípite et comédite; hoc est corpus meum. ℣. Dixérunt viri tabernáculi mei : Quis det de cárnibus ejus, ut saturémur? — Accípite.

Lectio v

O Pretiósum et admirándum convívium, salutíferum et omni suavitáte replétum! Quid enim hoc convívio pretiósius esse potest? in quo non carnes vitulórum et hircórum, ut olim in lege, sed nobis Christus suméndus propónitur verus Deus. Quid hoc Sacraménto mirabílius? In ipso namque panis et vinum in Christi corpus et sánguinem substantiáliter convertúntur; ideóque Christus, Deus et homo perféctus, sub módici panis et vini spécie continétur. Manducátur ítaque a fidélibus, sed mínime lacerátur; quinímmo, divíso Sacraménto, sub

quálibet divisiónis partícula ínteger persevérat. Accidéntia autem sine subjécto in eódem subsístunt, ut fides locum hábeat, dum visíbile invisibíliter súmitur aliéna spécie occultátum; et sensus a deceptióne reddántur immúnes, qui de accidéntibus júdicant sibi notis.

℟. Accépit Jesus cálicem, postquam cœnávit, dicens : Hic calix novum testaméntum est in meo sánguine : * Hoc fácite in meam commemoratiónem. ℣. Memória memor ero, et tabéscet in me ánima mea. — Hoc.

Lectio vi

NUllum étiam sacraméntum est isto salúbrius, quo purgántur peccáta, virtútes augéntur, et mens ómnium spirituálium charísmatum abundántia impinguátur. Offértur in Ecclésia pro vivis et mórtuis, ut ómnibus prosit, quod est pro salúte ómnium institútum. Suavitátem dénique hujus Sacraménti nullus exprímere súffícit, per quod spirituális dulcédo in suo fonte gustátur; et recólitur memória illíus, quam in sua passióne Christus monstrávit, excellentíssimæ caritátis. Unde, ut árctius hujus caritátis imménsitas fidélium córdibus infigerétur, in última cœna, quando, Pascha cum discípulis celebráto, transitúrus erat de hoc mundo ad Patrem, hoc Sacraméntum instítuit, tamquam passiónis suæ memoriále perénne, figurárum véterum impletívum, miraculórum ab ipso factórum máximum; et de sua contristátis abséntia solátium singuláre relíquit.

℟. Ego sum panis vitæ; patres vestri manducavérunt manna in desérto, et mórtui sunt : * Hic est panis de cælo descéndens, ut, si quis ex ipso mandúcet, non moriátur. ℣. Ego sum panis vivus, qui de cælo descéndi : si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum. — Hic. Glória Patri. Hic.

In III Nocturno

Ant. Introíbo * ad altáre Dei : sumam Christum, qui rénovat juventútem meam.

Psalmus 42

Udica me, Deus, et discérne causam meam de gente non sancta, * ab hómine iníquo, et dolóso érue me.

Quia tu es, Deus, fortitúdo mea : * quare me repulísti? et quare tristis incédo, dum afflígit me inimícus?

Emítte lucem tuam et veritátem tuam : * ipsa me deduxérunt, et adduxérunt in montem sanctum tuum, et in tabernácula tua.

Et introíbo ad altáre Dei : * ad Deum, qui lætíficat juventútem meam.

Confitébor tibi in cíthara, Deus, Deus meus : * quare tristis es, ánima mea? et quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultus mei, et Deus meus.

Ant. Introíbo ad altáre Dei : sumam Christum, qui rénovat juventútem meam.

Ant. Cibávit nos Dóminus * ex ádipe fruménti : et de petra, melle saturávit nos.

Psalmus 80

EXsultáte Deo, adjutóri nostro : * jubiláte Deo Jacob.

Súmite psalmum, et date týmpanum : * psaltérium jucúndum cum cíthara.

Buccináte in Neoménia tuba, * in insígni die solemnitátis vestræ.

Quia præcéptum in Israël est : * et judícium Deo Jacob.

Testimónium in Joseph pósuit illud, cum exíret de terra Ægypti : * linguam, quam non nóverat, audívit.

Divértit ab onéribus dorsum ejus : * manus ejus in cóphino serviérunt.

In tribulatióne invocásti me, et liberávi te : * exaudívi te in abscóndito tempestátis : probávi te apud aquam contradictiónis.

Audi, pópulus meus, et contestábor te : * Israël, si audieris me, non erit in te deus recens, neque adorábis deum aliénum.

Ego enim sum Dóminus, Deus tuus, qui edúxi te de terra Ægypti : * diláta os tuum, et implébo illud.

Et non audívit pópulus meus vocem meam : * et Israël non inténdit mihi.

Et dimísi eos secúndum desidéria cordis eórum, * ibunt in adinventiónibus suis.

Si pópulus meus audísset me : * Israël si in viis meis ambulásset :

Pro níhilo fórsitan inimícos eórum humiliássem : * et super tribulántes eos misíssem manum meam.

Inimíci Dómini mentíti sunt ei : * et erit tempus eórum in sæcula.

Et cibávit eos ex ádipe fruménti : * et de petra, melle saturávit eos.

Ant. Cibávit nos Dóminus ex ádipe fruménti : et de petra, melle saturávit nos.

Ant. Ex altári tuo, * Dómine, Christum súmimus : in quem cor et caro nostra exsúltant.

Psalmus 83

QUam dilécta tabernácula tua, Dómine virtútum : * concupíscit, et déficit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum, et caro mea * exsultavérunt in Deum vivum.

Etenim passer invénit sibi domum : * et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altária tua, Dómine virtútum : * Rex meus, et Deus meus.

Beáti, qui hábitant in domo tua, Dómine : * in sæcula sæculórum laudábunt te.

Beátus vir, cujus est auxílium abs te : * ascensiónes in corde suo dispósuit, in valle lacrimárum in loco, quem pósuit.

Etenim benedictiónem dabit legislátor, ibunt de virtúte in virtútem : * vidébitur Deus deórum in Sion.

Dómine, Deus virtútum, exáudi oratiónem meam : * áuribus pércipe, Deus Jacob.

Protéctor noster, áspice, Deus : * et réspice in fáciem Christi tui :

Quia mélior est dies una in átriis tuis, * super míllia.

Elégi abjéctus esse in domo Dei mei : * magis quam habitáre in tabernáculis peccatórum.

Quia misericórdiam, et veritátem díligit Deus : * grátiam et glóriam dabit Dóminus.

Non privábit bonis eos, qui ámbulant in innocéntia : * Dómine virtútum, beátus homo, qui sperat in te.

Ant. Ex altári tuo, Dómine, Christum súmimus : in quem cor et caro nostra exsúltant.

℣. Edúcas panem de terra, allelúja. ℟. Et vinum lætíficet cor hóminis, allelúja.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem

Lectio vii Cap. 6, 56-59

IN illo témpore : Dixit Jesus turbis Judæórum : Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi

Tract. 26 in Joann., sub finem

QUM cibo et potu id áppetant hómines, ut neque esúriant, neque sítiant : hoc veráciter non præstat, nisi iste cibus et potus, qui eos, a quibus súmitur, immortáles et incorruptíbiles facit; id est, societas ipsa Sanctórum, ubi pax erit et únitas plena atque perfécta. Proptérea quippe, sicut étiam ante nos hoc intellexérunt hómines Dei, Dóminus noster Jesus Christus corpus et sánguinem suum in eis rebus commendávit, quæ ad unum áliquid redigúntur ex multis. Namque áliud in unum ex multis granis confícitur : áliud in unum ex multis ácinis cónfluit. Déniquejam expónit, quómodo id fiat, quod lóquitur; et quid sit manducáre corpus ejus, et sánguinem bíbere.

℟. Qui mandúcat meam carnem et bibit meum sánguinem, * In me manet, et ego in eo. ℣. Non est ália nátio tam grandis, quæ hábeat deos appropinquántes sibi, sicut Deus noster adest nobis. — In.

Bened. Divínum auxílium.

Lectio viii

QUI mandúcat carnem meam et bibit meum sánguinem, in me manet, et ego in illo. Hoc est ergo manducáre illam escam, et illum bíbere potum, in Christo manére, et illum manéntem in se habére. Ac per hoc, qui non manet in Christo, et in quo non manet Christus, proculdúbio nec mandúcat spiritáliter carnem ejus, nec bibit ejus sánguinem, licet carnáliter et visibíliter premat déntibus Sacraméntum córporis et sánguinis Christi : sed magis tantæ rei sacraméntum ad judícium sibi mandúcat et bibit, quia immúndus præsúmpsit ad Christi accédere Sacraménta, quæ áliquis non digne sumit, nisi qui mundus est; de quibus dícitur : Beáti mundo corde, quóniam ipsi Deum vidébunt.

℟. Misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem : * Et qui mandúcat me, vivet propter me. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus. — Et qui. Glória Patri. Et.

Lectio ix

SIcut, inquit, misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem : et qui mandúcat me, et ipse vivet propter me. Ac si díceret : Ut ego vivam propter Patrem, id est, ad illum tamquam ad majórem réferam vitam meam, exinanítio mea fecit, in qua me misit; ut autem quisquam vivat propter me, participátio facit, qua mandúcat me. Ego itaque humiliátus vivo propter Patrem : ille eréctus vivit propter me. Si autem ita dictum est, Vivo propter Patrem, quia ipse de illo, non ille de ipso est; sine detriménto æqualitátis dictum est. Nec tamen dicéndo, Et qui mandúcat me, et ipse vivet propter me; eámdem suam et nostram æqualitátem significávit, sed grátiam mediatóris osténdit.

Te Deum laudámus. 7

AD LAUDES

Ant. 1 Sapiéntia * ædificávit sibi domum, míscuit vinum et pósuit mensam, allelúja.

Psalmi de Dominica. 36

2 Angelórum esca * nutrivísti pópulum tuum, et panem de cælo præstitísti eis, allelúja.

3 Pinguis est panis * Christi, et præbébit delícias régibus, allelúja.

4 Sacerdótes sancti * incénsum et panes ófferunt Deo, allelúja.

5 Vincénti dabo * manna abscónditum, et nomen novum, allelúja.

Capit. 1 Cor. 11, 23-24

FRatres : Ego enim accépi a Dómino, quod et trádidi vobis, quóniam Dóminus Jesus, in qua nocte tradebátur, accépit panem, et grátias agens fregit, et dixit : Accípite et manducáte; hoc est corpus meum, quod pro vobis tradétur : hoc fácite in meam commemoratiónem.

Hymnus

VErbum supérnum pródiens,
Nec Patris linquens déxteram,
Ad opus suum éxiens,
Venit ad vitæ vésperam.

In mortem a discípulo
Suis tradéndus ǽmulis,
Prius in vitæ férculo
Se trádidit discípulis.

Quibus sub bina spécie
Carnem dedit et sánguinem;
Ut dúplicis substántiæ
Totum cibáret hóminem.

Se nascens dedit sócium,
Convéscens in edúlium,
Se móriens in prétium,
Se regnans dat in præmium.

O salutáris hóstia,
Quæ cæli pandis óstium,
Bella premunt hostília;
Da robur, fer auxílium.

¶ Sequens Conclusio numquam mutatur :

Uni trinóque Dómino
Sit sempitérna glória :
Qui vitam sine término
Nobis donet in pátria.
Amen.

℣. Pósuit fines tuos pacem, allelúja. ℟. Et ádipe

fruménti sátiat te, allelúja.

Ad Bened. Ant. Ego sum * panis vivus, qui de cælo descéndi : si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum, allelúja.

Oratio

DEus, qui nobis sub Sacraménto mirábili passiónis tuæ memóriam reliquísti : tríbue quæsumus, ita nos córporis et sánguinis tui sacra mystéria venerári; ut redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter sentiámus : Qui vivis.

Ad Horas Psalmi de Dominica, ad Primam tamen ut in Festis; et ad eam in ℟. br. dicitur ℣. Qui natus es de María Vírgine, per totam Octavam, etiam in Festis duplicibus I classis occurrentibus, quæ Versum proprium non habeant.

AD TERTIAM

Capit. Fratres, ut ad Laudes. 308

℟. br. Panem cæli dedit ei, * Allelúja, allelúja. Panem. ℣. Panem Angelórum manducávit homo. Allelúja, allelúja. Glória Patri. Panem cæli.

℣. Cibávit illos ex ádipe fruménti, allelúja. ℟. Et de petra, melle saturávit eos, allelúja.

AD SEXTAM

Capitulum 1 Cor. 11, 26

QUotiescúmque enim manducábitis panem hunc, et cálicem bibétis, mortem Dómini annuntiábitis, donec véniat.

℟. br. Cibávit illos ex ádipe fruménti, * Allelúja, allelúja. Cibávit. ℣. Et de petra, melle saturávit eos. Allelúja, allelúja. Glória Patri. Cibávit. ℣. Edúcas panem de terra, allelúja. ℟. Et vinum lætíficet cor hóminis, allelúja.

AD NONAM

Capitulum 1 Cor. 11, 27

QUicúmque manducáverit panem hunc, vel bíberit cálicem Dómini indígne, reus erit córporis et sánguinis Dómini.

℟. br. Edúcas panem de terra, * Allelúja, allelúja. Edúcas. ℣. Et vinum lætíficet cor hóminis. Allelúja. allelúja. Glória Patri. Edúcas. ℣. Pósuit fines tuos pacem, allelúja. ℟. Et ádipe fruménti sátiat te, allelúja.

IN II VESPERIS

Omnia ut in I Vesperis 294, præter sequentia :

℣. Panem de cælo præstitísti eis, allelúja. ℟. Omne delectaméntum in se habéntem, allelúja.

Ad Magnif. Ant. O sacrum convívium, * in quo Christus súmitur; recólitur memória passiónis ejus; mens implétur grátia; et futúræ glóriæ nobis pignus datur, allelúja.

Completorium de Dominica.

Infra Octavam et in die Octava omnia dicuntur ut in Festo, exceptis Lectionibus, quæ pro singulis diebus assignantur propriæ; et non dicitur ix Lectio alicujus Festi commemorati.

Feria VI infra Oct. Ssmi Corporis Christi

Semiduplex

In I Nocturno

De libro primo Regum

Lectio i Cap. 2, 27-36

Enit autem vir Dei ad Heli et ait ad eum : Hæc dicit Dóminus : Numquid non apérte revelátus sum dómui patris tui, cum essent in Ægýpto in domo Pharaónis? Et elégi eum ex ómnibus tribubus Israël mihi in sacerdótem, ut ascénderet ad altáre meum et adoléret mihi incénsum et portáret ephod coram me; et dedi dómui patris tui ómnia de sacrifíciis filiórum Israël. Quare calce abjecístis víctimam meam et múnera mea, quæ præcépi ut offerréntur in templo, et magis honorásti fílios tuos quam me, ut comederétis primitias omnis sacrificii Israël pópuli mei?

℟. Immolábit hædum multitúdo filiórum Israël ad vésperam Paschæ : * Et edent carnes et ázymos panes. ℣. Pascha nostrum immolátus est Christus : ítaque epulémur in ázymis sinceritátis et veritátis. — Et.

Lectio ii

PRoptérea ait Dóminus, Deus Israël : Loquens locútus sum, ut domus tua et domus patris tui minisráret in conspéctu meo usque in sempitérnum; nunc autem dicit Dóminus : Absit hoc a me; sed quicúmque glorificáverit me, glorificábo eum; qui autem contémnunt me, erunt ignóbiles. Ecce dies véniunt, et præcídam brachium tuum et bráchium domus patris tui, ut non sit senex in domo tua. Et vidébis æmulum tuum in templo, in univérsis prósperis Israël; et non erit senex in domo tua ómnibus diébus. Verúmtamen non áuferam pénitus virum ex te ab altári meo; sed ut defíciant óculi tui,

et tabéscat ánima tua, et pars magna domus tuæ moriétur, cum ad virílem ætátem vénerit.

℟. Comedétis carnes, et saturabímini pánibus : * Iste est panis, quem dedit vobis Dóminus ad vescéndum. ℣. Non Móyses dedit vobis panem de cælo, sed Pater meus dat vobis panem de cælo verum. — Iste.

Lectio iii

HOC autem erit tibi signum, quod ventúrum est duóbus fíliis tuis, Ophni et Phínees; in die uno moriéntur ambo. Et suscitábo mihi sacerdótem fidélem, qui juxta cor meum et ánimam meam fáciet; et ædificábo ei domum fidélem, et ambulábit coram Christo meo cunctis diébus. Futúrum est autem, ut, quicúmque remánserit in domo tua, véniat ut orétur pro eo, et ófferat nummum argénteum et tortam panis, dicátque : Dimitte me, óbsecro, ad unam partem sacerdotálem, ut cómedam buccéllam panis.

℟. Respéxit Elías ad caput suum subcinerícium panem; qui surgens comédit et bibit : * Et ambulávit in fortitúdine cibi illíus usque ad montem Dei. ℣. Si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum. — Et. Glória Patri.

In II Nocturno

De Sermóne sancti Thomæ Aquinátis

Idem Opusculum 57

Lectio iv



Convenit ítaque devotióni fidélium, solémniter recólere institutiónem tam salutíferi tamque mirábilis Sacraménti : ut ineffábilem modum divínæ præséntiæ in Sacraménto visíbili venerémur; et laudétur Deí poténtia, quæ in Sacraménto eódem tot mirabilia operátur; nec non et de tam salúbri tamque suávi beneficio exsolvántur Deo gratiárum débitæ actiónes. Verum etsi in die Cœnæ, quando Sacraméntum prædíctum nóscitur institútum, inter Missárum solémnia de institutióne ipsíus speciális méntio habeátur; totum tamen resíduum ejúsdem diéi offícium ad Christi passiónem pértinet, circa cujus veneratiónem Ecclésia illo témpore occupátur.

℟. Cœnántibus illis, accépit Jesus panem, et benedíxit, ac fregit, dedítque discípulis suis, et ait : * Accípite et comédite; hoc est corpus meum. ℣. Dixérunt viri taberná-

culi mei : Quis det de cárnibus ejus, ut saturémur? — Accípite et comédite; hoc est corpus meum.

Lectio v

UT autem íntegro celebritátis offício institutiónem tanti Sacraménti recóleret plebs fidélium, Románus Póntifex Urbánus quartus, hujus Sacraménti devotióne afféctus, pie státuit præfátæ institutiónis memóriam prima quinta féria post Octávam Pentecóstes a cunctis fidélibus celebrári; ut, qui per totum anni círculum hoc Sacraménto útimur ad salútem, ejus institutiónem illo témpore speciáliter recolámus, quo Spíritus Sanctus corda discipulórum edócuit ad plene cognoscénda hujus mystéria Sacraménti. Nam et in eódem témpore cœpit hoc Sacraméntum a fidélibus frequentári.

℟. Accépit Jesus cálicem, postquam cœnávit, dicens : Hic calix novum testaméntum est in meo sánguine : * Hoc fácite in meam commemoratiónem. ℣. Memória memor ero, et tabéscet in me ánima mea. — Hoc.

Lectio vi

UT autem prædícta quinta féria, et per Octávas sequéntes, ejus salutáris institutiónis honorificéntius agátur memória, et solémnitas de hoc celébrior habeátur : loco distributiónum materiálium, quæ in ecclésiis cathedrálibus largiúntur exsisténtibus Horis Canónicis, noctúrnis paritérque diúrnis, præfátus Románus Póntifex eis, qui hujúsmodi Horis in hac solemnitáte personáliter in ecclésiis interfúerint, stipéndia spirituália apostólica largitióne concéssit; quátenus per hæc fidéles ad tanti festi celebritátem avidius et copiósius convenírent.

℟. Ego sum panis vitæ; patres vestri manducavérunt manna in desérto, et mórtui sunt : * Hic est panis de cælo descéndens, ut, si quis ex ipso mandúcet, non moriátur. ℣. Ego sum panis vivus, qui de cælo descéndi : si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum. — Hic. Glória Patri. Hic.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem

Lectio vii Cap. 6. 56-59

IN illo témpore : Dixit Jesus turbis Judæórum : Caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus. Et réliqua.

De Homília sancti Augustini Epíscopi

Tractatus 27 in Joannem

ERba Dómini ex Evangélio, quæ sermónem prístinum consequúntur, audívimus. Hinc sermo debétur áuribus et méntibus vestris, et hodiérna die non importúnus est : est enim de córpore Dómini, quod dicébat se dare ad manducándum propter ætérnam vitam. Expósuit autem modum attributiónis hujus et doni sui, quómodo daret carnem suam manducáre, dicens : Qui manducat carnem meam et bibit sánguinem meum, in me manet, et ego in illo. Signum, quia manducávit et bibit, hoc est : si manet, et manétur; si hábitat, et inhabitátur; si hæret, ut non deserátur.

℟. Qui mandúcat meam carnem et bibit meum sánguinem * In me manet, et ego in eo. ℣. Non estália nátio tam grandis, quæ hábeat deos appropinquántes sibi, sicut Deus noster adest nobis. — In.

Lectio viii

HOC ergo nos dócuit et admónuit mýsticis verbis, ut simus in ejus córpore sub ipso cápite in membris ejus, edéntes carnem ejus, non relinquéntes unitátem ejus. Sed qui áderant, plures non intelligéndo scandalizáti sunt; non enim cogitábant, hæc audiéndo, nisi carnem, quod ipsi erant. Apóstolus autem dicit, et verum dicit : Sápere secúndum carnem, mors est. Carnem suam dat nobis Dóminus manducáre : et sápere secúndum carnem, mors est. Cum de carne sua dicat, quia ibi est vita ætérna; ergo nec carnem debémus sápere secúndum carnem, sicut in his verbis : Multi ítaque audiéntes, non ex inimícis, sed ex discípulis ejus, dixérunt : Durus est hic sermo, et quis potest eum audíre?

℟. Misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem : * Et qui mandúcat me, vivet propter me. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intellectus. — Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix

SI discípuli durum habuérunt istum sermónem, quid inimíci? Et tamen sic oportébat, ut dicerétur, quod non ab ómnibus intelligerétur. Secrétum Dei inténtos debet fácere, non advérsos : isti autem cito defecérunt, tália loquénte Dómino Jesu Christo. Non credidérunt

áliquid magnum dicéntem, et verbis illis áliquam grátiam cooperiéntem : sed prout voluérunt, ita intellexérunt, et more hóminum; quia póterat Jesus, aut hoc disponébat Jesus, carnem, qua indútum erat Verbum, véluti concísam, distribúere credéntibus in se. Durus est, ínquiunt, hic sermo : quis potest eum audíre?

Te Deum laudámus. 7

Sabbato infra Octavam Ssmi Corporis Christi

Semiduplex

In I Nocturno

De libro prímo Regum

Lectio i Cap. 3, 1-12

UEr autem Sámuel ministrábat Dómino coram Heli, et sermo Dómini erat pretiósus in diébus illis : non erat vísio manifésta. Factum est ergo in die quadam, Heli jacébat in loco suo, et óculi ejus caligáverant, nec póterat vidére. Lucérna Dei ántequam exstinguerétur, Sámuel dormiébat in témplo Dómini, ubi erat arca Dei. Et vocávit Dóminus Sámuel, qui respóndens ait : Ecce ego. Et cucúrrit ad Heli et dixit : Ecce ego; vocásti enim me. Qui dixit : Non vocávi; revértere et dormi. Et ábiit et dormívit. Et adjécit Dóminus rursum vocáre Samuélem. Consurgénsque Sámuel ábiit ad Heli, et dixit : Ecce ego, quia vocásti me. Qui respóndit : Non vocávi te, fili mi; revértere et dormi. Porro Sámuel necdum sciébat Dóminum, neque revelátus fúerat ei sermo Dómini.

℟. Immolábit hædum multitúdo filiórum Israël ad vésperam Paschæ : * Et edent carnes et ázymos panes. ℣. Pascha nostrum immolátus est Christus : ítaque epulémur in ázymis sinceritátis et veritátis. — Et.

Lectio ii

ET adjécit Dóminus et vocávit adhuc Samuélem tértio, qui consúrgens ábiit ad Heli et ait : Ecce ego, quia vocásti me. Intelléxit ergo Heli quia Dóminus vocáret púerum et ait ad Samuélem : Vade et dormi et, si deínceps vocáverit te, dices : Lóquere, Dómine, quia audit servus tuus. Abiit ergo Sámuel et dormívit in loco suo. Et venit Dóminus et stetit et vocávit, sicut vocáverat secúndo : Sámuel, Sámuel. Et ait Sámuel : Lóquere, Dómine, quia audit servus tuus. Et dixit Dóminus ad Samué-

lem : Ecce ego fácio verbum in Israël, quod quicúmque audíerit, tinnient ambæ aures ejus. In die illa suscitábo advérsum Heli ómnia, quæ locútus sum super domum ejus : incípiam et complébo.

℟. Comedétis carnes, et saturabímini pánibus : * Iste est panis, quem dedit vobis Dóminus ad vescéndum. ℣. Non Móyses dedit vobis panem de cælo, sed Pater meus dat vobis panem de cælo verum. — Iste.

Lectío iii Cap. 3, 15-20

DOrmívit autem Sámuel usque mane aperuítque óstia domus Dómini. Et Sámuel timébat indicáre visiónem Heli. Vocávit ergo Heli Samuélem et dixit : Sámuel, fili mi. Qui respóndens ait : Præsto sum. Et interrogávit eum : Quis est sermo, quem locútus est Dóminus ad te? oro te, ne celáveris me. Hæc fáciat tibi Deus et hæc addat, si abscónderis a me sermónem, ex ómnibus verbis, quæ dicta sunt tibi. Indicávit ítaque ei Sámuel univérsos sermónes, et non abscóndit ab eo. Et ille respóndit : Dóminus est; quod bonum est in óculis suis, fáciat. Crevit autem Sámuel, et Dóminus erat cum eo, et non cécidit ex ómnibus verbis ejus in terram. Et cognóvit univérsus Israël a Dan usque Bersabée, quod fidélis Sámuel prophéta esset Dómini.

℟. Respéxit Elías ad caput suum subcinerícium panem; qui surgens comédit et bibit : * Et ambulávit in fortitúdine cibi illíus usque ad montem Dei. ℣. Si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum. — Et. Glória Patri. Et.

In II Nocturno

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi
Homilia 61 ad populum Antioch.

Lectio iv

NEcessárium est, dilectíssimi, mysteriórum díscere miráculum, quodnam sit, et quare sit datum, et quæ ejus rei utílitas. Unum corpus effícimur : membra, inquit, ex carne ejus et ex óssibus ejus. Sequámur autem initiáti, quæ dicúntur. Ut ítaque non tantum per caritátem hoc fiámus, verum étiam ipsa re, in illam misceámur carnem : hoc namque per escam effícitur, quam largítus est nobis, volens osténdere desidérium, quod erga nos habet. Proptérea semetípsum nobis immíscuit, et corpus suum in nos contemperávit, ut unum quid simus tamquam corpus cápiti coaptátum; ardénter enim amántium hoc est.

℟. Cœnántibus illis, accépit Jesus panem, et benedíxit, ac fregit, dedítque discípulis suis, et ait : * Accípite et comédite; hoc est corpus meum. ℣. Dixérunt viri tabernáculi mei : Quis det de cárnibus ejus, ut saturémur? — Accípite.

Lectio v

TAmquam leónes ígitur ignem spirántes ab illa mensa recedámus, facti diábolo terríbiles, et caput nostrum mente revolvéntes, et caritátem quam erga nos osténdit. Nam paréntes quidem áliis sæpe fílios tradunt aléndos : ego autem, inquit, non ita, sed cárnibus meis alo, et meípsum vobis appóno, vos omnes generósos esse volens, et spem bonam de futúris vobis præbens : quippe qui vobis hic meípsum trádidi, multo magis id in futúro fáciam. Vólui frater vester fíeri, carni propter vos et sánguini communicávi : vobis vicíssim ipsam carnem et sánguinem, per quæ cognátus vester factus sum, trado.

℟. Accépit Jesus cálicem, postquam cœnávit, dicens : Hic calix novum testaméntum est in meo sánguine : * Hoc fácite in meam commemoratiónem. ℣. Memória memor ero, et tabéscet in me ánima mea. — Hoc.

Lectio vi

ATtendámus ítaque nobis ipsis, dilectíssimi, tálibus fruéntes bonis : et, cum áliquid turpe dícere voluérimus, vel nos ab ira córripi vidérimus, vel álio quópiam hujúsmodi vítio, considerémus, quibus facti sumus digni; talísque cogitátio nobis irrationabílium mótuum sit corréctio. Quotquot ígitur hujus partícipes córporis effícimur, quotquot sánguinem degustámus; cogitémus, quod illum sursum sedéntem, qui ab Angelis adorátur incorruptíbili vicínus virtúti, hunc degustámus. Hei mihi, quot ad salútem nobis viæ! Nos corpus suum effécit; nobis suum communicávit corpus : et horum nos nihil a malis avértit.

℟. Ego sum panis vitæ; patres vestri manducavérunt manna in desérto, et mórtui sunt : * Hic est panis de cælo descéndens, ut, si quis ex ipso mandúcet, non moriátur. ℣. Ego sum

panis vivus, qui de cælo descéndi : si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum. — Hic. Glória Patri. Hic.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem

Lectio vii Cap. 6, 56-59

IN illo témpore : Dixit Jesus turbis Judæórum : Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Et réliqua.

De Homilia sancti Augustíni Epíscopi
Tract. 27 in Joann., ante med.

QUiximus, fratres, hoc Dóminum commendásse in manducatióne carnis suæ et potatióne sánguinis sui, ut in illo maneámus, et ipse in nobis. Manémus autem in illo, cum sumus membra ejus; manet autem ipse in nobis, cum sumus templum ejus. Ut autem simus membra ejus, únitas nos compáginat : ut compáginet únitas, quæ facit, nisi cáritas? Et cáritas Dei unde? Apóstolum intérroga. Cáritas, inquit, Dei diffúsa est in córdibus nostris per Spíritum Sanctum, qui datus est nobis.

℟. Qui mandúcat meam carnem et bibit meum sánguinem, * In me manet, et ego in eo. ℣. Non estália nátio tam grandis, quæ hábeat deos appropinquántes sibi, sicut Deus noster adest nobis. — In.

Lectio viii

ERgo spíritus est, qui vivíficat; spíritus enim facit viva membra : nec viva membra spíritus facit, nisi quæ in córpore, quod végetat ipse spíritus, invénerit. Nam spíritus, qui est in te, o homo, quo constas ut homo sis, numquid vivíficat membrum quod separátum ínvenerit a carne tua? Spíritum tuum dico ánimam tuam. Anima tua non vivíficat nisi membra, quæ sunt in carne tua : unum si tollas, jam non vivificátur ex ánima tua, quia unitáti córporis tui non copulátur.

℟. Misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem : * Et qui mandúcat me, vivet propter me. ℣. Cibávit íllum Dóminus pane vitæ et intelléctus. — Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix

HÆC dicúntur, ut amémus unitátem et timeámus separatiónem. Níhil enim sic debet formídare Christiánus quam separári a córpore Christi. Si enim separátur a córpore Christi, non est membrum

ejus : si non est membrum ejus, non vegetátur Spíritu ejus. Quisquis autem, inquit Apóstolus, Spíritum Christi non habet, hic non est ejus. Spíritus ergo est, qui vivíficat, caro autem non prodest quidquam. Verba, quæ ego locútus sum vobis, spíritus et vita sunt. Quid est, Spíritus et vita sunt? Spirituáliter intelligénda sunt. Intellexísti spirituáliter? Spíritus et vita sunt. Intellexísti carnáliter? Etiam sic illa spíritus et vita sunt, sed tibi non sunt.

Te Deum laudámus. 7

Vesperæ de sequenti Dominica, Commemoratio præcedentis diei infra Octavam.

Dominica infra Octav. Ssmi Corporis Christi

quæ est II post Pentec.

Semiduplex

Omnia dicuntur ut in Festo Ssmi Corporis Christi 294, præter sequentia :

IN I VESPERIS

Capit. 1 Joann. 3, 13-14

CAríssimi : Nolíte mirári, si odit vos mundus. Nos scimus, quóniam transláti sumus de morte ad vitam, quóniam dilígimus fratres.

Hymnus

PAnge, lingua, gloriósi
Córporis mystérium,
Sanguinísque pretiósi,
Quem in mundi prétium
Fructus ventris generósi
Rex effúdit géntium.

Nobis datus, nobis natus
Ex intácta Vírgine,
Et in mundo conversátus,
Sparso verbi sémine,
Sui moras incolátus
Miro clausit órdine.

In suprémæ nocte cœnæ
Recúmbens cum frátribus,
Observáta lege plene
Cibis in legálibus,
Cibum turbæ duodénæ
Se dat suis mánibus.

Verbum caro, panem verum
Verbo carnem éfficit;
Fitque sanguis Christi merum;
Et si sensus déficit,
Ad firmándum cor sincérum
Sola fides súfficit.

¶ Sequens stropha, si coram Sanctissimo exposito Officium persolvatur, dicitur flexis genibus.

Tantum ergo Sacraméntum
Venerémur cérnui;
Et antíquum documéntum
Novo cedat rítui;
Præstet fides suppleméntum
Sénsuum defectui.

Genitóri, Genitóque
Laus et jubilátio,
Salus, honor, virtus quoque
Sit et benedíctio :
Procedénti ab utróque
Compar sit laudátio.
Amen.

℣. Cibávit illos ex ádipe fruménti, allelúja. ℟. Et de petra, melle saturávit eos, allelúja.

Ad Magnif. Ant. Puer Sámuel * ministrábat ante Deum coram Heli, et sermo Dómini erat pretiósus cum eo.

In II Vesperis

Ad Magnif. Ant. Exi cito * in platéas et vicos civitátis : et páuperes ac débiles, cæcos et claudos compélle intráre, ut impleátur domus mea, allelúja.

Oratio

SAncti nóminis tui, Dómine, timórem páriter et amórem fac nos habére perpétuum : quia numquam tua gubernatióne destítuis, quos in soliditáte tuæ dilectiónis instítuis. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio præcedentis diei infra Octavam :

Ant. O sacrum convívium, in quo Christus súmitur; recólitur memória passiónis ejus; mens implétur grátia; et futúræ glóriæ nobis pignus datur, allelúja.

℣. Panem de cælo præstitísti eis, allelúja. ℟. Omne delectaméntum in se habéntem, allelúja.

Oratio

DEus, qui nobis sub Sacraménto mirábili passiónis tuæ memóriam reliquísti : tríbue, quæsumus, ita nos córporis et sánguinis tui sacra mystéria venerári; ut redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter sentiámus : Qui vivis.

In I Noeturno

De libro primo Regum

Lectio i Cap. 4, 1-11

ET factum est in diébus illis, convenérunt Philísthiim in pugnam; et egréssus est Israël óbviam Philísthiim in prælium, et castrametátus est juxta Lápidem adjutórii. Porro Philísthiim venérunt in Aphec et instruxérunt áciem contra Israël. Inito autem certámine, terga vertit Israël Philisthæis, et cæsa sunt in illo certámine passim per agros quasi quátuor míllia virórum. Et revérsus est pópulus ad castra, dixerúntque majóres natu

de Israël : Quare percússit nos Dóminus hódie coram Philísthiim? Afferámus ad nos de Silo arcam fœderis Dómini, et véniat in médium nostri, ut salvet nos de manu inimicórum nostrórum.

℟. Immolábit hædum multitúdo filiórum Israël ad vésperam Paschæ : * Et edent carnes et ázymos panes. ℣. Pascha nostrum immolátus est Christus : ítaque epulémur in ázymis sinceritátis et veritátis. — Et.

Lectio ii

MIsit ergo pópulus in Silo, et tulérunt inde arcam fœderis Dómini exercítuum sedéntis super Chérubim; erántque duo fílii Heli cum arca fœderis Dei, Ophni et Phinees. Cumque venísset arca fœderis Dómini in castra, vociferátus est omnis Israël clamóre grandi, et persónuit terra. Et audiérunt Philístiim vocem clamóris dixerúntque : Quænam est hæc vox clamóris magni in castris Hebræórum? Et cognovérunt quod arca Dómini venísset in castra.

℟. Comedétis carnes, et saturabímini pánibus : * Iste est panis, quem dedit vobis Dóminus ad vescéndum. ℣. Non Móyses dedit vobis panem de cælo, sed Pater meus dat vobis panem de cælo verum. — Iste.

Lectio iii

TImuerúntque Philísthiim, dicéntes : Venit Deus in castra; et ingemuérunt dicéntes : Væ nobis, non enim fuit tanta exsultátio heri et nudiustértius : væ nobis. Quis nos salvábit de manu deórum sublímium istórum? Hi sunt dii, qui percussérunt Ægýptum omni plaga in desérto. Confortámini et estóte viri, Philísthiim : ne serviátis Hebræis, sicut et illi serviérunt vobis, confortámini et belláte. Pugnavérunt ergo Philísthiim, et cæsus est Israël, et fugit unusquísque in tabernáculum suum, et facta est plaga magna nimis, et cecidérunt de Israël trigínta míllia péditum, et arca Dei capta est, duo quoque fílii Heli mórtui sunt, Ophni et Phínees.

℟. Respéxit Elías ad caput suum subcinericium panem; qui surgens comédit et bibit : * Et ambulávit in fortitúdine cibi illíus usque ad montem Dei. ℣. Si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum. — Et. Glória Patri. Et.

In II Nocturno

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi

Homilia 60 ad populum Antioch.

Lectio iv

QUóniam Verbum dicit : Hoc est corpus meum; et assentiámur et credámus et intellectuálibus ipsum óculis intueámur. Nihil enim sensíbile nobis Christus trádidit; sed sensibílibus quidem rebus, at ómnia intelligibília. Itidem et in baptísmate : per rem nempe sensíbilem, aquam, donum confértur; intelligíbile vero quod perfícitur, generátio et renovátio. Si enim incorpóreus esses, nuda et incorpórea tibi dedísset ipse dona; sed quóniam ánima córpori consérta est, in sensibílibus intelligibília tibi præbet. Quot nunc dicunt : Vellem ipsíus formam aspícere, figúram, vestiménta, calceaménta? Ecce, eum vides, ipsum tangis, ipsum mandúcas. Et tu quidem vestiménta cupis vidére; ipse vero tibi concédit non tantum vidére, verum et manducáre, et tángere, et intra te súmere.

℟. Cœnántibus illis, accépit Jesus panem, et benedíxit, ac fregit, deditque discípulis suis, et ait : * Accípite et comédite; hoc est corpus meum. ℣. Dixérunt viri tabernáculi mei : Quis det de cárnibus ejus, ut saturémur? — Accípite.

Lectio v

IGitur accédat nemo cum náusea, nemo resolútus; omnes accénsi, omnes ferventes et excitáti. Nam si Judæi stantes, et calceaménta in pédibus habéntes, et báculos mánibus gestántes, agnum cum festinatióne comedébant : te multo magis opórtet esse solértem. Nam illi quidem in Palæstínam erant profectúri, et propterea viatórum figúram habébant : tu vero debes ín cælum migráre. Quaprópter in ómnibus opórtet te vigiláre; nec enim parva pœna propónitur indígne suméntibus. Cógita, quantum advérsus proditórem indignáris, et contra eos qui illum crucifixérunt : ítaque consídera, ne tu quoque sis reus córporis et sánguinis Christi. Illi sanctíssimum corpus occidérunt, tu vero pollúta súscipis ánima, post tot benefícia. Neque enim illi satis fuit, hóminem fíeri, cólaphis cædi, et crucifígi; verum et semetípsum nobis commíscet; et non fide tantum, verum et ipsa re, nos suum éfficit corpus.

℟. Accépit Jesus cálicem, postquam cœnávit, dicens : Hic calix novum testaméntum est in meo sánguine : * Hoc fácite in meam commemoratiónem. ℣. Memória memor ero, et tabéscet in me ánima mea. — Hoc.

Lectio vi

QUO non opórtet ígitur esse puriórem, tali fruéntem sacrifício? quo solári rádio non splendidiórem manum, carnem hanc dividéntem? os quod igni spirituáli replétur, linguam quæ treméndo nimis sánguine rubéscit? Cógita, quali sis insignítus honóre, quali mensa fruáris. Quod Angeli vidéntes horréscunt, neque líbere audent intuéri propter emicántem inde splendórem; hoc nos páscimur, huic nos unímur, et facti sumus unum Christi corpus, et una caro. Quis loquétur poténtias Dómini, audítas fáciet omnes laudes ejus? Quis pastor oves próprio pascit cruóre? Et quid dico, pastor? Matres multæ sunt, quæ post partus dolóres fílios áliis tradunt nutrícibus. Hoc autem ipse non est passus; sed ipse nos próprio sánguine pascit, et per ómnia nos sibi coagméntat.

℟. Ego sum panis vitæ; patres vestri manducavérunt manna in desérto, et mórtui sunt : * Hic est panis de cælo descéndens, ut, si quis ex ipso mandúcet, non moriátur. ℣. Ego sum panis vivus, qui de cælo descéndi : si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum. — Hic est. Glória Patri. Hic est.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 14, 16-24

IN illo témpore : Dixit Jesus pharisæis parábolam hanc : Homo quidam fecit cœnam magnam, et vocávit multos. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ

Homília 36 in Evangelia

HOC distáre, fratres caríssimi, inter delícias córporis et cordis solet : quod corporáles delíciæ, cum non habéntur, grave in se desidérium accéndunt; cum vero ávide edúntur, comedéntem prótinus in fastídium per satietátem vertunt. At contra, spirituáles delíciæ, cum non habéntur, in fastídio sunt; cum vero habéntur, in desidério : tantóque a comedénte ámplius esuriúntur, quanto et ab esuriénte ámplius comedúntur. In illis appetítus placet, experiéntia displicet : in istis appetítus vilis est, et experiéntia magis placet. In illis appetítus saturitátem, satúritas fastídium génerat; in istis autem appetítus saturitátem, satúritas appetítum parit.

℟. Qui mandúcat meam carnem et bibit meum sánguinem, * In me manet, et ego in eo. ℣. Non estália nátio tam grandis, quæ hábeat deos appropinquántes sibi, sicut Deus noster adest nobis. — In.

Lectio viii

AUgent enim spirituáles delíciæ desidérium in mente, dum sátiant : quia, quando magis eárum sapor percípitur, eo ámplius cognóscitur quod avídius amétur; et idcírco non hábitæ amári non possunt, quia eárum sapor ignorátur. Quis enim amáre váleat quod ignórat? Proínde Psalmísta nos ádmonet, dicens : Gustáte et vidéte, quóniam suávis est Dóminus. Ac si apérte dicat : Suavitátem ejus non cognóscitis, si hanc mínime gustátis; sed cibum vitæ ex paláto cordis tángite, ut probántes ejus dulcédinem, amáre valeátis. Has autem homo delícias tunc amísit, cum in paradíso peccávit; extra éxiit, cum os a cibo ætérnæ dulcédinis clausit.

℟. Homo quidam fecit cœnam magnam, et misit servum suum hora cœnæ dícere invitátis, ut venírent, * Quia paráta sunt ómnia. ℣. Veníte, comédite panem meum, et bibite vinum, quod míscui vobis. — Quia. Glória Patri. Quia.

Lectio ix

QUnde nos quoque, nati in hujus peregrinatiónis ærúmna, huc fastidiósi jam vénimus, nescímus quid desideráre debeámus. Tantóque se ámplius fastídii nostri morbus exággerat, quanto se magis ab esu illíus dulcédinis ánimus elóngat; et eo jam intérnas delícias non áppetit, quo eas comédere, diu longéque desuévit. Fastídio ergo nostro tabéscimus, et longa inédiæ peste fatigámur. Et quia gustáre intus nólumus parátam dulcédinem, amámus foris míseri famem nostram.

Te Deum laudámus. 7

AD LAUDES

Ant. 1 Sapiéntia * ædificávit sibi domum, míscuit vinum et pósuit mensam, allelúja.

Psalmi de Dominica. 36

2 Angelórum esca * nutrivísti pópulum tuum, et panem de cælo præstitísti eis, allelúja.
3 Pinguis est panis * Christi, et præbébit delícias régibus, allelúja.
4 Sacerdótes sancti * incénsum et panes ófferunt Deo, allelúja.
5 Vincénti dabo * manna abscónditum, et nomen novum, allelúja.

Capit. 1 Joann. 3, 13-14

CAríssimi : Nolíte mirári, si odit vos mundus. Nos scimus, quóniam transláti sumus de morte ad vitam, quóniam dilígimus fratres.

Hymnus

VErbum supérnum pródiens,
Nec Patris linquens déxteram,
Ad opus suum éxiens,
Venit ad vitæ vésperam.

In mortem a discípulo
Suis tradéndus ǽmulis,
Prius in vitæ férculo
Se trádidit discípulis.

Quibus sub bina spécie
Carnem dedit et sánguinem;
Ut dúplicis substántiæ
Totum cibáret hóminem.

Se nascens dedit sócium,
Convéscens in edúlium,
Se móriens in prétium,
Se regnans dat in præmium.

O salutáris hóstia,
Quæ cæli pandis óstium,
Bella premunt hostília;
Da robur, fer auxílium.

¶ Sequens Conclusio numquam mutatur

Uni trinóque Dómino
Sit sempitérna glória :
Qui vitam sine término
Nobis donet in pátria.
Amen.

℣. Panem cæli dedit eis, allelúja. ℟. Panem Angelórum manducávit homo, allelúja.

Ad Bened. Ant. Homo quidam * fecit cœnam magnam, et vocávit multos : et misit servum suum hora cœnæ dícere invitátis, ut venírent, quia ómnia paráta sunt, allelúja.

Oratio

SAncti nóminis tui, Dómine, timórem páriter et amórem fac nos habére perpétuum : quia numquam tua gubernatióne destítuis, quos in soliditáte tuæ dilectiónis instítuis. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ :

Ant. Ego sum panis vivus, qui de cælo descéndi : si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum, allelúja.

℣. Pósuit fines tuos pacem, allelúja. ℟. Et ádipe fruménti sátiat te, allelúja.

Oratio

DEus, qui nobis sub Sacraménto mirábili passiónis tuæ memóriam reliquísti : tríbue, quǽsumus, ita nos córporis et sánguinis tui sacra mystéria venerári; ut redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter sentiámus : Qui vivis.

AD PRIMAM

Ant. Sapiéntia * ædificávit sibi domum, míscuit vinum et pósuit mensam, allelúja.

AD TERTIAM

Capitulum Caríssimi, ut supra. 324

℟. br. Panem cæli dedit eis, * Allelúja, allelúja. Panem. ℣. Panem Angelórum manducávit homo. Allelúja, allelúja. Glória Patri. Panem cæli. ℣. Cibávit illos ex ádipe fruménti, allelúja. ℟. Et de petra, melle saturávit eos, allelúja.

Oratio Sancti. 324.

AD SEXTAM

Capit. 1 Joann. 3, 16

IN hoc cognóvimus caritátem Dei : quóniam ille ánimam suam pro nobis pósuit, et nos debémus pro frátribus ánimas pónere.

℟. br. Cibávit illos ex ádipe fruménti, *Allelúja, allelúja. Cibávit. ℣. Et de petra, melle saturávit eos. Allelúja, allelúja. Glória Patri. Cibávit. ℣. Edúcas panem de terra, allelúja. ℟. Et vinum lætíficet cor hóminis, allelúja.

AD NONAM

Capit. 1 Joann. 3, 18

FIlióli mei, non diligámus verbo neque lingua, sed ópere et veritáte.

℟. br. Edúcas panem de terra, * Allelúja, allelúja. Edúcas. ℣. Et vinum lætíficet cor hóminis. Allelúja, allelúja. Glória Patri. Edúcas. ℣. Pósuit fines tuos pacem, allelúja. ℟. Et ádipe fruménti sátiat te, allelúja.

IN II VESPERIS

Antiphonæ et Psalmi ut supra. 294

Capitulum Caríssimi, ut supra. 324

Hymnus Pange, lingua, ut supra. 296

℣. Cibávit illos ex ádipe fruménti, allelúja. ℟. Et de petra, melle saturávit eos, allelúja.

Ad Magnif. Ant. Exi cito * in pláteas et vicos civitátis : et páuperes ac débiles, cæcos et claudos compélle intráre, ut impleátur domus mea, allelúja.

Et fit Commemoratio sequentis diei infra Octavam :

Ant. O quam suávis est, Dómine, spíritus tuus,

qui, ut dulcédinem tuam in fílios demonstráres, pane suavíssimo de cælo præstito, esuriéntes reples bonis, fastidiósos dívites dimíttens inánes.

℣. Panem de cælo præstitísti eis, allelúja. ℟. Omne delectaméntum in se habéntem, allelúja.

Oratio

DEus, qui nobis sub Sacraménto mirábili passiónis tuæ memóriam reliquísti : tríbue, quǽsumus, ita nos córporis et sánguinis tui sacra mystéria venerári; ut redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter sentiámus : Qui vivis.

Si tamen sequenti die faciendum non sit Officium de Octava, dicitur

Ant. O sacrum convívium, in quo Christus súmitur; recólitur memória passiónis ejus; mens implétur grátia; et futúræ glóriæ nobis pignus datur, allelúja.

Feria II infra Octavam Ssmi Corporis Christi

Semiduplex

In I Nocturno

De libro primo Regum

Lectio i Cap. 5, 1-12

PHilísthiim autem tulérunt arcam Dei et asportavérunt eam a Lápide adjutórii in Azótum. Tulerúntque Philísthiim arcam Dei et intulérunt eam in templum Dagon et statuérunt eam juxta Dagon. Cumque surrexíssent dilúculo Azótii áltera die, ecce Dagon jacébat pronus in terra ante arcam Dómini; et tulérunt Dagon et restituérunt eum in locum suum. Rursúmque mane die áltera consurgéntes invenérunt Dagon jacéntem super fáciem suam in terra coram arca Dómini, caput autem Dagon et duæ palmæ mánuum ejus abscíssæ erant super limen; porro Dagon solus truncus remánserat in loco suo.

℟. Immolábit hædum multitúdo filiórum Israël ad vésperam Paschæ : * Et edent carnes et ázymos panes. ℣. Pascha nostrum immolátus est Christus : ítaque epulémur in ázymis sinceritátis et veritátis. — Et edent.

Lectio ii

AGgraváta est autem manus Dómini super Azótios, et demolítus est eos. Et ebulliérunt villæ et agri in médio regiónis illíus, et nati sunt mures, et facta est confúsio mortis magnæ in civitáte. Vidéntes autem viri Azótii hujuscémodi plagam dixé-

runt : Non máneat arca Dei Israël apud nos, quóniam dura est manus ejus super nos et super Dagon, deum nostrum. Et mitténtes congregavérunt omnes sátrapas Philisthinórum ad se et dixérunt : Quid faciémus de arca Dei Israël? Responderúntque Gethæi : Circumducátur arca Dei Israël.

℟. Comedétis carnes, et saturabímini pánibus : * Iste est panis, quem dedit vobis Dóminus ad vescéndum. ℣. Non Móyses dedit vobis panem de cælo, sed Pater meus dat vobis panem de cælo verum. — Iste.

Lectio iii

ET circumduxérunt arcam Dei Israël. Illis autem circumducéntibus eam, fiébat manus Dómini per síngulas civitátes interfectiónis magnæ nimis; et percutiébat viros uniuscujúsque urbis a parvo usque ad majórem. Misérunt ergo arcam Dei in Accaron. Cumque venísset arca Dei in Accaron, exclamavérunt Accaronítæ dicéntes : Adduxérunt ad nos arcam Dei Israël, ut interfíciat nos et pópulum nostrum. Misérunt ítaque et congregavérunt omnes sátrapas Philisthinórum, qui dixérunt : Dimíttite arcam Dei Israël, et revertátur in locum suum et non interfíciat nos cum pópulo nostro. Fiébat enim pavor mortis in síngulis úrbibus et gravíssima valde manus Dei.

℟. Respéxit Elías ad caput suum subcinerícium panem; qui surgens comédit et bibit : * Et ambulávit in fortitúdine cibi illíus usque ad montem Dei. ℣. Si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum.— Et. Glória. Et.

In II Nocturno

De Sermóne sancti Joánnis Chrysóstomi

Eadem Homilia 60

Lectio iv

NIcuíque fidélium Christus semetípsum per mystéria commíscet, et quos génuit, per semetípsum enútrit, nec álteri tradit; per hoc tibi rursum persuádens, quod carnem tuam assúmpsit. Ne torpeámus ígitur tanta digni caritáte et honóre putáti. Nonne vidétis, quanta promptitúdine párvuli papíllas cápiunt, et quanto ímpetu lábia ubéribus infígunt? Accedámus cum tanta nos quoque alacritáte ad hanc mensam et ad úbera póculi spiritális : quinímmo cum longe majóri trahámus, tamquam infántes lacténtes, spíritus grátiam : et unus sit nobis dolor hac esca privári. Non sunt humánæ virtútis ópera, hæc quæ proponúntur : qui tunc ipsa fecit in illa cœna, idem ea nunc quoque facit. Nos ministrórum tenémus locum; qui vero sanctíficat ea et immútat, ipse est. Nullus ítaque Judas assístat, nullus avárus; nam tales mensa non súscipit. Si quis est discípulus, adsit; ait enim : Cum discípulis meis fácio Pascha. Hæc est illa mensa, et minus nihil habet. Non enim illam quidem Christus, hanc autem homo pérficit; verum et hanc ipse quoque.

℟. Cœnántibus illis, accépit Jesus panem, et benedíxit, ac fregit, dedítque discípulis suis, et ait : * Accípite et comédite; hoc est corpus meum. ℣. Dixérunt viri tabernáculi mei : Quis det de cárnibus ejus, ut saturémur? — Accípite.

Lectio v

INhumánus accédat nemo, nemo crudélis et immisericors, nemo prorsus immúndus. Hæc ad communicántes dico, et ad vos, ministrántes. Nam et ad vos sermónem convértere necessárium est, ut multo cum stúdio hæc dona distribuátis. Non parva vobis imminet últio, si quemquam, illius culpæ cónscii, hujus mensæ participem esse concedátis : sanguis ejus de mánibus vestris exquirétur. Sive quis dux militiæ sit, sive præféctus, sive princeps diadémate coronátus, indigne autem accédat, próhibe : majórem illo potestátem habes. Proptérea vos Deus hoc insignivit honóre, ut tália discernátis. Hoc vestra dignitas est, hoc secúritas, hoc omnis coróna; non ut albam et splendéntem túnicam circumeátis indúti. Verum et tu, láice, cum sacerdótem víderis offeréntem, ne ut sacerdótem esse putes hoc faciéntem, sed Christi manum invisibiliter exténsam.

℟. Accépit Jesus cálicem, postquam cœnávit, dicens : Hic calix novum testaméntum est in meo sánguine : * Hoc fácite in meam commemoratiónem. ℣. Memória memor ero, et tabéscet in me ánima mea. — Hoc.

Lectio vi

AUdiámus ígitur, et sacerdótes et súbditi, quali esca facti sumus digni : audiámus et horreámus. Sanctis cárnibus suis nos dedit impléri, semetipsum appósuit immolátum. Quænam ígitur erit nobis excusátio, cum tálibus pasti tália peccémus, cum lupi fiámus Agnum comedéntes, cum tamquam oves pasti more leónum diripiámus? Hoc enim mystérium non a rapína tantum, verum et ab omni vel ténui inimicítia purum esse pénitus jubet; est enim pacis mystérium. Judæis quidem annuátim propriórum monuménta benefíciórum solemnitátes Deus alligávit; tibi vero síngulis diébus per hæc mystéria. Nullus ítaque Judas hanc mensam petat, nullus Simon. Hi namque duo propter avarítiam periérunt; hoc ígitur bárathrum fugiámus.

℟. Ego sum panis vitæ; patres vestri manducavérunt manna in desérto, et mórtui sunt : * Hic est panis de cælo descéndens, ut, si quis ex ipso manducet, non moriátur. ℣. Ego sum panis vivus, qui de cælo descéndi : si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum. — Hic. Glória Patri. Hic.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem

Lectio vii Cap. 6, 56-59

IN illo témpore : Dixit Jesus turbis Judæórum : Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Et réliqua.

De Homília sancti Augustíni Epíscopi

Tract. 26 in Joann., post med.

HIC est panis, qui de cælo descéndit. Hunc panem significávit manna, hunc panem significávit altáre Dei. Sacraménta illa fuérunt : in signis divérsa sunt; sed in re, quæ significátur, pária sunt. Apóstolum audi : Nolo enim vos, inquit, ignoráre, fratres, quia patres nostri omnes sub nube fuérunt, et omnes mare transiérunt, et omnes per Móysen baptizáti sunt in nube et in mari, et omnes eámdem escam spiritálem manducavérunt. Spiritálem útique eámdem; nam corporálem álteram; quia illi manna, nos áliud : spiritálem vero, quam nos, sed patres nostri, non patres illórum, quibus nos símiles sumus, non quibus illi símiles fuérunt. Et adjúngit : Et omnes eúmdem potum spiritálem bibérunt. Aliud illi, áliud nos, sed spécie visíbili quidem, tamen hoc idem significánte virtúte spirituáli. Quómodo enim eúmdem potum? Bibébant, inquit, de spirituáli, sequénte petra : petra autem erat Christus. Inde

panis, inde potus. Petra Christus in signo, verus Christus in verbo et in carne. Et quómodo bibérunt? Percússa est petra de virga bis : gémina percússio, duo ligna Crucis significat.

℟. Qui mandúcat meam carnem et bibit meum sánguinem, * In me manet, et ego in eo. ℣. Non estália nátio tam grandis, quæ hábeat deos appropinquántes sibi, sicut Deus noster adest nobis. — In.

Lectio viii

NOrunt fidéles corpus Christi, si corpus Christi non négligant esse. Fiant corpus Christi, si volunt vívere de Spíritu Christi. De Spíritu Christi non vivit, nisi corpus Christi. Intellígite, fratres mei, quid díxerim. Homo es, et spíritum habes, et corpus habes. Spíritum dico, quæ ánima vocátur, qua constas, quod homo es; constas enim ex ánima et córpore. Habes enim spíritum invisíbilem, corpus visíbile. Dic mihi, quid ex quo vivat? Spíritus tuus vivit ex córpore tuo, an corpus tuum ex spíritu tuo? Respóndet omnis, qui vivit : qui autem hoc non potest respondére, néscio si vivit. Quid respóndet omnis, qui vivit? Corpus útique meum vivit de spíritu meo. Vis ergo et tu vívere de Spíritu Christi? In córpore esto Christi.

℟. Misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem : * Et qui mandúcat me, vivet propter me. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus. — Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix

NUmquid enim corpus meum vivit de spíritu tuo? Meum vivit de spíritu meo, et tuum de spíritu tuo. Non potest vívere corpus Christi, nisi de Spíritu Christi. Inde est, quod expónens nobis Apóstolus Paulus hunc panem : Unus panis, inquit, unum corpus multi sumus. O sacraméntum pietátis, o signum unitátis, o vínculum caritátis! Qui vult vívere, habet ubi vivat, habet unde vivat. Accédat, credat, incorporétur, ut vivificétur. Non abhórreat a compáge membrórum, non sit putre membrum, quod resecári mereátur, non sit distórtum, de quo erubescátur. Sit pulchrum, sit aptum, sit sanum : hæreat córpori, vivat Deo de Deo. Nunc labóret in terra, ut póstea regnet in cælo.

Te Deum laudámus. 7

Feria III infra Octav. Ssmi Corporis Christi

Semiduplex

In I Nocturno

De libro primo Regum

Lectio i Cap. 6, 1-3

EXit ergo arca Dómini in regióne Philisthinórum septem ménsibus, et vocavérunt Philísthiim sacerdótes et divínos, dicéntes : Quid faciémus de arca Dómini? Indicáte nobis, quómodo remittámus eam in locum suum. Qui dixérunt : Si remíttitis arcam Dei Israël, nolíte dimíttere eam vácuam, sed quod debétis, réddite ei pro peccáto : et tunc curabímini et sciétis quare non recédat manus ejus a vobis.

℟. Immolábit hædum multitúdo filiórum Israël ad vésperam Paschæ : *Et edent carnes et ázymos panes. ℣. Pascha nostrum immolátus est Christus : ítaque epulémur in ázymis sinceritátis et veritátis. — Et edent.

Lectio ii Cap. 6, 6-10

QUare aggravátis corda vestra, sicut aggravávit Ægýptus et Phárao cor suum? Nonne, postquam percússus est, tunc dimísit eos, et abiérunt? Nunc ergo arrípite et fácite plaustrum novum unum, et duas vaccas fœtas, quibus non est impósitum jugum, júngite in plaustro et reclúdite vítulos eárum domi. Tolletísque arcam Dómini et ponétis in plaustro et vasa áurea, quæ exsolvístis ei pro delícto, ponétis in capséllam ad latus ejus, et dimíttite eam ut vadat. Et aspiciétis, et, si quidem per viam finium suórum ascénderit contra Béthsames, ipse fecit nobis hoc malum grande; sin autem mínime, sciémus quia nequáquam manus ejus tétigit nos, sed casu áccidit. Fecérunt ergo illi hoc modo.

℟. Comedétis carnes, et saturabímini pánibus : * Iste est panis, quem dedit vobis Dóminus ad vescéndum. ℣. Non Móyses dedit vobis panem de cælo, sed Pater meus dat vobis panem de cælo verum. — Iste.

Lectio iii Cap. 6, 12-15

IBant autem in diréctum vaccæ per viam, quæ ducit Béthsames, et itinere uno gradiebántur pergéntes et mugiéntes et non declinábant neque ad déxteram neque ad sinístram; sed et sátrapæ Philísthiim sequebántur usque ad términos Béthsames. Porro Bethsamítæ metébant tríticum in valle, et elevántes óculos suos vidérunt arcam et gavísi sunt cum vidíssent. Et plaustrum venit in agrum Jósue Bethsamítæ et stetit ibi. Erat autem ibi lapis magnus, et concidérunt ligna plaustri, vaccásque imposuérunt super ea holocáustum Dómino. Levítæ autem deposuérunt arcam Dei.

℟. Respéxit Elías ad caput suum subcinerícium panem; qui surgens comédit et bibit : * Et ambulávit in fortitúdine cibi illíus usque ad montem Dei. ℣. Si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum. — Et. Glória Patri. Et.

In II Nocturno

Ex Epístola sancti Cypriáni Epíscopi et Mártyris ad Cæcílium

Liber 2, Epístola 3, sub init.

Lectio iv

IN sacerdóte Melchísedech sacrifícii Domínici sacraméntum præfigurátum vidémus, secúndum quod Scriptúra divína testátur, et dicit : Et Melchísedech rex Salem prótulit panem et vinum. Fuit autem sacérdos Dei summi, et benedíxit Abraham. Quod autem Melchísedech typum Christi portáret, declárat in Psalmis Spíritus Sanctus, ex persóna Patris ad Fílium dicens : Ante lucíferum génui te : Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech. Qui ordo útique hic est, de sacrifício illo véniens et inde descéndens, quod Melchísedech sacérdos Dei summi fuit, quod panem et vinum óbtulit, quod Abraham benedíxit.

℟. Cœnántibus illis, accépit Jesus panem, et benedíxit, ac fregit, dedítque discípulis suis, et ait : * Accípite et comédite; hoc est corpus meum. ℣. Dixérunt viri tabernáculi mei : Qui det de cárnibus ejus, ut saturémur? — Accípite.

Lectio v

NAM quis magis sacérdos Dei summi, quam Dóminus noster Jesus Christus? qui sacrifícium Deo Patri óbtulit; et óbtulit hoc idem, quod Melchísedech obtúlerat, id est, panem et vinum, suum scílicet corpus et sánguinem. Et circa Abraham benedíctio illa præcédens, ad nostrum pópulum pertinébat. Nam si Abraham Deo crédidit, et deputátum est ei ad justítiam; útique quisquis Deo cre-

dit, et fide vivit, justus invenítur, et jam pridem in Abraham fidéli benedíctus et justificátus ostenditur, sicut beátus Apóstolus Paulus probat, dicens : Crédidit Abraham Deo, et deputátum est ei ad justítiam. Cognóscitis ergo, quia qui ex fide sunt, hi sunt fílii Abrahæ. Próvidens autem Scriptúra, quia ex fide justíficat gentes Deus, prænuntiávit Abrahæ, quia benedicéntur in illo omnes gentes.

℟. Accépit Jesus cálicem, postquam cœnávit, dicens : Hic calix novum testaméntum est in meo sánguine : * Hoc fácite in meam commemoratiónem. ℣. Memória memor ero, et tabéscet in me ánima mea. — Hoc.

Lectio vi

UT ergo in Génesi per Melchísedech sacerdótem benedíctio círca Abraham posset rite celebrári, præcédit ante imágo sacrifícii, in pane et vino scílicet constitúta. Quam rem perfíciens et adímplens Dóminus, panem et cálicem mixtum vino óbtulit; et, qui est plenitúdo, veritátem præfigurátæ imáginis adimplévit. Sed et per Salomónem Spíritus Sanctus typum Domínici sacrifícii ante præmónstrat, immolátæ hóstiæ et panis et vini, sed et altáris et Apostolórum fáciens mentiónem : Sapiéntia, inquit, ædificávit sibi domum, et súbdidit colúmnas septem; mactávit suas hóstias, míscuit ín cratére vinum suum, et parávit mensam suam. Et misit servos suos cónvocans cum excélsa prædicatióne ad cratérem, dicens : Qui est incípiens, declínet ad me. Et egéntibus sensu dixit : Veníte, édite de meis pánibus, et bíbite vinum, quod míscui vobis.

℟. Ego sum panis vitæ; patres vestri manducavérunt manna in desérto, et mórtui sunt : * Hic est panis de cælo descéndens, ut, si quis ex ipso mandúcet, non moriátur. ℣. Ego sum panis vívus, qui de cælo descéndi : si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum. — Hic. Glória Patri. Hic.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii
secúndum Joánnem

Lectio vii Cap. 6, 56-59

IN illo témpore : Dixit Jesus turbis Judæórum : Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Et réliqua.

De Homília
sancti Augustíni Epíscopi

Tractatus 26 in Joannem, circa medium

NON sicut manducavérunt patres vestri manna, et mórtui sunt. Quare manducavérunt, et mórtui sunt? Quia quod vidébant, credébant; quod non vidébant, non intelligébant. Ideo patres vestri, quia símiles estis illórum. Nam quantum pértinet, fratres mei, ad mortem istam visíbilem et corporálem, numquid nos non mórimur, qui manducámus panem de cælo descendéntem? Sic sunt mórtui et illi, quemádmodum et nos sumus moritúri; quantum áttinet, ut dixi, ad mortem hujus córporis visíbilem atque carnálem.

℟. Qui mandúcat meam carnem et bibit meum sánguinem, * In me manet, et ego in eo. ℣. Non est ália nátio tam grandis, quæ hábeat deos appropinquántes sibi, sicut Deus noster adest nobis. — In me manet.

Lectio viii

QUantum autem pértinet ad illam mortem, de qua terret Dóminus, qua mórtui sunt patres istórum; manducávit manna et Móyses, manducávit manna et Aaron, manducávit manna et Phínees, manducavérunt ibi multi, qui Dómino placuérunt, et mórtui non sunt. Quare? Quia visíbilem cibum spiritáliter intellexérunt, spiritáliter esuriérunt, spiritáliter gustavérunt, ut spiritáliter satiaréntur. Nam et nos hódie accípimus visíbilem cibum; sed áliud est sacraméntum, áliud virtus sacraménti.

℟. Misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem : * Et qui mandúcat me, vivet propter me. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus. — Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix

QUam multi de altári accípiunt, et moriúntur, et accipiéndo moriúntur! Unde dicit Apóstolus : Judícium sibi mandúcat et bibit. Nonne buccélla Domínica venénum fuit Judæ? Et tamen accépit. Et cum accépit, in eum inimícus intrávit; non quia malum accépit, sed quia bonum male malus accépit. Vidéte ergo, fratres, panem cæléstem spiritáliter manducáte, innocéntiam ad altáre apportáte. Peccáta, etsi sunt quotidiána, vel non sint mortífera;

ántequam ad altáre accedátis, atténdite quod dicátis : Dimítte nobis débita nostra, sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris. Si dimíttis, dimittétur tibi : secúrus accéde, panis est, non venénum.

Te Deum laudámus. 7

Feria IV infra Octavam Ssmi Corporis Christi

Semiduplex

In I Nocturno

De libro primo Regum

Lectio i Cap. 6, 19-21

ERcússit autem de viris Bethsamítibus, eo quod vidíssent arcam Dómini; et percússit de pópulo septuagínta viros et quinquagínta míllia plebis. Luxítque pópulus, eo quod Dóminus percussísset plebem plaga magna. Et dixérunt viri Bethsamítæ : Quis póterit stare in conspéctu Dómini Dei sancti hujus? et ad quem ascéndet a nobis? Miserúntque núntios ad habitatóres Cariathiárim, dicéntes : Reduxérunt Philísthiim arcam Dómini : descéndite et redúcite eam ad vos. Venérunt ergo viri Cariathiárim et reduxérunt arcam Dómini et intulérunt eam in domum Abínadab in Gábaa; Eleázarum autem fílium ejus sanctificavérunt, ut custodíret arcam Dómini.

℟. Immolábit hædum multitúdo filiórum Israël ad vésperam Paschæ : * Et edent carnes et ázymos panes. ℣. Pascha nostrum immolátus est Christus : ítaque epulémur in ázymis sinceritátis et veritátis. — Et edent.

Lectio ii Cap. 7, 1-8

ET factum est, ex qua die mansit arca Dómini in Cariathiárim, multiplicáti sunt dies (erat quippe jam annus vigésimus), et requiévit omnis domus Israël post Dóminum. Ait autem Sámuel ad univérsam domum Israël dicens : Si in toto corde vestro revertímini ad Dóminum, auférte deos aliénos de médio vestri Báalim et Astaroth et præparáte corda vestra Dómino et servíte ei soli, et éruet vos de manu Philísthiim. Abstulérunt ergo fílii Israël Báalim et Astaroth et serviérunt Dómino soli.

℟. Comedétis carnes, et saturabímini pánibus : * Iste est panis, quem dedit vobis Dóminus ad vescéndum. ℣. Non Móyses dedit vobis panem de

cælo, sed Pater meus dat vobis panem de cælo verum. — Iste est panis, quem dedit vobis Dóminus ad vescéndum.

Lectio iii

DIxit autem Sámuel : Congregáte univérsum Israël in Masphath, ut orem pro vobis Dóminum. Et convenérunt in Masphath hauseruntque aquam et effudérunt in conspéctu Dómini et jejunavérunt in die illa atque dixérunt ibi : Peccávimus Dómino. Judicavítque Sámuel fílios Israël in Masphath. Et audiérunt Philísthiim, quod congregáti essent fílii Israël in Masphath, et ascendérunt sátrapæ Philisthinórum ad Israël. Quod cum audíssent fílii Israël, timuérunt a fácie Philisthinórum. Dixerúntque ad Samuélem : Ne cesses pro nobis clamáre ad Dóminum Deum nostrum, ut salvet nos de manu Philisthinórum.

℟. Respéxit Elías ad caput suum subcinerícium panem; qui surgens comédit et bibit : * Et ambulávit in fortitúdine cibi illíus usque ad montem Dei. ℣. Si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum. — Et. Glória Patri. Et.

In II Nocturno

Ex libro sancti Ambrósii Epíscopi de Sacraméntis

Liber 4, cap. 4

Lectio iv

uctor sacramentórum quis est, nisi Dóminus Jesus? De cælo ista sacraménta venérunt. Consílium enim omne de cælo est. Vere autem magnum est et divínum miráculum, quod pópulo pluit Deus manna de cælo, et non laborábat pópulus, et manducábat. Tu forte dicis : Meus panis est usitátus. Sed panis iste, panis est ante verba sacramentórum : ubi accésserit consecrátio, de pane fit caro Christi. Hoc ígitur astruámus. Quómodo potest, qui panis est, corpus esse Christi? Consecratióne. Consecrátio ígitur quibus verbis est, et cujus sermónibus? Dómini Jesu. Nam réliqua ómnia quæ dicúntur, laudem Deo déferunt, orátio præmíttitur pro pópulo, pro régibus, pro céteris : ubi venítur, ut conficiátur venerábile Sacraméntum, jam non suis sermónibus sacérdos, sed útitur sermónibus Christi.

℟. Cœnántibus illis, accépit Jesus panem, et benedíxit, ac fregit, dedítque discípulis suis, et ait : * Accípite et comédite; hoc est corpus meum. ℣. Dixérunt viri tabernáculi mei : Quis det de cárnibus ejus, ut saturémur? — Accípite.

Lectio v

ERgo sermo Christi hoc cónficit Sacraméntum. Quis sermo Christi? Nempe is, quo facta sunt ómnia. Jussit Dóminus, et factum est cælum; jussit Dóminus, et facta est terra; jussit Dóminus, et facta sunt mária; jussit Dóminus, et omnis creatúra generáta est. Vides ergo, quam operatórius sit sermo Christi. Si ergo tanta vis est in sermóne Dómini Jesu, ut incíperent esse, quæ non erant; quanto magis operatórius est, ut, quæ erant, in áliud commuténtur? Cælum non erat, mare non erat, terra non erat. Sed audi dicéntem : Ipse dixit, et facta sunt; ipse mandávit, et creáta sunt. Ergo tibi ut respóndeam, non erat corpus Christi ante consecratiónem; sed post consecratiónem dico tibi quod jam corpus est Christi. Ipse dixit, et factum est : ipse mandávit, et creátum est.

℟. Accépit Jesus cálicem, postquam cœnávit, dicens : Hic calix novum testaméntum est in meo sánguine : * Hoc fácite in meam commemoratiónem. ℣. Memória memor ero, et tabéscet in me ánima mea. — Hoc.

Lectio vi Ibid., cap. 5

JAM redi mecum ad propositiónem meam. Magnum quidem et venerábile, quod manna Judæis pluit e cælo. Sed intéllige, quid est ámplius, manna de cælo, an corpus Christi? Corpus Christi útique, qui auctor est cæli. Deínde, manna qui manducávit, mórtuus est : qui manducáverit hoc corpus, fiet ei remíssio peccatórum, et non moriétur in ætérnum. Ergo non otióse, cum áccipis, tu dicis, Amen; jam in spíritu cónfitens quod accípias corpus Christi. Dicit tibi sacérdos, Corpus Christi; et tu dicis, Amen, hoc est, Verum. Quod confitétur lingua, téneat affféctus.

℟. Ego sum panis vitæ; patres vestri manducavérunt manna in desérto, et mórtui sunt : * Hic est panis de cælo descéndens, ut, si quis ex ipso mandúcet, non moriátur. ℣. Ego sum panis vivus, qui de cælo descéndi : si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum. — Hic. Glória Patri. Hic.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem

Lectio vii Cap. 6, 56-59

IN illo témpore : Dixit Jesus turbis Judæórum : Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Et réliqua.

Homília sancti Hilárii Epíscopi

Liber 8 de Trinit., ante med.

ON est humáno aut sæculi sensu in Dei rebus loquéndum. Quæ scripta sunt, legámus, et quæ legérimus, intelligámus; et tunc perféctæ fídei offício fungémur. De naturáli enim in nobis Christi veritáte quæ dicimus, nisi ab eo díscimus, stulte atque ímpie dícimus. Ipse enim ait : Caro mea vere est esca, et sanguis meus vere est potus. Qui edit carnem meam et bibit sánguinem meum, in me manet, et ego in eo. De veritáte carnis et sánguinis non relíctus est ambigéndi locus.

℟. Qui manducat meam carnem et bibit meum sánguinem, * In me manet, et ego in eo. ℣. Non estália nátio tam grandis, quæ hábeat deos appropinquántes sibi, sicut Deus noster adest nobis. — In.

Lectio viii

NUnc enim, et ipsius Dómini professióne, et fide nostra, vere caro est, et vere sanguis est. Et hæc accépta atque hausta id effíciunt, ut et nos in Christo, et Christus in nobis sit. An ne hoc véritas non est? Contingat plane his verum non esse, qui Christum Jesum verum esse Deum negant. Est ergo in nobis ipse per carnem, et sumus in eo, dum secum hoc quod nos sumus, in Deo est. Quod autem in eo per sacraméntum communicátæ carnis et sánguinis simus, ipse testátur, dicens : Et hic mundus jam me non videt, vos autem me vidébitis : quóniam ego vivo, et vos vivétis : quóniam ego in Patre meo, et vos in me, et ego in vobis.

℟. Misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem : * Et qui mandúcat me, vivet propter me. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus. — Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix

QUod autem in nobis natúralis hæc únitas sit, ipse ita testátus est : qui edit carnem meam et bibit sánguinem meum, in me manet, et ego in eo. Non enim quis in eo erit, nisi

in quo ipse fúcrit; ejus tantum in se assúmptam habens carnem, qui suam súmpserit. Perféctæ autem hujus unitátis sacraméntum supérius jam docúerat, dicens : Sicut me misit vivens Pater, et ego vivo per Patrem; et qui mandúcat meam carnem, et ipse vivet per me. Vivit ergo per Patrem : et quo modo per Patrem vivit, eódem modo nos per carnem ejus vivémus.

Te Deum laudámus. 7

Vesperæ de sequenti die Octava.

Si tamen sequenti die occurrat Festum Nativitatis S. Joannis Baptistæ vel Ss. App. Petri et Pauli, in I Vesperis pro Commemoratione præcedentis diei infra Octavam sumitur Ant. O sacrum convívium, ut in II Vesperis Festi. 310

Feria V. In Octava Ssmi Corporis Christi

Duplex majus

In I Nocturno

De primo libro Regum

Lectio i Cap. 8, 4-14

Congregáti ergo univérsi majóres natu Israël venérunt ad Samuélem in Rámatha dixerúntque ei : Ecce tu senuísti, et fílii tui non ámbulant in viis tuis : constítue nobis regem, ut júdicet nos, sicut et univérsæ habent natiónes. Displícuit sermo in óculis Samuélis, eo quod dixíssent : Da nobis regem, ut júdicet nos. Et orávit Sámuel ad Dóminum.

℟. Immolábit hædum multitúdo filiórum Israël ad vésperam Paschæ : *Et edent carnes et ázymos panes. ℣. Pascha nostrum immolátus est Christus : ítaque epulémur in ázymis sinceritátis et veritátis. — Et.

Lectio ii

Dixit autem Dóminus ad Samuélem : Audi vocem pópuli in ómnibus quæ loquúntur tibi : non enim te abjecérunt sed me, ne regnem super eos. Juxta ómnia ópera sua, quæ fecérunt a die qua edúxi eos de Ægýpto usque ad diem hanc, sicut dereliquérunt me et serviérunt diis aliénis, sic fáciunt étiam tibi. Nunc ergo vocem eórum audi; verúmtamen contestáre eos et prædic eis jus regis, qui regnatúrus est super eos.

℟. Comedétis carnes, et saturabímini pánibus : * Iste est panis, quem dedit vobis Dóminus ad vescéndum. ℣. Non Móyses dedit vobis panem de cælo, sed Pater meus dat vobis panem de cælo verum. — Iste.

Lectio iii

Dixit ítaque Sámuel ómnia verba Dómini ad pópulum, qui petíerat a se regem, et ait : Hoc erit jus regis, qui imperatúrus est vobis. Fílios vestros tollet et ponet in cúrribus suis, faciétque sibi équites et præcursóres quadrigárum suárum; et constítuet sibi tribúnos et centuriónes et aratóres agrórum suórum et messóres ségetum et fabros armórum et cúrruum suórum; fílias quoque vestras fáciet sibi unguentárias et focárias et paníficas; agros quoque vestros et víneas et olivéta óptima tollet et dabit servis suis.

℟. Respéxit Elías ad caput suum subcinerícium panem; qui surgens comédit et bibit : * Et ambulávit in fortitúdine cibi illíus usque ad montem Dei. ℣. Si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum.— Et. Glória. Et.

In II Nocturno

Sermo sancti Cyrílli Epíscopi Jerosolymitáni

Catechesis mystagog. 4

Lectio iv

Ipsa beáti Pauli doctrína abúnde suffícere vidétur, ut certam vobis de divínis mystériis fidem fáciat, quibus digni rédditi, concorpórei, ut ita dicam, et consanguínei Christi facti estis. Ipse enim modo clamábat, quod in nocte qua tradebátur Dóminus noster Jesus Christus, accípiens panem, et grátias agens fregit, et dedit discípulis suis, dicens : Accípite et manducáte : hoc est corpus meum. Et accípiens cálicem, et grátias agens, dixit : Accípite et bíbite : hic est sanguis meus. Cum ígitur ipse de pane pronuntiáverit ac díxerit : Hoc est corpus meum; quis audébit deínceps ambígere? Et cum idem ipse tam asseveránter díxerit : Hic est sanguis meus; quis umquam dubitáverit, ut dicat non esse ejus sánguinem?

℟. Cœnántibus illis, accépit Jesus panem, et benedíxit, ac fregit, dedítque discípulis suis, et ait : * Accípite et comédite : hoc est corpus meum. ℣. Dixérunt viri tabernáculi mei : Quis det de cárnibus ejus, ut saturémur? — Accípite.

Lectio v

Aquam olim in vinum convértit in Cana Galilææ, quod habet quamdam cum sánguine propinquitátem : et eum parum dignum existimábimus, cui credámus quod vinum

in sánguinem transmutárit? Ad eas núptias, quibus córpora copulántur, vocátus, præter opinión̄em ómnium hoc fecit miráculum : et non multo magis sic eum corpus et sánguinem suum fruénda nobis donásse persuásum fírmiter habébimus, ut ea cum omni certitúdine tamquam corpus ipsíus et sánguinem sumámus? Nam in spécie panis dat nobis corpus, et in spécie vini dat nobis sánguinem : ut, cum súmpseris, gustes corpus et sánguinem Christi, factus ejúsdem córporis et sánguinis párticeps. Sic enim effícimur Christíferi, hoc est, Christum in corpóribus nostris ferántes, cum corpus ejus et sánguinem in membra nostra recípimus : sic secúndum beátum Petrum, divínæ natúræ consórtes réddimur.

℟. Accépit Jesus cálicem, postquam cœnávit, dicens : Hic calix novum testaméntum est in meo sánguine : * Hoc fácite in meam commemoratiónem. ℣. Memória memor ero, et tabéscet in me ánima mea. — Hoc.

Lectio vi

Olim cum Judæis Christus dísserens, Nisi manducavéritis, inquit, carnem meam, et bibéritis meum sánguinem, non habébitis vitam in vobis. Cum autem illi, quæ dicta fúerant, non spiritáliter accepíssent, offénsi abiérunt retro; putábant enim quod eos ad manducándas carnes hortarétur. Erant et in véteri testaménto panes propositiónis; verum illi cum fúerint véteris testaménti, finem jam accepérunt. In novo vero testaménto panis est cæléstis et calix salutáris, qui et ánimam et corpus sanctíficant. Quam ob rem non sic hæc atténdas velim, tamquam sint nudus et simplex panis, nudum et simplex vinum; corpus enim sunt et sanguis Christi. Nam étiam si sensus illud tibi renúntiat, fides tamen te confírmet. Ne júdices rem ex gustu : sed te citra ullam dubitatiónem fides certum reddat, quod sis dignus factus, qui córporis et sánguinis Christi párticeps fíeres.

℟. Ego sum panis vitæ; patres vestri manducavérunt manna in desérto, et mórtui sunt : * Hic est panis de cælo descéndens, ut, si quis ex ipso mandúcet, non moriátur. ℣. Ego sum panis vivus, qui de cælo descéndi : si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum. — Hic. Glória Patri. Hic.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem

Lectio vii Cap. 6, 56-59

IN illo témpore : Dixit Jesus turbis Judæórum : Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Et réliqua.

Homília sancti Cyrílli Epíscopi Alexandríni

Liber 4 in Joann., cap. 17

QUI mandúcat, inquit, carnem meam et bibit sánguinem meum, in me manet, et ego in illo. Sícuti enim, si quis liquefáctæ ceræ áliam ceram infúderit, álteram cum áltera per totum commísceat necésse est : sic qui carnem et sánguinem Dómini récipit, cum ipso ita conjúngitur, ut Christus in ipso, et ipse in Christo inveniátur. Símili quodam modo apud Matthæum compéries. Símile est, inquit, regnum cælórum ferménto, quod accéptum abscóndit múlier in farinæ satis tribus. Sicut parum, ut Paulus ait, ferménti totam massam ferméntat, sic párvula benedíctio totum hóminem in seípsam áttrahit, et sua grátia replet; et hoc modo in nobis Christus manet, et nos in Christo.

℟. Qui mandúcat meam carnem et bibit meum sánguinem, * In me manet, et ego in eo. ℣. Non est ália nátio tam grandis, quæ hábeat deos appropinquántes sibi, sicut Deus noster adest nobis. — In.

Lectio viii

NOs vero, si vitam ætérnam cónsequi vólumus, si largitórem immortalitátis habére in nobis desiderámus, ad recipiéndam benedictiónem libénter concurrámus; caveamúsque, ne loco láquei damnósam religiónem diábolus nobis præténdat. Recte (inquit) dicis; scriptum tamen esse non ignorámus, judícium sibi comédere atque bíbere illum, qui de pane cómedit et de cálice bibit indígne. Ego ígitur probo meípsum, et indígnum invénio. Quando ígitur, quicúmque tu es qui ista dicis, dignus eris? quando Christo teípsum ófferes? Nam si peccándo indígnus es, et peccáre non désinis, (quis enim delícta intélligit? secúndum Psalmístam), expers omníno eris vivíficæ hujus sanctificatiónis.

℟. Misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem : * Et qui mandúcat me, vivet propter me.

℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intellléctus. — Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix

QUare pias, quæso, cogitatiónes suscípias, studióse sanctéque vivas, et benedictiónem partícipes : quæ (mihi crede) non mortem solum, verum étiam morbos omnes depéllit. Sedat enim, cum in nobis máneat Christus, sæviéntem membrórum nostrórum legem; pietátem corróborat, perturbatiónes ánimi exstínguit, ægrótos curat, collísos redíntegrat; et sicut pastor bonus, qui ánimam suam pro óvibus pósuit, ab omni nos érigit casu.

Te Deum laudámus. 7

Vesperæ de sequenti.

FERIA VI

Sacratíssimi Cordis Jesu

DUPLEX I CLASSIS

CUM OCTAVA PRIVILEGIATA III ORDINIS

IN I VESPERIS

Ant. Suávi jugo tuo * domináre, Dómine, in médio inimicórum tuórum.

Psalmus 109

DIxit Dóminus Dómino meo : * Sede a dextris meis :

Donec ponam inimícos tuos, * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion : * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum : * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum : * Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

Dóminus a dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas : * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet : * proptérea exaltábit caput.

Ant. Suávi jugo tuo domináre, Dómine, in médio inimicórum tuórum.

Ant. Miséricors * et miserátor Dóminus : escam dedit timéntibus se.

Psalmus 110

CONfitébor tibi, Dómine, in toto corde meo : * in consílio justórum, et congregatióne.

Magna ópera Dómini : * exquisíta in omnes voluntátes ejus.

Conféssio et magnificéntia opus ejus : * et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Memóriam fecit mirabílium suórum, miséricors et miserátor Dóminus : * escam dedit timéntibus se.

Memor erit in sæculum testaménti sui : * virtútem óperum suórum annuntiábit pópulo suo :

Ut det illis hereditátem géntium : * ópera mánuum ejus véritas, et judícium.

Fidélia ómnia mandáta ejus : confirmáta in sæculum sæculi, * facta in veritáte et æquitáte.

Redemptiónem misit pópulo suo : * mandávit in ætérnum testaméntum suum.

Sanctum, et terríbile nomen ejus : * inítium sapiéntiæ timor Dómini.

Intellléctus bonus ómnibus faciéntibus eum : * laudátio ejus manet in sæculum sæculi.

Ant. Miséricors et miserátor Dóminus : escam dedit timéntibus se.

Ant. Exórtum est * in ténebris lumen rectis; miséricors et miserátor Dóminus.

Psalmus 111

BEátus vir, qui timet Dóminum : * in mandátis ejus volet nimis.

Potens in terra erit semen ejus : * generátio rectórum benedicétur.

Glória, et divítiæ in domo ejus : * et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Exórtum est in ténebris lumen rectis : * miséricors, et miserátor, et justus.

Jucúndus homo qui miserétur et cómmodat, dispónet sermónes suos in judício : * quia in ætérnum non commovébitur.

In memória ætérna erit justus : * ab auditióne mala non timébit.

Parátum cor ejus speráre in Dómino, confirmátum est cor ejus : * non commovébitur donec despíciat inimícos suos.

Dispérsit, dedit paupéribus : justítia ejus manet in sæculum sæculi, * cornu ejus exaltábitur in glória.

Peccátor vidébit, et irascétur, déntibus suis fremet et tabéscet : * desidérium peccatórum períbit.

Ant. Exórtum est in ténebris lumen rectis; miséricors et miserátor Dóminus.

Ant. Quid retríbuam Dómino * pro ómnibus quæ retríbuit mihi?

Psalmus 115

CRédidi, propter quod locútus sum : * ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo : * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino, * pro ómnibus, quæ retríbuit mihi?

Cálicem salutáris accípiam : * et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus : * pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus :

O Dómine, quia ego servus tuus : * ego servus tuus, et fílius ancíllæ tuæ.

Dirupísti víncula mea : * tibi sacrificábo hóstiam laudis, et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli ejus : * in átriis domus Dómini, in médio tui, Jerúsalem.

Ant. Quid retríbuam Dómino pro ómnibus quæ retríbuit mihi?

Ant. Apud Dóminum * propitiátio est et copiósa apud eum redémptio.

Psalmus 129

DE profúndis clamávi ad te, Dómine : * Dómine, exáudi vocem meam :

Fiant aures tuæ intendéntes, * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes observáveris, Dómine : * Dómine, quis sustinébit?

Quia apud te propitiátio est : * et propter legem tuam sustínui te, Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus : * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem : * speret Israël in Dómino.

Quia apud Dóminum misericórdia : * et copiósa apud eum redémptio.

Et ipse rédimet Israël, * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Ant. Apud Dóminum propitiátio est et copiósa apud eum redémptio.

Capitulum Ephes. 3, 8-9

FRatres, mihi ómnium sanctórum mínimo data est grátia hæc, in géntibus evangelizáre investigábiles divítias Christi; et illumináre omnes, quæ sit dispensátio sacraménti abscónditi a sæculis in Deo.

Hymnus

CUm ut supérba críminum
Et sæva nostrórum cohors
Cor sauciávit ínnocens
Meréntis haud tale Dei!

Vibrántis hastam mílitis
Peccáta nostra dírigunt,
Ferrúmque diræ cúspidis
Mortále crimen ácuit.

Ex Corde scisso Ecclésia,
Christo jugáta, náscitur :
Hoc óstium arcæ in látere est
Genti ad salútem pósitum.

Ex hoc perénnis grátia,
Ceu septifórmis flúvius,
Stolas ut illic sórdidas
Lavémus Agni in sánguine.

Turpe est redíre ad crímina,
Quæ Cor beátum lácerent :
Sed æmulémur córdibus
Flammas amóris índices.

* Jesu, tibi sit glória,
Qui corde fundis grátiam,
Cum Patre et almo Spíritu
In sempitérna sæcula.
Amen.

Sic terminantur omnes Hymni per totam Octavam.

℣. Tóllite jugum meum super vos et díscite a me.
℟. Quia mitis sum et húmilis Corde.

Ad Magnif. Ant. Ignem * veni míttere in terram, et quid volo nisi ut accendátur?

Oratio

DEus qui nobis, in Corde Fílii tui, nostris vulneráto peccátis, infinítos dilectiónis thesáuros misericórditer largíri dignáris; concéde, quæsumus, ut illi devótum pietátis nostræ præstántes obséquium, dignæ quoque satisfactiónis exhibeámus offícium. Per eúmdem Dóminum.

Et nulla fit Commemoratio, nisi tantum de præcedenti Festo Nativitatis S. Joannis Baptistæ vel Ss. Petri et Pauli App., si pridie occurrerit.

Completorium de Dominica.

AD MATUTINUM

Invit. Cor Jesu amóre nostri vulneratum * Veníte, adorémus. Ps. 94 Veníte, exsultémus. 3

Hymnus

AUctor beáte sæculi,
Christe, Redémptor ómnium,
Lumen Patris de lúmine,
Deúsque verus de Deo :

Amor coégit te tuus
Mortále corpus súmere,
Ut, novus Adam, rédderes
Quod vetus ille abstúlerat.

Ille amor almus ártifex
Terræ marísque et síderum,
Erráta patrum míserans
Et nostra rumpens víncula.

Non Corde discédat tuo
Vis illa amóris ínclyti :
Hoc fonte gentes háuriant
Remissiónis grátiam.

Percússum ad hoc est láncea
Passúmque ad hoc est vúlnera,
Ut nos laváret sórdibus,
Unda fluénte et sánguine.

Jesu, tibi sit glória,
Qui Corde fundis grátiam,
Cum Patre et almo Spíritu
In sempitérna sæcula.
Amen.

In I Nocturno

Ant. Cogitatiónes * Cordis ejus in generatióne et generatiónem.

Psalmus 32

EXsultáte, justi, in Dómino : * rectos decet collaudátio.

Confitémini Dómino in cíthara : * in psaltério decem chordárum psállite illi.

Cantáte ei cánticum novum : * bene psállite ei in vociferatióne.

Quia rectum est verbum Dómini, * et ómnia ópera ejus in fide.

Díligit misericórdiam et judícium : * misericórdia Dómini plena est terra.

Verbo Dómini cæli firmáti sunt : * et spíritu oris ejus omnis virtus eórum.

Cóngregans sicut in utre aquas maris : * ponens in thesáuris abýssos.

Tímeat Dóminum omnis terra : * ab eo autem commoveántur omnes inhabitántes orbem.

Quóniam ipse dixit, et facta sunt : * ipse mandávit, et creáta sunt.

Dóminus díssipat consília Géntium : * réprobat autem cogitatiónes populórum, et réprobat consília príncipum.

Consílium autem Dómini in ætérnum manet : * cogitatiónes cordis ejus in generatióne et generatiónem.

Beáta gens, cujus est Dóminus, Deus ejus : * pópulus, quem elégit in hereditátem sibi.

De cælo respéxit Dóminus : * vidit omnes fílios hóminum.

De præparáto habitáculo suo * respéxit super omnes, qui hábitant terram.

Qui finxit sigillátim corda eórum : * qui intélligit ómnia ópera eórum.

Non salvátur rex per multam virtútem : * et gigas non salvábitur in multitúdine virtútis suæ.

Fallax equus ad salútem : * in abundántia autem virtútis suæ non salvábitur.

Ecce óculi Dómini super metuéntes eum : * et in

eis, qui sperant super misericórdia ejus :

Ut éruat a morte ánimas eórum : * et alat eos in fame.

Anima nostra sústinet Dóminum : * quóniam adjútor et protéctor noster est.

Quia in eo lætábitur cor nostrum : * et in nómine sancto ejus sperávimus.

Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos : * quemádmodum sperávimus in te.

Ant. Cogitatiónes Cordis ejus in generatióne et generatiónem.

Ant. Apud te * est fons vítæ; torrénte voluptátis tuæ potábis nos, Dómine.

Psalmus 35

DIxit injústus ut delínquat in semetípso : * non est timor Dei ante óculos ejus.

Quóniam dolóse egit in conspéctu ejus : * ut inveniátur iníquitas ejus ad ódium.

Verba oris ejus iníquitas, et dolus : * nóluit intellígere ut bene ágeret.

Iniquitátem meditátus est in cubíli suo : * ástitit omni viæ non bonæ, malítiam autem non odívit.

Dómine, in cælo misericórdia tua : * et véritas tua usque ad nubes.

Justítia tua sicut montes Dei : * judícia tua abýssus multa.

Hómines, et juménta salvábis, Dómine : * quemádmodum multiplicásti misericórdiam tuam, Deus.

Fílii autem hóminum, * in tégmine alárum tuárum sperábunt.

Inebriabúntur ab ubertáte domus tuæ : * et torrénte voluptátis tuæ potábis eos.

Quóniam apud te est fons vitæ : * et in lúmine tuo vidébimus lumen.

Præténde misericórdiam tuam sciéntibus te, * et justítiam tuam his, qui recto sunt corde.

Non véniat mihi pes superbiæ : * et manus peccatóris non móveat me.

Ibi cecidérunt qui operántur iniquitátem : * expúlsi sunt, nec potuérunt stare.

Ant. Apud te est fons vitæ; torrénte voluptátis tuæ potábis nos, Dómine.

Ant. Homo * pacis meæ, qui edébat panes meos, magnificávit super me supplantatiónem.

Psalmus 40

BEátus qui intélligit super egénum, et páuperem : * in die mala liberábit eum Dóminus.

Dóminus consérvet eum, et vivíficet eum, et beátum fáciat eum ín terra : * et non tradat eum in ánimam inimicórum ejus.

Dóminus opem ferat illi super lectum dolóris ejus : * univérsum stratum ejus versásti in infirmitáte ejus.

Ego dixi : Dómine, miserére mei : * sana ánimam meam, quia peccávi tibi.

Inimíci mei dixérunt mala mihi : * Quando moriétur, et períbit nomen ejus?

Et si ingrediebátur ut vidéret, vana loquebátur : * cor ejus congregávit iniquitátem sibi.

Egrediebátur foras, * et loquebátur in idípsum.

Advérsum me susurrábant omnes inimíci mei : * advérsum me cogitábant mala mihi.

Verbum iníquum constituérunt advérsum me : * Numquid qui dormit non adjíciet ut resúrgat?

Etenim homo pacis meæ, in quo sperávi : * qui edébat panes meos, magnificávit super me supplantatiónem.

Tu autem, Dómine, miserére mei, et resúscita me : * et retríbuam eis.

In hoc cognóvi quóniam voluísti me : * quóniam non gaudébit inimícus meus super me.

Me autem propter innocéntiam suscepísti : * et confirmásti me in conspéctu tuo in ætérnum.

Benedíctus Dóminus, Deus Israël, a sæculo et usque in sæculum : * fiat, fiat.

Ant. Homo pacis meæ, qui edébat panes meos, magnificávit super me supplantatiónem.

℣. Tóllite jugum meum super vos et díscite a me.
℟. Quia mitis sum et húmilis Corde.

De Jeremía Prophéta

Lectio i Cap. 24, 5-7

HÆC dicit Dóminus, Deus Israël : Cognóscam transmigratiónem Juda, quam emísi de loco isto in terram Chaldæórum, in bonum. Et ponam óculos meos super eos ad placándum, et redúcam eos in terram hanc; et ædificábo eos, et non déstruam; et plantábo eos et non evéllam. Et dabo eis cor ut sciant me, quia ego sum Dóminus; et erunt mihi in pópulum, et ego ero eis in Deum, quia reverténtur ad me in toto corde suo.

℟. Fériam eis pactum sempitérnum et non désinam eis benefácere et timórem meum dabo in corde eórum * Ut non recédant a me. ℣. Et lætábor super eis cum bene eis fécero in toto Corde meo. — Ut non recédant a me.

Lectio ii Cap. 30, 18-24

HÆC dicit Dóminus : Ecce ego convértam conversiónem tabernaculórum Jacob, et tectis ejus miserébor, et ædificábitur cívitas in excélso suo, et templum juxta órdinem suum fundábitur, et egrediétur de eis laus, voxque ludéntium. Et erit dux ejus ex eo, et princeps de médio ejus producétur; et applicábo eum et accédet ad me. Quis enim iste est qui ápplicet cor suum ut appropínquet mihi? ait Dóminus. Et éritis mihi in pópulum, et ego ero vobis in Deum. Ecce turbo Dómini, furor egrédiens, procélla ruens; in cápite impiórum conquiéscet. Non avértet iram indignatiónis Dóminus, donec fáciat et cómpleat cogitatiónem Cordis sui : in novíssimo diérum intelligétis ea.

℟. Si inimícus meus maledixísset mihi, sustinuíssem útique. * Tu vero homo unánimis qui simul mecum dulces capiébas cibos. ℣. Et si is qui me óderat super me magna locútus fuísset, abscondíssem me fórsitan ab eo. — Tu vero homo unánimis.

Lectio iii Cap. 31, 1-3, 31-33

IN témpore illo, dicit Dóminus, ero Deus univérsis cognatiónibus Israël, et ipsi erunt mihi in pópulum. Hæc dicit Dóminus : Invénit grátiam in desérto pópulus qui remánserat a gládio; vadet ad réquiem suam Israël. Longe Dóminus appáruit mihi. Et in caritáte perpétua diléxi te : ídeo attráxi te, míserans. Ecce dies vénient, dicit Dóminus : et fériam dómui Israël et dómui Juda fœdus novum : non secúndum pactum, quod pépigi cum pátribus eórum in die, qua apprehéndi manum eórum, ut edúcerem eos de Terra Ægýpti : pactum quod írritum fecérunt, et ego dominátus sum eórum, dicit Dóminus. Sed hoc erit pactum, quod fériam cum domo Israël : post dies illos dicit Dóminus : Dabo legem meam in viscéribus eórum, et in corde eórum scribam eam : et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in pópulum.

℟. Cum essémus mórtui peccátis, convivificávit nos Deus in Christo * Propter nímiam caritátem suam qua diléxit nos. ℣. Ut osténderet in sæculis superveniéntibus abun-

dántes divítias grátiæ suæ. — Propter. Glória Patri. Propter.

In II Nocturno

Ant. Rex omnis terræ * Deus; regnábit super Gentes.

Psalmus 46

Mnes gentes, pláudite mánibus : * jubiláte Deo in voce exsultatiónis.

Quóniam Dóminus excélsus, terríbilis : * Rex magnus super omnem terram.

Subjécit pópulos nobis : * et Gentes sub pédibus nostris.

Elégit nobis hereditátem suam : * spéciem Jacob, quam diléxit.

Ascéndit Deus in júbilo : * et Dóminus in voce tubæ.

Psállite Deo nostro, psállite : * psállite Regi nostro, psállite.

Quóniam Rex omnis terræ Deus : * psállite sapiénter.

Regnábit Deus super Gentes : * Deus sedet super sedem sanctam suam.

Príncipes populórum congregáti sunt cum Deo Abraham : * quóniam dii fortes terræ veheménter eleváti sunt.

Ant. Rex omnis terræ Deus; regnábit super Gentes.

Ant. Dum anxiarétur * Cor meum, in petra exaltásti me.

Psalmus 60

EXáudi, Deus, deprecatiónem meam : * inténde oratióni meæ.

A finibus terræ ad te clamávi : * dum anxiarétur cor meum, in petra exaltásti me.

Deduxísti me, quia factus es spes mea : * turris fortitúdinis a fácie inimíci.

Inhabitábo in tabernáculo tuo in sæcula : * prótegar in velaménto alárum tuárum.

Quóniam tu, Deus meus, exaudísti oratiónem meam : * dedísti hereditátem timéntibus nomen tuum.

Dies super dies regis adjícies : * annos ejus usque in diem generatiónis et generatiónis.

Pérmanet in ætérnum in conspéctu Dei : * misericórdiam et veritátem ejus quis requíret?

Sic psalmum dicam nómini tuo in sæculum sæculi : * ut reddam vota mea de die in diem.

Ant. Dum anxiarétur Cor meum, in petra exaltásti me.

Ant. Secúndum multitúdinem * dolórum meórum in Corde meo, consolatiónes tuæ lætificavérunt ánimam meam.

Psalmus 93

DEus ultiónum Dóminus : * Deus ultiónum líbere egit.

Exaltáre, qui júdicas terram : * redde retributiónem supérbis.

Usquequo peccatóres,Dómine, * úsquequo peccatóres gloriabúntur :

Effabúntur, et loquéntur iniquitátem : * loquéntur omnes, qui operántur injustítiam?

Pópulum tuum, Dómine, humiliavérunt : * et hereditátem tuam vexavérunt.

Víduam, et ádvenam interfecérunt : * et pupíllos occidérunt.

Et dixérunt : Non vidébit Dóminus, * nec intélliget Deus Jacob.

Intellígite, insipiéntes in pópulo : * et stulti, aliquándo sápite.

Qui plantávit aurem, non áudiet? * aut qui finxit óculum, non consíderat?

Qui córripit gentes, non árguet : * qui docet hóminem sciéntiam?

Dóminus scit cogitatiónes hóminum, * quóniam vanæ sunt.

Beátus homo, quem tu erudíeris, Dómine : * et de lege tua docúeris eum.

Ut mítiges ei a diébus malis : * donec fodiátur peccatóri fóvea.

Quia non repéllet Dóminus plebem suam : * et hereditátem suam non derelínquet.

Quoadúsque justítia convertátur in judícium : * et qui juxta illam omnes qui recto sunt corde.

Quis consúrget mihi advérsus malignántes? * aut quis stabit mecum advérsus operántes iniquitátem?

Nisi quia Dóminus adjúvit me : * paulo minus habitásset in inférno ánima mea.

Si dicébam : Motus est pes meus : * misericórdia tua, Dómine, adjuvábat me.

Secúndum multitúdinem dolórum meórum in corde meo : * consolatiónes tuæ lætificavérunt ánimam meam.

Numquid adhæret tibi sedes iniquitátis : * qui fingis labórem in præcépto?

Captábunt in ánimam justi : * et sánguinem innocéntem condemnábunt.

Et factus est mihi Dóminus in refúgium : * et Deus meus in adjutórium spei meæ.

Et reddet illis iniquitátem ipsórum : et in malítia eórum dispérdet eos : * dispérdet illos Dóminus Deus noster.

Ant. Secúndum multitúdinem dolórum meórum in Corde meo, consolatiónes tuæ lætificavérunt ánimam meam.

℣. Ego dixi, Dómine, miserére mei. ℟. Sana ánimam meam quia peccávi tibi.

Lectio iv

Nter mira sacræ doctrínæ pietatísque increménta, quibus divínæ Sapiéntiæ consília clárius in dies Ecclésiæ manifestántur, vix áliud magis conspícuum est quam triumphális progréssio cultus Sacratíssimi Cordis Jesu. Sæpius quidem, priórum decúrsu témporum, Patres, Doctóres, Sancti, Redemptóris nostri amórem celebrárunt : vulnus in látere Christi apértum ómnium gratiárum arcánum dixérunt fontem. At inde a médio ævo, cum tenerióre quadam erga Sanctíssimam Salvatóris Humanitátem religióne fidéles áffici cœpti sunt, ánimæ contemplatívæ per plagam illam ad ipsum Cor, amóre hóminum vulnerátum, penetráre fere solébant. Atque ex eo témpore hæc contemplátio sanctíssimis quibúsque ita familiáris evásit, ut neque régio neque ordo religiósus sit, in quibus non insígnia, hac ætáte, ejus reperiántur testimónia. Próximis demum sæculis, eóque potíssimum témpore quo hærétici, sub falsæ pietátis título, a Sanctíssima Eucharístia Christiános deterrére conabántur, cultus Sacratíssimo Cordi públice exhibéri cœptus est, ópera imprímis sancti Joánnis Eudes, qui auctor litúrgici cultus Sacrórum Córdium Jesu et Maríæ haud immérito nuncupátur.

℟. Prope est Dóminus ómnibus invocántibus eum, * Omnibus invocántibus eum in veritáte. ℣. Miserátor et miséricors Dóminus, pátiens et multum miséricors. — Omnibus.

Lectio v

VErum, ad cultum Sacratíssimi Cordis Jesu plene perfectéque constituéndum eumdémque per totum orbem propagándum, Deus ipse sibi instruméntum elégit humíllimam ex órdine Visitatiónis vírginem, sanctam Margarítam Maríam Alacóque, cui, a príma quidem ætáte jam in Eucharístiæ Sacraméntum amóre flagránti, Christus Dóminus sæpenúmero appárens, dívini Cordis sui et divítias et optáta significáre dignátus est. Quarum apparitiónum celebérrima illa est, qua ei ante Eucharístiam oránti Jesus

conspiciéndum se dedit, Sacratíssimum Cor osténdit et, conquéstus quod, pro imménsa sua caritáte, nihil nisi ingratórum hóminum contumélias recíperet, ipsi præcépit ut novum festum, féria sexta post octávam Córporis Christi, instituéndum curáret, quo Cor suum honóre débito colerétur, atque injúriæ sibi in Sacraménto amóris a peccatóribus illátæ dignis expiaréntur obséquiis. Quot autem quantásque Dei Fámula in Christi mandátis exsequéndis expérta sit difficultátes, nemo est qui ignóret; sed ab ipso Dómino confirmáta, atque a Religiósis ánimæ suæ moderatóribus, qui incredíbili quodam ardóre ad hunc cultum promovéndum laborárunt, strénue adjúta, múnere sibi cælitus commísso fidéliter fungi ad mortem usque non déstitit.

℟. Confíteor tibi, Pater, Dómine cæli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus * Et revelásti ea párvulis. ℣. Ita, Pater, quóniam sic fuit plácitum ante te. — Et revelásti.

Lectio vi

ANno tandem millésimo septingentésimo sexagésimo quinto, Clemens décimus tértius Póntifex Máximus offícium et missam in honórem Sacratíssimi Cordis Jesu approbávit; Pius vero nonus festum ad univérsam Eccléstam exténdit. Exínde, cultus Sacratíssimi Cordis, quasi flumen exúndans, prólutis impedimentis ómnibus, per totum se orbem effúdit et, novo illucescénte sæculo, jubilæo indícto, Leo décimus tértius humánum genus univérsum Sacratíssimo Cordi devótum vóluit. Quæ consecrátio, in ómnibus quidem cathólici orbis ecclésiis, sollémni ritu perácta, ingens áttulit devotiónis hujus increméntum, et ad eam non solum pópulos, verum étiam singulares famílias addúxit, quæ Divíno Cordi innumerábiles se dévovent, regióque ejus império subjíciunt. Dénique, Pius undécimus Póntifex Máximus, quo plénius festi sollémnitas pópuli christiáni devotióni tam late patenti respónderet, Sacratíssimi Cordis Jesu festum ad ritum dúplicem primæ classis cum octáva evéxit; ac prætérea, ut violáta jura Christi summi Regis ac Dómini amantíssimi resarciréntur, populorúmque peccáta defleréntur, eódem festo die piaculárem precatiónem in

ómnibus christiáni orbis templis quotánnis recitándam mandávit.

℟. Omnes gentes quascúmque fecísti vénient * Et adorábunt coram te, Dómine. ℣. Et glorificábunt nomen tuum quóniam magnus es tu, et fáciens mirabília. — Et adorábunt. Glória Patri. Et adorábunt.

In III Nocturno

Ant. Qui dilígitis Dóminum, * confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

Psalmus 96

DOminus regnávit, exsúltet terra : * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes, et cáligo in circúitu ejus : * justítia, et judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet, * et inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ : * vidit, et commóta est terra.

Montes, sicut cera fluxérunt a fácie Dómini : * a fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cæli justítiam ejus : * et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes, qui adórant sculptília : * et qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum, omnes Angeli ejus : * audívit, et lætáta est Sion.

Et exsultavérunt fíliæ Judæ, * propter judícia tua, Dómine :

Quóniam tu Dóminus Altíssimus super omnem terram : * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui diligitis Dóminum, odíte malum : * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde lætítia.

Lætámini, justi, in Dómino : * et confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

Ant. Qui dilígitis Dóminum, confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

Ant. Vidérunt * omnes términi terræ salutáre Dei nostri.

Psalmus 97

CAntáte Dómino cánticum novum : * quia mirabília fecit.

Salvábit sibi déxtera ejus : * et bráchium sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus salutáre suum : * in conspéctu géntium revelávit justítiam suam.

Recordátus est misericórdiæ suæ, * et veritátis suæ dómui Israël.

Vidérunt omnes términi terræ * salutáre Dei nostri.

Jubiláte Deo, omnis terra : * cantáte, et exsultáte, et psállite.

Psállite Dómino in cíthara, in cíthara et voce psalmi : * in tubis ductílibus, et voce tubæ córneæ.

Jubiláte in conspéctu regis Dómini : * moveátur mare, et plenitúdo ejus : orbis terrárum, et qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, simul montes exsultábunt a conspéctu Dómini : * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in justítia, * et pópulos in æquitáte.

Ant. Vidérunt omnes términi terræ salutáre Dei nostri.

Ant. Psallam tibi * in natiónibus, quia magna est super cælos misericórdia tua.

Psalmus 107

PArátum cor meum, Deus, parátum cor meum : * cantábo, et psallam in glória mea.

Exsúrge, glória mea, exsúrge, psaltérium, et cíthara : * exsúrgam dilúculo.

Confitébor tibi in pópulis, Dómine : * et psallam tibi in natiónibus.

Quia magna est super cælos misericórdia tua, * et usque ad nubes véritas tua :

Exaltáre super cælos, Deus, et super omnem terram glória tua : * ut liberéntur dilécti tui.

Salvum fac déxtera tua, et exáudi me : * Deus locútus est in sancto suo :

Exsultábo, et dívidam Síchimam, * et convállem tabernaculórum dimétiar.

Meus est Gálaad, et meus est Manásses : * et Ephraïm suscéptio cápitis mei.

Juda rex meus : * Moab lebes spei meæ.

In Idumæam exténdam calceaméntum meum : * mihi alienígenæ amíci facti sunt.

Quis dedúcet me in civitátem munítam? * quis dedúcet me usque in Idumæam?

Nonne tu, Deus, qui repulísti nos, * et non exíbis, Deus, in virtútibus nostris?

Da nobis auxílium de tribulatióne : * quia vana salus hóminis.

In Deo faciémus virtútem : * et ipse ad níhilum edúcet inimícos nostros.

Ant. Psallam tibi in natiónibus, quia magna est super cælos misericórdia tua.

℣. Memóriam fecit mirabílium suórum miserátor Dóminus. ℟. Escam dedit timéntibus se.

Léctio sancti Evangélii
secúndum Joánnem
Lectio vii Cap. 19, 31-37

IN illo témpore : Judæi, quóniam parascéve erat, ut non remanérent in cruce córpora sábbato, erat enim magnus dies ille sábbati, rogavérunt Pilátum ut frangeréntur eórum crura et tolleréntur. Et réliqua.

Homília sancti Bonaventúræ Epíscopi
Liber de ligno vitæ, num. 30

IN de látere Christi dormiéntis in cruce formarétur Ecclésia, et Scriptúra implerétur quæ dicit : Vidébunt in quem transfixérunt, divína est ordinatióne indúltum ut unus mílitum láncea latus illud sacrum aperiéndo perfóderet, quátenus, sánguine cum aqua manánte, prétium effunderétur nostræ salútis, quod a fonte, scílicet Cordis arcáno profúsum, vim daret sacraméntis Ecclésiæ ad vitam grátiæ conferéndam, essétque jam in Christo vivéntibus póculum fontis vivi, saliéntis in vitam ætérnam. Surge ígitur, ánima amíca Christi, vigiláre non cesses, ibi os appóne, ut háurias aquas de fóntibus salvatóris.

℟. Ego si exaltátus fúero a terra * Omnia traham ad meípsum. ℣. Hoc autem dicébat significans qua morte esset moritúrus. — Omnia.

Lectio viii
De vite mystica Cap. 3

QUia semel vénimus ad Cor Dómini Jesu dulcíssimi, et bonum est nos hic esse, non fácile evellámur ab eo. O quam bonum et jucúndum habitáre in Corde hoc. Bonus thesáurus, pretiósa margaríta Cor tuum, óptime Jesu, quam fosso agro córporis tui invenímus. Quis hanc margarítam abjíciat? Quin pótius, dabo omnes margarítas, cogitatiónes et affectiónes meas commutábo et comparábo illam mihi, jactans omnem cogitátum meum in Cor boni Jesu, et sine fallácia illud me enútriet. Hoc ígitur tuo et meo Corde, dulcíssime Jesu, invénto, orábo te Deum meum : admítte in sacrárium exauditiónis preces meas : immo me totum trahe in Cor tuum. ℟. Simus ergo imitatóres Dei * Et ambulémus in dilectióne. ℣. Sicut et Christus diléxit nos et trádidit semetípsum pro nobis. — Et ambulémus. Glória Patri. Et ambulémus in dilectióne.

Lectio ix

AD hoc enim perforátum est latus tuum, ut nobis páteat intróitus. Ad hoc vulnerátum est Cor tuum, ut in illo ab exterióribus turbatiónibus absolúti habitáre possimus. Nihilóminus et propterea vulnerátum est, ut per vulnus visibile, vulnus amóris invisíbile videámus. Quómodo hic ardor mélius posset osténdi, nisi quod non solum corpus, verum étiam ipsum Cor láncea vulnerári permisit? Carnále ergo vulnus, vulnus spirituále osténdit. Quis illud Cor tam vulnerátum non díligat? quis tam amántem non rédamet? quis tam castum non amplectátur? Nos ígitur adhuc in carne manéntes, quantum póssumus, amántem redamémus, amplectámur vulnerátum nostrum, cujus ímpii agrícolæ fodérunt manus et pedes, latus et Cor; oremúsque ut cor nostrum, adhuc durum et impœnitens, amóris sui vínculo constríngere et jáculo vulneráre dignétur.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES
et per Horas, Añæ

1 Unus mílitum * láncea latus ejus apéruit et continuo exívit sanguis et aqua.

Psalmi de Dominica.

2 Stans Jesus * clamábat dicens : Si quis sitit véniat ad me et bibat.

3 In caritáte perpétua * diléxit nos Deus, ídeo, exaltátus a terra, attráxit nos ad Cor suum, míserans.

4 Veníte ad me * omnes qui laborátis et oneráti estis et ego refíciam vos.

5 Fili, * præbe mihi cor tuum et óculi tui custódiant vias meas.

Capitulum Ephes. 3, 8-9

FRatres, mihi ómnium sanctórum mínimo data est grátia hæc, in géntibus evangelizáre investigábiles divítias Christi; et illumináre omnes, quæ sit dispensátio sacraménti abscónditi a sæculis in Deo.

Hymnus

COR, arca legem cóntinens
Non servitútis véteris,
Sed grátiæ, sed véniæ,
Sed et misericórdiæ.

Cor, sanctuárium novi
Intemerátum fœderis,
Templum vetústo sánctius,
Velúmque scisso utílius.

Te vulnerátum cáritas
Ictu paténti vóluit,

Amóris invisíbilis
Ut venerémur vúlnera.

Hoc sub amóris símbolo
Passus cruénta et mýstica,
Utrúmque sacrifícium
Christus sacérdos óbtulit.

Quis non amántem réddamet?
Quis non redémptus díligat,
Et Corde in isto séligat
Ætérna tabernácula?

Jesu, tibi sit glória,
Qui Corde fundis grátiam
Cum Patre et almo Spíritu
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Hauriétis aquas in gáudio. ℟. De fóntibus Salvatóris.

Ad Bened. Ant. Facta sunt * enim hæc ut Scriptúra implerétur quæ dicit : Vidébunt in quem transfixérunt.

Oratio

DEus qui nobis, in Corde Filii tui, nostris vulneráto peccátis, infinítos dilectiónis thesáuros misericórditer largíri dignáris; concéde, quæsumus, ut illi devótum pietátis nostræ præstántes obséquium, dignæ quoque satisfactiónis exhibeámus offícium. Per eúmdem Dóminum.

Ad Horas Psalmi de Dominica, ad Primam tamen ut in Festis; et ad eam in ℟. br. dicitur ℣. Qui Corde fundis grátiam, per totam Octavam.

AD TERTIAM

Capitulum Fratres, mihi ómnium, ut supra. 358

℟. br. Tóllite jugum meum super vos * Et díscite a me. Tóllite. ℣. Quia mitis sum et húmilis Corde. Et díscite. Glória Patri. Tóllite.

℣. Ego dixi : Dómine, miserére mei. ℟. Sana ánimam meam quia peccávi tibi.

AD SEXTAM

Capit. Ephes. 3, 14-17

HUjus rei grátia flecto génua mea ad Patrem Dómini nostri Jesu Christi, ut det vobis secúndum divítias glóriæ suæ virtúte corroborári per Spíritum ejus in interiórem hóminem : Christum habitáre per fidem in córdibus vestris.

℟. br. Ego dixi, Dómine, * Miserére mei. Ego dixi. ℣. Sana ánimam meam quia peccávi tibi. Miserére mei. Glória Patri. Ego dixi.

℣. Memóriam fecit mirabílium suórum miserátor Dóminus. ℟. Escam dedit timéntibus se.

AD NONAM

Ant. Fili, * præbe mihi cor tuum et óculi tui custódiant vias meas.

Capit. Ephes. 3, 17-19

IN caritáte radicáti et fundáti, ut possítis comprehéndere cum ómnibus sanctis, quæ sit latitúdo et longitúdo, et sublímitas et profúndum; scire étiam supereminéntem sciéntiæ caritátem Christi, ut impleámini in omnem plenitúdinem Dei.

℟. br. Memóriam fecit mirabílium suórum * Miserátor Dóminus. Memóriam. ℣. Escam dedit timéntibus se. Miserátor. Glória Patri. Memóriam. ℣. Hauriétis aquas in gáudio. ℟. De fóntibus Salvatóris.

IN II VESPERIS

Ant. Unus mílitum * láncea latus ejus apéruit et contínuo exívit sanguis et aqua.

Psalmus 109

DIxit Dóminus Dómino meo : * Sede a dextris meis :

Donec ponam inimícos tuos, * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion :* domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum : * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum : * Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

Dóminus a dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas : * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet : * proptérea exaltábit caput.

Ant. Unus mílitum láncea latus ejus apéruit et contínuo exívit sanguis et aqua.

Ant. Stans Jesus * clamábat dicens : Si quis sitit véniat ad me et bibat.

Psalmus 110

CONfitébor tibi, Dómine, in toto corde meo : * in consílio justórum, et congregatióne.

Magna ópera Dómini : * exquisíta in omnes voluntátes ejus.

Conféssio et magnificéntia opus ejus : * et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Memóriam fecit mirabílium suórum, miséricors et miserátor Dóminus : * escam dedit timéntibus se.

Memor erit in sæculum testaménti sui : * virtútem óperum suórum annuntiábit pópulo suo :

Ut det illis hereditátem géntium : * ópera mánuum ejus véritas, et judícium.

Fidélia ómnia mandáta ejus : confirmáta in sæculum sæculi, * facta in veritáte et æquitáte.

Redemptiónem misit pópulo suo : * mandávit in ætérnum testaméntum suum.

Sanctum, et terríbile nomen ejus : * inítium sapiéntiæ timor Dómini.

Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum : * laudátio ejus manet in sæculum sæculi.

Ant. Stans Jesus clamábat dicens : Si quis sitit véniat ad me et bibat.

Ant. In caritáte perpétua * diléxit nos Deus, ídeo, exaltátus a terra, attráxit nos ad Cor suum, míserans.

Psalmus 115

CRédidi, propter quod locútus sum : * ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo : * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino, * pro ómnibus, quæ retríbuit mihi?

Cálicem salutáris accípiam : * et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus : * pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus :

O Dómine, quia ego servus tuus : * ego servus tuus, et fílius ancíllæ tuæ.

Dirupísti víncula mea : * tibi sacrificábo hóstiam laudis, et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli ejus : * in átriis domus Dómini, in médio tui, Jerúsalem.

Ant. In caritáte perpétua diléxit nos Deus, ídeo, exaltátus a terra, attráxit nos ad Cor suum, míserans.

Ant. Veníte ad me, * omnes qui laborátis et oneráti estis et ego refíciam vos.

Psalmus 127

BEáti omnes, qui timent Dóminum, * qui ámbulant in viis ejus.

Labóres mánuum tuárum quia manducábis : * beátus es, et bene tibi erit.

Uxor tua sicut vitis abúndans, * in latéribus domus tuæ.

Fílii tui sicut novéllæ olivárum, * in circúitu mensæ tuæ.

Ecce sic benedicétur homo, * qui timet Dóminum.

Benedícat tibi Dóminus ex Sion : * et vídeas bona Jerúsalem ómnibus diébus vitæ tuæ.

Et vídeas fílios filiórum tuórum, * pacem super Israël.

Ant. Veníte ad me, omnes qui laborátis et oneráti estis et ego refíciam vos.

Ant. Fili, * præbe mihi cor tuum et óculi tui custódiant vias meas.

Psalmus 147

LAuda, Jerúsalem, Dóminum : * lauda Deum tuum, Sion.

Quóniam confortávit seras portárum tuárum : * benedíxit fíliis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pacem : * et ádipe fruménti sátiat te.

Qui emíttit elóquium suum terræ : * velóciter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam : * nébulam sicut cínerem spargit.

Mittit crystállum suam sicut buccéllas : * ante fáciem frígoris ejus quis sustinébit?

Emíttet verbum suum, et liquefáciet ea : * flabit spíritus ejus, et fluent aquæ.

Qui annúntiat verbum suum Jacob : * justítias, et judícia sua Israël.

Non fecit táliter omni natióni : * et judícia sua non manifestávit eis.

Ant. Fili, præbe mihi cor tuum et óculi tui custódiant vias meas.

Capitulum Ephes. 3, 8-9

FRatres, mihi ómnium sanctórum mínimo data est grátia hæc, in géntibus evangelizáre investigábiles divítias Christi; et illumináre omnes, quæ sit dispensátio sacraménti abscónditi a sæculis in Deo.

Hymnus

GN ut supérba críminum
Et sæva nostrórum cohors
Cor sauciávit ínnocens
Meréntis haud tale Dei!

Vibrántis hastam mílitis
Peccáta nostra dírigunt,
Ferrúmque diræ cúspidis
Mortále crimen ácuit.

Ex Corde scisso Ecclésia,
Christo jugáta náscitur :
Hoc óstium arcæ in látere
est
Genti ad salútem pósitum.

Ex hoc perénnis grátia,
Ceu septifórmis flúvius,
Stolas ut illic sórdidas
Lavémus Agni in sánguine.

Turpe est redíre ad crímina,
Quæ Cor beátum lácerent :
Sed æmulémur córdibus
Flammas amóris índices.

Jesu, tibi sit glória,
Qui Corde fundis grátiam,
Cum Patre et almo Spíritu
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Hauriétis aquas in gáudio. ℟. De fóntibus Salvatóris.

Ad Magnif. Ant. Ad Jesum autem * cum venísset, ut vidérunt eum jam mórtuum, non fregérunt ejus crura, sed unus mílitum láncea latus ejus apéruit et contínuo exívit sanguis et aqua.

Oratio

DEus qui nobis, in Corde Fílii tui, nostris vulneráto peccátis, infinítos dilectiónis thesáuros misericórditer largíri dignáris; concéde, quæsumus, ut illi devótum pietátis nostræ præstántes obséquium, dignæ quoque satisfactiónis exhibeámus offícium. Per eúmdem Dóminum.

Completorium de Dominica.

Infra Octavam et in die Octava Officium fit ut in Festo, præter Lectiones, quæ pro singulis diebus assignantur propriæ.

Si infra Octavam celebretur Officium, quod Lectiones I Nocturni sumat de Scriptura occurrenti, hæ dicuntur cum Responsoriis de Festo.

Sabbato infra Oct. Ssmi Cordis Jesu

Semiduplex

In I Nocturno

De libro primo Regum

Lectio i Cap. 9, 1-8

ET erat vir de Bénjamin nómine Cis, fílius Abiel, fílii Seror, fílii Béchorath, fílii Aphia, fílii viri Jémini, fortis róbore. Et erat ei fílius vocábulo Saul, eléctus et bonus, et non erat vir de fíliis Israël mélior illo : ab húmero et sursum eminébat super omnem pópulum. Perierant autem ásinæ Cis patris Saul, et dixit Cis ad Saul fílium suum : Tolle tecum unum de púeris et consúrgens vade et quære ásinas. Qui, cum transíssent per montem Ephraïm et per terram Salsim, et non invenissent, transiérunt étiam per terram Salim, et non erant, sed et per terram Jémini, et minime reperérunt.

℟. Fériam eis pactum sempitérnum et non désinam eis benefácere et timórem meum dabo in corde eórum * Ut non recédant a me. ℣. Et lætábor super eis cum bene eis fécero in toto Corde meo. — Ut non.

Lectio ii

CUM autem veníssent in terram Suph, dixit Saul ad púerum, qui erat cum eo : Veni et revertámur, ne forte dimíserit pater meus ásinas, et sollícitus sit pro nobis. Qui ait ei : Ecce vir Dei est in civitáte hac, vir nóbilis : omne quod lóquitur, sine ambiguitáte venit; nunc ergo eámus illuc, si forte índicet nobis de via nostra, propter quam vénimus. Dixítque Saul ad púerum suum : Ecce íbimus : quid ferémus ad virum Dei? panis defécit in sitárciis nostris, et spórtulam non habémus, ut demus hómini Dei, nec quidquam áliud. Rursum puer respóndit Sauli et ait : Ecce invénta est in manu mea quarta pars statéris argénti : demus hómini Dei, ut índicet nobis viam nostram.

℟. Si inimícus meus maledixísset mihi, sustinuíssem útique. * Tu vero homo unánimis qui simul mecum dulces capiébas cibos. ℣. Et si is qui me óderat super me magna locútus fuísset, abscondíssem me fórsitan ab eo. — Tu.

Lectio iii Cap. 9, 14-17

ET ascendérunt in civitátem. Cumque illi ambulárent in médio urbis, appáruit Sámuel egrédiens óbviam eis, ut ascénderet in excélsum. Dóminus autem reveláverat aurículam Samuélis, ante unam diem quam veníret Saul, dicens : Hac ipsa hora, quæ nunc est, cras mittam virum ad te de terra Bénjamin, et unges eum ducem super pópulum meum Israël, et salvábit pópulum meum de manu Philisthinórum, quia respéxi pópulum meum : venit enim clamor eórum ad me. Cumque aspexísset Sámuel Saulem, Dóminus dixit ei : Ecce vir, quem dixeram tibi : iste dominábitur pópulo meo.

℟. Cum essémus mórtui peccátis, convivificávit nos Deus in Christo * Propter nímiam caritátem suam qua diléxit nos. ℣. Ut osténderet in sæculis superveniéntibus abundántes divítias grátiæ suæ. — Propter. Glória Patri. Propter.

In II Nocturno

Ex lítteris Encýclicis Pii Papæ undécimi

ENCYCLICA

Miserentissimus Redemptor

Lectio iv

INter cétera infinítæ Redemptóris nostri benignitátis documénta, illud potíssimum

elúcet, quod, defervescénte christifidélium caritáte, ipsa Dei cáritas ad honorándum peculiári cultu propósita est, ejúsque bonitátis divítiæ late patefáctæ sunt per eam religiónis formam qua Sacratíssimum Cor Jesu cólitur, « in quo sunt omnes thesáuri sapiéntiæ et sciéntiæ abscónditi ». Nam, ut quondam humánæ genti e Noëtica arca exeúnti, amíci fœderis signum illucéscere Deus vóluit « arcum apparéntem in núbibus », sic turbulentíssimis recentióris ævi tempóribus, cum vaférrima ómnium sérperet hæresis illa janseniána, amóri in Deum pietatíque inimíca, quæ Deum non tam diligéndum ut patrem quam extimescéndum ut implacábilem júdicem prædicábat, benignissimus Jesus Cor suum Sacratíssimum, quasi pacis et caritátis vexíllum elátum géntibus osténdit, haud dúbiam porténdens in certámine victóriam.

℟. Prope est Dóminus ómnibus invocántibus eum, * Omnibus invocántibus eum in veritáte. ℣. Miserátor et miséricors Dóminus, pátiens et multum miséricors. — Omnibus invocántibus eum in veritáte.

Lectio v

SIquidem appósite felícis recordatiónis decéssor noster Leo décimus tértius in Lítteris Encýclicis « Annum Sacrum », tantam cultus Sacratíssimi Cordis Jesu opportunitátem admirátus, edícere non dubitávit : « Cum Ecclésia per próxima orgínibus témpora cæsáreo jugo premerétur, conspécta sublíme adolescénti imperatóri crux, amplíssimæ victóriæ, quæ mox est consecúta, auspex simul atque effféctrix. En álterum hódie oblátum óculis auspicatíssimum divinissimúmque signum : vidélicet Cor Jesu Sacratíssimum, superimpósita cruce, splendidíssimo candóre inter flammas elúcens. In eo omnes collocándæ spes; ex eo hóminum peténda atque exspectánda salus ».

℟. Confíteor tibi, Pater, Dómine cæli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus * Et revelásti ea párvulis. ℣. Ita, Pater, quóniam sic fuit plácitum ante te. — Et.

Lectio vi

AC jure id quidem; in illo enim auspicatíssimo signo atque in ea, quæ exínde conséquitur, pietá-

tis forma nonne totíus religiónis summa atque ádeo perfectióris vitæ norma continétur, quippe quæ et ad Christum Dóminum pénitus cognoscéndum mentes condúcat expedítius et ad eúmdem veheméntius diligéndum pressiúsque imitándum ánimos inflécta efficácius? Nemo ígitur mirétur, hanc probatíssimam religiónis formam decessóres nostros continénter et a calumniatórum criminatiónibus vindicásse, et summis láudibus extulísse et veheménti provexísse stúdio, prout témporum rerúmque ratiónes postulárent. Dei autem adspiránte númine factum est ut pia christifidélium erga Sacratíssimum Cor Jesu volúntas majóra in dies increménta cáperet.

℟. Omnes gentes quascúmque fecísti vénient * Et adorábunt coram te, Dómine. ℣. Et glorificábunt nomen tuum, quóniam magnus es tu, et fáciens mirabília. — Et. Glória Patri. Et.

In III Nocturno
Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem

Lectio vii Cap. 19, 31-37

IN illo témpore : Judæi, quóniam parascéve erat, ut non remanérent in cruce córpora sábbato, erat enim magnus dies ille sábbati, rogavérunt Pilátum, ut frangeréntur eórum crura et tolleréntur. Et réliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi

Homilia 85, alias 84 in Joannem, num. 3

IIden' quam fortis sit véritas? Per Judæórum stúdia implétur prophetía. Alia quoque prædíctio finem áccipit. Veniéntes enim mílites aliórum fregérunt crura, Christi non item. Attamen hi, in grátiam Judæórum, ejus latus láncea pérforant, et mórtuo córpori contuméliam inferunt. O sceléstum et exsecrándum fácinus! Sed ne turbéris, ne dejiciáris, dilécte. Nam quæ mala illi voluntáte faciébant, veritátem propugnábant; prophetía namque erat : Vidébunt in quem transfixérunt. Neque hoc tantum; sed étiam iis qui infidéles futúri erant, hoc fácinus demonstratióni fuit, ut Thomæ et ipsi simílibus. Ad hæc étiam mystérium ineffábile consummabátur. Exívit enim sanguis et aqua. Non sine causa vel casu hi fontes manárunt, sed quia ex hoc

utróque Ecclésia constitúta est.

℟. Si exaltátus fúero a terra * Omnia traham ad meípsum. ℣. Hoc autem dicébat significans qua morte esset moritúrus. — Omnia traham ad meípsum.

Lectio viii

HOC sciunt initiáti, qui per aquam regenerántur, ac per sánguinem et carnem nutriúntur. Hinc inítium mystéria sumunt, ut, cum ad treméndum póculum accésseris, sic vénias ac si ex hoc látere potatúrus esses. Et qui vidit testimónium perhíbuit, et verum est testimónium ejus. Hoc est : Non ab áliis audívi, sed ipse præsens vidi, et verum est testimónium. Mérito sane. Contuméliam narrat, non magnum quid et mirábile, ut possis contra suspicári; verum ille, hæreticórum ora cómprimens et futúra prænúntians mystéria, atque conténtum in ipsis thesáurum considerans, minutátim recénset et quæ gesta sunt. Impléta est autem prophetía illa : Os ejus non commínuent. Etiámsi enim hoc de Judæórum agno dictum sit, tamen propter veritátem figúra præcéssit, et in hoc magis complétum est. Ideo prophétam in médium addúcit.

℟. Simus ergo imitatóres Dei * Et ambulémus in dilectióne. ℣. Sicut et Christus diléxit nos et trádidit semetípsum pro nobis. — Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix

CUM sese testem áfferens ubíque non viderétur fide dignum habéri, addúcit Móysen, ut ínnuat hoc non casu factum esse, sed jam olim scripto fuísse prænuntiátum. Hoc illud dictum est : Os ejus non comminuétur. Rursúmque ex seípso Prophétæ fidem facit. Hæc dixi, inquit, ut discátis magnam esse affinitátem inter figúram et veritátem. Viden' quantam curam adhíbeat, ut credátur illud quod turpe et ignominiósum vidétur? Nam corpus a mílite contuméliæ áffici, longe pejus erat quam crucifígi. Attamen et hæc dixi, inquit, et cum magna diligéntia dixi, ut credátis. Nemo ítaque fidem neget, neque præ pudóre nostris nóceat. Nam quæ máxime contumeliósa vidéntur, hæc sunt bonórum nostrórum honestíssima.

Te Deum laudámus.

Dominica infra Oct. Ssmi Cordis Jesu

quæ est III post Pent.

Semiduplex

Omnia dicuntur ut in Festo Sacratissimi Cordis Jesu, præter sequentia :

IN I VESPERIS

Añæ et Psalmi ut in I Vesperis. 343

Capitulum 1 Petri 5, 6-7

CAríssimi, humiliámini sub poténti manu Dei, ut vos exáltet in témpore visitatiónis; omnem sollicitúdinem vestram projiciéntes in eum, quóniam ipsi cura est de vobis.

Hymnus En ut supérba. 362

℣. Memóriam fecit mirabílium suórum miserátor Dóminus. ℟. Escam dedit timéntibus se.

Ad Magnif. Ant. Cognovérunt omnes * a Dan usque Bersabée, quod fidélis Sámuel prophéta esset Dómini.

Oratio

PRotéctor in te sperántium, Deus, sine quo nihil est válidum, nihil sanctum, multíplica super nos misericórdiam tuam; ut, te rectóre, te duce, sic transeámus per bona temporália, ut non amittámus ætérna. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio præcedentis diei infra Octavam :

Ant. Ad Jesum autem * cum veníssent, ut vidérunt eum jam mórtuum, non fregérunt ejus crura, sed unus mílitum láncea latus ejus apéruit et contínuo exívit sanguis et aqua.

℣. Hauriétis aquas in gáudio. ℟. De fóntibus Salvatóris.

Oratio

DEus qui nobis, in Corde Fílii tui, nostris vulneráto peccátis, infinítos dilectiónis thesáuros misericórditer largíri dignáris; concéde, quæsumus, ut illi devótum pietátis nostræ præstántes obséquium, dignæ quoque satisfactiónis exhibeámus offícium. Per eúmdem Dóminum.

Completorium de Dominica.

AD MATUTINUM

In I Nocturno

De libro primo Regum

Lectio i

Cap. 9, 18-27; 10, 1

ACéssit autem Saul ad Samuélem in médio portæ, et ait : Indica, oro, mihi, ubi est domus Vidéntis. Et respóndit Sámuel Sauli dicens : Ego sum Videns; ascénde ante me in excél-

sum, ut comedátis mecum hódie, et dimíttam te mane et ómnia, quæ sunt in corde tuo, indicábo tibi; et de ásinis, quas nudiustértius perdidísti, ne sollícitus sis, quia invéntæ sunt. Et cujus erunt óptima quæque Israël? nonne tibi, et omni dómui patris tui? Respóndens autem Saul, ait : Numquid non fílius Jémini ego sum, de mínima tribu Israël, et cognátio mea novíssima inter omnes famílias de tribu Bénjamin? quare ergo locútus es mihi sermónem istum?

℟. Fériam eis pactum sempitérnum et non désinam eis benefácere et timórem meum dabo in corde eórum * Ut non recédant a me. ℣. Et lætábor super eis cum bene eis fécero in toto Corde meo. — Ut non.

Lectio ii

Assúmens ítaque Sámuel Saulem et púerum ejus, introdúxit eos in triclínium, et dedit eis locum in cápite eórum, qui fúerant invitáti; erant enim quasi trigínta viri. Dixítque Sámuel coco : Da partem, quam dedi tibi, et præcépi ut repóneres seórsum apud te. Levávit autem cocus armum et pósuit ante Saul. Dixítque Sámuel : Ecce quod remánsit; pone ante te, et cómede, quia de indústria servátum est tibi, quando pópulum vocávi. Et comédit Saul cum Samuéle in die illa. Et descendérunt de excélso in óppidum, et locútus est cum Saule in solário : stravítque Saul in solário, et dormívit.

℟. Si inimícus meus maledixísset mihi, sustinuíssem útique. * Tu vero homo unánimis qui simul mecum dulces capiébas cibos. ℣. Et si is qui me óderat super me magna locútus fuísset, abscondíssem me fórsitan ab eo. — Tu vero.

Lectio iii

Cumque mane surrexíssent, et jam elucésceret, vocávit Sámuel Saulem in solário, dicens : Surge, et dimíttam te. Et surréxit Saul : egressíque sunt ambo, ipse vidélicet et Sámuel. Cumque descénderent in extréma parte civitátis, Sámuel dixit ad Saul : Dic púero ut antecédat nos et tránseat : tu autem subsíste paulísper, ut índicem tibi verbum Dómini. Tulit autem Sámuel lentículam ólei et effúdit super caput ejus et deosculátus est eum et ait : Ecce unxit te Dóminus super hereditátem

suam in príncipem, et liberábis pópulum suum de mánibus inimicórum ejus, qui in circúitu ejus sunt.

℟. Cum essémus mórtui peccátis, convivificávit nos Deus in Christo * Propter nímiam caritátem suam qua diléxit nos. ℣. Ut osténderet in sæculis superveniéntibus abundántes divítias grátiæ suæ. — Propter. Glória Patri. Propter.

In II Nocturno

Ex lítteris Encýclicis Pii Papæ undécimi

Lectio iv

Et certe inter cétera illa, quæ próprie ad Sacratíssimi Cordis cultum pértinent, pia éminet ac memoránda est consecrátio, qua, nos nóstraque ómnia ætérnæ Núminis caritáti accépta referéntes, divíno Jesu Cordi devovémus. Verum, áliud accédat opórtet, honéstæ satisfactiónis, ínquimus, seu reparatiónis, quam dicunt, offícium Sacratíssimo Cordi Jesu præstándum. Nam, si illud est in consecratióne primum ac præcípuum ut amóri Creatóris creatúræ amor rependátur, álterum sponte hinc séquitur, ut eídem increáto Amóri, si quando aut oblivióne negléctus, aut offénsa violátus sit, illátæ quoquo modo injúriæ compensári débeant : quod quidem débitum reparatiónem vulgáto nómine vocámus.

℟. Prope est Dóminus ómnibus invocántibus eum, * Omnibus invocántibus eum in veritáte. ℣. Miserátor et miséricors Dóminus, pátiens et multum miséricors. — Omnibus.

Lectio v

Quodsi ad utrámque rem iísdem prorsus ratiónibus impéllimur, reparándi tamen expiandíque offício ob validiórem quemdam justítiæ et amóris títulum tenémur : justítiæ quidem, ut irrogáta Deo nostris flagítiis expiétur offénsa et violátus ordo pæniténtia redintegrétur; amóris vero, ut Christo patiénti ac « saturáto oppróbriis » compatiámur eíque nonníhil solácii pro tenuitáte nostra afferámus. Peccatóres enim cum símus omnes, multísque oneráti culpis, non eo solo cultu Deus noster nobis est honorándus, quo vel ejus summam Majestátem débitis obséquiis adorémus, vel ejus suprémum domínium precándo agnoscámus, vel ejus infinítam largitátem gratiárum actiónibus laudémus; sed præ-

térea Deo justo víndici satisfaciámus opórtet « pro innumerabílibus peccátis et offensiónibus et negligéntiis » nostris. Consecratióni ígitur, qua Deo devovémur et sancti Deo vocámur, ea sanctitáte ac firmitáte quæ, ut docet Angélicus, consecratiónis est própria, addénda est expiátio, qua pénitus peccáta exstinguántur, ne forte indignitátem nostram impudéntem revérberet summæ justítiæ sánctitas, munúsque nostrum pótius árceat invísum quam gratum suscípiat.

℟. Confíteor tibi, Pater, Dómine cæli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus * Et revelásti ea párvulis. ℣. Ita, Pater, quóniam sic fuit plácitum ante te. — Et.

Lectio vi

Hoc autem expiatiónis offícium humáno géneri univérso incúmbit, quippe quod, ut christiána docémur fide, post Adæ miserándum casum, hereditária labe infectum, concupiscéntiis obnóxium et miserrime depravátum, in perníciem detrudéndum fuísset sempitérnam. Id quidem supérbi hac nostra ætáte sapiéntes, véterem Pelágii errórem secúti, inficiántur, natívam quamdam virtútem humánæ natúræ jactántes quæ suápte vi ad altióra usque progrediátur; sed falsa hæc humánæ supérbiæ comménta réjicit Apóstolus, illud nos ádmonens : « natúra erámus fílii iræ ». Et sane jam ab inítio commúnis illíus expiatiónis débitum quasi agnovére hómines et Deo sacrifíciis vel públicis placándo, naturáli quodam sensu ducti, óperam dare cœpérunt.

℟. Omnes gentes quascúmque fecísti vénient * Et adorábunt coram te, Dómine. ℣. Et glorificábunt nomen tuum, quóniam magnus es tu, et fáciens mirabília. — Et adorábunt. Glória Patri. Et.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 15, 1-10

In illo témpore : Erant appropinquántes ad Jesum publicáni et peccatóres, ut audírent illum. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ

Homilia 34 in Evang., n. 2-3

Audístis in lectióne evangélica, fratres mei, quia peccatóres et publicáni acces-

sérunt ad Redemptórem nostrum; et non solum ad colloquéndum, sed étiam ad convescéndum recépti sunt. Quod vidéntes pharisæi dedignáti sunt. Ex qua re collígite quia vera justítia compassiónem habet, falsa justítia dedignatiónem. Quamvis et justi sóleant recte peccatóribus dedignári : sed áliud est quod ágitur typho supérbiæ, áliud quod zelo disciplínæ.

℟. Ego si exaltátus fúero a terra * Omnia traham ad meípsum. ℣. Hoc autem dicébat significans qua morte esset moritúrus. — Omnia.

Lectio viii

DEdignántur étenim sed non dedignántes; despérant, sed non desperántes; persecutiónem cómmovent, sed amántes : quia etsi foris increpatiónes per disciplínam exággerant, intus tamen dulcédinem per caritátem servant. Præpónunt sibi in ánimo ipsos plerúmque quos córrigunt : melióres exístimant eos quoque quos júdicant. Quod vidélicet agéntes, et per disciplínam súbditos, et per humilitátem custódiunt semetípsos.

℟. Simus ergo imitatóres Dei * Et ambulémus in dilectióne. ℣. Sicut et Christus diléxit nos et trádidit semetípsum pro nobis. — Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix

AT contra, hi qui de falsa justítia superbíre solent, céteros quosque despíciunt, nulla infirmántibus misericórdia condescéndunt, et quo se peccatóres esse non credunt, eo detérius peccatóres fiunt. De quorum profécto número pharisæi exstíterant, qui dijudicántes Dóminum quod peccatóres suscíperet, arénti corde ipsum fontem misericórdiæ reprehendébant. Sed quia ægri erant, ita ut ægros se esse nescírent, quátenus quod erant agnóscerent, cæléstis eos médicus blandis foméntis curat, benígnum paradígma óbjicit, et in eórum corde súlneris tumórem premit.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

et per Horas, Añæ

1 Unus militum * láncea latus ejus apéruit et continuo exívit sanguis et aqua.

Psalmi de Dominica.

2 Stans Jesus * clamábat dicens : Si quis sitit véniat ad me et bibat.

3 In caritáte perpétua * diléxit nos Deus, ídeo, exaltátus a terra, attráxit nos ad Cor suum, míserans.

4 Veníte ad me, * omnes qui laborátis et onerári estis et ego refíciam vos.

5 Fili, * præbe mihi cor tuum et óculi tui custódiant vias meas.

Capitulum 1 Petri 5, 6-7

CAríssimi, humiliámini sub poténti manu Dei, ut vos exáltet in témpore visitatiónis; omnem sollicitúdinem vestram projiciéntes in eum, quóniam ipsi cura est de vobis.

Hymnus Cor arca. 358

℣. Tóllite jugum meum super vos et díscite a me. ℟. Quia mitis sum et húmilis Corde.

Ad Bened. Ant. Quis ex vobis * homo qui habet centum oves et, si perdíderit unam ex illis, nonne dimíttit nonagínta novem in desérto et vadit ad illam quæ períerat, donec invéniat eam? Allelúja.

Oratio

PRotéctor in te sperántium, Deus, sine quo nihil est válidum, nihil sanctum; multíplica super nos misericórdiam tuam; ut, te rectóre, te duce, sic transeámus per bona temporália, ut non amittámus ætérna. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ :

Ant. Facta sunt, ℣. Hauriétis, Oratio Deus qui. 359

Ad Primam Psalmi ut in Festis, in ℟. br. ℣. Qui Corde fundis grátiam, et ad absolutionem Capituli Lectio brevis Deus autem omnis grátiæ, ut infra ad Nonam.

AD TERTIAM

Capit. Caríssimi, ut ad Laudes.

℟. br. Tóllite jugum meum super vos * Et díscite a me. Tóllite. ℣. Quia mitis sum et húmilis Corde. Et díscite. Glória Patri. Tóllite.

℣. Ego dixi : Dómine, miserére mei. ℟. Sana ánimam meam quia peccávi tibi.

AD SEXTAM

Capitulum 1 Petri 5, 8-9

SObrii estóte et vigiláte, quia adversárius vester diábolus tamquam leo rúgiens círcuit, quærens quem dévoret, cui resístite fortes in fide, sciéntes eámdem passiónem ei, quæ in mundo est, vestræ fraternitáti fíeri.

℟. br. Ego dixi, Dómine, * Miserére mei. Ego dixi. ℣. Sana ánimam meam quia peccávi tibi. Miserére mei. Glória Patri. Ego dixi.

℣. Memóriam fecit mirabílium suórum miserátor Dóminus. ℟. Escam dedit timéntibus se.

AD NONAM

Ant. Fili, * præbe mihi cor tuum et óculi tui custódiant vias meas.

Capit. 1 Petri 5, 10-11

DEus autem omnis grátiæ, qui vocávit nos in ætérnam suam glóriam in Christo Jesu, módicum passos ipse perfíciet, confirmábit solidabítque. Ipsi glória et impérium in sæcula sæculórum. Amen.

℟. br. Memóriam fecit mirabílium suórum * Miserátor Dóminus. Memóriam. ℣. Escam dedit timéntibus se. Miserátor. Glória Patri. Memóriam.

℣. Hauriétis aquas in gáudio. ℟. De fóntibus Salvatóris.

IN II VESPERIS

Añæ et Psalmi ut in II Vesperis Festi. 360

Capitulum 1 Petri 5, 6-7

CAríssimi, humiliámini sub poténti manu Dei, ut vos exáltet in témpore visitatiónis; omnem sollicitúdinem vestram projiciéntes in eum, quóniam ipsi cura est de nobis.

Hymnus En ut supérba, ut supra. 362

℣. Memóriam fecit mirabílium suórum miserátor Dóminus. ℟. Escam dedit timéntibus se.

Ad Magnif. Ant. Quæ múlier * habens drachmas decem, et si perdíderit drachmam unam, nonne accéndit lucérnam et evérrit domum et quærit diligénter donec invéniat?

Oratio

PRotéctor in te sperántium, Deus, sine quo nihil est válidum, nihil sanctum; multíplica super nos misericórdiam tuam; ut, te rectóre, te duce, sic transeámus per bona temporália, ut non amittámus ætérna. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio sequentis diei infra Octavam :

Ant. Ignem veni míttere in terram, et quid volo nisi ut accendéntur?

℣. Tóllite jugum meum super vos et díscite a me. ℟. Quia mitis sum et húmilis Corde.

Si autem sequenti die faciendum non sit Officium de Octava, dicitur

Ant. Ad Jesum autem cum veníssent, ut vidérunt eum jam mórtuum, non fregérunt ejus crura, sed unus mílitum láncea latus ejus apéruit et contínuo exívit sanguis et aqua.

℣. Hauriétis aquas in gáudio. ℟. De fóntibus Salvatóris.

Oratio

DEus qui nobis, in Corde Fílii tui, nostris vulneráto peccátis, infinítos dilectiónis thesáuros misericórditer largíri dignáris; concéde, quæsumus, ut illi devótum pietátis nostræ præstántes obséquium, dignæ quoque satisfactiónis exhibeámus offícium. Per eúmdem Dóminum.

Feria II infra Octav. Ssmi Cordis Jesu

Semiduplex

In I Nocturno

De libro primo Regum

Lectio i Cap. 10, 17-27

T convocávit Sámuel pópulum ad Dóminum in Maspha et ait ad fílios Israël : Hæc dicit Dóminus Deus Israël : Ego edúxi Israël de Ægýpto et érui vos de manu Ægyptiórum et de manu ómnium regum, qui affligébant vos. Vos autem hódie projecístis Deum vestrum, qui solus salvávit vos de univérsis malis et tribulatiónibus vestris et dixístis : Nequáquam, sed regem constítue super nos. Nunc ergo state coram Dómino per tribus vestras et per famílias.

℟. Fériam eis pactum sempitérnum et non désinam eis benefácere et timórem meum dabo in corde eórum : * Ut non recédant a me. ℣. Et lætábor super eis cum bene eis fécero in toto Corde meo. — Ut.

Lectio ii

ET applícuit Sámuel omnes tribus Israël, et cécidit sors tribus Bénjamin; et applícuit tribum Bénjamin et cognatiónes ejus, et cécidit cognátio Metri, et pervénit usque ad Saul fílium Cis. Quæsiérunt ergo eum, et non est invéntus. Et consuluérunt post hæc Dóminum, utrúmnam ventúrus esset illuc. Respondítque Dóminus : Ecce abscónditus est domi. Cucurrérunt ítaque et tulérunt eum inde; stetítque in médio pópuli, et áltior fuit univérso pópulo ab húmero et sursum. Et ait Sámuel ad omnem pópulum : Certe vidétis quem elégit Dóminus, quóniam non sit símilis illi in omni pópulo. Et clamávit omnis pópulus et ait : Vivat rex.

℟. Si inimícus meus maledixísset mihi, sustinuíssem útique. * Tu vero homo unánimis qui simul mecum dulces capiébas cibos. ℣. Et si is qui me

óderat super me magna locútus fuísset, abscondíssem me fórsitan ab eo. — Tu vero homo unánimis qui simul mecum dulces capiébas cibos.

Lectio iii

LOcútus est autem Sámuel ad pópulum legem regni, et scripsit in libro et repósuit coram Dómino; et dimísit Sámuel omnem pópulum, síngulos in domum suam. Sed et Saul ábiit in domum suam in Gábaa; et ábiit cum eo pars exércitus, quorum tetígerat Deus corda. Fílii vero Bélial dixérunt : Num salváre nos póterit iste? Et despexérunt eum, et non attulérunt ei múnera; ille vero dissimulábat se audíre.

℟. Cum essémus mórtui peccátis, convivificávit nos Deus in Christo * Propter nímiam caritátem suam qua diléxit nos. ℣. Ut osténderet in sæculis superveniéntibus abundántes divítias grátiæ suæ. — Propter. Glória. Propter.

In II Nocturno

Ex lítteris Encýclicis Pii Papæ undécimi

Lectio iv

T nulla creáta vis hóminum sceléribus expiándis erat satis, nisi humánam natúram Dei Fílius reparándam assumpsísset. Quod quidem ipse hóminum Salvátor sacri Psaltis ore nuntiávit : Hóstiam et oblatiónem noluísti, corpus autem aptásti mihi : holocautómata pro peccáto non tibi placuérunt : tunc dixi : Ecce vénio. Et reápse vere languóres nostros ipse tulit et dolóres nostros ipse portávit; vulnerátus est propter iniquitátes nostras et peccáta nostra ipse pértulit in córpore suo super lignum; delens quod advérsus nos erat chirógraphum decréti, quod erat contrárium nobis, et ipsum tulit de médio affígens illud cruci, ut peccátis mórtui justítiæ vivámus. Quamquam vero copiósa Christi redémptio abúnde nobis ómnia delícta donávit, ob miram tamen illam divinæ Sapiéntiæ dispensatiónem, qua in carne nostra adimplénda sunt quæ desunt passiónum Christi pro córpore ejus quod est Ecclésia, étiam láudibus et satisfactiónibus, quas Christus in nómine peccatórum Deo persólvit, nostras quoque laudes et satisfactiónes adjicere póssumus, immo étiam debémus.

℟. Prope est Dóminus ómnibus invocántibus eum, * Omnibus invocántibus

eum in veritáte. ℣. Miserátor et misércors Dóminus, pátiens et multum misércors. — Omnibus.

Lectio v

AT semper meminérimus opórtet, totam expiatiónis virtútem ab uno Christi cruénto sacrifício pendére, quod sine témporis intermissióne in nostris altáribus incruénto modo renovátur; síquidem una eadémque est Hóstia, idem nunc ófferens sacerdótum ministério, qui seípsum tunc in cruce óbtulit, sola offeréndi ratióne divérsa; quamóbrem cum hoc augustíssimo Eucharístico sacrifício et ministrórum et aliórum fidélium immolátio conjúngi debet, ut ipsi quoque hóstias viventes, sanctas, Deo placéntes sese exhíbeant. Quin immo, sanctus Cypriánus affirmáre non dúbitat sacrifícium domínicum legítima sanctificatióne non celebrári, nisi oblátio et sacrifícium nostrum respónderit passióni. Quaprópter nos monet Apóstolus, ut mortificatiónem Jesu in córpore nostro circumferéntes, atque cum Christo consepúlti et complantáti similitúdini mortis ejus, non modo carnem nostram crucifigámus cum vítiis et concupiscéntiis, fugiéntes ejus quæ in mundo est concupiscéntiæ corruptiónem, sed et vita Jesu manifestétur in corpóribus nostris et, ætérni ejus sacerdótii partícipes effécti, offerámus dona et sacrifícia pro peccátis.

℟. Confíteor tibi, Pater, Dómine cæli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus * Et revelásti ea párvulis. ℣. Ita, Pater, quóniam sic fuit plácitum ante te. — Et.

Lectio vi

NEque enim arcáni hujus sacerdótii et satisfaciéndi sacrificandíque múneris participatióne ii soli fruúntur, quibus Póntifex noster Christus Jesus admínistris útitur ad oblatiónem mundam divíno Nómini ab ortu solis usque ad occásum omni loco offeréndam; sed étiam christianórum gens univérsa, ab Apostolórum Príncipe genus eléctum, regále sacerdótium jure appelláta, debet cum pro se, tum pro toto humáno génere offérre pro peccátis, haud áliter propémodum quam sacérdos omnis ac póntifex ex homínibus assúmptus, pro homínibus constitúitur in iis quæ sunt ad Deum.

℟. Omnes gentes quascúmque fecísti vénient * Et adorábunt coram te, Dómine. ℣. Et glorificábunt nomen tuum quóniam magnus es tu, et fáciens mirabília. — Et. Glória Patri. Et.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem

Lectio vii Cap. 19, 31-37

IN illo témpore : Judæi, quóniam parascéve erat, ut non remanérent in cruce córpora sábbato, erat enim magnus dies ille sábbati, rogavérunt Pilátum, ut frangeréntur eórum crura et tolleréntur. Et réliqua.

Homília sancti Laurentii Justiniáni Episcopi

De triumphali Christi agone, cap. 21

ID Jesum ígitur cum veníssent, illúmque jam mórtuum conspexíssent, ipsíus mínime crura fregérunt, verum astántium unus, vibráta láncea, latus ejus apéruit, et contínuo exívit sanguis et aqua. Grande prorsus et inaudítum prodígium, ut de exanimáto córpore sanguis exíret et aqua. Verúmtamen, máximum, in re hac gesta, nobis vóluit Dei sapiéntia commendáre sacraméntum, sui vidélicet, et Ecclésiæ unitátem. Hujus enim spirituális cópulæ figúra præcéssit, quando de látere Adæ dormiéntis una ex costis ipsíus subtrácta narrátur, atque de eádem Eva cunctórum parens formáta est, quæ typum gerébat Ecclésiæ. Significábat tunc Spíritus Sanctus, verum et spirituálem Adam esse futúrum, qui Paracléti virtúte plasmátus, dum dormíret in cruce, de ipsíus látere, profluéntibus aqua et sánguine, speciósa sponsa sine ruga et mácula, formarétur Ecclésia.

℟. Ego si exaltátus fúero a terra * Omnia traham ad meípsum. ℣. Hoc autem dicébat significans qua morte esset moritúrus. — Omnia.

Lectio viii

HÆC quippe sunt sacraménta ecclesiástica per quæ totum corpus Ecclésiæ ablúitur atque sanctificátur. In lavácro útique aquæ regeneratiónis, quod Christi morte sacrátur, ab originali contagióne mundátur. In Redemptóris vero sánguine nedum ab omni culpa purgátur, verum étiam regni cæléstis illi apéritur introítus. Ambo hæc in unum efféctum

convéniunt nec unum sine áltero valet ad salútem prodésse : non enim absque baptísmi sacraménto et peccatórum remissióne, potest quis futúræ beatitúdinis hereditátem percípere. Hoc ubíque in orbe terrárum sancta mater confitétur Ecclésia, et multiplícibus Scripturárum divinárum testimóniis roborátur. Insuper et qui vidit de Christo aquam emanáre et sánguinem, testimónium perhíbuit, et verum est testimónium ejus. Nempe iste est Joánnes Apóstolus et Evangelísta, qui præcípuo amóre diléctus est a Dómino.

℟. Simus ergo imitatóres Dei * Et ambulémus in dilectióne. ℣. Sicut et Christus diléxit nos et trádidit semetípsum pro nobis. — Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix

PROfécto hæc facta sunt ut Scriptúra implerétur quæ ait : Os non comminuétis ex eo. A Dómino quippe Móysi fúerat imperátum ne in sacrifícii phase, in celebratióne immoláti agni, ullum comminuerétur os. In Dómino autem Jesu innocentíssimo agno, figúræ véritas est compléta. Nequáquam crura illíus sunt fracta, quemádmodum duórum nequam cum eo pendéntium; sed tantum illíus latus apértum, quátenusália Scriptúra perficerétur quæ dicit : Vidébunt in quem transfixérunt. Porro vúlnerum cicatrices in suo vóluit Dóminus córpore retinére, ut, sicut eléctis incentívum devotiónis, ita et réprobis irrefragábile fíeret testimónium damnatiónis. Ita ómnia consummáta in Christo, longe ante Prophetárum orácu-lis promulgáta fuére, quátenus cathólica fides tam pro se quam advérsus hæreticórum munirétur erróres.

Te Deum laudámus.

Feria III infra Octav. Ssmi Cordis Jesu

Semiduplex

In I Nocturno

De libro primo Regum

Lectio i Cap. 12, 1-14

EIxit autem Sámuel ad univérsum Israël : Ecce audívi vocem vestram, juxta ómnia quæ locúti estis ad me, et constítui super vos regem. Et nunc rex gráditur ante vos; ego autem sénui, et incánui : porro fílii mei vobíscum sunt. Itaque conversátus coram vobis ab adolescéntia mea

usque ad hanc diem, ecce præsto sum. Loquimini de me coram Dómino, et coram Christo ejus, utrum bovem cujúsquam túlerim, aut ásinum, si quémpiam calumniátus sum, si oppréssi áliquem, si de manu cujúsquam munus accépi; et contémnam illud hódie, restituámque vobis. Et dixérunt : Non es calumniátus nos, neque oppressísti, neque tulísti de manu alicújus quippiam. Dixitque ad eos : Testis est Dóminus advérsum vos, et testis Christus ejus in die hac, quia non invenéritis in manu mea quíppiam. Et dixérunt : Testis.

℟. Fériam eis pactum sempitérnum et non désinam eis benefácere et timórem meum dabo in corde eórum * Ut non recédant a me. ℣. Et lætábor super eis cum bene eis fécero in toto Corde meo. — Ut non.

Lectio ii

ET ait Sámuel ad pópulum : Dóminus, qui fecit Móysen et Aaron et edúxit patres nostros de terra Ægýpti. Nunc ergo state, ut judicio conténdam advérsum vos coram Dómino de ómnibus misericórdiis Dómini, quas fecit vobíscum et cum pátribus vestris; quómodo Jacob ingréssus est in Ægýptum, et clamavérunt patres vestri ad Dóminum, et misit Dóminus Móysen et Aaron, et edúxit patres vestros de Ægýpto et collocávit eos in loco hoc. Qui obliti sunt Dómini Dei sui, et trádidit eos in manu Sísaræ magístri milítiæ Hasor et in manu Philisthinórum et in manu regis Moab, et pugnavérunt advérsum eos.

℟. Si inimícus meus maledixísset mihi, sustinuíssem útique. * Tu vero homo unánimis qui simul mecum dulces capiébas cibos. ℣. Et si is qui me óderat super me magna locútus fuísset, abscondíssem me fórsitan ab eo. — Tu vero.

Lectio iii

POstea autem clamavérunt ad Dóminum, et dixérunt : Peccávimus, quia derelíquimus Dóminum et servivimus Báalim et Astaroth, nunc ergo érue nos de manu inimicórum nostrórum, et serviémus tibi. Et misit Dóminus Jeróbaal et Badan et Jephte et Sámuel, et éruit vos de manu inimicórum vestrórum per circúitum, et habitástis confidénter. Vidéntes autem quod Naas rex filiórum Ammon venís-

set advérsum vos, dixístis mihi : Nequáquam, sed rex imperábit nobis, cum Dóminus Deus vester regnáret in vobis. Nunc ergo præsto est rex vester, quem elegístis et petístis : ecce dedit vobis Dóminus regem. Si timuéritis Dóminum et serviéritis ei, et audiéritis vocem ejus et non exasperavéritis os Dómini, éritis et vos et rex, qui ímperat vobis, sequéntes Dóminum Deum vestrum.

℟. Cum essémus mórtui peccátis, convivificávit nos Deus in Christo * Propter nímiam caritátem suam qua diléxit nos. ℣. Ut osténderet in sæculis superveniéntibus abundántes divítias grátiæ suæ. — Propter. Glória Patri. Propter.

In II Nocturno

Ex lítteris Encýclicis Pii Papæ undécimi

Lectio iv

QUO autem perféctius oblátio nostra nostrúmque sacrifícium sacrifício domínico respónderit, idest amórem nostri cupiditatésque nostras immolavérimus et carnem crucifixérimus crucifixióne ea mýstica, de qua lóquitur Apóstolus, eo uberióres propitiatiónis atque expiatiónis pro nobis aliísque percipiémus fructus. Mirífica enim viget fidélium ómnium cum Christo necessitúdo, qualis inter caput et cétera córporis membra intercédit, itémque arcána illa, quam fide cathólica profitémur, Sanctórum communióne, cum sínguli hómines tum pópuli non modo conjungúntur inter se, sed étiam cum eódem qui est caput Christus, ex quo totum corpus compáctum et connéxum per omnem junctúram subministratiónis, secúndum operatiónem in mensúram uniuscujúsque membri augméntum córporis sui facit in ædificatiónem sui in caritáte. Quod quidem Mediátor ipse Dei et hóminum Christus Jesus, morti próximus, a Patre postulárat : Ego in eis et tu in me, ut sint consummáti in unum.

℟. Prope est Dóminus ómnibus invocántibus eum, * Omnibus invocántibus eum in veritáte. ℣. Miserátor et miséricors Dóminus, pátiens et multum miséricors. — Omnibus invocántibus.

Lectio v

QUemádmodum ígitur uniónem cum Christo profitétur ac firmat consecrátio, ita expiátio eámdem uniónem, et culpas detergéndo ínchoat, et Christi passiónes participándo pérficit, et víctimas pro frátribus offeréndo consúmmat. Atque id sane miseréntis Jesu consílium fuit, cum Cor nobis suum, insígnia passiónis præferens ac flammas amóris osténtans, patére vóluit, scílicet ut hinc infinítam peccáti malítiam conjectántes, illinc Reparatóris caritátem infinítam admiráti, et peccátum veheméntius detestarémur et caritátis ardéntius vicem redderémus. Et vere expiatiónis potíssimum seu reparatiónis spíritus primas semper potiorésque partes hábuit in cultu Sacratíssimo Cordi Jesu exhibéndo, nihílque eo congruéntius orígini, índoli, virtúti, indústriis quæ huic religiónis formæ sunt própriæ, ut rerum memória et usus, sacra item litúrgia atque Summórum Pontificum acta confírmant.

℟. Confíteor tibi, Pater, Dómine cæli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus * Et revelásti ea párvulis. ℣. Ita, Pater, quóniam sic fuit plácitum ante te. — Et revelásti ea párvulis.

Lectio vi

SIquidem cum se conspiciéndum Margarítæ Maríæ exhibéret Christus, caritátis suæ infinitátem prædicans, simul, mæréntis instar, tot tantásque sibi inústas ab ingrátis homínibus injúrias in hæc verba conquéstus est, quæ útinam in piórum ánimis insidérent nulláque unquam oblivióne deleréntur : « En Cor illud, inquit, quod tantópere hómines amávit beneficiísque ómnibus cumulávit, quodque amóri suo infiníto non tantum rédditam grátiam nullam invénit, at contra, oblivionem, negléctum, contumélias, eásque ab iis étiam illátas nonnúmquam, qui amóris peculiáris débito officióque teneréntur ».

℟. Omnes gentes quascúmque fecísti vénient * Et adorábunt coram te, Dómine. ℣. Et glorificábunt nomen tuum quóniam magnus es tu, et fáciens mirabília. — Et adorábunt. Glória. Et.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem

Lectio vii Cap. 19, 31-37

IN illo témpore : Judæi, quóniam parascéve erat, ut non remanérent in cruce córpora sábbato, erat enim magnus dies ille sábbati, rogavérunt Pilátum, ut frangeréntur eórum crura et tolleréntur. Et réliqua.

Homília sancti Bernardíni Senénsis

Quadragesimale de Christiana Religione. Sermo 5

JOánnes subdit : Unus mílitum láncea latus ejus apéruit et contínuo exívit sanguis et aqua. O amor qui ómnia liquas! quómodo pro redemptióne nostra reliquísti dilectórem nostrum? Nam, ut úndique inundáret amóris dilúvium, super nos ruptæ sunt abýssi magnæ; scílicet, penetrália Cordis Jesu, quibus, ad íntima progrédiens, dira láncea non pepércit. Sanguis exívit et aqua. Sanguis in redemptiónem, sed étiam in ablutiónem aqua deflúxit; unde formáta est Ecclésia ex látere Christi, ut ætérne únicam atque diléctam a Christo se discat, et ut recognóscat quam displícuit culpa pro qua sanguis divínus ex hómine Deo vivo et mórtuo ita deflúxit. Non enim parva quantitáte constámus, si pro nobis sanguis divínus efúnditur.

℟. Ego si exaltátus fúero a terra * Omnia traham ad meípsum. ℣. Hoc autem dicébat significans qua morte esset moritúrus. — Omnia traham ad meípsum.

Lectio viii

AQua ad lítteram non cum sánguine indistícta deflúxit. Neque enim potuísset ab insipiéntibus comprehéndi, si mixta cum sánguine defluxísset. Et forte totus sanguis deflúxit ex illo divíno córpore in signum totíus amóris effúsi, post quem humor áqueus egréssus est. Quod quidem est alto mystério factum, ut prius egrederétur ex eódem córpore rédimens prétium, deínde aqua in qua multitúdo populórum redémpta significátur. Sunt enim aquæ multæ, pópuli multi; tamen qui ad christiánam fidem pértinent unus fidélis pópulus sunt, ut non sint aquæ, sed aqua quæ manávit ex látere Christi, sicut prima Corinthiórum cápite décimo Apóstolus ait : Unus panis, et unum corpus multi sumus omnes, qui de uno pane et de uno cálice participámus. Et íterum ad Ephésios, cápite quarto, inquit : Unus Deus, una fides, unum baptísma.

℟. Simus ergo imitatóres Dei * Et ambulémus in dilectióne. ℣. Sicut et Christus diléxit nos et trádidit semetipsum pro nobis. — Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix

NOtánter tamen adverténdum est quod latus Christi apértum dícitur, non vulnerátum : quóniam próprie vulnus prætérquam in vivo córpore fíeri nequit. Ait enim Evangelísta Joánnes : Unus mílitum láncea latus ejus apéruit; ut, apérto látere, cognoscámus dilectiónem Cordis sui usque ad mortem, et ad illum ineffábilem amórem ejus ingrediámur quo ille ad nos procéssit. Accedámus ergo ad Cor ejus, Cor altum, Cor secrétum, Cor ómnia cógitans, Cor ómnia sciens, Cor díligens, immo amóre ardens; et apértam portam intelligámus saltem in amóris veheméntia; cordifórmes ingrediámur ad secrétum ab ætérno abscónditum, nunc vero in morte quasi apérto látere revelátum; quóniam apértio láteris ætérni templi apertiónem demónstrat, ubi ómnium exsisténtium consummáta est felícitas ætérna.

Te Deum laudámus.

Feria IV infra Octav. Ssmi Cordis Jesu

Semiduplex

In I Nocturno

De libro primo Regum

Lectio i Cap. 13, 1-14

IIlius unius anni erat Saul cum regnáre cœpisset; duóbus autem annis regnávit super Israël. Et elégit sibi Saul tria millia de Israël. Et erant cum Saul duo míllia in Machmas et in monte Bethel, mille autem cum Jónatha in Gábaa Bénjamin. Porro céterum pópulum remisit unumquémque in tabernácula sua. Et percússit Jónathas statiónem Philisthinórum, quæ erat in Gábaa. Quod cum audíssent Philísthiim, Saul cécinit búccina in omni terra, dicens : Audiant Hebræi. Et univérsus Israël audivit hujuscémodi famam : Percússit Saul statiónem Philisthinórum, et eréxit se Israël advérsus Philísthiim; clamávit ergo pópulus post Saul in Gálgala.

℟. Fériam eis pactum sempitérnum et non désinam eis benefácere et timórem meum dabo in corde eórum * Ut non recédant a me. ℣. Et lætábor super eis cum bene eis fécero in toto Corde meo. — Ut non.

Lectio ii

ET Philísthiim congregáti sunt ad prælián-dum contra Israël, trigínta míllia cúrruum et sex míllia équitum et réliquum vulgus sicut aréna, quæ est in líttore maris plúrima. Et ascendéntes castrametáti sunt in Machmas ad Oriéntem Bethá-ven. Quod cum vidíssent viri Israël se in arcto pósitos, (afflíctus enim erat pópulus) abscondérunt se in spelúncis, et in ábditis, in petris quoque et in antris et in cistérnis. Hebræi autem transiérunt Jordánem in terram Gad et Gálaad. Cumque adhuc esset Saul in Gálgala, univérsus pópulus pertérritus est, qui sequebátur eum. Et exspectávit septem diébus juxta plácitum Samuélis; et non venit Sámuel in Gálgala, dilapsúsque est pópulus ab eo.

℟. Si inimícus meus maledixísset mihi, sustinuíssem útique. * Tu vero homo unánimis qui simul mecum dulces capiébas cibos. ℣. Et si is qui me óderat super me magna locútus fuísset, abscondíssem me fórsitan ab eo. — Tu.

Lectio iii

AIT ergo Saul : Afférte mihi holocáustum et pacífica. Et óbtulit holocáustum. Cumque complésset ófferens holocáustum, ecce Sámuel veniébat; et egréssus est Saul óbviam ei ut salutáret eum. Locutúsque est ad eum Sámuel : Quid fecísti? Respóndit Saul : Quia vidi quod pópulus dilaberétur a me, et tu non véneras juxta plácitos dies, porro Philísthiim congregáti fúerant in Machmas, dixi : Nunc descéndent Philísthiim ad me in Gálgala, et fáciem Dómini non placávi. Necessitáte compúlsus óbtuli holocáustum. Dixítque Sámuel ad Saul : Stulte egísti, nec custodísti mandáta Dómini Dei tui, quæ præcépit tibi. Quod si non fecísses, jam nunc præparásset Dóminus regnum tuum super Israël in sempitérnum; sed nequáquam regnum tuum ultra consúrget. Quæsívit Dóminus sibi virum juxta cor suum et præcépit ei Dóminus ut esset dux super pópulum suum, eo quod non serváveris quæ præcépit Dóminus.

℟. Cum essémus mórtui peccátis, convivificávit nos Deus in Christo * Propter nímiam caritátem suam qua diléxit nos. ℣. Ut osténderet in sæculis superveniéntibus abundántes divítias grátiæ suæ. — Propter. Glória. Propter.

In II Nocturno

Ex lítteris Encýclicis Pii Papæ undécimi

Lectio iv

IGnorántem Christum in cælis qui piacula-res ritus consolári queant? Scílicet « da amántem et sentit quod dico » repónimus, Augustíni verbis usi, quæ in hunc locum aptíssime cadunt. Dei enim amantíssimus quisque, si prætériti témporis spátium respíciat, videt meditándo intuetúrque Christum pro hómine laboránem, doléntem, durissíma quæque perpetiéntem, « propter nos hómines et propter nostram salútem » tristítia, angóribus, oppróbriis pæne conféctum, immo « attrítum propter scélera nostra » ac suo nos livóre sanántem. Atque hæc ómnia eo vérius pióram meditántur ánimi, quod peccáta hóminum ac flagítia quovis témpore perpetráta in causa fuérunt cur Dei Fílius morti traderétur eadémque nunc étiam mortem ipsam per se essent Christo illatúra, iísdem cum dolóribus mæroribúsque conjúnctam, quippe síngula passiónem Dómini, suo quodam modo, renováre censéantur : « Rursus crucifigéntes sibimetípsis Fílium Dei et osténtui habéntes ».

℟. Prope est Dóminus ómnibus invocántibus eum, * Omnibus invocántibus eum in veritáte. ℣. Miserátor et miséricors Dóminus, pátiens et multum miséricors. — Omnibus.

Lectio v

QUodsi propter peccáta quoque nostra, quæ futúra quidem erant at prævísa, ánima Christi tristis facta est usque ad mortem, haud dúbium quin solátii nonníhil jam tum céperit étiam e nostra item prævísa reparatióne, cum « appáruit illi Angelus de cælo » ut Cor ejus tædio et angóribus oppréssum consolarétur. Atque ita Cor illud sacratíssimum, quod ingratórum hóminum peccátis continénter sauciátur, étiam nunc mira quidem sed vera ratióne solári póssumus ac debémus, quandóquidem, ut in sacra quoque liturgía légitur, ex ore Psaltis, Christus ipse se ab amícis suis derelíctum conquéritur : « Impropérium exspectávit Cor meum et misériam, et sustínui qui simul contristarétur et non fuit, et qui consolarétur et non invéni ».

℟. Confíteor tibi, Pater, Dómine cæli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus * Et revelásti ea párvulis. ℣. Ita, Pater, quóniam sic fuit plácitum ante te. — Et revelásti.

Lectio vi

ACcédit quod pássio Christi expiátrix renovátur et quodámmodo continuátur et adimplétur in córpore suo mýstico, quod est Ecclésia. Etenim, ut rursus sancti Augustíni verbis utámur, « passus est Christus quidquid pati debúerat; jam de mensúra passiónum nihil deest. Ergo implétæ sunt passiónes, sed in cápite; restábant adhuc Christi passiónes in córpore ». Quod quidem Dóminus ipse Jesus declaráre dignátus est, cum ad Saulum « adhuc spirántem minárum et cædis in discípulos » loquens : « Ego sum, inquit, Jesus quem tu perséqueris », haud obscúre significans, commótis in Ecclésiam insectatiónibus, ipsum divínum oppugnári ac vexári Ecclésiæ Caput. Jure ígitur meritóque Christus in córpore suo mýstico adhuc pátiens, nos expiatiónis suæ sócios habére exóptat, idque, étiam ipsa nostra cum eo necessitúdo póstulat; nam cum simus « corpus Christi et membra de membro », quidquid pátitur caput, ómnia cum eo membra patiántur opórtet.

℟. Omnes gentes quascúmque fecísti vénient * Et adorábunt coram te, Dómine. ℣. Et glorificábunt nomen tuum quóniam magnus es tu, et fáciens mirabília. — Et adorábunt. Glória Patri. Et adorábunt.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem

Lectio vii Cap. 19, 31-37

IN illo témpore : Judæi, quóniam parascéve erat, ut non remanérent in cruce córpora sábbato, erat enim magnus dies ille sábbati, rogavérunt Pilátum, ut frangeréntur eórum crura et tolleréntur. Et réliqua.

Homília sancti Petri Canísii presbýteri

Exhortationes domesticæ Med. 6-7

DIligénter tecum ánimo versa, quam ineffábilis fúerit illa cáritas qua Deus summus, in máximis Cordis angústiis et totíus mundi oppróbriis, pro te vilíssimo vermículo illam crucis acerbíssimam mortem perpéssus fúerat. Advérte ut summam Christus Servátor suis liberalitátem ómnibus exhíbuit. Aliquándo enim in médio pópuli stans, ita clamábat : Si quis sitit véniat ad me et bibat : parátum se osténdens ómnibus ómnium necessitátibus subveníre. Consideráto ut liberalíssime tibi Cordis sui pretiósum sánguinem propinávit, quando, sacro látere apérto, quidquid relíquum erat in córpore sánguinis profúdit.

℟. Ego si exaltátus fúero a terra * Omnia traham ad meípsum. ℣. Hoc autem dicébat significans qua morte esset moritúrus. — Omnia.

Lectio viii

In Evang. Dom. I post Pascha

QUare, ne prorsus ingrátus sim, hos perénnes fontes donórum ac bonórum ómnium mihi ob óculos sæpe propónam, cum de illis dulcíssima exstet promíssio : Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus Salvatóris et dicétis in die illa : Confitémini Dómino. Ad hæc ipsa ter beáta petræ non diruéndæ forámina confúgiam; in illis meum nidum firmíssimum ponam, nihil habens antíquius prætérquam ut in meis angóribus atque perículis vúlnerum Dómini memorándo respírem.

℟. Simus ergo imitatóres Dei * Et ambulémus in dilectióne. ℣. Sicut et Christus diléxit nos et trádidit semetípsum pro nobis. — Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix Medit. 6

ET tu in omni tentatióne fuge diligénter in amábile Christi Cor, ejúsque bonitátem et caritátem tibi propóne, et cum illa confer tuam vilitátem, malítiam, infidelitátem, arrogántiam. Quanta enim cáritas Christi omnes ad se convocántis : Veníte ad me, omnes qui laborátis et onerati estis, et ego refíciam vos, et sic parátum se offert et cupit, amóre nostri, ómnium et singulórum ónera sustinére! Unde magna cum fidúcia in caritátis ejus abýssum prójice peccáta tua et mox te invénies exonerátum.

Te Deum laudámus.

Feria V infra Octav. Ssmi Cordis Jesu

Semiduplex

In I Nocturno

De libro primo Regum

Lectio i Cap. 14, 6-20

DIxit autem Jónathas ad adolescéntem armígerum suum : Veni, transeámus ad sta-

tiónem incircumcisórum horum, si forte fáciat Dóminus pro nobis, quia non est Dómino difficíle salváre vel in multis vel in paucis. Dixítque ei ármiger suus : Fac ómnia, quæ placent ánimo tuo, perge quo cupis, et ero tecum ubicúmque volúeris. Et ait Jónathas : Ecce nos transímus ad víros ístos. Cumque apparuérimus eis, si táliter locúti fúerint ad nos : manéte donec veniámus ad vos; stemus in loco nostro nec ascendámus ad eos. Si autem dixerint : Ascéndite ad nos; ascendámus, quia trádidit eos Dóminus in mánibus nostris : hoc erit nobis signum. Appáruit ígitur utérque statióni Philísthinórum. Dixerúntque Philísthiim : En Hebræi egrediúntur de cavérnis, in quibus abscónditi fúerant.

℟. Fériam eis pactum sempitérnum et non désinam eis benefácere et timórem meum dabo in corde eórum * Ut non recédant a me. ℣. Et lætábor super eis cum bene eis fécero in toto Corde meo. — Ut.

Lectio ii

ET locúti sunt víri de statióne ad Jónatham, et ad armígerum ejus, dixerúntque : Ascéndite ad nos, et ostendémus vobis rem. Et ait Jónathas ad armígerum suum : Ascendámus, séquere me; trádidit enim Dóminus eos in manus Israël. Ascéndit autem Jónathas mánibus et pédibus reptans et ármiger ejus post eum. Itaque álii cadébant ante Jónatham, álios ármiger ejus interficiébat sequens eum. Et facta est plaga príma, qua percússit Jónathas et ármiger ejus, quasi vigínti virórum, in média parte júgeri, quam par boum in die aráre consuévit. Et factum est miráculum in castris per agros; sed et omnis pópulus statiónis eórum, qui ierant ad prædándum, obstúpuit, et conturbáta est terra, et áccidit quasi miráculum a Deo.

℟. Si ínimicus meus maledíxisset mihi, sustinuíssem útique. * Tu vero homo unánimis qui símul mecum dulces capiébas cíbos. ℣. Et si is qui me óderat super me magna locútus fuísset, abscondíssem me fórsitan ab eo — Tu vero.

Lectio iii

ET respexérunt speculatóres Saul, qui erant Gábaa Bénjamin, et ecce multitúdo prostráta et huc illúcque diffúgiens. Et ait Saul pópulo, qui erat cum

eo : Requirite et vidéte quis abierit ex nobis. Cumque requisíssent, repértum est non adésse Jónatham et armígerum ejus. Et ait Saul ad Achíam : Applica arcam Dei (erat enim ibi arca Dei in die illa cum fíliis Israël). Cumque loquerétur Saul ad sacerdótem, tumúltus magnus exórtus est in castris Philisthinórum, crescebátque paulátim et clárius resonábat. Et ait Saul ad sacerdótem : Cóntrahe manum tuam. Conclamávit ergo Saul et omnis pópulus, qui erat cum eo, et venérunt usque ad locum certáminis; et ecce versus fúerat gládius uniuscujúsque ad próximum suum, et cædes magna nimis.

℟. Cum essémus mórtui peccátis, convivificávit nos Deus in Christo * Propter nímiam caritátem suam qua diléxit nos. ℣. Ut osténderet in sæculis superveniéntibus abundántes divítias grátiæ suæ. — Propter. Glória. Propter.

In II Nocturno

Ex lítteris Encýclicis Pii Papæ undécimi

Lectio iv

QUantópere autem hujúsmodi expiatiónis seu reparatiónis necéssitas hac nostra potíssimum ætáte úrgeat, némini non maniféstum erit, qui, ut initio díximus, hunc mundum in malígno pósitum, óculis animóque perlustráverit. Undique enim geméntium ad nos populórum clamor adscéndit, quorum príncipes vel rectóres vere adstitérunt et convenérunt in unum advérsus Dóminum et advérsus Ecclésiam ejus. At étiam doléndum, quod inter ipsos fidéles, sánguine Agni immaculáti in baptísmo ablútos, gratiáque locupletátos, tot inveniántur cujúsvis órdinis hómines, qui incredíbili rerum divinárum ignorántia laborántes et falsis doctrínis infécti, vítiis irretítam, procul a domo Patris, vitam tradúcant, quam nec veræ fidei lumen collústrat, nec futúræ spes beatitátis deléctat, nec ardor réficit fovétque caritátis, ut sedére in ténebris et in umbra mortis vere videántur.

℟. Prope est Dóminus ómnibus invocántibus eum, * Omnibus invocántibus eum in veritáte. ℣. Miserátor et misércors Dóminus, pátiens et multum misércors. — Omnibus.

Lectio v

HIsce vero malis véluti in cúmulum accédit cum eórum ignávia atque

socórdia, qui, dormitántium et fugiéntium instar discipulórum, nutántes in fide, Christum angóribus oppréssum vel Sátanæ satellítibus circumvéntum mísere derelínquunt, tum eórum perfídia, qui, Judæ proditóris exémplum secúti, aut témere et sacrílege de altári libant, aut ad hóstium castra transfúgiunt. Atque ita vel invítum subit cogitátio ánimum, jam própius adventáre témpora de quibus Dóminus noster vaticinátus est : Et quóniam abundávit iníquitas, refrigéscet cáritas multórum. Quæ quidem ómnia quotquot pie commentáti erunt fidéles, fácere non póterunt, quin, Christi perdoléntis incénsi caritáte, vehementióre stúdio suas aliorúmque culpas éxpient, Christi honórem resárciant, æternámque próvehant animárum salútem.

℟. Confíteor tibi, Pater, Dómine cæli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus * Et revelásti ea párvulis. ℣. Ita, Pater, quóniam sic fuit plácitum ante te. — Et.

Lectio vi

ET sane illud Apóstoli : Ubi abundávit delíctum, superabundávit grátia, áliquo pacto ad hanc quoque ætátem nostram describéndam accommodáre licet : nam, aucta ádmodum perversitáte hóminum, mirífice item, Spíritu Sancto afflánte, númerus fidélium utriúsque sexus augétur, qui alacrióre ánimo pro tot illátis injúriis divíno Cordi satisfácere student, immo étiam se ipsos Christo víctimas offérre non dúbitant. Etenim quæ usque adhuc memorávimus si quis secum ánimo réputet amánter eadémque véluti in medúllis defíxa hábeat, fíeri profécto non potest quin is non tam ab omni peccáto tamquam summo malo abhórreat atque abstíneat, quam se totum Dei voluntáti permíttat, et læsum divínæ Majestátis honórem, cum continénter orándo, tum afflictatiónibus sponte suscéptis ærumnísque, si quæ inciderint, patiénter tolerátis, tum tota demum vita hoc expiatiónis stúdio exigénda, resarcíre conténdat.

℟. Omnes gentes quascúmque fecísti vénient * Et adorábunt coram te, Dómine. ℣. Et glorificábunt nomen tuum quóniam magnus es tu, et fáciens mirabília. — Et. Glória Patri. Et.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem

Lectio vii Cap. 19, 31-37

IN illo témpore : Judæi, quóniam parascéve erat, ut non remanérent in cruce córpora sábbato, erat enim magnus dies ille sábbati, rogavérunt Pilátum, ut frangeréntur eórum crura et tolleréntur. Et réliqua.

Homília sancti Cyrílli Episcopi Alexandríni

Com. in Joann. lib. 12, cap. 19

NON hæc ait beátus Evangelísta, quasi pietátem ullam eferátis et crudélibus Judæis tríbuat, sed ut osténdat stulte eos et imperíte excoláre cúlicem, et camélum deglutíre, sicut a Christo dictum est. Gravíssima enim et immánia scélera pro níhilo dúcere comperiúntur : mínima vero et exília caute ádmodum ac sollícite obsérvant, suam utrobíque pandéntes inscítiam. Quod in promptu est osténdere. Ecce enim Christo interfécto sábbati honórem magni fáciunt, et incredíbili audácia, violáto legis auctóre, pietátem erga legem præ se ferunt.

℟. Ego si exaltátus fúero a terra * Omnia traham ad meípsum. ℣. Hoc autem dicébat significans qua morte esset moritúrus. — Omnia.

Lectio viii

MAgnum autem illíus præcípue sábbati diem cólere símulant, qui magnæ diéi Dóminum interemérunt, et grátiam se solis dignam flágitant, ut eórum nempe crura frangántur, intolerábili dolóre acerbiórem morte ipsa perníciem prope jam mórtuis molliéntes. Venérunt ergo mílites, et primi quidem fregérunt crura, et altérius qui crucifíxus est cum eo. Judæórum petitióni mílites obsecúti, qui símili crudelitátis furóre laborábant, duórum quidem latrónum, quippe qui vivi adhuc repérti essent, crura confringunt. Sed, cum Jesum inclinásse caput comperíssent, et jam expirásse putárent, frustra ejus crura confríngi exístimant, sed, cum adhuc mórtuum esse nonnihil diffidérent, láncea latus ejus perfódiunt, unde cruor aqua mixtus scatúriit, quod eulógiæ mýsticæ et sancti baptísmatis imágo quædam erat atque primítiæ.

℟. Simus ergo imitatóres Dei * Et ambulémus in dilectióne. ℣. Sicut et Christus diléxit nos et trádidit semetípsum pro nobis. — Et ambulémus in dilectióne. Glória Patri et Fílio et Spirítui Sancto. Et ambulémus in dilectióne.

Lectio ix

EX iis autem quæ contigérunt, sapientíssimus Evangelísta confírmat auditóribus eum esse Christum, qui per sanctas olim prædíctus est Scriptúras, consentánea enim divínis de eo oráculis evenérunt. Nec enim os ejus confráctum est, et mílitum láncea transfíxus est, secúndum Scriptúras. Spectatórem vero ejus rei ait exstitísse discípulum ipsum qui testimónium pérhibet de his, et scire se vera testári, seípsum his verbis, non álium dénotans. Te Deum.

Vesperæ de sequenti die Oct.

Feria VI. In Octava Ssmi Cordis Jesu

Duplex majus

Omnia ut in die Festo, p. 343, præter sequentia :

In I Nocturno

De libro primo Regum

Lectio i Cap. 15, 1-11

ET dixit Sámuel ad Saul : Me misit Dóminus, ut úngerem te in regem super pópulum ejus Israël : nunc ergo audi vocem Dómini. Hæc dicit Dóminus exercítuum : Recénsui quæcúmque fecit Amalec Israéli : quómodo réstitit ei in via cum ascénderet de Ægýpto. Nunc ergo vade et pércute Amalec et demolíre univérsa ejus : non parcas ei et non concupíscas ex rebus ipsíus áliquid; sed intérfice a viro usque ad mulíerem, et párvulum atque lacténtem, bovem et ovem, camélum et ásinum.

℟. Fériam eis pactum sempitérnum et non désinam eis benefácere et timórem meum dabo in corde eórum * Ut non recédant a me. ℣. Et lætábor super eis cum bene eis fécero ín toto Corde meo. — Ut non.

Lectio ii

PRæcépit ítaque Saul pópulo, et recénsuit eos quasi agnos : ducénta míllia péditum et decem míllia virórum Juda. Cumque venísset Saul usque ad civitátem Amalec, teténdit insídias in torrénte. Dixítque Saul Cinæo : Abíte, recédite, atque descéndite ab Amalec : ne forte invólvam te cum eo; tu enim fecísti misericórdiam cum ómnibus fíliis Israël cum ascénderent de Ægýpto. Et recéssit Cinæus de médio Amalec. Percussítque Saul Amalec ab Hévila donec vénias ad Sur, quæ est e regióne Ægýpti. Et apprehéndit Agag regem Amalec vivum; omne autem vulgus interfécit in ore gládii.

℟. Si inimícus meus maledixísset mihi, sustinuíssem útique. * Tu vero homo unánimis qui simul mecum dulces capiébas cibos. ℣. Et si is qui me óderat super me magna locútus fuísset, abscondíssem me fórsitan ab eo. — Tu vero.

Lectio iii

ET pepércit Saul et pópulus Agag et óptimis grégibus óvium et armentórum et véstibus, et ariétibus et univérsis, quæ pulchra erant, nec voluérunt dispérdere ea; quidquid vero vile fuit et réprobum, hoc demolíti sunt. Factum est autem verbum Dómini ad Sámuel dicens : Pœnítet me quod constitúerim Saul regem, quia derelíquit me et verba mea ópere non implévit. Contristatúsque est Sámuel et clamávit ad Dóminum tota nocte.

℟. Cum essémus mórtui peccátis, convivificávit nos Deus in Christo * Propter nímiam caritátem suam qua diléxit nos. ℣. Ut osténderet in sæculis superveniéntibus abundántes divítias grátiæ suæ. — Propter. Glória Patri. Propter.

In II Nocturno

Sermo sancti Bernárdi Abbátis

Sermo 61 in Cantica Canticorum, nn. 3-5

Lectio iv

EVéra ubi tuta fírmaque infírmis secúritas et réquies, nisi in vulnéribus Salvatóris? Tanto illic secúrior hábito, quanto ille poténtior est ad salvándum. Fremit mundus, premit corpus, diábolus insidiátur : non cado; fundátus enim sum supra firmam petram. Peccávi peccátum grande : turbábitur consciéntia, sed non perturbábitur, quóniam vúlnerum Dómini recordábor. Nempe vulnerátus est propter iniquitátes nostras. Quid tam ad mortem, quod non Christi morte solvátur? Si ergo ín mentem vénerit tam potens tamque éfficax medicaméntum, nulla jam possum morbi malignitáte terréri.

℟. Prope est Dóminus ómnibus invocántibus eum, * Omnibus invocántibus eum in veritáte. ℣. Miserátor et miséricors Dómi-

nus, pátiens et multum miséricors. — Omnibus.

Lectio v

EGO vero fidénter quod ex me mihi déest, usúrpo mihi ex viscéribus Dómini, quóniam misericórdiæ áffluunt; nec desunt forámina, per quæ éffluant. Fodérunt manus ejus et pedes, latúsque láncea foravérunt; et per has rimas licet mihi súgere mel de petra, oleúmque de saxo duríssimo; id est gustáre et vidére quóniam suávis est Dóminus. Cogitábat cogitatiónes pacis, et ego nesciébam. Quis enim cognóvit sensum Dómini? aut quis consiliárius ejus fuit? At clavis réserans, clavus pénetrans factus est mihi ut vídeam voluntátem Dómini. Quidni vídeam per forámen? Clamat clavus, clamat vulnus, quod vere Deus sit in Christo mundum reconcílians sibi.

℟. Confíteor tibi, Pater, Dómini cæli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus * Et revelásti ea párvulis. ℣. Ita, Pater, quóniam sic fuit plácitum ante te.—Et.

Lectio vi

FErrum pertránsiit ánimam ejus, et appropinquávit Cor illíus, ut non jam non sciat cómpati infirmitátibus meis. Patet arcánum Cordis per forámina córporis; patet magnum illud pietátis sacraméntum, patent viscera misericórdiæ Dei nostri, in quibus visitávit nos Oriens ex alto. Quidni víscera per vúlnera páteant? In quo enim clárius quam in vulnéribus tuis eluxísset, quod tu, Dómine, suávis et mitis, et multæ misericórdiæ? Majórem enim miseratiónem nemo habet, quam ut ánimam suam ponat quis pro addíctis morti et damnátis. Meum proinde méritum, miserátio Dómini. Non plane sum mériti inops, quámdiu ille miseratiónum non fúerit. Et si misericórdiæ Dómini ab ætérno et usque in ætérnum, ego quoque misericórdias Dómini in ætérnum cantábo.

℟. Omnes gentes quascúmque fecísti vénient * Et adorábunt coram te, Dómine. ℣. Et glorificábunt nomen tuum quóniam magnus es tu, et fáciens mirabília. — Et. Glória Patri. Et.

In III Nocturno
Léctio sancti Evangélii
secúndum Joánnem

Lectio vii Cap. 19, 31-37

IN illo témpore : Judæi, quóniam parascéve erat, ut non remanérent

in cruce córpora sábbato, erat enim magnus dies ille sábbati, rogavérunt Pilátum, ut frangeréntur eórum crura et tolleréntur. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni
Epíscopi

Tractatus 120 in Joannem, nn. 2-3

AD Jesum autem cum veníssent, ut vidérunt eam jam mórtuum, non fregérunt ejus crura, sed unus mílitum láncea latus ejus apéruit, et contínuo exívit sanguis et aqua. Vigilánti verbo Evangelísta usus est, ut non díceret : Latus ejus percússit, aut vulnerávit, aut quid áliud, sed apéruit, ut illic quodámmodo vitæ óstium panderétur, unde Sacraménta Ecclésiæ manavérunt, sine quibus ad vitam, quæ vera vita est, non intrátur. Ille sanguis in remissiónem fusus est peccatórum. Aqua illa salutáre témperat póculum, hæc et lavácrum præstat et potum. Hoc prænuntiábat quod Noë in látere arcæ óstium fácere jussus est, qua intrárent animália quæ non erant dilúvio peritúra, quibus præfigurabátur Ecclésia.

℟. Ego si exaltátus fúero a terra * Omnia traham ad meípsum. ℣. Hoc autem dicébat significans qua morte esset moritúrus. — Omnia.

Lectio viii

PRopter hoc prima múlier facta est de látere viri dormiéntis, et appelláta est vita matérque vivórum. Magnum quippe significávit bonum, ante magnum prævaricatiónis malum. Hic secúndus Adam, inclináto cápite, in cruce dormívit, ut inde formarétur ejus conjux, quæ de látere dormiéntis efflúxit. O mors unde mórtui reviviscunt! Quid isto sánguine múndius? Quid vúlnere isto salúbrius? Et qui vidit, inquit, testimónium perhíbuit, et verum est testimónium ejus; et ille scit quia vera dicit, ut et vos credátis. Non dixit : Ut et vos sciátis, sed ut credátis. Scit enim qui vidit, cujus credat testimónio qui non vidit. Magis autem ad fidem pértinet crédere quam vidére.

℟. Simus ergo imitatóres Dei * Et ambulémus in dilectióne. ℣. Sicut et Christus diléxit nos et trádidit semetípsum pro nobis.— Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix

DUO testimónia de Scriptúris réddidit síngulis rebus quas factas fuísse narrávit. Nam quia díxerat : Ad Jesum autem cum veníssent, ut vidérunt eum jam mórtuum, non fregérunt ejus crura, ad hoc pértinet testimónium : Os non comminuétis ex eo : quod præcéptum erat eis qui celebráre Pascha jussi sunt ovis immolatióne in véteri lege, quæ Domínicæ Passiónis umbra præcésserat; unde Pascha nostrum immolátus est Christus; de quo et Isaías Prophéta prædíxerat : Sicut ovis ad immolándum ductus est. Item quia subjúnxerat dicens : Sed unus mílitum láncea latus ejus apéruit, ad hoc pértinet álterum testimónium : Vidébunt in quem transfixérunt, ubi promíssus est Christus, in ea qua crucifíxus est carne ventúrus. Te Deum.

Ad Vesperas, nisi sequenti die persolvendum sit Officium de Festo ix Lectionum, aut de qualibet Octava vel Vigilia, fit Commemoratio de sancta Maria, et de ea dicitur Officium in Sabbato sequenti. Quod item servatur in omnibus Sabbatis tempore æstivo occurrentibus.

SABBATO
De libro primo Regum

Lectio i Cap. 16, 1-11

DIxítque Dóminus ad Samuélem : Usquequo tu luges Saul, cum ego projécerim eum ne regnet super Israël? Imple cornu tuum óleo et veni, ut mittam te ad Isaï Bethlehemítem; provídi enim in filiis ejus mihi regem. Et ait Sámuel : Quómodo vadam? áudiet enim Saul et interfíciet me. Et ait Dóminus : Vítulum de arménto tolles in manu tua et dices : Ad immolándum Dómino veni. Et vocábis Isai ad víctimam, et ego osténdam tibi quid fácias, et unges quemcúmque monstrávero tibi.

℟. Peccávi super número rum arénæ maris, et multiplicáta sunt peccáta mea; et non sum dignus vidére altitúdinem cæli præ multitúdine iniquitátis meæ : quóniam irritávi iram tuam, * Et malum coram te feci. ℣. Quóniam iniquitátem meam ego cognósco : et delíctum meum contra me est semper, quia tibi soli peccávi. — Et malum coram te feci.

Lectio ii

FEcit ergo Sámuel sicut locútus est ei Dóminus, venítque in Béthlehem, et admiráti sunt senióres civitátis occurréntes ei dixerúntque : Pacifícusne est ingréssus tuus? Et ait : Pacíficus : ad immolándum Dómino veni : sanctificámini et veníte

mecum ut ímmolem. Sanctificávit ergo Isai et fílios ejus et vocávit eos ad sacrifícium. Cumque ingréssi essent, vidit Eliab et ait : Num coram Dómino est Christus ejus? Et dixit Dóminus ad Samuélem : Ne respícias vultum ejus neque altitúdinem statúræ ejus, quóniam abjéci eum, nec juxta intúitum hóminis ego júdico; homo enim videt ea quæ parent, Dóminus autem intuétur cor.

℟. Exaudísti, Dómine, oratiónem servi tui, ut ædificárem templum nómini tuo : * Bénedic et sanctífica domum istam in sempitérnum, Deus Israël. ℣. Dómine, qui custódis pactum cum servis tuis, qui ámbulant coram te in toto corde suo. — Bénedic.

In Octavis simplicibus et in Officio S. Mariæ in Sabbato : Glória Patri. Bénedic.

Lectio iii

ET vocávit Isai Abínadab et addúxit eum coram Samuéle. Qui dixit : Nec hunc elégit Dóminus. Addúxit autem Isai Samma, de quo ait : Etiam hunc non elégit Dóminus. Addúxit ítaque Isai septem fílios suos coram Samuéle, et ait Sámuel ad Isai : Non elégit Dóminus ex istis. Dixítque Sámuel ad Isai : Numquid jam compléti sunt fílii? Qui respóndit : Adhuc réliquus est párvulus et pascit oves. Et ait Sámuel ad Isai : Mitte et adhuc eum.

℟. Audi, Dómine, hymnum et oratiónem, quam servus tuus orat coram te hódie : ut sint óculi tui apérti, et aures tuæ inténtæ, * Super domum istam die ac nocte. ℣. Réspice, Dómine, de sanctuário tuo, et de excélso cælórum habitáculo. — Super. Glória Patri. Super.

AD VESPERAS

℣. Vespertína orátio ascéndat ad te, Dómine. ℟. Et descéndat super nos misericórdia tua.

Ad Magnif. Ant. Præváluit David * in Philisthæum in funda et lápide in nómine Dómini.

Oratio

DA nobis, quæsumus, Dómine : ut et mundi cursus pacifice nobis tuo órdine dirigátur; et Ecclésia tua tranquílla devotióne lætétur. Per Dóminum.

DOMINICA IV
POST PENTECOSTEN
Semiduplex

Ad Matutinum, Invitatorium Dóminum, qui fecit, et Hymnus Nocte surgéntes, ut in Psalterio 30; quæ dicuntur in omnibus Dominicis tempore æstivo occurrentibus.

In I Nocturno

De libro primo Regum

Lectio i Cap. 17, 1-16

CONgregántes autem Philísthiim ágmina sua in prælium convenérunt in Socho Judæ, et castrametáti sunt inter Socho et Azéca in fínibus Dommim. Porro Saul et fílii Israël congregáti venérunt in Vallem terebínthi, et direxérunt áciem ad pugnándum contra Philísthiim. Et Philísthiim stabant super montem ex parte hac, et Israël stabat supra montem ex áltera parte, vallísque erat inter eos. Et egréssus est vir spúrius de castris Philisthinórum nómine Góliath de Geth altitúdinis sex cubitórum et palmi. Et cassis ærea super caput ejus, et lorica squamáta induebátur; porro pondus lorícæ ejus quinque míllia siclórum æris erat. Et ócreas æreas habébat in crúribus, et clýpeus æreus tegébat húmeros ejus. Hastíle autem hastæ ejus erat quasi liciatórium texéntium; ipsum autem ferrum hastæ ejus sexcéntos siclos habébat ferri; et ármiger ejus antecedébat eum.

℟. Præparáte corda vestra Dómino, et servíte illi soli : * Et liberábit vos de mánibus inimicórum vestrórum. ℣. Convertímini ad eum in toto corde vestro, et auférte deos aliénos de médio vestri. — Et liberábit.

Lectio ii

STansque clamábat adversum phalángas Israël et dicébat eis : Quare venístis paráti ad prælium? Numquid ego non sum Philisthæus, et vos servi Saul? Elígite ex vobis virum, et descéndat ad singuláre certámen : si quíverit pugnáre mecum et percússerit me, érimus vobis servi; si autem ego prævalúero et percússero eum, vos servi éritis et serviétis nobis. Et ajébat Philisthæus : Ego exprobrávi agmínibus Israël hódie : Date mihi virum, et íneat mecum singuláre certámen. Audiens autem Saul et omnes Israelítæ sermónes Philistæi hujuscémodi stupébant et metuébant nimis.

℟. Deus ómnium exaudítor est : ipse misit Angelum suum, et tulit me de óvibus patris mei; * Et unxit me unctióne misericórdiæ suæ. ℣. Dóminus, qui erípuit me de ore leónis, et de manu béstiæ liberávit me. — Et.

Lectio iii

DAvid autem erat fílius viri Ephrathæi, de quo supra dictum est, de Béthlehem Juda, cui nomen erat Isai, qui habébat octo fílios, et erat vir in diébus Saul senex et grandævus inter viros. Abiérunt autem tres fílii ejus majóres post Saul in prælium; et nómina trium filiórum ejus, qui perrexérunt ad bellum, Eliab primogénitus et secúndus Abínadab tertiúsque Samma; David autem erat mínimus. Tribus ergo majóribus secútis Saulem, ábiit David et revérsus est a Saul, ut pásceret gregem patris sui in Béthlehem. Procedébat vero Philisthæus mane et véspere, et stabat quadragínta diébus.

℟. Dóminus, qui erípuit me de ore leónis, et de manu béstiæ liberávit me, * Ipse me erípiet de mánibus inimicórum meórum. ℣. Misit Deus misericórdiam suam et veritátem suam : ánimam meam erípuit de médio catulórum leónum. — Ipse. Glória Patri. Ipse.

In II Nocturno

Sermo sancti Augustíni Epíscopi

Sermo 197 de Temp. circa med.

Lectio iv

TAbant fílii Israël contra adversários quadragínta diébus. Quadragínta dies, propter quátuor témpora et quátuor partes orbis terræ, vitam præséntem significant, in qua contra Góliath vel exércitum ejus, id est, contra diábolum et ángelos ejus, Christianórum pópulus pugnáre non désinit. Nec tamen víncere posset, nisi verus David Christus cum báculo, id est, cum crucis mystério descendísset. Ante advéntum enim Christi, fratres caríssimi, solútus erat diábolus; véniens Christus fecit de eo, quod in Evangélio dictum est : Nemo potest intráre in domum fortis et vasa ejus dirípere, nisi prius alligáverit fortem. Venit ergo Christus et alligávit diábolum.

℟. Percússit Saul mille et David decem míllia : * Quia manus Dómini erat cum illo, percússit Phili-

sthæum, et ábstulit oppróbrium ex Israël. ℣. Nonne iste est David, de quo canébant in choro, dicéntes : Saul percússit mille, et David decem míllia? — Quia manus.

Lectio v

SED dicit áliquis : Si álligátus est, quare adhuc tantum prævalet? Verum est, fratres caríssimi, quia multum prævalet : sed tépidis, et negligéntibus, et Deum in veritáte non timéntibus dominátur. Alligátus est enim tamquam innéxus canis caténis et néminem potest mordére nisi eum, qui se illi mortífera securitáte conjúnxerit. Jam vidéte, fratres, quam stultus est homo ille, quem canis in caténa pósitus mordet. Tu te illi per voluntátes et cupiditátes sæculi noli conjúngere, et ille ad te non præsúmit accédere. Latráre potest, sollicitáre potest; mordére omníno non potest, nisi voléntem. Non enim cogéndo, sed suadéndo nocet; nec extórquet a nobis consénsum, sed petit.

℟. Montes Gélboe, nec ros nec plúvia véniant super vos, * Ubi cecidérunt fortes Israël. ℣. Omnes montes, qui estis in circúitu ejus, vísitet Dóminus; a Gélboe autem tránseat. — Ubi.

Lectio vi

VEnit ergo David et invénit Judæórum pópulum contra diábolum præliántem; et cum nullus esset, qui præsúmeret ad singuláre certámen accédere, ille, qui figúram Christi gerébat, procéssit ad prælium, tulit báculum in manu sua et éxiit contra Góliath. Et in illo quidem tunc figurátum est, quod in Dómino Jesu Christo complétum est. Venit enim verus David Christus, qui contra diábolum pugnatúrus crucem suam ipse portávit. Vidéte, fratres, ubi David Góliath percússerit : in fronte útique, ubi crucis signáculum non habébat. Sicut enim báculus crucis typum hábuit, ita étiam et lapis ille, de quo percússus est, Christum Dóminum figurábat.

℟. Ego te tuli de domo patris tui, dicit Dóminus, et pósui te páscere gregem pópuli mei : * Et fui tecum in ómnibus, ubicúmque ambulásti, firmans regnum tuum in ætérnum. ℣. Fecíque tibi nomen grande, juxta nomen magnórum, qui sunt in terra : et réquiem dedi tibi ab ómnibus inimícis tuis. — Et. Glória Patri. Et.

Lectiones III Nocturni de Homilia Dominicæ IV post Pentecosten habentur ad finem hujus Partis de Tempore, in ordine aliarum Dominicarum usque ad Dominicam XV post Pentecosten. — Similiter Antiphonæ ad Benedictus et Magnificat, et Orationes.

℟. vii Peccávi et ℟. viii Duo Séraphim, ut infra in Homiliis.

Ad Laudes, in hac et sequentibus Dominicis tempore æstivo occurrentibus, dicitur Hymnus Ecce jam noctis, ut in Psalterio. 39

FERIA SECUNDA

De libro primo Regum

Lectio i Cap. 17, 25-26

ET dixit unus quíspiam de Israël : Num vidístis virum hunc qui ascéndit? Ad exprobrándum enim Israéli ascéndit. Virum ergo, qui percússerit eum, ditábit rex divítiis magnis et fíliam suam dabit ei et domum patris ejus fáciet absque tribúto in Israël. Et ait David ad viros, qui stabant secum, dicens : Quid dábitur viro, qui percússerit Philisthæum hunc et túlerit oppróbrium de Israël? Quis enim est hic Philisthæus incircumcísus, qui exprobrávit ácies Dei vivéntis?

℟. Recordáre, Dómine, testaménti tui, et dic Angelo percutiénti : Cesset jam manus tua, * Ut non desolétur terra, et ne perdas omnem ánimam vivam. ℣. Ego sum qui peccávi, ego qui iníque egi : isti qui oves sunt, quid fecérunt? Avertátur, óbsecro, furor tuus, Dómine, a pópulo tuo. — Ut.

Lectio ii Cap. 17, 31-36

AUdíta sunt autem verba, quæ locútus est David, et annuntiáta in conspéctu Saul. Ad quem cum fuísset addúctus, locútus est ei : Non cóncidat cor cujúsquam in eo : ego servus tuus vadam et pugnábo advérsus Philisthæum. Et ait Saul ad David : Non vales resistere Philisthæo isti nec pugnáre advérsus eum, quia puer es, hic autem vir bellátor est ab adolescéntia sua.

℟. Exaudísti, Dómine, oratiónem servi tui, ut ædificárem templum nómini tuo : * Bénedic et sanctífica domum istam in sempitérnum, Deus Israël. ℣. Dómine, qui custódis pactum cum servis tuis, qui ámbulant coram te in toto corde suo. — Bénedic.

In Octavis et Festis ritus simplicis : Glória Patri. Benedic.

Lectio iii

DIxítque David ad Saul : Pascébat servus tuus patris sui gregem, et veniébat leo vel ursus et tollébat aríetem de médio gregis, et persequébar eos et percutiébam eruebámque de ore eórum; et illi consurgébant advérsum me, et apprehendébam mentum eórum et suffocábam interficiebámque eos; nam et leónem et ursum interféci ego servus tuus. Erit ígitur et Philisthæus hic incircumcísus quasi unus ex eis.

℟. Audi, Dómine, hymnum et oratiónem, quam servus tuus orat coram te hódie : ut sint óculi tui apérti, et aures tuæ inténtæ, * Super domum ístam die ac nocte. ℣. Réspice, Dómine, de sanctuário tuo, et de excélso cælórum habitáculo. — Super. Glória Patri. Super.

FERIA TERTIA

De libro primo Regum

Lectio i Cap. 17, 38-46

ET índuit Saul David vestiméntis suis et impósuit gáleam æream super caput ejus et vestívit eum lorica. Accínctus ergo David gládio ejus super vestem suam cœpit tentáre si armátus posset incédere, non enim habébat consuetúdinem. Dixítque David ad Saul : Non possum sic incédere, quia non usum hábeo. Et depósuit ea et tulit báculum suum, quem semper habébat in mánibus, et elégit sibi quinque limpidíssimos lápides de torrénte et misit eos in peram pastorálem, quam habébat secum, et fundam manu tulit et procéssit advérsum Philisthæum.

℟. Dómine, si convérsus fúerit pópulus tuus, et oráverit ad sanctuárium tuum : * Tu exáudies de cælo, Dómine, et líbera eos de mánibus inimicórum suórum. ℣. Si peccáverit in te pópulus tuus, et convérsus égerit pæniténtiam, veniénsque oráverit in isto loco. — Tu.

Lectio ii

IBat autem Philisthæus incédens et appropínquans advérsum David, et ármiger ejus ante eum. Cumque inspexísset Philisthæus et vidísset David, despéxit eum; erat enim adoléscens rufus et pulcher aspéctu. Et dixit Philisthæus ad David : Numquid ego canis sum, quod tu venis ad me cum báculo? Et maledíxit Philisthæus David in diis suis, dixítque ad David : Veni

ad me et dabo carnes tuas volatílibus cæli et béstiis terræ. Dixit autem David ad Philisthæum : Tu venis ad me cum gládio et hasta et clýpeo, ego autem vénio ad te in nómine Dómini exercítuum, Dei ágminum Israël, quibus exprobrásti hódie; et dabit te Dóminus in manu mea, et percútiam te et áuferam caput tuum a te et dabo cadávera castrórum Philísthiim hódie volatílibus cæli et béstiis terræ, ut sciat omnis terra quia est Deus in Israël.

℟. Factum est, dum tólleret Dóminus Elíam per túrbinem in cælum, * Eliséus clamábat, dicens : Pater mi, pater mi, currus Israël, et auríga ejus. ℣. Cumque pérgerent, et incedéntes sermocinaréntur, ecce currus ígneus et equi ígnei divisérunt utrúmque, et ascéndit Elías per túrbinem in cælum. — Eliséus.

In Octavis et Festis ritus simplicis : Glória Patri. Eliséus.

Lectio iii

CUM ergo surrexísset Philisthæus et veníret et appropinquáret contra David, festinávit David et cucúrrit ad pugnam ex advérso Philisthæi. Et misit manum suam in peram tulítque unum lápidem et funda jecit et circumdúcens percússit Philisthæum in fronte; et infíxus est lapis in fronte ejus, et cécidit in fáciem suam super terram. Prævaluítque David advérsum Philisthæum in funda et lápide percussúmque Philisthæum interfécit. Cumque gládium non habéret in manu, David cucúrrit et stetit super Philisthæum et tulit gládium ejus et edúxit eum de vagína sua et interfécit eum præcidítque caput ejus.

℟. Ego te tuli de domo patris tui, dicit Dóminus, et pósui te páscere gregem pópuli mei : * Et fui tecum in ómnibus, ubicúmque ambulásti, firmans regnum tuum in ætérnum. ℣. Fecíque tibi nomen grande, juxta nomen magnórum, qui sunt in terra : et réquiem dedi tibi ab ómnibus inimícis tuis. — Et. Glória Patri. Et.

FERIA QUARTA

De libro primo Regum

Lectio i Cap. 18, 6-17

PORro, cum reverterétur, percússo Philisthæo, David, egréssæ sunt mulíeres de univérsis úrbibus Israël cantántes chorósque ducéntes in occúrsum Saul regis in týmpanis lætítiæ

et in sistris. Et præcinébant muliéres ludéntes atque dicéntes : Percússit Saul mille, et David decem míllia. Irátus est autem Saul nimis, et displicuit in óculis ejus sermo iste, dixítque : Dedérunt David decem míllia et mihi mille dedérunt; quid ei súperest, nisi solum regnum?

℟. Peccávi super número rum arénæ maris, et multiplicáta sunt peccáta mea; et non sum dignus vidére altitúdinem cæli præ multitúdine iniquitátis meæ : quóniam irritávi iram tuam, * Et malum coram te feci. ℣. Quóniam iniquitátem meam ego cognósco : et delíctum meum contra me est semper, quia tibi soli peccávi. — Et.

Lectio ii

NON rectis ergo óculis Saul aspiciébat David a die illa et deínceps. Post diem autem álteram invásit spíritus Dei malus Saul, et prophetábat in médio domus suæ; David autem psallébat manu sua sicut per síngulos dies. Tenebátque Saul lánceam et misit eam putans quod confígere posset David cum paríete; et declinávit David a fácie ejus secúndo. Et tímuit Saul David eo quod Dóminus esset cum eo, et a se recessísset. Amóvit ergo eum Saul a se et fecit eum tribúnum super mille viros; et egrediebátur et intrábat in conspéctu pópuli.

℟. Exaudísti, Dómine, oratiónem servi tui, ut ædificárem templum nómini tuo : * Bénedic et sanctífica domum istam in sempitérnum, Deus Israël. ℣. Dómine, qui custódis pactum cum servis tuis, qui ámbulant coram te in toto corde suo. — Bénedic.

In Octavis et Festis ritus simplicis : Glória Patri. Bénedic.

Lectio iii

IN ómnibus quoque viis suis David prudénter agébat, et Dóminus erat cum eo. Vidit itaque Saul quod prudens esset nimis et cœpit cavére eum. Omnis autem Israël et Juda diligébat David; ipse enim ingrediebátur et egrediebátur ante eos. Dixítque Saul ad David : Ecce filia mea major Merob, ipsam dabo tibi uxórem; tantúmmodo esto vir fortis et præliáre bella Dómini. Saul autem reputábat dicens : Non sit manus mea in eum, sed sit super eum manus Philisthinórum.

℟. Audi, Dómine, hymnum et oratiónem, quam servus tuus orat coram te hódie : ut sint óculi tui

apérti, et aures tuæ inténtæ, * Super domum istam die ac nocte. ℣. Réspice, Dómine, de sanctuário tuo, et de excélso cælórum habitáculo. — Super. Glória Patri. Super.

FERIA QUINTA

De libro primo Regum

Lectio i Cap. 19, 1-6

LOcútus est autem Saul ad Jónathan fílium suum et ad omnes servos suos ut occíderent David. Porro Jónathas fílius Saul diligébat David valde. Et indicávit Jónathas David dicens : Quærit Saul pater meus occídere te; quaprópter obsérva te, quæso, mane, et manébis clam et abscondéris. Ego autem egrédiens stabo juxta patrem meum in agro ubicúmque fúeris; et ego loquar de te ad patrem meum et quodcúmque vídero nuntiábo tibi.

℟. Præparáte corda vestra Dómino, et servíte illi soli : * Et liberábit vos de mánibus inimicórum vestrórum. ℣. Convertímini ad eum in toto corde vestro, et auférte deos aliénos de médio vestri. — Et.

Lectio ii

LOcútus est ergo Jónathas de David bona ad Saul patrem suum dixítque ad eum : Ne pecces, rex, in servum tuum David, quia non peccávit tibi, et ópera ejus bona sunt tibi valde. Et pósuit ánimam suam in manu sua et percússit Philisthæum, et fecit Dóminus salútem magnam univérso Israéli. Vidísti et lætátus es; quare ergo peccas in sánguine innóxio interfíciens David, qui est absque culpa? Quod cum audísset Saul, placátus voce Jónathæ jurávit : Vivit Dóminus, quia non occidétur.

℟. Deus ómnium exauditor est : ipse misit Angelum suum, et tulit me de óvibus patris mei; * Et unxit me unctióne misericórdiæ suæ. ℣. Dóminus, qui erípuit me de ore leónis, et de manu béstiæ liberávit me. — Et.

In Octavis et Festis ritus simplicis : Glória Patri. Et.

Lectio iii Cap. 19, 8-10

MOtum est autem rursum bellum, et egréssus David pugnávit advérsum Philísthiim percussítque eos plaga magna, et fugérunt a fácie ejus. Et factus est spíritus Dómini malus in Saul. Sedébat autem in domo sua et tenébat lánceam; porro David psallébat manu sua. Nisúsque est Saul confígere David láncea in

paríete, et declinávit David a fácie Saul: láncea autem, casso vúlnere, perláta est in paríetem. Et David fugit et salvátus est nocte illa.

℟. Dóminus, qui erípuit me de ore leónis, et de manu béstiæ liberávit me, * Ipse me erípiet de mánibus inimicórum meórum. ℣. Misit Deus misericórdiam suam et veritátem suam : ánimam meam erípuit de médio catulórum leónum. — Ipse. Glória Patri. Ipse.

FERIA SEXTA

De libro primo Regum

Lectio i Cap. 20, 1-7

FUgit autem David de Najoth, quæ est in Rámatha, veniénsque locútus est coram Jónatha : Quid feci? quæ est iníquitas mea, et quod peccátum meum in patrem tuum, quia quærit ánimam meam? Qui dixit ei : Absit, non moriéris; neque enim fáciet pater meus quidquam grande vel parvum nisi prius indicáverit mihi; hunc ergo celávit me pater meus sermónem tantúmmodo? Nequáquam erit istud.

℟. Percússit Saul mille, et David decem míllia : * Quia manus Dómini erat cum illo, percússit Philisthæum, et ábstulit oppróbrium ex Israël. ℣. Nonne iste est David, de quo canébant in choro, dicéntes : Saul percússit mille, et David decem míllia? — Quia.

Lectio ii

ET jurávit rursum David. Et ille ait : Scit profécto pater tuus quia invéni grátiam in óculis tuis et dicet : Nésciat hoc Jónathas, ne forte tristétur. Quinímmo vivit Dóminus et vivit ánima tua, quia uno tantum, ut ita dicam, gradu ego morsque divídimur. Et ait Jónathas ad David : Quodcúmque díxerit mihi ánima tua, fáciam tibi.

℟. Montes Gélboe, nec ros nec plúvia véniant super vos, * Ubi cecidérunt fortes Israël. ℣. Omnes montes, qui estis in circúitu ejus, vísitet Dóminus; a Gélboe autem tránseat. — Ubi.

In Octavis et Festis ritus simplicis : Glória Patri. Ubi.

Lectio iii

DIxit autem David ad Jónathan : Ecce caléndæ sunt crástino, et ego ex more sedére sóleo juxta regem ad vescéndum; dimítte ergo me, ut abscóndar in agro usque ad vésperam diéi tértiæ. Si respíciens requisíerit me pater tuus, respondébis ei : Rogávit me David ut iret celériter in Béthlehem civitátem suam, quia víctimæ solémnes ibi sunt univérsis contribúlibus suis. Si díxerit : Bene, pax erit servo tuo; si autem fúerit irátus, scito quia compléta est malítia ejus.

℟. Ego te tuli de domo patris tui, dicit Dóminus, et pósui te páscere gregem pópuli mei : * Et fui tecum in ómnibus, ubicúmque ambulásti, firmans regnum tuum in ætérnum. ℣. Fecíque tibi nomen grande, juxta nomen magnórum, qui sunt in terra : et réquiem dedi tibi ab ómnibus inimícis tuis. — Et. Glória Patri. Et.

SABBATO

De libro primo Regum

Lectio i Cap. 21, 1-9

VEnit autem David in Nobe ad Achímelech sacerdótem. Et obstúpuit Achímelech eo quod venísset David et dixit ei : Quare tu solus et nullus est tecum? Et ait David ad Achímelech sacerdótem : Rex præcépit mihi sermónem et dixit : Nemo sciat rem propter quam missus es a me, et cujúsmodi præcépta tibi déderim; nam et púeris condíxi in illum et illum locum. Nunc ergo, si quid habes ad manum, vel quinque panes, da mihi, aut quidquid invéneris.

℟. Peccávi super númerum arénæ maris, et multiplicáta sunt peccáta mea; et non sum dignus vidére altitúdinem cæli præ multitúdine iniquitátis meæ : quóniam irritávi iram tuam, * Et malum coram te feci. ℣. Quóniam iniquitátem meam ego cognósco : et delíctum meum contra me est semper, quia tibi soli peccávi. — Et.

Lectio ii

ET respóndens sacérdos ad David ait illi : Non hábeo láicos panes ad manum, sed tantum panem sanctum; si mundi sunt púeri máxime a muliéribus? Et respóndit David sacerdóti et dixit ei : Equidem, si de muliéribus ágitur, continúimus nos ab heri et nudiustértius, quando egrediebámur, et fuérunt vasa puerórum sancta. Porro via hæc pollúta est, sed et ipsa hódie sanctificábitur in vasis. Dedit ergo ei sacérdos sanctificátum panem; neque enim erat ibi panis, nisi tantum panes propositiónis qui subláti fúerant a fácie Dómini, ut ponerántur panes cálidi.

℟. Exaudisti, Dómine, oratiónem servi tui, ut ædificárem templum nómini tuo : * Bénedic et sanctífica domum istam in sempitérnum, Deus Israël. ℣. Dómine, qui custódis pactum cum servis tuis, qui ámbulant coram te in toto corde suo. — Bénedic.

In Octavis simplicibus et in Officio S. Mariæ in Sabbato : Glória Patri. Bénedic.

Lectio iii

ERat autem ibi vir quidam de servis Saul in die illa intus in tabernáculo Dómini, et nomen ejus Doeg Idumæus potentíssimus pastórum Saul. Dixit autem David ad Achímelech : Si habes hic ad manum hastam aut gládium? quia gládium meum et arma mea non tuli mecum; sermo enim regis urgébat. Et dixit sacérdos : Ecce hic gládius Góliath Philisthæi, quem percussísti in Valle terebinthi : est involútus pállio post ephod. Si istum vis tóllere, tolle, neque enim hic est alius absque eo. Et ait David : Non est huic alter símilis, da mihi eum.

℟. Audi, Dómine, hymnum et oratiónem, quam servus tuus orat coram te hódie : ut sint óculi tui apérti, et aures tuæ inténtæ, * Super domum istam die ac nocte. ℣. Réspice, Dómine, de sanctuário tuo, et de excélso cælórum habitáculo. — Super. Glória Patri. Super.

AD VESPERAS

℣. Vespertína orátio ascéndat ad te, Dómine. ℟. Et descéndat super nos misericórdia tua.

Ad Magnif. Ant. Montes Gélboe, * nec ros nec plúvia véniant super vos : quia in te abjéctus est clýpeus fórtium, clýpeus Saul, quasi non esset unctus óleo. Quómodo cecidérunt fortes in bello? Jónathas in excélsis interféctus est : Saul et Jónathas, amábiles et decóri valde in vita sua, in morte quoque non sunt divisi.

Oratio

DEus, qui diligéntibus te bona invisibília præparásti : infúnde córdibus nostris tui amóris affectum; ut te in ómnibus et super ómnia diligéntes, promissiónes tuas, quæ omne desidérium súperant, consequámur. Per Dóminum.

DOMINICA V
POST PENTECOSTEN

Semiduplex

In I Nocturno

Incipit liber secúndus Regum

Lectio i Cap. 1, 1-15

Actum est autem, postquam mórtuus est Saul, ut David reverterétur a cæde Amalec et manéret in Síceleg duos dies. In die autem tértia appáruit homo véniens de castris Saul veste conscíssa et púlvere conspérsus caput et, ut venit ad David, cécidit super fáciem suam et adorávit. Dixítque ad eum David : Unde venis? Qui ait ad eum : De castris Israël fugi. Et dixit ad eum David : Quod est verbum quod factum est? Indica mihi. Qui ait : Fugit pópulus ex prælio, et multi corruéntes e pópulo mórtui sunt; sed et Saul et Jónathas fílius ejus interiérunt. ℟. Præparáte corda vestra Dómino, et servíte illi soli : * Et liberábit vos de mánibus inimicórum vestrórum. ℣. Convertímini ad eum in toto corde vestro, et auférte deos aliénos de médio vestri.— Et.

Lectio ii

Dixítque David ad adolescéntem qui nuntiábat ei : Unde scis quia mórtuus est Saul et Jónathas fílius ejus? Et ait adoléscens qui nuntiábat ei : Casu veni in montem Gélboe, et Saul incumbébat super hastam suam. Porro currus et équites appropinquábant ei, et convérsus post tergum suum vidénsque me vocávit; cui cum respondíssem : Adsum, dixit mihi : Quisnam es tu? Et ajo ad eum : Amalecítes ego sum. Et locútus est mihi : Sta super me et intérfice me, quóniam tenent me angústiæ, et adhuc tota ánima mea in me est. Stansque super eum occídi illum, sciébam enim quod vívere non póterat post ruínam; et tuli diadéma, quod erat in cápite ejus et armíllam de bráchio illíus et áttuli ad te dóminum meum huc. ℟. Deus ómnium exaudítor est : ipse misit Angelum suum, et tulit me de óvibus patris mei; * Et unxit me unctióne misericórdiæ suæ. ℣. Dóminus, qui erípuit me de ore leónis, et de manu béstiæ liberávit me. — Et.

Lectio iii

Apprehéndens autem David vestiménta sua scidit, omnésque viri, qui erant cum eo, et planxérunt et flevérunt et jejunavérunt usque ad vésperam

super Saul et super Jónathan fílium ejus et super pópulum Dómini et super domum Israël, eo quod corruíssent gládio. Dixítque David ad júvenem qui nuntiáverat ei : Unde es tu? Qui respóndit : Fílius hóminis ádvenæ Amalecítæ ego sum. Et ait ad eum David : Quare non timuísti míttere manum tuam, ut occíderes Christum Dómini? Vocánsque David unum de púeris suis ait : Accédens írrue in eum. Qui percússit illum, et mórtuus est. ℟. Dóminus, qui erípuit me de ore leónis, et de manu béstiæ liberávit me, * Ipse me erípiet de mánibus inimicórum meórum. ℣. Misit Deus misericórdiam suam et veritátem suam : ánimam meam erípuit de médio catulórum leónum. — Ipse. Glória Patri. Ipse.

In II Nocturno

Ex libro Morálium sancti Gregórii Papæ

Liber 4, cap. 3 et 4

Lectio iv

Quid est, quod David, qui retribuéntibus sibi mala non réddidit, cum Saul et Jónathas bello occúmberent, Gélboe móntibus maledíxit, dicens : Montes Gélboe, nec ros nec plúvia véniant super vos, neque sint agri primitiárum : quia ibi abjéctus est clýpeus fórtium, clýpeus Saul, quasi non esset unctus óleo? Quid est, quod Jeremías, cum prædicatiónem suam cérneret audiéntium difficultáte præpedíri, maledíxit dicens : Maledíctus vir, qui annuntiávit patri meo, dicens : Natus est tibi puer másculus? ℟. Percússit Saul mille, et David decem míllia : * Quia manus Dómini erat cum illo, percússit Philisthæum, et ábstulit oppróbrium ex Israël. ℣. Nonne iste est David, de quo canébant in choro, dicéntes : Saul percússit mille, et David decem míllia? — Quia.

Lectio v

Quid ergo montes Gélboe, Saul moriénte, deliquérunt, quátenus in eos nec ros nec plúvia cáderet et ab omni eos viriditátis gérmine senténtiæ sermo siccáret? Sed quia Gélboe interpretátur decúrsus, per Saul autem unctum et mórtuum mors nostri Mediatóris exprímitur; non immérito per Gélboe montes supérba Judæórum corda signántur, quæ dum in hujus mundi desidériis

défluunt, in Christi, id est, uncti se morte miscuérunt : et quia in eis unctus rex corporáliter móritur, ipsi ab omni grátiæ rore siccántur. ℟. Montes Gélboe, nec ros nec plúvia véniant super vos, * Ubi cecidérunt fortes Israël. ℣. Omnes montes, qui estis in circúitu ejus, vísitet Dóminus; a Gélboe autem tránseat. — Ubi.

Lectio vi

De quibus et bene dícitur, ut agri primitiárum esse non possint. Supérbæ quippe Hebræórum mentes primitívos fructus non ferunt : quia in Redemptóris advéntu ex parte máxima in perfídia remanéntes, primórdia fídei sequi noluérunt. Sancta namque Ecclésia in primítiis suis multitúdine géntium fœcundáta, vix in mundi fine Judæos quos invénerit, súscipit, et extréma cólligens, eos quasi relíquias frugum ponit. ℟. Ego te tuli de domo patris tui, dicit Dóminus, et pósui te páscere gregem pópuli mei : * Et fui tecum in ómnibus, ubicúmque ambulásti, firmans regnum tuum in ætérnum. ℣. Fecíque tibi nomen grande, juxta nomen magnórum, qui sunt in terra : et réquiem dedi tibi ab ómnibus inimícis tuis. — Et. Glória Patri. Et.

℟. vii Peccávi et ℟. viii Duo Séraphim ut infra in Homiliis.

FERIA SECUNDA

De libro secúndo Regum

Lectio i Cap. 2, 1-11

Igitur post hæc consúluit David Dóminum dicens : Num ascéndam in unam de civitátibus Juda? Et ait Dóminus ad eum : Ascénde. Dixítque David : Quo ascéndam? Et respóndit ei : In Hebron. Ascéndit ergo David et duæ uxóres ejus Achínoam Jezrahelítes et Abígail uxor Nabal Carméli; sed et viros, qui erant cum eo, duxit David síngulos cum domo sua; et mansérunt in óppidis Hebron. Venerúntque viri Juda et unxérunt ibi David, ut regnáret super domum Juda. ℟. Recordáre, Dómine, testaménti tui, et dic Angelo percutiénti : Cesset jam manus tua, * Ut non desolétur terra, et ne perdas omnem ánimam vivam. ℣. Ego sum qui peccávi, ego qui iníque egi : isti qui oves sunt, quid fecérunt? Avertátur, óbsecro, furor tuus, Dómine, a pópulo tuo. — Ut.

Lectio ii

ET nuntiátum est David, quod viri Jabes Gálaad sepelíssent Saul. Misit ergo David núntios ad viros Jabes Gálaad dixítque ad eos : Benedícti vos a Dómino, qui fecístis misericórdiam hanc cum dómino vestro Saul et sepelístis eum. Et nunc retríbuet vobis quidem Dóminus misericórdiam et veritátem, sed et ego reddam grátiam eo quod fecístis verbum istud. Conforténtur manus vestræ et estóte fílii fortitúdinis; licet enim mórtuus sit dóminus vester Saul, tamen me unxit domus Juda in regem sibi.

℟. Exaudísti, Dómine, oratiónem servi tui, ut ædificárem templum nómini tuo : * Bénedic et sanctífica domum istam in sempitérnum, Deus Israël. ℣. Dómine, qui custódis pactum cum servis tuis, qui ámbulant coram te in toto corde suo. — Bénedic.

In Octavis et Festis ritus simplicis : Glória Patri. Bénedic.

Lectio iii

ABner autem fílius Ner princeps exércitus Saul tulit Isboseth fílium Saul, et circumdúxit eum per castra regémque constítuit super Gálaad et super Géssuri et super Jézrahel et super Ephraim et super Bénjamin et super Israël univérsum. Quadragínta annórum erat Isboseth fílius Saul cum regnáre cœpísset super Israël, et duóbus annis regnávit. Sola autem domus Juda sequebátur David. Et fuit número diérum, quos commorátus est David ímperans in Hebron super domum Juda, septem annórum et sex ménsium.

℟. Audi, Dómine, hymnum et oratiónem, quam servus tuus orat coram te hódie : ut sint óculi tui apérti, et aures tuæ inténtæ, * Super domum istam die ac nocte. ℣. Réspice, Dómine, de sanctuário tuo, et de excélso cælórum habitáculo. — Super. Glória Patri. Super.

FERIA TERTIA

De libro secúndo Regum

Lectio i Cap. 3, 6-10

CUM ergo esset prælium inter domum Saul et domum David, Abner fílius Ner regébat domum Saul. Fúerat autem Sauli concubína nómine Respha, fília Aja. Dixítque Isboseth ad Abner : Quare ingréssus es ad concubínam patris mei? Qui irátus nimis propter verba Isboseth ait : Numquid caput canis ego sum advérsum Judam hódie, qui fécerim misericórdiam super domum Saul patris tui et super fratres et próximos ejus, et non trádidi te in manus David? Et tu requisísti in me quod argúeres pro mulíere hódie? Hæc fáciat Deus Abner et hæc addat ei, nisi, quómodo jurávit Dóminus David, sic fáciam cum eo, ut transferátur regnum de domo Saul, et elevétur thronus David super Israël et super Judam a Dan usque Bersabée.

℟. Dómine, si convérsus fúerit pópulus tuus, et oráverit ad sanctuárium tuum : * Tu exáudies de cælo, Dómine, et líbera eos de mánibus inimicórum suórum. ℣. Si peccáverit in te pópulus tuus, et convérsus égerit pæniténtiam, veniénsque oráverit in isto loco. — Tu.

Lectio ii Cap. 3, 12-21

MIsit ergo Abner núntios ad David pro se dicéntes : Cujus est terra? et ut loquerétur : Fac mecum amicítias, et erit manus mea tecum et redúcam ad te univérsum Israël. Qui ait : Optime : ego fáciam tecum amicítias, sed unam rem peto a te dicens : Non vidébis fáciem meam, ántequam addúxeris Michol fíliam Saul; et sic vénies et vidébis me. Misit autem David núntios ad Isboseth fílium Saul dicens : Redde uxórem meam Michol, quam despóndi mihi centum præpútiis Philísthiim. Misit ergo Isboseth et tulit eam a viro suo Phálthiel, fílio Lais. Sequebatúrque eam vir suus plorans usque Bahúrim. Et dixit ad eum Abner : Vade et revértere. Qui revérsus est.

℟. Factum est, dum tólleret Dóminus Elíam per túrbinem in cælum, * Eliséus clamábat, dicens : Pater mi, pater mi, currus Israël, et auríga ejus. ℣. Cumque pérgerent, et incedéntes sermocinaréntur, ecce currus ígneus et equi ígnei divisérunt utrúmque, et ascéndit Elías per túrbinem in cælum. — Eliséus.

In Octavis et Festis ritus simplicis : Glória Patri. Eliséus.

Lectio iii

SErmónem quoque íntulit Abner ad senióres Israël dicens : Tam heri quam nudiustértius quærebátis David, ut regnáret super vos. Nunc ergo fácite, quóniam Dóminus locútus est ad David dicens : In manu servi mei David salvábo pópulum meum Israël de manu Philísthiim et ómnium inimicórum ejus. Locútus est autem Abner étiam ad Bénjamin. Et ábiit ut loquerétur ad David in Hebron ómnia quæ placúerant Israël et univérso Bénjamin. Venítque ad David in Hebron cum vigínti viris, et fecit David Abner et viris ejus, qui vénerant cum eo, convívium. Et dixit Abner ad David : Surgam ut cóngregem ad te, dóminum meum regem, omnem Israël.

℟. Ego te tuli de domo patris tui, dicit Dóminus, et pósui te páscere gregem pópuli mei : * Et fui tecum in ómnibus, ubicúmque ambulásti, firmans regnum tuum in ætérnum. ℣. Fecíque tibi nomen grande, juxta nomen magnórum, qui sunt in terra : et réquiem dedi tibi ab ómnibus inimícis tuis. — Et. Glória Patri. Et.

FERIA QUARTA

De libro secúndo Regum

Lectio i Cap. 4, 5-12

VEniéntes ígitur fílii Remmon Berothítæ, Rechab et Báana, ingréssi sunt, fervénte die, domum Isboseth; qui dormiébat super stratum suum merídie. Et ostiária domus purgans tríticum obdormívit. Ingréssi sunt autem domum laténter assuméntes spicas trítici, et percussérunt eum in ínguine Rechab et Báana frater ejus et fugérunt. Cum autem ingréssi fuíssent domum, ille dormiébat super lectum suum in conclávi, et percutiéntes interfecérunt eum; sublatóque cápite ejus abiérunt per viam desérti tota nocte. Et attulérunt caput Isboseth ad David in Hebron dixerúntque ad regem : Ecce caput Isboseth, fílii Saul inimíci tui, qui quærébat ánimam tuam.

℟. Peccávi super número rum arénæ maris, et multiplicáta sunt peccáta mea; et non sum dignus vidére altitúdinem cæli præ multitúdine iniquitátis meæ : quóniam irritávi iram tuam, * Et malum coram te feci. ℣. Quóniam iniquitátem meam ego cognósco : et delictum meum contra me est semper, quia tibi soli peccávi. — Et.

Lectio ii Cap. 5, 1-7

RESpóndens autem David Rechab et Báana fratri ejus fíliis Remmon Berothítæ dixit ad eos : Vivit Dóminus, qui éruit ánimam meam de omni angústia, quóniam eum, qui annuntiáverat mihi et

dixerat: Mórtuus est Saul; qui putábat se próspera nuntiáre, ténui et occídi eum in Síceleg, cui oportébat mercédem dare pro núntio: quanto magis nunc, cum hómines ímpii interfecérunt virum innóxium in domo sua super lectum suum, non quæram sánguinem ejus de manu vestra et áuferam vos de terra? Præcépit ítaque David púeris suis, et interfecérunt eos præcidentésque manus et pedes eórum suspendérunt eos super piscínam in Hebron; caput autem Isboseth tulérunt et sepeliérunt in sepúlcro Abner in Hebron.

℟. Exaudísti, Dómine, oratiónem servi tui, ut ædificárem templum nómini tuo: * Bénedic et sanctífica domum istam in sempitérnum, Deus Israël. ℣. Dómine, qui custódis pactum cum servis tuis, qui ámbulant coram te in toto corde suo. — Bénedic.

In Octavis et Festis ritus simplicis: Glória Patri. Bénedic.

Lectio iii

ET venérunt univérsæ tribus Israël ad David in Hebron dicéntes: Ecce nos os tuum et caro tua sumus. Sed et heri et nudiustértius, cum esset Saul rex super nos, tu eras edúcens et redúcens Israël; dixit autem Dóminus ad te: Tu pasces pópulum meum Israël et tu eris dux super Israël. Venérunt quoque et senióres Israël ad regem in Hebron, et percússit cum eis rex David fœdus in Hebron coram Dómino, unxerúntque David in regem super Israël. Fílius trigínta annórum erat David, cum regnáre cœpísset, et quadragínta annis regnávit. In Hebron regnávit super Judam septem annis et sex ménsibus, in Jerúsalem autem regnávit trigínta tribus annis super omnem Israël et Judam. Et ábiit rex et omnes viri, qui erant cum eo, in Jerúsalem ad Jebusæum habitatórem terræ, dictúmque est David ab eis: Non ingrediéris huc nisi abstúleris cæcos et claudos dicéntes: Non ingrediétur David huc. Cepit autem David arcem Sion, hæc est cívitas David.

℟. Audi, Dómine, hymnum et oratiónem, quam servus tuus orat coram te hódie: ut sint óculi tui apérti, et aures tuæ inténtæ, * Super domum istam die ac nocte. ℣. Réspice, Dómine, de sanctuário tuo, et de excélso cælórum habitáculo. — Super. Glória Patri. Super.

FERIA QUINTA

De libro secúndo Regum

Lectio i Cap. 6, 1-12

CONgregávit autem rursum David omnes eléctos ex Israël trigínta míllia. Surrexítque David et ábiit et univérsus pópulus qui erat cum eo de viris Juda, ut addúcerent arcam Dei, super quam invocátum est nomen Dómini exercítuum, sedéntis in Chérubim super eam. Et imposuérunt arcam Dei super plaustrum novum tulerúntque eam de domo Abínadab, qui erat in Gábaa; Oza autem et Ahío fílii Abínadab minábant plaustrum novum.

℟. Præparáte corda vestra Dómino, et servíte illi soli: * Et liberábit vos de mánibus inimicórum vestrórum. ℣. Convertímini ad eum in toto corde vestro, et auférte deos aliénos de médio vestri. — Et.

Lectio ii

CUmque tulíssent eam de domo Abínadab, qui erat in Gábaa custódiens arcam Dei, Ahío præcedébat arcam. David autem et omnis Israël ludébant coram Dómino in ómnibus lignis fabreféctis et cítharis et lyris et týmpanis et sistris et cýmbalis. Postquam autem venérunt ad áream Nachon, exténdit Oza manum ad arcam Dei et ténuit eam, quóniam calcitrábant boves et declinavérunt eam. Iratúsque est indignatióne Dóminus contra Ozam et percússit eum super temeritáte, qui mórtuus est ibi juxta arcam Dei.

℟. Deus ómnium exaudítor est: ipse misit Angelum suum, et tulit me de óvibus patris mei; * Et unxit me unctióne misericórdiæ suæ. ℣. Dóminus, qui erípuit me de ore leónis, et de manu béstiæ liberávit me. — Et.

In Octavis et Festis ritus simplicis: Glória Patri. Et.

Lectio iii

COntristátus est autem David eo quod percussísset Dóminus Ozam; et vocátum est nomen loci illíus: Percússio Ozæ, usque in diem hanc. Et extímuit David Dóminum in die illa dicens: Quómodo ingrediétur ad me arca Dómini? Et nóluit divértere ad se arcam Dómini in civitátem David; sed divértit eam in domum Obédedom Gethæi. Et habitávit arca Dómini in domo Obédedom Gethæi tribus ménsibus, et benedíxit Dóminus Obédedom et omnem domum ejus. Nuntiatúmque est regi

David quod benedixísset Dóminus Obédedom et ómnia ejus propter arcam Dei. Abiit ergo David et addúxit arcam Dei de domo Obédedom in civitátem David cum gáudio.

℟. Dóminus, qui erípuit me de ore leónis, et de manu béstiæ liberávit me, * Ipse me erípiet de mánibus inimicórum meórum. ℣. Misit Deus misericórdiam suam et veritátem suam: ánimam meam erípuit de médio catulórum leónum. — Ipse. Glória Patri. Ipse.

FERIA SEXTA

De libro secúndo Regum

Lectio i Cap. 7, 4-17

ET ecce sermo Dómini ad Nathan dicens: Vade et lóquere ad servum meum David: Hæc dicit Dóminus: Numquid tu ædificábis mihi domum ad habitándum? Neque enim habitávi in domo ex die illa, qua edúxi fílios Israël de terra Ægýpti usque in diem hanc, sed ambulábam in tabernáculo et in tentório.

℟. Percússit Saul mille, et David decem míllia: * Quia manus Dómini erat cum illo, percússit Philisthæum, et ábstulit oppróbrium ex Israël. ℣. Nonne iste est David, de quo canébant in choro, dicéntes: Saul percússit mille, et David decem míllia? — Quia.

Lectio ii

PER cuncta loca, quæ transívi cum ómnibus fíliis Israël, numquid loquens locútus sum ad unam de tríbubus Israël, cui præcépi ut pásceret pópulum meum Israël dicens: Quare non ædificástis mihi domum cédrinam? Et nunc hæc dices servo meo David: Hæc dicit Dóminus exercítuum: Ego tuli te de páscuis sequéntem greges, ut esses dux super pópulum meum Israël, et fui tecum in ómnibus, ubicúmque ambulásti et interféci univérsos inimícos tuos a fácie tua fecíque tibi nomen grande juxta nomen magnórum, qui sunt in terra. Et ponam locum pópulo meo Israël et plantábo eum, et habitábit sub eo et non turbábitur ámplius; nec addent fílii iniquitátis ut afflígant eum sicut prius, ex die qua constítui júdices super pópulum meum Israël. Et réquiem dabo tibi ab ómnibus inimícis tuis, prædicítque tibi Dóminus, quod domum fáciat tibi Dóminus.

℟. Montes Gélboe, nec ros nec plúvia véniant su-

per vos, * Ubi cecidérunt fortes Israël. ℣. Omnes montes, qui estis in circúitu ejus, vísitet Dóminus; a Gélboe autem tránseat. -- Ubi.

In Octavis et Festis ritus simplicis : Glória Patri. Ubi.

Lectio iii

CUmque compléti fúerint dies tui, et dormíeris cum pátribus tuis, suscitábo semen tuum post te, quod egrediétur de útero tuo, et firmábo regnum ejus. Ipse ædificábit domum nómini meo, et stabíliam thronum regni ejus usque in sempitérnum. Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in fílium. Qui si iníque áliquid gésserit, árguam eum in virga virórum et in plagis filiórum hóminum. Misericórdiam autem meam non áuferam ab eo, sicut ábstuli a Saul, quem amóvi a fácie mea. Et fidélis erit domus tua et regnum tuum usque in ætérnum ante fáciem tuam, et thronus tuus erit firmus júgiter. Secúndum ómnia verba hæc et juxta univérsam visiónem istam sic locútus est Nathan ad David.

℟. Ego te tuli de domo patris tui, dicit Dóminus, et pósui te páscere gregem pópuli mei : * Et fui tecum in ómnibus, ubicúmque ambulásti, firmans regnum tuum in ætérnum. ℣. Fecíque tibi nomen grande, juxta nomen magnórum, qui sunt in terra : et réquiem dedi tibi ab ómnibus inimícis tuis. — Et. Glória Patri. Et.

SABBATO

De libro secúndo Regum

Lectio i Cap. 11, 1-17

FActum est autem verténte anno, eo témpore quo solent reges ad bella procédere, misit David Joab et servos suos cum eo et univérsum Israël, et vastavérunt fílios Ammon et obsedérunt Rabba; David autem remánsit in Jerúsalem. Dum hæc ageréntur, áccidit ut súrgeret David de strato suo post merídiem et deambuláret in solário domus régiæ; vidítque mulíerem se lavántem ex advérso super solárium suum; erat autem múlier pulchra valde. Misit ergo rex, et requisívit quæ esset múlier; nuntiatúmque est ei, quod ipsa esset Bethsabée fília Elíam, uxor Uríæ Hethæi. Missis ítaque David núntiis, tulit eam.

℟. Peccávi super númerum arénæ maris, et multiplicáta sunt peccáta mea; et non sum dignus vidére altitúdinem cæli præ multitúdine iniquitátis meæ : quóniam irritávi iram tuam, * Et malum coram te feci. ℣. Quóniam iniquitátem meam ego cognósco : et delíctum meum contra me est semper, quia tibi soli peccávi. — Et.

Lectio ii

ET revérsa est in domum suam, concépto fœtu. Mitténsque nuntiávit David et ait : Concépi. Misit autem David ad Joab dicens : Mitte ad me Uríam Hethæum. Misítque Joab Uríam ad David. Et venit Urías ad David. Quæsivítque David quam recte ágeret Joab et pópulus, et quómodo administrarétur bellum. Et dixit David ad Uríam : Vade in domum tuam et lava pedes tuos. Et egréssus est Urías de domo regis, secutúsque est eum cibus régius. Dormívit autem Urías ante portam domus régiæ cum áliis servis dómini sui, et non descéndit ad domum suam. Nuntiatúmque est David a dicéntibus : Non ivit Urías in domum suam. Et ait David ad Uríam : Numquid non de via venísti? quare non descendísti in domum tuam? Et ait Urías ad David : Arca Dei et Israël et Juda hábitant in papiliónibus, et dóminus meus Joab et servi dómini mei super fáciem terræ manent; et ego ingrédiar domum meam, ut cómedam et bibam et dórmiam cum uxóre mea? Per salútem tuam et per salútem ánimæ tuæ non fáciam rem hanc.

℟. Exaudísti, Dómine, oratiónem servi tui, ut ædificárem templum nómini tuo : * Bénedic et sanctífica domum istam in sempitérnum, Deus Israël. ℣. Dómine, qui custódis pactum cum servis tuis, qui ámbulant coram te in toto corde suo. — Bénedic.

In Octavis simplicibus et in Officio sanctæ Mariæ in Sabbato : Glória Patri. Bénedic.

Lectio iii

AIT ergo David ad Uríam : Mane hic étiam hódie, et cras dimíttam te. Mansit Urías in Jerúsalem in die illa et áltera. Et vocávit eum David ut coméderet coram se et bíberet et inebriávit eum : qui egréssus véspere dormívit in strato suo cum servis dómini sui et in domum suam non descéndit. Factum est ergo mane, et scripsit David epístolam ad Joab misítque per manum Uríæ scribens in epístola : Pónite Uríam ex

advérso belli, ubi fortíssimum est prælium, et derelínquite eum ut percússus intéreat. Igitur cum Joab obsidéret urbem, pósuit Uríam in loco ubi sciébat viros esse fortíssimos. Egressíque viri de civitáte bellábant advérsum Joab, et cecidérunt de pópulo servórum David, et mórtuus est étiam Urías Hethæus.

℟. Audi, Dómine, hymnum et oratiónem, quam servus tuus orat coram te hódie : ut sint óculi tui apérti, et aures tuæ inténtæ, * Super domum istam die ac nocte. ℣. Réspice, Dómine, de sanctuário tuo, et de excélso cælórum habitáculo. — Super. Glória Patri. Super.

AD VESPERAS

℣. Vespertína orátio ascéndat ad te, Dómine. ℟. Et descéndat super nos misericórdia tua.

Ad Magnif. Ant. Obsecro, Dómine, * aufer iniquitátem servi tui, quia insipiénter egi.

Oratio

DEus virtútum, cujus est totum quod est óptimum : ínsere pectóribus nostris amórem tui nóminis, et præsta in nobis religiónis augméntum; ut, quæ sunt bona, nútrias, ac pietátis stúdio, quæ sunt nutríta, custódias. Per Dóminum.

DOMINICA VI

POST PENTECOSTEN

Semiduplex

In I Nocturno

De libro secúndo Regum

Lectio i Cap. 12, 1-16

MIsit ergo Dóminus Nathan ad David : qui, cum venísset ad eum, dixit ei : Duo viri erant in civitáte una, unus dives et alter pauper. Dives habébat oves et boves plúrimos valde; pauper autem nihil habébat omníno præter ovem unam párvulam, quam émerat et nutríerat, et quæ créverat apud eum cum fíliis ejus simul de pane illíus cómedens et de cálice ejus bibens et in sinu illíus dórmiens; erátque illi sicut fília. Cum autem peregrínus quidam venísset ad dívitem, parcens ille súmere de óvibus et de bobus suis, ut exhibéret convívium peregríno illi qui vénerat ad se, tulit ovem viri páuperis et præparávit cibos hómini qui vénerat ad se.

℟. Præparáte corda vestra Dómino, et servíte illi

soli : * Et liberábit vos de mánibus inimicórum vestrórum. ℣. Convertímini ad eum in toto corde vestro, et auférte deos aliénos de médio vestri. — Et.

Lectio ii

IRátus autem indignatióne David advérsus hóminem illum nimis, dixit ad Nathan : Vivit Dóminus, quóniam fílius mortis est vir qui fecit hoc : ovem reddet in quádruplum, eo quod fécerit verbum istud et non pepércerit. Dixit autem Nathan ad David : Tu es ille vir. Hæc dicit Dóminus, Deus Israël : Ego unxi te in regem super Israël et ego érui te de manu Saul et dedi tibi domum dómini tui, et uxóres dómini tui in sinu tuo dedíque tibi domum Israël et Juda; et, si parva sunt ista, adjíciam tibi multo majóra. Quare ergo contempsísti verbum Dómini, ut fáceres malum in conspéctu meo? Uríam Hethæum percussísti gládio et uxórem illíus accepísti in uxórem tibi et interfecísti eum gládio filiórum Ammon.

℟. Deus ómnium exaudítor est : ipse misit Angelum suum, et tulit me de óvibus patris mei; * Et unxit me unctióne misericórdiæ suæ. ℣. Dóminus, qui erípuit me de ore leónis, et de manu béstiæ liberávit me. — Et.

Lectio iii

QUam ob rem non recédet gládius de domo tua usque in sempitérnum, eo quod despéxeris me et túleris uxórem Uríæ Hethæi ut esset uxor tua. Itaque hæc dicit Dóminus : Ecce ego suscitábo super te malum de domo tua, et tollam uxóres tuas in óculis tuis et dabo próximo tuo, et dórmiet cum uxóribus tuis in óculis solis hujus. Tu enim fecísti abscóndite, ego autem fáciam verbum istud in conspéctu omnis Israël et in conspéctu solis. Et dixit David ad Nathan : Peccávi Dómino. Dixítque Nathan ad David : Dóminus quoque tránstulit peccátum tuum : non moriéris. Verúmtamen, quóniam blasphemáre fecísti inimícos Dómini propter verbum hoc, fílius qui natus est tibi, morte moriétur. Et revérsus est Nathan in domum suam. Percússit quoque Dóminus párvulum, quem pepérerat uxor Uríæ David, et desperátus est. Deprecatúsque est David Dóminum pro párvulo, et jejunávit David jejúnio et ingréssus seórsum jácuit super terram.

℟. Dóminus, qui erípuit me de ore leónis, et de manu béstiæ liberávit me, * Ipse me erípiet de mánibus inimicórum meórum. ℣. Misit Deus misericórdiam suam et veritátem suam : ánimam meam erípuit de médio catulórum leónum. — Ipse. Glória Patri. Ipse.

In II Nocturno

Ex libro sancti Ambrósii Epíscopi de Apológia David

Lectio iv Apolog. 1, c. 2

NUsquísque nostrum per síngulas horas quam multa delínquit! nec tamen unusquísque de plebe peccátum suum confiténdum putat. Ille rex, tantus ac potens, ne exíguo quidem moménto manére penes se delícti passus est consciéntiam; sed, prænatúra confessióne atque imménso dolóre, réddidit peccátum suum Dómino. Quem mihi nunc fácile repérias honorátum ac dívitem, qui, si arguátur alicújus culpæ reus, non moléste ferat? At ille régio clarus império, tot divínis probátus oráculis, cum a privato hómine corriperétur, quod gráviter deliquísset, non indignátus infrémuit, sed conféssus ingémuit culpæ dolóre.

℟. Percússit Saul mille, et David decem míllia : * Quia manus Dómini erat cum illo, percússit Philisthæum, et ábstulit oppróbrium ex Israël. ℣. Nonne iste est David, de quo canébant in choro, dicéntes : Saul percússit mille, et David decem míllia? — Quia.

Lectio v

DEnique Dóminum dolor íntimi movit affectus, ut Nathan díceret : Quóniam pœnítuit te, et Dóminus ábstulit peccátum tuum. Matúritas ítaque véniæ, profúndam regis fuísse pœniténtiam declarávit, quæ tanti erróris offénsam tradúxerit. Alii hómines cum a sacerdótibus corripiúntur, peccátum suum íngravant, dum negáre cúpiunt aut deféndere; ibíque eórum lapsus est major, ubi sperátur corréctio. Sancti autem Dómini, qui consummáre pium certámen géstiunt, et cúrrere cursum salútis, sícubi forte ut hómines corrúerint, natúræ magis fragilitáte quam peccándi libídine, acrióres ad curréndum resúrgunt, pudóris stímulo majóra reparántes certámina; ut non solum nullum attulísse æstimétur lapsus impedimentum, sed étiam velocitátis incentíva cumulásse.

℟. Montes Gélboe, nec ros nec plúvia véniant super vos, * Ubi cecidérunt fortes Israël. ℣. Omnes montes, qui estis in circúitu ejus, vísitet Dóminus; a Gélboe autem tránseat. — Ubi.

Lectio vi Cap. 4

PEccávit David, quod solent reges; sed pœniténtiam gessit, flevit, ingémuit, quod non solent reges. Conféssus est culpam, obsecrávit indulgéntiam, humi stratus deplorávit ærúmnam, jejunávit, orávit, confessiónis suæ testimónium in perpétua sæcula vulgáto dolóre transmísit. Quod erubéscunt fácere priváti, rex non erúbuit confitéri. Qui tenéntur légibus, audent suum negáre peccátum, dedignántur rogáre indulgéntiam, quam petébat, qui nullis légibus tenebátur humánis. Quod peccávit, conditiónis est; quod supplicávit, correctiónis. Lapsus commúnis, sed speciális conféssio. Culpam ítaque incidísse, natúræ est : diluísse virtútis.

℟. Ego te tuli de domo patris tui, dicit Dóminus, et pósui te páscere gregem pópuli mei : * Et fui tecum in ómnibus, ubicúmque ambulásti, firmans regnum tuum in ætérnum. ℣. Fecíque tibi nomen grande, juxta nomen magnórum, qui sunt in terra : et réquiem dedi tibi ab ómnibus inimícis tuis. — Et. Glória Patri. Et.

℟. vii Peccávi et ℟. viii Duo Séraphim, ut infra in Homiliis.

FERIA SECUNDA

De libro secúndo Regum

Lectio i Cap. 13, 22-34

PORro non est locútus Absalom ad Amnon nec malum nec bonum; óderat enim Absalom Amnon, eo quod violásset Thamar sorórem suam. Factum est autem post tempus biénnii ut tonderéntur oves Absalom in Baálhasor, quæ est juxta Ephraim; et vocávit Absalom omnes fílios regis venítque ad regem et ait ad eum : Ecce tondéntur oves servi tui; véniat, oro, rex cum servis suis ad servum suum. Dixítque rex ad Absalom : Noli, fili mi, noli rogáre ut veniámus omnes et gravémus te. Cum autem cógeret eum, et noluísset ire, benedíxit ei.

℟. Recordáre, Dómine, testaménti tui, et dic An-

gelo percutiénti : Cesset jam manus tua, * Ut non desolétur terra, et ne perdas omnem ánimam vivam. ℣. Ego sum qui peccávi, ego qui inique egi : isti qui oves sunt, quid fecérunt? Avertátur, óbsecro, furor tuus, Dómine, a pópulo tuo. — Ut.

Lectio ii

ET ait Absalom : Si non vis veníre, véniat, óbsecro, nobíscum saltem Amnon, frater meus. Dixítque ad eum rex : Non est necésse ut vadat tecum. Coégit ítaque Absalom eum et dimísit cum eo Amnon et univérsos fílios regis. Fecerátque Absalom convívium quasi convívium regis. Præcéperat autem Absalom púeris suis dicens : Observáte : cum temuléntus fúerit Amnon vino, et díxero vobis : Percútite eum et interfícite; nolíte timére, ego enim sum qui præcípio vobis : roborámini et estóte viri fortes. Fecérunt ergo púeri Absalom advérsum Amnon sicut præcéperat eis Absalom. Surgentésque omnes fílii regis ascendérunt sínguli mulas suas et fugérunt.

℟. Exaudísti, Dómine, oratiónem servi tui, ut ædificárem templum nómini tuo : * Bénedic et sanctífica domum istam in sempitérnum, Deus Israël. ℣. Dómine, qui custódis pactum cum servis tuis, qui ámbulant coram te in toto corde suo. — Bénedic.

In Octavis et Festis ritus simplicis : Glória Patri. Bénedic.

Lectio iii

CUmque adhuc pérgerent in itínere, fama pervénit ad David dicens : Percússit Absalom omnes fílios regis, et non remánsit ex eis saltem unus. Surréxit ítaque rex et scidit vestiménta sua et cécidit super terram, et omnes servi illius, qui assistébant ei, scidérunt vestiménta sua. Respóndens autem Jónadab, fílius Sémmaa, fratris David, dixit : Ne æstimet dóminus meus rex quod omnes púeri fílii regis occísi sint; Amnon solus mórtuus est, quóniam in ore Absalom erat pósitus ex die qua opprésserat Thamar sorórem ejus. Nunc ergo ne ponat dóminus meus rex super cor suum verbum istud dicens : Omnes fílii regis occísi sunt, quóniam Amnon solus mórtuus est. Fugit autem Absalom.

℟. Audi, Dómine, hymnum et oratiónem, quam servus tuus orat coram te hódie : ut sint óculi tui apérti, et aures tuæ intén-

tæ, * Super domum istam die ac nocte. ℣. Réspice, Dómine, de sanctuário tuo, et de excélso cælórum habitáculo. — Super. Glória Patri. Super.

FERIA TERTIA

De libro secúndo Regum

Lectio i Cap. 14, 4-7

CUM ingréssa fuísset múlier Thecuítis ad regem, cécidit coram eo super terram et adorávit et dixit : Serva me, rex. Et ait ad eam rex : Quid causæ habes? Quæ respóndit : Heu, múlier vídua ego sum; mórtuus est enim vir meus. Et ancíllæ tuæ erant duo fílii, qui rixáti sunt advérsum se in agro, nullúsque erat qui eos prohibére posset, et percússit alter álterum et interfécit eum. Et ecce consúrgens univérsa cognátio advérsum ancíllam tuam dicit : Trade eum qui percússit fratrem suum, ut occidámus eum pro ánima fratris sui quem interfécit, et deleámus heredem. Et quærunt exstínguere scintíllam meam quæ relícta est, ut non supérsit viro meo nomen et relíquiæ super terram.

℟. Dómine, si convérsus fúerit pópulus tuus, et oráverit ad sanctuárium tuum : * Tu exáudies de cælo, Dómine, et líbera eos de mánibus inimicórum suórum. ℣. Si peccáverit in te pópulus tuus, et convérsus égerit pœniténtiam, veniénsque oráverit in isto loco. — Tu exáudies.

Lectio ii Cap. 14, 10-14

ET ait rex : Qui contradíxerit tibi, adduc eum ad me, et ultra non addet ut tangat te. Quæ ait : Recordétur rex Dómini, Dei sui, ut non multiplicéntur próximi sánguinis ad ulciscéndum, et nequáquam interfíciant fílium meum. Qui ait : Vivit Dóminus, quia non cadet de capíllis fílii tui super terram. Dixit ergo múlier : Loquátur ancílla tua ad dóminum meum regem verbum. Et ait : Lóquere. Dixítque múlier : Quare cogitásti hujuscémodi rem contra pópulum Dei et locútus est rex verbum istud, ut peccet et non redúcat ejéctum suum? Omnes mórimur et quasi aquæ dilábimur in terram, quæ non revertúntur, nec vult Deus períre ánimam, sed retráctat cógitans ne pénitus péreat qui abjéctus est.

℟. Factum est, dum tólleret Dóminus Elíam per túrbinem in cælum, * Eliséus clamábat, dicens : Pater mi, pater mi, currus Israël, et auríga ejus. ℣. Cumque pérgerent, et incedéntes sermocinaréntur, ecce currus ígneus et equi ígnei divisérunt utrúmque, et ascéndit Elías per túrbinem in cælum. — Eliséus.

In Octavis et Festis ritus simplicis : Glória Patri. Eliséus.

Lectio iii Cap. 14, 19-21

ET ait rex : Numquid manus Joab tecum est in ómnibus istis? Respóndit múlier et ait : Per salútem ánimæ tuæ, dómine mi rex, nec ad sinístram nec ad déxteram est ex ómnibus his quæ locútus est dóminus meus rex; servus enim tuus Joab ipse præcépit mihi et ipse pósuit in os ancíllæ tuæ ómnia verba hæc. Ut vérterem figúram sermónis hujus, servus tuus Joab præcépit istud; tu autem, dómine mi rex, sápiens es, sicut habet sapiéntiam Angelus Dei, ut intélligas ómnia super terram. Et ait rex ad Joab : Ecce placátus feci verbum tuum; vade ergo et révoca púerum Absalom.

℟. Ego te tuli de domo patris tui, dicit Dóminus, et pósui te páscere gregem pópuli mei : * Et fui tecum in ómnibus, ubicúmque ambulásti, firmans regnum tuum in ætérnum. ℣. Fecíque tibi nomen grande, juxta nomen magnórum, qui sunt in terra : et réquiem dedi tibi ab ómnibus inimícis tuis. — Et. Glória Patri. Et.

FERIA QUARTA

De libro secúndo Regum

Lectio i Cap. 15, 1-10

IGitur post hæc fecit sibi Absalom currus et équites et quinquagínta viros, qui præcéderent eum. Et mane consúrgens Absalom stabat juxta introítum portæ et omnem virum, qui habébat negótium ut veníret ad regis judícium, vocábat Absalom ad se et dicébat : De qua civitáte es tu? Qui respóndens ajébat : Ex una tribu Israël ego sum servus tuus. Respondebátque ei Absalom : Vidéntur mihi sermónes tui boni et justi; sed non est qui te áudiat constitútus a rege.

℟. Peccávi super número arénæ maris, et multiplicáta sunt peccáta mea; et non sum dignus vidére altitúdinem cæli præ multitúdine iniquitátis meæ : quóniam irritávi iram tuam, * Et malum coram te feci. ℣. Quóniam iniquitá-

tem meam ego cognósco : et delíctum meum contra me est semper, quia tibi soli peccávi. — Et malum coram te feci.

Lectio ii

Dicebátque Absalom : Quis me constítuat júdicem super terram, ut ad me véniant omnes qui habent negótium et juste júdicem? Sed et, cum accéderet ad eum homo ut salutáret illum, extendébat manum suam et apprehéndens osculabátur eum. Faciebátque hoc omni Israël veniénti ad judicium ut audirétur a rege, et sollicitábat corda virórum Israël.

℟. Exaudísti, Dómine, oratiónem servi tui, ut ædificárem templum nómini tuo : * Bénedic et sanctífica domum istam in sempitérnum, Deus Israël. ℣. Dómine, qui custódis pactum cum servis tuis, qui ámbulant coram te in toto corde suo. — Bénedic.

In Octavis et Festis ritus simplicis : Glória Patri. Bénedic.

Lectio iii

Post quadragínta autem annos, dixit Absalom ad regem David : Vadam et reddam vota mea, quæ vovi Dómino, in Hebron. Vovens enim vovit servus tuus, cum esset in Gessur Sýriæ, dicens : Si redúxerit me Dóminus in Jerúsalem, sacrificábo Dómino. Dixítque ei rex David : Vade in pace. Et surréxit et ábiit in Hebron. Misit autem Absalom exploratóres in univérsas tribus Israël dicens : Statim ut audiéritis clangórem búccinæ, dícite : Regnávit Absalom in Hebron.

℟. Audi, Dómine, hymnum et oratiónem, quam servus tuus orat coram te hódie : ut sint óculi tui apérti, et aures tuæ intentæ, * Super domum istam die ac nocte. ℣. Réspice, Dómine, de sanctuário tuo, et de excélso cælórum habitáculo. — Super. Glória Patri. Super.

FERIA QUINTA

De libro secúndo Regum

Lectio i Cap. 15, 13-20

Venit ígitur núntius ad David dicens : Toto corde univérsus Israël séquitur Absalom. Et ait David servis suis qui erant cum eo in Jerúsalem : Súrgite, fugiámus; neque enim erit nobis effúgium a fácie Absalom. Festináte égredi, ne forte véniens óccupet nos et impéllat super nos ruínam et percútiat civitátem in ore gládii. Dixerúntque servi regis ad eum : Omnia, quæcúmque præcéperit dóminus noster rex, libénter exsequémur servi tui.

℟. Præparáte corda vestra Dómino, et servíte illi soli : * Et liberábit vos de mánibus inimicórum vestrórum. ℣. Convertímini ad eum in toto corde vestro, et auférte deos aliénos de médio vestri. — Et.

Lectio ii

Egréssus est ergo rex et univérsa domus ejus pédibus suis; et derelíquit rex decem mulíeres concubínas ad custodiéndam domum. Egressúsque rex et omnis Israël pédibus suis stetit procul a domo. Et univérsi servi ejus ambulábant juxta eum; et legiónes Ceréthi et Phelétthi et omnes Gethæi pugnatóres válidi sexcénti viri, qui secúti eum fúerant de Geth, pédites præcedébant regem.

℟. Deus ómnium exaudítor est : ipse misit Angelum suum, et tulit me de óvibus patris mei; * Et unxit me unctióne misericórdiæ suæ. ℣. Dóminus qui erípuit me de ore leónis, et de manu béstiæ liberávit me. — Et unxit me.

In Octavis et Festis ritus simplicis : Glória Patri. Et.

Lectio iii

Dixit autem rex ad Ethái Gethæum : Cur venis nobíscum? Revértere et hábita cum rege, quia peregrínus es et egréssus es de loco tuo. Heri venísti et hódie compelléris nobíscum égredi? Ego autem vadam quo itúrus sum; revértere et reduc tecum fratres tuos, et Dóminus fáciet tecum misericórdiam et veritátem, quia ostendísti grátiam et fidem.

℟. Dóminus, qui erípuit me de ore leónis, et de manu béstiæ liberávit me, * Ipse me erípiet de mánibus inimicórum meórum. ℣. Misit Deus misericórdiam suam et veritátem suam : ánimam meam erípuit de médio catulórum leónum. — Ipse. Glória Patri. Ipse.

FERIA SEXTA

De libro secúndo Regum

Lectio i Cap. 16, 5-12

Venit ergo rex David usque Bahúrim, et ecce egrediebátur inde vir de cognatióne domus Saul nómine Sémei, fílius Gera; procedebátque egrédiens et maledicébat, mittebátque lápides contra David et contra univérsos servos regis David. Omnis autem pópulus et univérsi bellatóres a dextro et a sinístro látere regis incedébant. Ita autem loquebátur Sémei, cum maledíceret regi : Egrédere, egrédere, vir sánguinum et vir Bélial : réddidit tibi Dóminus univérsum sánguinem domus Saul, quóniam invasísti regnum pro eo.

℟. Percússit Saul mille, et David decem míllia : * Quia manus Dómini erat cum illo, percússit Philisthæum, et ábstulit oppróbrium ex Israël. ℣. Nonne iste est David, de quo canébant in choro, dicéntes : Saul percússit mille, et David decem míllia? — Quia.

Lectio ii

Dixit autem Abísai, fílius Sárviæ, regi : Quare maledícit canis hic mórtuus dómino meo regi? vadam et amputábo caput ejus. Et ait rex : Quid mihi et vobis est, fílii Sárviæ? Dimíttite eum ut maledícat; Dóminus enim præcépit ei ut maledíceret David, et quis est qui áudeat dícere quare sic fécerit?

℟. Montes Gélboe, nec ros nec plúvia véniant super vos, * Ubi cecidérunt fortes Israël. ℣. Omnes montes, qui estis in circúitu ejus, vísitet Dóminus; a Gélboe autem tránseat. — Ubi.

In Octavis et Festis ritus simplicis : Glória Patri. Ubi.

Lectio iii

Et ait rex Abísai et univérsis servis suis : Ecce fílius meus, qui egréssus est de útero meo, quærit ánimam meam; quanto magis nunc fílius Jémini? Dimíttite eum ut maledícat juxta præcéptum Dómini; si forte respíciat Dóminus afflictiónem meam et reddat mihi Dóminus bonum pro maledictióne hac hodiérna.

℟. Ego te tuli de domo patris tui, dicit Dóminus, et pósui te páscere gregem pópuli mei : * Et fui tecum in ómnibus, ubicúmque ambulásti, firmans regnum tuum in ætérnum. ℣. Fecíque tibi nomen grande, juxta nomen magnórum, qui sunt in terra : et réquiem dedi tibi ab ómnibus inimícis tuis. — Et. Glória Patri. Et.

SABBATO

De libro secúndo Regum

Lectio i Cap. 18, 6-12

Egréssus est pópulus in campum contra Israël, et factum est prælium in saltu Ephraïm. Et cæsus est ibi pópulus Israël ab exércitu David, fáctaque est plaga magna in die illa vigínti míllium. Fuit autem ibi prælium dispérsum super fáciem omnis

terræ, et multo plures erant, quos saltus consúmpserat de pópulo, quam hi quos voráverat gládius in die illa.

℟. Peccávi super número rum arénæ maris, et multiplicáta sunt peccáta mea; et non sum dignus vidére altitúdinem cæli præ multitúdine iniquitátis meæ : quóniam irritávi iram tuam, * Et malum coram te feci. ℣. Quóniam iniquitátem meam ego cognósco : et delíctum meum contra me est semper, quia tibi soli peccávi. — Et.

Lectio ii

ACcidit autem ut occúrreret Absalom servis David sedens mulo; cumque ingréssus fuísset mulus subter condénsam quercum et magnam, adhæsit caput ejus quércui et, illo suspénso inter cælum et terram, mulus cui inséderat pertransívit. Vidit autem hoc quíspiam, et nuntiávit Joab dicens : Vidi Absalom pendére de quercu. Et ait Joab viro qui nuntiáverat ei : Si vidísti, quare non confodísti eum cum terra et ego dedíssem tibi decem argénti siclos et unum bálteum? Qui dixit ad Joab : Si appénderes in mánibus meis mille argénteos, nequáquam mítterem manum meam in fílium regis; audiéntibus enim nobis, præcépit rex tibi et Abísai et Ethái dicens : Custodíte mihi púerum Absalom.

℟. Exaudísti, Dómine, oratiónem servi tui, ut ædificárem templum nómini tuo : * Bénedic et sanctífica domum istam in sempitérnum, Deus Israël. ℣. Dómine, qui custódis pactum cum servis tuis, qui ámbulant coram te in toto corde suo. — Bénedic.

In Octavis simplicibus et in Officio sanctæ Mariæ in Sabbato : Glória Patri. Bénedic.

Lectio iii Cap. 18, 14-17

ET ait Joab : Non sicut tu vis, sed aggrédiar eum coram te. Tulit ergo tres lánceas in manu sua et infíxit eas in corde Absalom : cumque adhuc palpitáret hærens in quercu, cucurrérunt decem júvenes armígeri Joab et percutiéntes interfecérunt eum. Cécinit autem Joab búccina et retínuit pópulum, ne persequerétur fugiéntem Israël, volens párcere multitúdini. Et tulérunt Absalom et projecérunt eum in saltu in fóveam grandem et comportavérunt super eum acérvum lápidum magnum nimis.

℟. Audi, Dómine, hymnum et oratiónem, quam

servus tuus orat coram te hódie : ut sint óculi tui apérti, et aures tuæ inténtæ, * Super domum istam die ac nocte. ℣. Réspice, Dómine, de sanctuário tuo, et de excélso cælórum habitáculo. — Super. Glória Patri. Super.

AD VESPERAS

℣. Vespertína orátio ascéndat ad te, Dómine. ℟. Et descéndat super nos misericórdia tua.

Ad Magnif. Ant. Unxérunt Salomónem * Sadoc sacérdos et Nathan Prophéta regem in Gihon, et ascendéntes læti dixérunt : Vivat rex in ætérnum.

Oratio

DEus, cujus providéntia in sui dispositióne non fállitur : te súpplices exorámus; ut nóxia cuncta submóveas, et ómnia nobis profutúra concédas. Per Dóminum.

Si tamen Dominica sequens a die 29 Julii ad 4 Augusti occurrat, sumuntur Antiphona et Lectiones Dominicæ et hebdomadæ I Augusti 485, omissis aliis de Libris Regum; quod item servatur in sequentibus hebdomadis.

DOMINICA VII
POST PENTECOSTEN

Semiduplex

In I Nocturno
Incipit liber tértius Regum

Lectio i Cap. 1, 1-8

ET rex David senúerat habebátque ætátis plúrimos dies : cumque operirétur véstibus, non calefiébat. Dixérunt ergo ei servi sui : Quærámus dómino nostro regi adolescéntulam vírginem, et stet coram rege et fóveat eum dormiátque in sinu suo et calefáciat dóminum nostrum regem. Quæsiérunt ígitur adolescéntulam speciósam in ómnibus fínibus Israël et invenérunt Abísag Sunamítidem et adduxérunt eam ad regem. Erat autem puélla pulchra nimis dormiebátque cum rege et ministrábat ei; rex vero non cognóvit eam.

℟. Præparáte corda vestra Dómino, et servíte illi soli :* Et liberábit vos de mánibus inimicórum vestrórum. ℣. Convertímini ad eum in toto corde vestro, et auférte deos aliénos de médio vestri. — Et.

Lectio ii

ADonías autem, fílius Haggith, elevabátur dicens : Ego regnábo. Fecítque sibi currus et équites et quinquagínta viros, qui cúrrerent ante eum. Nec corrípuit eum pater suus aliquándo dicens : Quare hoc fecísti? Erat autem et ipse pulcher valde, secúndus natu post Absalom. Et sermo ei cum Joab fílio Sárviæ et cum Abíathar sacerdóte, qui adjuvábant partes Adoníæ. Sadoc vero sacérdos et Banájas fílius Jójadæ et Nathan Prophéta et Sémei et Rei et robur exércitus David non erat cum Adonía.

℟. Deus ómnium exaudítor est : ipse misit Angelum suum, et tulit me de óvibus patris mei; * Et unxit me unctióne misericórdiæ suæ. ℣. Dóminus, qui erípuit me de ore leónis, et de manu béstiæ liberávit me. — Et.

Lectio iii Cap. 1, 11-15

DIxit ítaque Nathan ad Bethsabée, matrem Salomónis : Num audísti quod regnáverit Adonías, fílius Haggith, et dóminus noster David hoc ignórat? Nunc ergo veni, áccipe consílium a me et salva ánimam tuam filiíque tui Salomónis. Vade et ingrédere ad regem David et dic ei : Nonne tu, dómine mi rex, jurásti mihi ancíllæ tuæ dicens : Sálomon fílius tuus regnábit post me et ipse sedébit in sólio meo? Quare ergo regnat Adonías? Et, adhuc ibi te loquénte cum rege, ego véniam post te et complébo sermónes tuos. Ingréssa est ítaque Bethsabée ad regem in cubículum.

℟. Dóminus, qui erípuit me de ore leónis, et de manu béstiæ liberávit me, * Ipse me erípiet de mánibus inimicórum meórum. ℣. Misit Deus misericórdiam suam et veritátem suam : ánimam meam erípuit de médio catulórum leónum. — Ipse. Glória Patri. Ipse.

In II Nocturno

Ex Epístola sancti Hierónymi Presbýteri ad Nepotiánum

Lectio iv Epist. 2 tom. 1

DAvid annos natus septuagínta, bellicósus quondam vir, senectúte frigescénte, non póterat calefíeri. Quæritur ítaque puélla de univérsis fínibus Israël Abísag Sunamítis, quæ cum rege dormíret, et seníle corpus calefáceret. Quæ est ista Sunamítis, uxor et virgo, tam fervens, ut frígidum calefáceret; tam sancta, ut caléntem ad libídinem non provocáret? Expónat sapientíssimus Sálomon

patris sui delícias, et pacíficus bellatóris viri narret ampléxus : Pósside sapiéntiam, pósside intelligéntiam. Ne obliviscáris, et ne declináveris a verbis oris mei; neque derelínquas illam, et apprehéndet te; ama, illam et servábit te. Princípium sapiéntiæ, pósside sapiéntiam, et in omni possessióne tua pósside intelligéntiam : circúmda illam, et exaltábit te; honóra illam, et amplexábitur te, ut det cápiti tuo corónam gratiárum. Coróna quoque deliciárum próteget te.

℟. Percússit Saul mille, et David decem míllia : * Quia manus Dómini erat cum illo, percússit Philisthæum, et ábstulit oppróbrium ex Israël. ℣. Nonne iste est David, de quo canébant in choro, dicéntes : Saul percússit mille, et David decem míllia? — Quia.

Lectio v

OMnes pene virtútes córporis mutántur in sénibus, et crescénte sola sapiéntia, decréscunt cétera : jejúnia, vigíliæ, chaméuniæ, id est, super paviméntum dormitiónes, huc illúcque discúrsus, peregrinórum suscéptio, defénsio páuperum, instántia oratiónum et perseverántia, visitátio languéntium, labor mánuum unde præbeántur eleemósynæ. Et ne sermónem lóngius prótraham, cuncta quæ per corpus exercéntur, fracto córpore, minóra fiunt.

℟. Montes Gélboe, nec ros nec plúvia véniant super vos, * Ubi cecidérunt fortes Israël. ℣. Omnes montes, qui estis in circúitu ejus, vísitet Dóminus; a Gélboe autem tránseat. — Ubi.

Lectio vi

NEC hoc dico, quod in juvénibus et adhuc solidióris ætátis, his dumtáxat, qui labóre et ardentíssimo stúdio, vitæ quoque sanctimónia et oratiónis ad Dóminum Jesum frequéntia sciéntiam consecúti sunt, frígeat sapiéntia, quæ in plerísque sénibus ætáte marcéscit : sed quod adolescéntia multa córporis bella sustíneat, et inter incentíva vitiórum et carnis titillatiónes, quasi ignis in lignis virídibus suffocétur, ut suum non possit explicáre fulgórem. Senéctus vero rursus eórum, qui adolescéntiam suam honéstis ártibus instruxérunt, et in lege Dómini meditáti sunt die ac nocte, ætáte fit dóctior, usu trítior, processu témporis sapiéntior, et vétérum studiórum dulcíssimos fructus metit.

℟. Ego te tuli de domo patris tui, dicit Dóminus, et pósui te páscere gregem pópuli mei : * Et fui tecum in ómnibus, ubicúmque ambulásti, firmans regnum tuum in ætérnum. ℣. Fecíque tibi nomen grande, juxta nomen magnórum, qui sunt in terra : et réquiem dedi tibi ab ómnibus inimícis tuis. — Et. Glória Patri. Et.

℟. vii Peccávi et ℟. viii Duo Séraphim, ut infra in Homiliis.

FERIA SECUNDA

De libro tértio Regum

Lectio i Cap. 1, 28-35

ET respóndit rex David dicens : Vocáte ad me Bethsabée. Quæ cum fuísset ingréssa coram rege et stetísset ante eum, jurávit rex et ait : Vivit Dóminus, qui éruit ánimam meam de omni angústia, quia, sicut jurávi tibi per Dóminum Deum Israël, dicens : Sálomon fílius tuus regnábit post me et ipse sedébit super sólium meum pro me, sic fáciam hódie. Summissóque Bethsabée in terram vultu adorávit regem dicens : Vivat dóminus meus David in ætérnum.

℟. Recordáre, Dómine, testaménti tui, et dic Angelo percutiénti : Cesset jam manus tua, * Ut non desolétur terra, et ne perdas omnem ánimam vivam. ℣. Ego sum qui peccávi, ego qui iníque egi : isti qui oves sunt, quid fecérunt? Avertátur, óbsecro, furor tuus, Dómine, a pópulo tuo. — Ut.

Lectio ii

DIxit quoque rex David : Vocáte mihi Sadoc sacerdótem et Nathan Prophétam et Banájam fílium Jójadæ. Qui cum ingressi fuíssent coram rege, dixit ad eos : Tollíte vobíscum servos Dómini vestri et impónite Salomónem fílium meum super mulam meam et dúcite eum in Gihon, et ungat eum ibi Sadoc sacérdos et Nathan Prophéta in regem super Israël. Et canétis búccina atque dicétis : Vivat rex Sálomon. Et ascendétis post eum et véniet et sedébit super sólium meum et ipse regnábit pro me.

℟. Exaudísti, Dómine, oratiónem servi tui, ut ædificárem templum nómini tuo : * Bénedic et sanctífica domum istam in sempitérnum, Deus Israël. ℣. Dómine, qui custódis pactum cum servis tuis, qui ámbulant coram te in toto corde suo. — Bénedic et sanctífica domum istam in sempitérnum, Deus Israël.

In Octavis et Festis ritus simplicis : Glória Patri. Bénedic.

Lectio iii Cap. 1, 38-40

DEscéndit ergo Sadoc sacérdos et Nathan Prophéta et Banájas fílius Jójadæ et Ceréthi et Phaléthi et imposuérunt Salomónem super mulam regis David et adduxérunt eum in Gihon. Sumpsítque Sadoc sacérdos cornu ólei de tabernáculo et unxit Salomónem, et cecinérunt búccina, et dixit omnis pópulus : Vivat rex Sálomon. Et ascéndit univérsa multitúdo post eum et pópulus canéntium tíbiis et lætántium gáudio magno, et insónuit terra a clamóre eórum.

℟. Audi, Dómine, hymnum et oratiónem, quam servus tuus orat coram te hódie : ut sint óculi tui apérti, et aures tuæ inténtæ, * Super domum istam die ac nocte. ℣. Réspice, Dómine, de sanctuário tuo, et de excélso cælórum habitáculo. — Super. Glória Patri. Super.

FERIA TERTIA

De libro tértio Regum

Lectio i Cap. 2, 1-9

APpropinquavérunt autem dies David ut morerétur, præcepítque Salomóni fílio suo, dicens : Ego ingrédior viam univérsæ terræ : confortáre et esto vir, et obsérva custódias Dómini Dei tui, ut ámbules in viis ejus, ut custódias cæremónias ejus et præcépta ejus et judícia et testimónia, sicut scriptum est in lege Móysi; ut intélligas univérsa quæ facis et quocúmque te vérteris; ut confírmet Dóminus sermónes suos, quos locútus est de me dicens : Si custodíerint fílii tui vias suas, et ambuláverint coram me in veritáte in omni corde suo et in omni ánima sua, non auferétur tibi vir de sólio Israël.

℟. Dómine, si convérsus fúerit pópulus tuus, et oráverit ad sanctuárium tuum : * Tu exáudies de cælo, Dómine, et líbera eos de mánibus inimicórum suórum. ℣. Si peccáverit in te pópulus tuus, et convérsus égerit pœniténtiam, veniénsque oráverit in isto loco. — Tu.

Lectio ii

TU quoque nosti quæ fécerit mihi Joab fílius Sárviæ, quæ fécerit duó-

bus princípibus exércitus Israël, Abner fílio Ner et Amasæ fílio Jether, quos occídit et effúdit sánguinem belli in pace et pósuit cruórem prælii in bálteo suo, qui erat circa lumbos ejus, et in calceaménto suo, quod erat in pédibus ejus. Fácies ergo juxta sapiéntiam tuam, et non dedúces canítiem ejus pacífice ad ínferos.

℟. Factum est, dum tólleret Dóminus Elíam per túrbinem in cælum, * Eliséus clamábat, dicens : Pater mi, pater mi, currus Israël, et auríga ejus. ℣. Cumque pérgerent, et incedéntes sermocinarén-tur, ecce currus ígneus et equi ígnei divisérunt utrúmque, et ascéndit Elías per túrbinem in cælum. — Eliséus.

In Octavis et Festis ritus simplicis : Glória Patri. Eliséus.

Lectio iii

SED et fíliis Berzellái Galaadítis reddes grátiam, erúntque comedéntes in mensa tua; occurrérunt enim mihi quando fugiébam a fácie Absalom fratris tui. Habes quoque apud te Sémei fílium Gera fílii Jémini de Bahúrim, qui maledíxit mihi maledictióne péssima, quando ibam ad castra; sed quia descéndit mihi in occúrsum, cum transírem Jordánem, et jurávi ei per Dóminum dicens : Non te interfíciam gládio. Tu noli pati eum esse innóxium.

℟. Ego te tuli de domo patris tui, dicit Dóminus, et pósui te páscere gregem pópuli mei : * Et fui tecum in ómnibus, ubicúmque ambulásti, firmans regnum tuum in ætérnum. ℣. Fecíque tibi nomen grande, juxta nomen magnórum, qui sunt in terra : et réquiem dedi tibi ab ómnibus inimícis tuis. — Et. Glória Patri. Et.

FERIA QUARTA

De libro tértio Regum

Lectio i Cap. 3, 5-13

APpáruit autem Dóminus Salomóni per sómnium nocte dicens : Póstula quod vis ut dem tibi. Et ait Sálomon : Tu fecísti cum servo tuo David patre meo misericórdiam magnam, sicut ambulávit in conspéctu tuo in veritáte et justítia et recto corde tecum : custodísti ei misericórdiam tuam grandem et dedísti ei fílium sedéntem super thronum ejus, sicut est hódie.

℟. Peccávi super número-rum arénæ maris, et multiplicáta sunt peccáta mea; et non sum dignus vidére

altitúdinem cæli præ multitúdine iniquitátis meæ : quóniam irritávi iram tuam, * Et malum coram te feci. ℣. Quóniam iniquitátem meam ego cognósco : et delíctum meum contra me est semper, quia tibi soli peccávi. — Et.

Lectio ii

ET nunc, Dómine Deus, tu regnáre fecísti servum tuum pro David patre meo. Ego autem sum puer párvulus et ignórans egréssum et intróitum meum; et servus tuus in médio est pópuli quem elegísti, pópuli infiníti, qui numerári et supputári non potest præ multitúdine. Dabis ergo servo tuo cor dócile, ut pópulum tuum judicáre possit et discérnere inter bonum et malum. Quis enim póterit judicáre pópulum istum, pópulum tuum hunc multum?

℟. Exaudísti, Dómine, oratiónem servi tui, ut ædificárem templum nómini tuo : * Bénedic et sanctífica domum istam in sempitérnum, Deus Israël. ℣. Dómine, qui custódis pactum cum servis tuis, qui ámbulant coram te in toto corde suo. — Bénedic.

In Octavis et Festis ritus simplicis : Glória Patri. Bénedic.

Lectio iii

PLácuit ergo sermo coram Dómino, quod Sálomon postulásset hujuscémodi rem. Et dixit Dóminus Salomóni : Quia postulásti verbum hoc, et non petísti tibi dies multos nec divitias aut ánimas inimicórum tuórum, sed postulásti tibi sapiéntiam ad discernéndum judícium : ecce feci tibi secúndum sermónes tuos, et dedi tibi cor sápiens et intélligens, in tantum ut nullus ante te símilis tui fúerit nec post te surrectúrus sit. Sed et hæc, quæ non postulásti, dedi tibi, divítias scílicet et glóriam, ut nemo fúerit símilis tui in régibus cunctis retro diébus.

℟. Audi, Dómine, hymnum et oratiónem, quam servus tuus orat coram te hódie : ut sint óculi tui apérti, et aures tuæ inténtæ, * Super domum istam die ac nocte. ℣. Réspice, Dómine, de sanctuário tuo, et de excélso cælórum habitáculo. — Super. Glória Patri. Super.

FERIA QUINTA

De libro tértio Regum

Lectio i Cap. 4, 21-34

SAlomon autem erat in dicióne sua habens ómnia regna a flúmine terræ

Philísthiim usque ad términum Ægýpti offeréntium sibi múnera et serviéntium ei cunctis diébus vitæ ejus. Erat autem cibus Salomónis per dies síngulos trigínta cori símilæ, et sexagínta cori farínæ, decem boves pingues et vigínti boves pascuáles et centum aríetes, excépta venatióne cervórum, capreárum atque bubalórum et ávium altílium. Ipse enim obtinébat omnem regiónem, quæ erat trans flumen, a Thaphsa usque ad Gazam et cunctos reges illárum regiónum, et habébat pacem ex omni parte in circúitu.

℟. Præparáte corda vestra Dómino, et servíte illi soli : * Et liberábit vos de mánibus inimicórum vestrórum. ℣. Convertímini ad eum in toto corde vestro, et auférte deos aliénos de médio vestri. — Et.

Lectio ii

HAbitabátque Juda et Israël absque timóre ullo unusquísque sub vite sua et sub ficu sua a Dan usque Bersabée cunctis diébus Salomónis. Et habébat Sálomon quadragínta míllia præsépia equórum currílium et duódecim míllia equéstrium. Nutriebántque eos supradícti regis præfécti; sed et necessária mensæ regis Salomónis cum ingénti cura præbébant in témpore suo. Hórdeum quoque et páleas equórum et jumentórum deferébant in locum, ubi erat rex, juxta constitútum sibi. Dedit quoque Deus sapiéntiam Salomóni et prudéntiam multam nimis in latitúdinem cordis, quasi arénam quæ est in líttore maris.

℟. Deus ómnium exaudítor est : ipse misit Angelum suum, et tulit me de óvibus patris mei; * Et unxit me unctióne misericórdiæ suæ. ℣. Dóminus, qui erípuit me de ore leónis, et de manu béstiæ liberávit me. — Et.

In Octavis et Festis ritus simplicis : Glória Patri. Et.

Lectio iii

ET præcedébat sapiéntia Salomónis sapiéntiam ómnium Orientálium et Ægyptiórum; et erat sapiéntior cunctis homínibus, sapiéntior Ethan Ezrahíta et Heman et Chalcol et Dorda fíliis Mahol, et erat nominátus in univérsis géntibus per circúitum. Locútus est quoque Sálomon tria míllia parábolas, et fuérunt cármina ejus quinque et mille. Et disputávit super lignis a cedro, quæ est in Líbano, usque ad hyssó-

pum quæ egréditur de paríete; et dísserúit de juméntis et volúcribus et reptílibus et píscibus. Et veniébant de cunctis pópulis ad audiéndam sapiéntiam Salomónis, et ab univérsis régibus terræ, qui audiébant sapiéntiam ejus.

℟. Dóminus, qui erípuit me de ore leónis, et de manu béstiæ liberávit me, * Ipse me erípiet de mánibus inimicórum meórum. ℣. Misit Deus misericórdiam suam et veritátem suam : ánimam meam erípuit de médio catulórum leónum. — Ipse. Glória Patri. Ipse.

FERIA SEXTA

De libro tértio Regum

Lectio i Cap. 5, 1-9

MIsit quoque Hiram, rex Tyri, servos suos ad Salomónem; audívit enim quod ipsum unxíssent regem pro patre ejus; quia amícus fúerat Hiram David omni témpore. Misit autem Sálomon ad Hiram dicens : Tu scis voluntátem David patris mei, et quía non potúerít ædificáre domum nómini Dómini Dei sui propter bella imminéntia per circúitum, donec daret Dóminus eos sub vestígio pedum ejus. Nunc autem réquiem dedit Dóminus Deus meus mihi per circúitum, et non est satan neque occúrsus malus.

℟. Percússit Saul mille, et David decem míllia : * Quia manus Dómini erat cum illo, percússit Philisthæum, et ábstulit oppróbrium ex Israël. ℣. Nonne iste est David, de quo canébant in choro, dicéntes : Saul percússit mille, et David decem míllia? — Quia.

Lectio ii

QUam ob rem cógito ædificáre templum nómini Dómini Dei mei, sicut locútus est Dóminus David patri meo, dicens : Fílius tuus, quem dabo pro te super sólium tuum, ipse ædificábit domum nómini meo. Præcipe ígitur ut præcídant mihi servi tui cedros de Líbano, et serví mei sínt cum servis tuis; mercédem autem servórum tuórum dabo tibi quamcúmque petíeris; scis enim quómodo non est in pópulo meo vir qui nóverit ligna cædere sicut Sidónii.

℟. Montes Gélboe, nec ros nec plúvia véniant super vos, * Ubi cecidérunt fortes Israël. ℣. Omnes montes, qui estis in circúitu ejus, vísitet Dóminus; a Gélboe autem tránseat. — Ubi.

In Octavis et Festis ritus simplicis : Glória Patri. Ubi.

Lectio iii

CUM ergo audísset Hiram verba Salomónis, lætátus est valde et ait : Benedíctus Dóminus Deus hódie, qui dedit David fílium sapientíssimum super pópulum hunc plúrimum. Et misit Hiram ad Salomónem dicens : Audívi quæcúmque mandásti mihi : ego fáciam omnem voluntátem tuam in lignis cédrinis et abiégnis. Servi mei depónent ea de Líbano ad mare, et ego compónam ea in rátibus in mari usque ad locum quem significáveris mihi; et applicábo ea ibi, et tu tolles ea præbebísque necessária mihi ut detur cibus dómui meæ.

℟. Ego te tuli de domo patris tui, dicit Dómnus, et pósui te páscere gregem pópuli mei : * Et fui tecum in ómnibus, ubicúmque ambulásti, firmans regnum tuum in ætérnum. ℣. Fecíque tibi nomen grande juxta nomen magnórum, qui sunt in terra : et réquiem dedi tibi ab ómnibus inimícis tuis. — Et. Glória Patri. Et.

SABBATO

De libro tértio Regum

Lectio i Cap. 7, 51; 8, 1-7

ET perfécit omne opus, quod faciébat Sálomon in domo Dómini, et íntulit quæ sanctificáverat David pater suus, argéntum et aurum et vasa, reposuítque in thesáuris domus Dómini. Tunc congregáti sunt omnes majóres natu Israël cum principibus tribuum et duces familiárum filiórum Israël ad regem Salomónem in Jerúsalem, ut deférrent arcam fœderis Dómini de civitáte David, id est de Sion. Convenítque ad regem Salomónem univérsus Israël in mense Ethánim in solémni die (ipse est mensis séptimus).

℟. Peccávi super númerum arénæ maris, et multiplicáta sunt peccáta mea; et non sum dignus vidére altitúdinem cæli præ multitúdine iniquitátis meæ : quóniam irritávi iram tuam, * Et malum coram te feci. ℣. Quóniam iniquitátem meam ego cognósco : et delíctum meum contra me est semper, quia tibi soli peccávi. — Et.

Lectio ii

VEnerúntque cuncti senes de Israël, et tulérunt arcam sacerdótes et portavérunt arcam Dómini et tabernáculum fœderis et ómnia vasa sanctuárii, quæ erant in tabernáculo, et ferébant ea sacerdótes et levítæ. Rex autem Sálomon et omnis multitúdo Israël, quæ convénerat ad eum, gradiebátur cum illo ante arcam, et immolábant oves et boves absque æstimatióne et número. Et intulérunt sacerdótes arcam fœderis Dómini in locum suum, in oráculum templi, in Sanctum sanctórum subter alas Chérubim; síquidem Chérubim expandébant alas super locum arcæ et protegébant arcam et vectes ejus désuper.

℟. Exaudísti, Dómine, oratiónem servi tui, ut ædificárem templum nómini tuo : * Bénedic et sanctífica domum istam in sempitérnum, Deus Israël. ℣. Dómine, qui custódis pactum cum servis tuis, qui ámbulant coram te in toto corde suo. — Bénedic.

In Octavis simplicibus et in Officio sanctæ Mariæ in Sabbato : Glória Patri. Bénedic.

Lectio iii Cap. 8, 9-12

IN arca autem non erat áliud nisi duæ tábulæ lapídeæ, quas posúerat in ea Móyses in Horeb, quando pépigit Dóminus fœdus cum fíliis Israël, cum egrederéntur de terra Ægypti. Factum est autem, cum exíssent sacerdótes de sanctuário, nébula implévit domum Dómini, et non póterant sacerdótes stare et ministráre propter nébulam; impléverat enim glória Dómini domum Dómini. Tunc ait Sálomon : Dóminus dixit ut habitáret in nébula.

℟. Audi, Dómine, hymnum et oratiónem, quam servus tuus orat coram te hódie : ut sint óculi tui apérti, et aures tuæ inténtæ, * Super domum istam die ac nocte. ℣. Réspice, Dómine, de sanctuário tuo, et de excélso cælórum habitáculo. — Super. Glória Patri. Super.

AD VESPERAS

℣. Vespertína orátio ascéndat ad te, Dómine. ℟. Et descéndat super nos misericórdia tua.

Ad Magnif. Ant. Exaudísti, Dómine, * oratiónem servi tui, ut ædificárem templum nómini tuo.

Oratio

LArgíre nobis, quæsumus, Dómine, semper spíritum cogitándi quæ recta sunt, propítius et agéndi : ut, qui sine te esse non póssumus, secúndum te vivere valeámus. Per Dóminum.

DOMINICA VIII
POST PENTECOSTEN

Semiduplex

In I Nocturno

De libro tértio Regum

Lectio i Cap. 9, 1-14

Actum est autem cum perfecísset Sálomon ædifícium domus Dómini et ædifícium regis et omne quod optáverat et volúerat fácere, appáruit ei Dóminus secúndo, sicut apparúerat ei in Gábaon. Dixítque Dóminus ad eum : Exaudívi oratiónem tuam et deprecatiónem tuam, quam deprecátus es coram me; sanctificávi domum hanc, quam ædificásti, ut pónerem nomen meum ibi in sempitérnum; et erunt óculi mei et cor meum ibi cunctis diébus. Tu quoque, si ambuláveris coram me, sicut ambulávit pater tuus in simplicitáte cordis et in æquitáte, et féceris ómnia quæ præcépi tibi et legítima mea et judícia mea serváveris, ponam thronum regni tui super Israël in sempitérnum, sicut locútus sum David patri tuo dicens : Non auferétur vir de génere tuo de sólio Israël.

℟. Præparáte corda vestra Dómino, et servíte illi soli : * Et liberábit vos de mánibus inimicórum vestrórum. ℣. Convertímini ad eum in toto corde vestro, et auférte deos aliénos de médio vestri. — Et.

Lectio ii

Si autem aversióne avérsi fuéritis vos et fílii vestri non sequéntes me nec custodiéntes mandáta mea et cæremónias meas, quas propósui vobis, sed abiéritis et coluéritis deos aliénos et adoravéritis eos; áuferam Israël de superfície terræ quam dedi eis, et templum quod sanctificávi nómini meo projíciam a conspéctu meo, erítque Israël in provérbium et in fábulam cunctis pópulis, et domus hæc erit in exémplum : omnis qui transíerit per eam stupébit et sibilábit et dicet : Quare fecit Dóminus sic terræ huic et dómui huic? Et respondébunt : Quia dereliquérunt Dóminum, Deum suum, qui edúxit patres eórum de terra Ægýpti, et secúti sunt deos aliénos et adoravérunt eos et coluérunt eos; idcírco indúxit Dóminus super eos omne malum hoc.

℟. Deus ómnium exaudítor est : ipse misit Angelum suum, et tulit me de óvibus patris mei; * Et unxit me unctióne misericórdiæ suæ. ℣. Dóminus, qui erípuit me de ore leónis, et de manu béstiæ liberávit me. — Et unxit me unctióne misericórdiæ suæ.

Lectio iii

Explétis autem annis vigínti postquam ædificáverat Sálomon duas domos, id est domum Dómini et domum regis (Hiram rege Tyri præbénte Salomóni ligna cédrina et abiégna et aurum juxta omne quod opus habúerat), tunc dedit Sálomon Hiram vigínti óppida in terra Galilææ. Et egréssus est Hiram de Tyro ut vidéret óppida, quæ déderat ei Sálomon, et non placuérunt ei, et ait : Hæcine sunt civitátes, quas dedísti mihi, frater? Et appellávit eas terram Chabul usque in diem hanc. Misit quoque Hiram ad regem Salomónem centum vigínti talénta auri.

℟. Dóminus, qui erípuit me de ore leónis, et de manu béstiæ liberávit me, * Ipse me erípiet de mánibus inimicórum meórum. ℣. Misit Deus misericórdiam suam et veritátem suam : ánimam meam erípuit de médio catulórum leónum. — Ipse. Glória Patri. Ipse me erípiet de mánibus.

In II Nocturno

Ex libro sancti Augustíni Epíscopi de Civitáte Dei

Liber 17, cap. 8, sub medio

Lectio iv

Acta est quidem nonnúlla imágo rei futúræ étiam in Salomóne, in eo quod templum ædificávit, et pacem hábuit secúndum nomen suum (Sálomon quippe pacíficus est Latíne), et in exórdio regni sui mirabíliter laudábilis fuit. Sed eádem sua persóna per umbram futúri prænuntiábat étiam ipse Christum Dóminum nostrum, non exhibébat. Unde quædam de illo ita scripta sunt, quasi de ipso ista prædícta sint, dum Scriptúra sancta étiam rebus gestis prophétans, quodámmodo in eo figúram delíneat futurórum.

℟. Percússit Saul mille, et David decem míllia : * Quia manus Dómini erat cum illo, percússit Philisthæum, et ábstulit oppróbrium ex Israël. ℣. Nonne iste est David, de quo canébant in choro, dicéntes : Saul percússit mille, et David decem míllia? — Quia.

Lectio v

Nam præter libros divínæ históriæ, ubi regnásse narrátur, Psalmus

étiam septuagésimus primus título nóminis ejus inscríptus est. In quo tam multa dicúntur, quæ omníno ei convenire non possunt, Dómino autem Christo aptíssima perspicuitáte convéniunt : ut evidénter appáreat, quod in illo figúra qualiscúmque adumbráta sit, in isto autem ipsa véritas præsentáta.

℟. Montes Gélboe, nec ros nec plúvia véniant super vos, * Ubi cecidérunt fortes Israël. ℣. Omnes montes, qui estis in circúitu ejus, vísitet Dóminus; a Gélboe autem tránseat. — Ubi.

Lectio vi

Notum est enim, quibus términis regnum conclúsum fúerit Salomónis, et tamen in eo Psalmo légitur, ut ália táceam : Dominábitur a mari usque ad mare, et a flúmine usque ad términos orbis terræ : quod in Christo vidémus impléri. A flúmine quippe dominándi sumpsit exórdium, ubi baptizátus a Joánne, eódem monstránte, cœpit agnósci a discípulis, qui eum non solum magístrum, verum étiam Dóminum appellavérunt.

℟. Ego te tuli de domo patris tui, dicit Dóminus, et pósui te páscere gregem pópuli mei : * Et fui tecum in ómnibus, ubicúmque ambulásti, firmans regnum tuum in ætérnum. ℣. Fecíque tibi nomen grande, juxta nomen magnórum, qui sunt in terra : et réquiem dedi tibi ab ómnibus inimícis tuis. — Et. Glória Patri. Et.

℟. vii Peccávi et ℟. viii Duo Séraphim, ut infra in Homiliis.

FERIA SECUNDA

De libro tértio Regum

Lectio i Cap. 10, 1-11

Sed et regína Saba, audíta fama Salomónis in nómine Dómini, venit tentáre eum in ænigmátibus. Et ingréssa Jerúsalem multo cum comitátu et divítiis, camélis portántibus arómata et aurum infinítum nimis et gemmas pretiósas, venit ad regem Salomónem et locúta est ei univérsa quæ habébat in corde suo. Et dócuit eam Sálomon ómnia verba quæ proposúerat; non fuit sermo qui regem posset latére, et non respondéret ei.

℟. Recordáre, Dómine, testaménti tui, et dic Angelo percutiénti : Cesset jam manus tua, * Ut non desolétur terra, et ne perdas omnem ánimam vivam. ℣. Ego sum qui pec-

cávi, ego qui iníque egi : isti qui oves sunt, quid fecérunt? Avertátur, óbsecro, furor tuus, Dómine, a pópulo tuo. — Ut non desolétur terra, et ne perdas omnem ánimam vivam.

Lectio ii

VIdens autem regína Saba omnem sapiéntiam Salomónis et domum, quam ædificáverat, et cibos mensæ ejus et habitácula servórum et órdines ministrántium vestésque eórum et pincérnas et holocáusta, quæ offerébat in domo Dómini, non habébat ultra spíritum; dixítque ad regem : Verus est sermo, quem audívi in terra mea super sermónibus tuis et super sapiéntia tua, et non credébam narrántibus mihi, donec ipsa veni, et vidi óculis meis, et probávi quod média pars mihi nuntiáta non fúerit. Major est sapiéntia et ópera tua quam rumor quem audívi.

℟. Exaudísti, Dómine, oratiónem servi tui, ut ædificárem templum nómini tuo : * Bénedic et sanctífica domum istam in sempitérnum, Deus Israël. ℣. Dómine, qui custódis pactum cum servis tuis, qui ámbulant coram te in toto corde suo. — Bénedic.

In Octavis et Festis ritus simplicis : Glória Patri. Bénedic.

Lectio iii

BEáti viri tui et beáti servi tui, qui stant coram te semper et áudiunt sapiéntiam tuam. Sit Dóminus Deus tuus benedíctus, cui complacuísti, et pósuit te super thronum Israël, eo quod diléxerit Dóminus Israël in sempitérnum, et constítuit te regem ut fáceres judícium et justítiam. Dedit ergo regi centum vigínti talénta auri et arómata multa nimis et gemmas pretiósas. Non sunt alláta ultra arómata tam multa quam ea quæ dedit regína Saba regi Salomóni. Sed et classis Hiram, quæ portábat aurum de Ophir, áttulit ex Ophir ligna thyina multa nimis et gemmas pretiósas.

℟. Audi, Dómine, hymnum et oratiónem, quam servus tuus orat coram te hódie : ut sint óculi tui apérti, et aures tuæ inténtæ, * Super domum istam die ac nocte. ℣. Réspice, Dómine, de sanctuário tuo, et de excélso cælórum habitáculo. — Super. Glória Patri. Super.

FERIA TERTIA

De libro tértio Regum

Lectio i Cap. 11, 1-12

REX autem Sálomon adamávit mulíeres alienígenas multas, fíliam quoque Pharaónis et Moabítidas, et Ammonítidas Idumæas et Sidónias et Hethæas, de géntibus super quibus dixit Dóminus fíliis Israël : Non ingrediémini ad eas, neque de illis ingrediéntur ad vestras; certíssime enim avértent corda vestra ut sequámini deoseárum. His ítaque copulátus est Sálomon ardentíssimo amóre : fuerúntque ei uxóres quasi regínæ septingéntæ et concubínæ trecéntæ; et avertérunt mulíeres cor ejus. Cumque jam esset senex, depravátum est cor ejus per mulíeres ut sequerétur deos aliénos; nec erat cor ejus perféctum cum Dómino Deo suo sicut cor David patris ejus.

℟. Dómine, si convérsus fúerit pópulus tuus, et oráverit ad sanctuárium tuum : * Tu exáudies de cælo, Dómine, et líbera eos de mánibus inimicórum suórum. ℣. Si peccáverit in te pópulus tuus, et convérsus égerit pæniténtiam, veniénsque oráverit in isto loco. — Tu.

Lectio ii

SED colébat Sálomon Astárthen deam Sidoniórum et Moloch idólum Ammonitárum. Fecítque Sálomon quod non placúerat coram Dómino, et non adimplévit ut sequerétur Dóminum sicut David pater ejus. Tunc ædificávit Sálomon fanum Chamos idólo Moab in monte, qui est contra Jerúsalem, et Moloch idólo filiórum Ammon. Atque in hunc modum fecit univérsis uxóribus suis alienígenis, quæ adolébant thura et immolábant diis suis.

℟. Factum est, dum tólleret Dóminus Elíam per túrbinem in cælum, * Eliséus clamábat, dicens : Pater mi, pater mi, currus Israël, et auríga ejus. ℣. Cumque pérgerent, et incedéntes sermocinaréntur, ecce currus ígneus et equi ígnei divisérunt utrúmque, et ascéndit Elías per túrbinem in cælum. — Eliséus.

In Octavis et Festis ritus simplicis : Glória Patri. Eliséus.

Lectio iii

IGitur irátus est Dóminus Salomóni, quod avérsa esset mens ejus a Dómino Deo Israël, qui apparúerat ei secúndo et præcéperat de verbo hoc

ne sequerétur deos aliénos, et non custodívit quæ mandávit ei Dóminus. Dixit ítaque Dóminus Salomóni : Quia habuísti hoc apud te et non custodísti pactum meum et præcépta mea, quæ mandávi tibi, disrúmpens scindam regnum tuum et dabo illud servo tuo. Verúmtamen in diébus tuis non fáciam, propter David patrem tuum.

℟. Ego te tuli de domo patris tui, dicit Dóminus, et pósui te páscere gregem pópuli mei : * Et fui tecum in ómnibus, ubicúmque ambulásti, firmans regnum tuum in ætérnum. ℣. Fecíque tibi nomen grande, juxta nomen magnórum, qui sunt in terra : et réquiem dedi tibi ab ómnibus inimícis tuis. — Et. Glória Patri. Et.

FERIA QUARTA

De libro tértio Regum

Lectio i Cap. 11, 26-34

JEróboam quoque fílius Nabat Ephrathæus de Saréda servus Salomónis, cujus mater erat nómine Sarva múlier vídua, levávit manum contra regem. Et hæc est causa rebelliónis advérsus eum, quia Sálomon ædificávit Mello et coæquávit voráginem civitátis David patris sui. Erat autem Jeróboam vir fortis et potens; vidénsque Sálomon adolescéntem bonæ índolis et indústrium, constitúerat eum præféctum super tribúta univérsæ domus Joseph.

℟. Peccávi super número rum arénæ maris, et multiplicáta sunt peccáta mea; et non sum dignus vidére altitúdinem cæli præ multitúdine iniquitátis meæ : quóniam irritávi iram tuam, * Et malum coram te fecí. ℣. Quóniam iniquitátem meam ego cognósco : et delíctum meum contra me est semper, quia tibi soli peccávi. — Et.

Lectio ii

FActum est ígitur in témpore illo, ut Jeróboam egrederétur de Jerúsalem, et inveníret eum Ahías Silonítes prophéta in via opértus pállio novo; erant autem duo tantum in agro. Apprehendénsque Ahías pállium suum novum, quo coopértus erat, scidit in duódecim partes, et ait ad Jeróboam : Tolle tibi decem scissúras; hæc enim dicit Dóminus Deus Israël : Ecce ego scindam regnum de manu Salomónis et dabo tibi decem tribus.

℟. Exaudísti, Dómine, oratiónem servi tui, ut

ædificárem templum nómini tuo : * Bénedic et sanctifica domum istam in sempitérnum, Deus Israël. ℣. Dómine, qui custódis pactum cum servis tuis, qui ámbulant coram te in toto corde suo. — Bénedic.

In Octavis et Festis ritus simplicis : Glória Patri. Bénedic.

Lectio iii Cap. 11, 40-43

VOluit ergo Sálomon interficere Jeróboam, qui surréxit et aufúgit in Ægýptum ad Sesac regem Ægýpti et fuit in Ægýpto usque ad mortem Salomónis. Réliquum autem verbórum Salomónis et ómnia quæ fecit, et sapiéntia ejus, ecce univérsa scripta sunt in libro verbórum diérum Salomónis. Dies autem, quos regnávit Sálomon in Jerúsalem super omnem Israël, quadragínta anni sunt. Dormivítque Sálomon cum pátribus suis et sepúltus est in civitáte David patris sui regnavítque Róboam fílius ejus pro eo.

℟. Audi, Dómine, hymnum et oratiónem, quam servus tuus orat coram te hódie : ut sint óculi tui apérti, et aures tuæ inténtæ, * Super domum istam die ac nocte. ℣. Réspice, Dómine, de sanctuário tuo, et de excélso cælórum habitáculo. — Super. Glória Patri. Super.

FERIA QUINTA

De libro tértio Regum

Lectio i Cap. 12, 1-8

VEnit autem Róboam in Sichem; illuc enim congregátus erat omnis Israël ad constituéndum eum regem. At vero Jeróboam fílius Nabat, cum adhuc esset in Ægýpto prófugus a fácie regis Salomónis, audíta morte ejus, revérsus est de Ægýpto. Miserúntque et vocavérunt eum. Venit ergo Jeróboam et omnis multitúdo Israël, et locúti sunt ad Róboam dicéntes : Pater tuus duríssimum jugum impósuit nobis; tu ítaque nunc imminue páulum de império patris tui durissimo et de jugo gravíssimo, quod impósuit nobis, et serviémus tibi. Qui ait eis : Ite usque ad tértium diem, et revertímini ad me.

℟. Præparáte corda vestra Dómino, et servíte illi soli : * Et liberábit vos de mánibus inimicórum vestrórum. ℣. Convertímini ad eum in toto corde vestro, et auférte deos aliénos de médio vestri. — Et liberábit.

Lectio ii

GUmque abiísset pópulus, íniit consílium rex Róboam cum senióribus, qui assistébant coram Salomóne patre ejus, cum adhuc víveret, et ait : Quod datis mihi consílium ut respóndeam pópulo huic? Qui dixérunt ei : Si hódie obedíeris pópulo huic et servíeris et petitióni eórum césseris locutúsque fúeris ad eos verba lénia, erunt tibi servi cunctis diébus. Qui derelíquit consílium senum, quod déderant ei, et adhíbuit adolescéntes, qui nutríti fúerant cum eo et assistébant illi.

℟. Deus ómnium exaudítor est : ipse misit Angelum suum, et tulit me de óvibus patris mei; * Et unxit me unctióne misericórdiæ suæ. ℣. Dóminus, qui erípuit me de ore leónis, et de manu béstiæ liberávit me. — Et.

In Octavis et Festis ritus simplicis : Glória Patri. Et.

Lectio iii Cap. 12, 13-16

REspondítque rex pópulo dura, derelícto consílio seniórum quod ei déderant, et locútus est eis secúndum consílium júvenum dicens : Pater meus aggravávit jugum vestrum, ego autem addam jugo vestro; pater meus cecídit vos flagéllis, ego autem cædam vos scorpiónibus. Et non acquiévit rex pópulo, quóniam aversátus fúerat eum Dóminus,ut suscitáret verbum suum, quod locútus fúerat in manu Ahíæ Silonítæ ad Jeróboam fílium Nabat. Videns ítaque pópulus, quod noluísset eos audíre rex, respóndit ei dicens : Quæ nobis pars in David? vel quæ heréditas in fílio Isaï?

℟. Dóminus, qui erípuit me de ore leónis, et de manu béstiæ liberávit me, * Ipse me erípiet de mánibus inimicórum meórum. ℣. Misit Deus misericórdiam suam et veritátem suam : ánimam meam erípuit de médio catulórum leónum. — Ipse. Glória Patri. Ipse.

FERIA SEXTA

De libro tértio Regum

Lectio i Cap. 14, 5-12

DIxit autem Dóminus ad Ahíam : Ecce uxor Jeróboam ingréditur ut cónsulat te super fílio suo, qui ægrótat : hæc et hæc loquéris ei. Cum ergo illa intráret et dissimuláret se esse quæ erat, audívit Ahías sónitum pedum ejus introeúntis per óstium et ait : Ingrédere, uxor Jeróboam; quare áliam te esse

símulas? Ego autem missus sum ad te durus núntius.

℟. Percússit Saul mille, et David decem míllia : * Quia manus Dómini erat cum illo, percússit Philisthæum, et ábstulit oppróbrium ex Israël. ℣. Nonne iste est David, de quo canébant in choro, dicéntes : Saul percússit mille, et David decem míllia? — Quia.

Lectio ii

VAde et dic Jeróboam : Hæc dicit Dóminus, Deus Israël : Quia exaltávi te de médio pópuli et dedi te ducem super pópulum meum Israël et scidi regnum domus David et dedi illud tibi, et non fuísti sicut servus meus David, qui custodívit mandáta mea et secútus est me in toto corde suo, fáciens quod plácitum esset in conspéctu meo; sed operátus es mala super omnes, qui fuérunt ante te, et fecísti tibi deos aliénos et conflátiles, ut me ad iracúndiam provocáres; me autem projecísti post corpus tuum.

℟. Montes Gélboe, nec ros nec plúvia véniant super vos, * Ubi cecidérunt fortes Israël. ℣. Omnes montes, qui estis in circúitu ejus, vísitet Dóminus; a Gélboe autem tránseat. — Ubi.

In Octavis et Festis ritus simplicis : Glória Patri. Ubi.

Lectio iii

IDcírco ecce ego indúcam mala super domum Jeróboam et percútiam de Jeróboam mingéntem ad paríetem et clausum et novíssimum in Israël; et mundábo relíquias domus Jeróboam, sicut mundári solet fimus usque ad purum. Qui mórtui fúerint de Jeróboam in civitáte, cómedent eos canes; qui autem mórtui fúerint in agro, vorábunt eos aves cæli : quia Dóminus locútus est. Tu ígitur surge et vade in domum tuam, et in ipso intróitu pedum tuórum in urbem moriétur puer.

℟. Ego te tuli de domo patris tui, dicit Dóminus, et pósui te páscere gregem pópuli mei : * Et fui tecum in ómnibus, ubicúmque ambulásti, firmans regnum tuum in ætérnum. ℣. Fecíque tibi nomen grande, juxta nomen magnórum, qui sunt in terra : et réquiem dedi tibi ab ómnibus inimícis tuis. — Et. Glória Patri. Et.

SABBATO

De libro tértio Regum

Lectio i Cap. 18, 21-27

ACcédens autem Elías ad omnem pópulum ait : Usquequo claudicátis in duas partes? Si Dóminus est Deus, sequímini eum; si autem Baal, sequímini illum. Et non respóndit ei pópulus verbum. Et ait rursus Elías ad pópulum : Ego remánsi Prophéta Dómini solus, prophétæ autem Baal quadringénti et quinquagínta viri sunt.

℟. Peccávi super número arénæ maris, et multiplicáta sunt peccáta mea; et non sum dignus vidére altitúdinem cæli præ multitúdine iniquitátis meæ : quóniam irritávi iram tuam, * Et malum coram te feci. ℣. Quóniam iniquitátem meam ego cognósco : et delíctum meum contra me est semper, quia tibi soli peccávi. — Et.

Lectio ii

DEntur nobis duo boves; et illi éligant sibi bovem unum, et in frustra cǽdentes ponant super ligna, ignem autem non suppónant; et ego fáciam bovem álterum et impónam super ligna, ignem autem non suppónam. Invocáte nómina deórum vestrórum et ego invocábo nomen Dómini mei; et Deus, qui exaudíerit per ignem, ipse sit Deus. Respóndens omnis pópulus ait : Optima propositio.

℟. Exaudísti, Dómine, oratiónem servi tui, ut ædificárem templum nómini tuo : * Bénedic et sanctífica domum istam in sempitérnum, Deus Israël. ℣. Dómine, qui custódis pactum cum servis tuis, qui ámbulant coram te in toto corde suo. — Bénedic.

In Octavis simplicibus et in Officio S. Mariæ in Sabbato : Glória Patri. Bénedic.

Lectio iii

DIxit ergo Elías prophétis Baal : Elígite vobis bovem unum et fácite primi, quia vos plures estis, et invocáte nómina deórum vestrórum, ignémque non supponátis. Qui, cum tulíssent bovem quem déderat eis, fecérunt, et invocábant nomen Baal de mane usque ad merídiem dicéntes : Baal, exáudi nos. Et non erat vox, nec qui respondéret. Transiliebántque altáre quod fécerant. Cumque esset jam merídies, illudébat illis Elías dicens : Clamáte voce majóre.

℟. Audi, Dómine, hymnum et oratiónem, quam servus tuus orat coram te hódie : ut sint óculi tui

apérti, et aures tuæ inténtæ, * Super domum istam die ac nocte. ℣. Réspice, Dómine, de sanctuário tuo, et de excélso cælórum habitáculo. — Super. Glória Patri. Super.

AD VESPERAS

℣. Vespertína orátio ascéndat ad te, Dómine. ℟. Et descéndat super nos misericórdia tua.

Ad Magnif. Ant. Dum tólleret Dóminus * Elíam per túrbinem in cælum, Eliséus clamábat : Pater mi, currus Israël, et auríga ejus.

Oratio

PAteant aures misericórdiæ tuæ, Dómine, précibus supplicántium : et, ut peténtibus desideráta concédas; fac eos, quæ tibi sunt plácita, postuláre. Per Dóminum.

DOMINICA IX
POST PENTECOSTEN
Semiduplex

In I Nocturno

Incipit liber quartus Regum

Lectio i Cap. 1, 1-10

RÆvaricátus est autem Moab in Israël, postquam mórtuus est Achab. Cecidítque Ochozias per cancéllos cœnáculi sui, quod habébat in Samaría, et ægrotávit; misítque núntios dicens ad eos : Ite, consúlite Beélzebub deum Accaron, utrum vívere queam de infirmitáte mea hac. Angelus autem Dómini locútus est ad Elíam Thesbíten dicens : Surge et ascénde in occúrsum nuntiórum regis Samaríæ et dices ad eos : Numquid non est Deus in Israël, ut eátis ad consuléndum Beélzebub deum Accaron? Quam ob rem hæc dicit Dóminus : De léctulo, super quem ascendísti, non descéndes, sed morte moriéris.

℟. Præparáte corda vestra Dómino, et servíte illi soli : * Et liberábit vos de mánibus inimicórum vestrórum. ℣. Convertímini ad eum in toto corde vestro, et auférte deos aliénos de médio vestri. — Et.

Lectio ii

ET ábiit Elías. Reversíque sunt núntii ad Ochoziam. Qui dixit eis : Quare revérsi estis? At illi respondérunt ei : Vir occúrrit nobis et dixit ad nos : Ite et revertímini ad regem, qui misit vos, et dicétis ei : Hæc dicit Dóminus : Numquíd quia non erat Deus in Israël, mittis ut consulátur Beélzebub deus Accaron? Idcírco de

léctulo, super quem ascendísti, non descéndes, sed morte moriéris.

℟. Deus ómnium exaudítor est : ipse misit Angelum suum, et tulit me de óvibus patris mei; * Et unxit me unctióne misericórdiæ suæ. ℣. Dóminus, qui erípuit me de ore leónis, et de manu béstiæ liberávit me. — Et.

Lectio iii

QUI dixit eis : Cujus figúræ et hábitus est vir ille, qui occúrrit vobis et locútus est verba hæc? At illi dixérunt : Vir pilósus et zona pellicea accínctus rénibus. Qui ait : Elías Thesbítes est. Misítque ad eum quinquagenárium príncipem et quinquagínta qui erant sub eo. Qui ascéndit ad eum sedentíque in vértice montis ait : Homo Dei, rex præcépit ut descéndas. Respondénsque Elías dixit quinquagenário : Si homo Dei sum, descéndat ignis de cælo, et dévoret te et quinquagínta tuos. Descéndit ítaque ignis de cælo, et devorávit eum et quinquagínta qui erant cum eo.

℟. Dóminus, qui erípuit me de ore leónis, et de manu béstiæ liberávit me, * Ipse me erípiet de mánibus inimicórum meórum. ℣. Misit Deus misericórdiam suam et veritátem suam : ánimam meam erípuit de médio catulórum leónum. — Ipse. Glória Patri. Ipse.

In II Nocturno

Sermo sancti Augustíni Epíscopi

Sermo 201 de Tempore

Lectio iv

IN lectiónibus, quæ nobis diébus istis recitántur, fratres caríssimi, frequénter admónui, ut non sequámur lítteram occidéntem, et vivificántem spíritum relinquámus. Sic enim Apóstolus ait : Líttera enim occídit, spíritus vivíficat. Si enim hoc tantum vólumus intellígere, quod sonat in líttera, aut parvam, aut prope nullam ædificatiónem de divínis lectiónibus capiémus. Illa enim ómnia, quæ recitántur, typus erant et imágo futurórum. In Judæis enim figuráta, in nobis, grátia Dei donánte, completa sunt.

℟. Percússit Saul mille, et David decem míllia : * Quia manus Dómini erat cum illo, percússit Philisthæum, et ábstulit oppróbrium ex Israël. ℣. Nonne iste est David, de quo canébant in choro, dicéntes : Saul percússit mille, et David decem míllia? — Quia.

Lectio v

BEátus enim Elías typum hábuit Dómini Salvatóris. Sicut enim Elías a Judæis persecutiónem passus est : ita et verus Elías, Dóminus noster, ab ipsis Judæis reprobátus est et contémptus. Elías relíquit gentem suam : et Christus derúit synagógam. Elías ábiit in desértum : et Christus venit in mundum. Elías in desérto corvis ministrántibus pascebátur : et Christus in desérto mundi hujus géntium fide refícitur.

℟. Montes Gélboe, nec ros nec plúvia véniant super vos, * Ubi cecidérunt fortes Israël. ℣. Omnes montes, qui estis in circúitu ejus, vísitet Dóminus; a Gélboe autem tránseat. — Ubi.

Lectio vi

GOrvi enim illi, qui beáto Elíæ, jubénte Dómino, ministrábant, géntium pópulum figurábant. Proptérea et de géntium Eccléisia dícitur : Nigra sum et formósa, filia Jerúsalem. Unde est Ecclésia nigra et formósa? Nigra per natúram, formósa per grátiam. Unde nigra? Ecce in iniquitátibus concéptus sum, et in delíctis péperit me mater mea. Unde formósa? Aspérges me hyssópo, et mundábor : lavábis me, et super nivem dealbábor.

℟. Ego te tuli de domo patris tui, dicit Dóminus, et pósui te páscere gregem pópuli mei : * Et fui tecum in ómnibus, ubicúmque ambulásti, firmans regnum tuum in ætérnum. ℣. Fecíque tibi nomen grande, juxta nomen magnórum, qui sunt in terra : et réquiem dedi tibi ab ómnibus inimícis tuis. — Et. Glória Patri. Et.

℟. vii Peccávi et ℟. viii Duo Séraphim, ut infra in Homiliis.

FERIA SECUNDA

De libro quarto Regum

Lectio i Cap. 2, 5-13

ACcessérunt fílii prophetárum qui erant in Jéricho ad Eliséum et dixérunt ei : Numquid nosti quia Dóminus hódie tollet dóminum tuum a te? Et ait : Et ego novi : siléte. Dixit autem ei Elías : Sede hic, quia Dóminus misit me usque ad Jordánem. Qui ait : Vivit Dóminus, et vivit ánima tua, quia non derelínquam te. Iérunt ígitur ambo páriter. Et quinquagínta viri de fíliis prophetárum secúti sunt eos, qui et steterunt e contra longe; illi autem ambo stabant super Jordánem.

℟. Recordáre, Dómine, testaménti tui, et dic Angelo percutiénti : Cesset jam manus tua, * Ut non desolétur terra, et ne perdas omnem ánimam vivam. ℣. Ego sum qui peccávi, ego qui iníque egi : isti qui oves sunt, quid fecérunt? Avertátur, obsecro, furor tuus, Dómine, a pópulo tuo. — Ut.

Lectio ii

TUlítque Elías pállium suum et invólvit illud et percússit aquas, quæ divísæ sunt in utrámque partem, et transiérunt ambo per siccum. Cumque transíssent, Elías dixit ad Eliséum : Póstula quod vis ut fáciam tibi, ántequam tollar a te. Dixítque Eliséus : Obsecro ut fiat in me duplex spíritus tuus. Qui respóndit : Rem difficilem postulásti : áttamen si víderis me, quando tollar a te, erit tibi quod petísti; si autem non víderis, non erit.

℟. Exaudísti, Dómine, oratiónem servi tui, ut ædificárem templum nómini tuo : * Bénedic et sanctífica domum istam in sempitérnum, Deus Israël. ℣. Dómine, qui custódis pactum cum servis tuis, qui ámbulant coram te in toto corde suo. — Bénedic.

In Octavis et Festis ritus simplicis : Glória Patri. Bénedic.

Lectio iii

CUmque pérgerent, et incedéntes sermocinaréntur, ecce currus ígneus et equi ígnei divisérunt utrúmque; et ascéndit Elías per túrbinem in cælum. Eliséus autem vidébat et clamábat : Pater mi, pater mi, currus Israël et auríga ejus. Et non vidit eum ámplius. Apprehendítque vestiménta sua et scidit illa in duas partes. Et levávit pállium Elíæ, quod ecciderat ei. Reversúsque stetit super ripam Jordánis.

℟. Audi, Dómine, hymnum et oratiónem, quam servus tuus orat coram te hódie : ut sint óculi tui apérti, et aures tuæ intentæ, * Super domum istam die ac nocte. ℣. Réspice, Dómine, de sanctuário tuo, et de excélso cælórum habitáculo. — Super. Glória Patri. Super.

FERIA TERTIA

De libro quarto Regum

Lectio i Cap. 3, 6-18

EGréssus est ígitur rex Joram in die illa de Samaría et recénsuit uni-

vérsum Israël. Misítque ad Jósaphat regem Juda dicens : Rex Moab recéssit a me; veni mecum contra eum ad prælium. Qui respóndit : Ascéndam : qui meus est, tuus est; pópulus meus pópulus tuus, et equi mei equi tui. Dixítque : Per quam viam ascendémus? At ille respóndit : Per desértum Idumææ. Perrexérunt ígitur rex Israël et rex Juda et rex Edom et circuiérunt per viam septem diérum; nec erat aqua exercítui et juméntis, quæ sequebántur eos.

℟. Dómine, si convérsus fúerit pópulus tuus, et oráverit ad sanctuárium tuum : * Tu exáudies de cælo, Dómine, et líbera eos de mánibus inimicórum suórum. ℣. Si peccáverit in te pópulus tuus, et convérsus égerit pœniténtiam, veniénsque oráverit in isto loco. — Tu.

Lectio ii

DIxítque rex Israël : Heu, heu, heu : congregávit nos Dóminus tres reges, ut tráderet in manus Moab. Et ait Jósaphat : Estne hic Prophéta Dómini, ut deprecémur Dóminum per eum? Et respóndit unus de servis regis Israël : Est hic Eliséus fílius Saphat, qui fundébat aquam super manus Elíæ. Et ait Jósaphat : Est apud eum sermo Dómini. Descendítque ad eum rex Israël, et Jósaphat rex Juda, et rex Edom. Dixit autem Eliséus ad regem Israël : Quid mihi et tibi est? Vade ad prophétas patris tui et matris tuæ.

℟. Factum est, dum tólleret Dóminus Elíam per túrbinem in cælum, * Eliséus clamábat, dicens : Pater mi, pater mi, currus Israël, et auríga ejus. ℣. Cumque pérgerent, et incedéntes sermocinaréntur, ecce currus ígneus et equi ígnei divisérunt utrúmque, et ascéndit Elías per túrbinem in cælum. — Eliséus.

In Octavis et Festis ritus simplicis : Glória Patri. Eliséus.

Lectio iii

ET ait illi rex Israël : Quare congregávit Dóminus tres reges hos, ut tráderet eos in manus Moab? Dixítque ad eum Eliséus : Vivit Dóminus exercítuum, in cujus conspéctu sto, quod, si non vultum Jósaphat regis Judæ erubéscerem, non attendíssem quidem te, nec respexíssem. Nunc autem addúcite mihi psaltem. Cumque cáneret psaltes, facta est super eum manus Dómini, et ait : Hæc dicit

Dóminus : Fácite álveum torréntis hujus fossas et fossas; hæc enim dicit Dóminus : Non vidébitis ventum neque plúviam, et álveus iste replébitur aquis, et bibétis vos et famíliæ vestræ et juménta vestra. Parúmque est hoc in conspéctu Dómini; ínsuper tradet étiam Moab in manus vestras.

℟. Ego te tuli de domo patris tui, dicit Dóminus, et pósui te páscere gregem pópuli mei : * Et fui tecum in ómnibus, ubicúmque ambulásti, firmans regnum tuum in ætérnum. ℣. Fecíque tibi nomen grande, juxta nomen magnórum, qui sunt in terra : et réquiem dedi tibi ab ómnibus inimícis tuis. — Et. Glória Patri. Et.

FERIA QUARTA

De libro quarto Regum

Lectio i Cap. 4, 1-17

MUlier autem quædam de uxóribus prophetárum clamábat ad Eliséum dicens : Servus tuus vir meus mórtuus est, et tu nosti quia servus tuus fuit timens Dóminum; et ecce créditor venit ut tollat duos fílios meos ad serviéndum sibi. Cui dixit Eliséus : Quis vis ut fáciam tibi? Dic mihi, quid habes in domo tua? At illa respóndit : Non hábeo ancílla tua quidquam in domo mea nisi parum ólei, quo ungar. Cui ait : Vade, pete mútuo ab ómnibus vicínis tuis vasa vácua non pauca; et ingrédere et claude óstium tuum, cum intrínsecus fúeris tu et fílii tui, et mitte inde in ómnia vasa hæc; et, cum plena fúerint, tolles.

℟. Peccávi super número rum arénæ maris, et multiplicáta sunt peccáta mea; et non sum dignus vidére altitúdinem cæli præ multitúdine iniquitátis meæ : quóniam irritávi iram tuam, * Et malum coram te feci. ℣. Quóniam iniquitátem meam ego cognósco : et delíctum meum contra me est semper, quia tibi soli peccávi. — Et.

Lectio ii

IVit ítaque múlier et clausit óstium super se et super fílios suos; illi offerébant vasa, et illa infundébat. Cumque plena fuíssent vasa, dixit ad fílium suum : Affer mihi adhuc vas. Et ille respóndit : Non hábeo. Stetítque óleum. Venit autem illa et indicávit hómini Dei. Et ille, Vade, inquit, vende óleum et redde creditóri tuo; tu autem et fílii tui vívite de réliquo.

Facta est autem quædam dies, et transibat Eliséus per Sunam. Erat autem ibi múlier magna, quæ ténuit eum ut coméderet panem; cumque frequénter inde transíret, divertébat ad eam ut coméderet panem. Quæ dixit ad virum suum : Animadvérto quod vir Dei sanctus est iste, qui transit per nos frequénter : faciámus ergo ei cœnáculum parvum et ponámus ei in eo léctulum, et mensam et sellam et candelábrum, ut, cum vénerit ad nos, máneat ibi.

℟. Exaudísti, Dómine, oratiónem servi tui, ut ædificárem templum nómini tuo : * Bénedic et sanctifica domum istam in sempitérnum, Deus Israël. ℣. Dómine, qui custódis pactum cum servis tuis, qui ámbulant coram te in toto corde suo. — Bénedic.

In Octavis et Festis ritus simplicis : Glória Patri. Bénedic.

Lectio iii

FActa est ergo dies quædam, et véniens divértit in cœnáculum et requiévit ibi. Dixítque ad Giézi púerum suum : Voca Sunamitidem istam. Qui, cum vocásset eam et illa stetisset coram eo, dixit ad púerum suum : Lóquere ad eam : Ecce sédule in ómnibus ministrásti nobis, quid vis ut fáciam tibi? Numquid habes negótium et vis ut loquar regi sive principi milítiæ? Quæ respóndit : In médio pópuli mei hábito. Et ait : Quid ergo vult ut fáciam ei? Dixítque Giézi : Ne quæras, fílium enim non habet, et vir ejus senex est. Præcépit ítaque ut vocáret eam; quæ cum vocáta fuísset et stetísset ante óstium, dixit ad eam : In témpore isto et in hac eádem hora, si vita comes fúerit, habébis in útero fílium. At illa respóndit : Noli, quæso, dómine mi, vir Dei, noli mentíri ancillæ tuæ. Et concépit múlier et péperit fílium in témpore et in hora eádem, qua dixérat Eliséus.

℟. Audi, Dómine, hymnum et oratiónem, quam servus tuus orat coram te hódie : ut sint óculi tui apérti, et aures tuæ inténtæ, * Super domum istam die ac nocte. ℣. Réspice, Dómine, de sanctuário tuo, et de excélso cælórum habitáculo. — Super. Glória Patri. Super.

FERIA QUINTA

De libro quarto Regum

Lectio i Cap. 6, 24-33; 7, 1

COngregávit Bénadad rex Sýriæ univérsum exércitum suum et ascén-

dit et obsidébat Samaríam. Fáctaque est fames magna in Samaria, et támdiu obséssa est, donec venumdarétur caput ásini octogínta argénteis, et quarta pars cabi stércoris columbárum quinque argénteis. Cumque rex Israël transíret per murum, múlier quædam exclamávit ad eum dicens : Salva me, dómine mi rex. Qui ait : Non te salvat Dóminus, unde possum salváre? de área vel de torculári?

℟. Præparáte corda vestra Dómino, et servíte illi soli : * Et liberábit vos de mánibus inimicórum vestrórum. ℣. Convertímini ad eum in toto corde vestro, et auférte deos aliénos de médio vestri. — Et.

Lectio ii

Dixítque ad eam rex : Quid tibi vis? Quæ respóndit : Múlier ista dixit mihi : Da fílium tuum ut comedámus eum hódie, et fílium meum comedémus cras. Cóximus ergo fílium meum et comédimus; dixíque ei die áltera : Da fílium tuum ut comedámus eum; quæ abscóndit fílium suum. Quod cum audísset rex, scidit vestiménta sua, et transíbat per murum; vidítque omnis pópulus cilícium, quo vestítus erat ad carnem intrínsecus. Et ait rex : Hæc mihi fáciat Deus et hæc addat, si stéterit caput Eliséi fílii Saphat super ipsum hódie. Eliséus autem sedébat in domo sua, et senes sedébant cum eo.

℟. Deus ómnium exaudítor est : ipse misit Angelum suum, et tulit me de óvibus patris mei; * Et unxit me unctióne misericórdiæ suæ. ℣. Dóminus, qui erípuit me de ore leónis, et de manu béstiæ liberávit me. — Et.

In Octavis et Festis ritus simplicis : Glória Patri. Et.

Lectio iii

Præmísit ítaque virum; et ántequam veníret núntius ille, dixit ad senes : Numquid scitis quod míserit fílius homicídæ hic ut præcidátur caput meum? Vidéte ergo, cum vénerit núntius, cláudite óstium et non sinátis eum introíre; ecce enim sónitus pedum dómini ejus post eum est. Adhuc illo loquénte eis, appáruit núntius qui veniébat ad eum. Et ait : Ecce tantum malum a Dómino est; quid ámplius exspectábo a Dómino? Dixit autem Eliséus : Audíte verbum Dómini : hæc dicit Dóminus : In témpore hoc cras módius

símilæ uno statére erit, et duo módii hórdei statére uno in porta Samaríæ.

℟. Dóminus, qui erípuit me de ore leónis, et de manu béstiæ liberávit me, * Ipse me erípiet de mánibus inimicórum meórum. ℣. Misit Deus misericórdiam suam et veritátem suam : ánimam meam erípuit de médio catulórum leónum. — Ipse. Glória Patri. Ipse.

FERIA SEXTA

De libro quarto Regum

Lectio i Cap. 8, 1-10

GLiséus autem locútus est ad mulíerem, cujus vívere fécerat fílium, dicens : Surge, vade tu et domus tua et peregrináre ubicúmque repéreris; vocávit enim Dóminus famem, et véniet super terram septem annis. Quæ surréxit et fecit juxta verbum hóminis Dei; et vadens cum domo sua peregrináta est in terra Philísthiim diébus multis. Cumque finíti essent anni septem, revérsa est múlier de terra Philísthiim et egréssa est ut interpellárет regem pro domo sua et pro agris suis.

℟. Percússit Saul mille, et David decem míllia : * Quia manus Dómini erat cum illo, percússit Philisthæum, et ábstulit oppróbrium ex Israël. ℣. Nonne iste est David, de quo canébant in choro dicéntes : Saul percússit mille, et David decem míllia? — Quia.

Lectio ii

REX autem loquebátur cum Giézi púero viri Dei dicens : Narra mihi ómnia magnália, quæ fecit Eliséus. Cumque ille narráret regi quómodo mórtuum suscitásset, appáruit múlier, cujus vivificáverat fílium, clamans ad regem pro domo sua et pro agris suis. Dixítque Giézi : Dómine mi rex, hæc est múlier, et hic est fílius ejus quem suscitávit Eliséus. Et interrogávit rex mulíerem, quæ narrávit ei, dedítque ei rex eunúchum unum dicens : Restítue ei ómnia quæ sua sunt et univérsos réditus agrórum a die qua relíquit terram usque ad præsens.

℟. Montes Gélboe, nec ros nec plúvia véniant super vos, * Ubi cecidérunt fortes Israël. ℣. Omnes montes, qui estis in circúitu ejus, vísitet Dóminus; a Gélboe autem tránseat. — Ubi.

In Octavis et Festis ritus simplicis : Glória Patri. Ubi.

Lectio iii

VEnit quoque Eliséus Damáscum, et Bénadad rex Sýriæ ægrotábat. Nuntiavertúntque ei dicéntes : Venit vir Dei huc. Et ait rex ad Házaël : Tolle tecum múnera et vade in occúrsum viri Dei et cónsule Dóminum per eum dicens : Si evádere pótero de infirmitáte mea hac? Ivit ígitur Házaël in occúrsum ejus. Cumque stetísset coram eo, ait : Fílius tuus Bénadad rex Sýriæ misit me ad te dicens : Si sanári pótero de infirmitáte mea hac? Dixítque ei Eliséus : Vade, dic ei : Sanáberis. Porro osténdit mihi Dóminus quia morte moriétur.

℟. Ego te tuli de domo patris tui, dicit Dóminus, et pósui te páscere gregem pópuli mei : * Et fui tecum in ómnibus, ubicúmque ambulásti, firmans regnum tuum in ætérnum. ℣. Fecíque tibi nomen grande, juxta nomen magnórum, qui sunt in terra : et réquiem dedi tibi ab ómnibus inimícis tuis. — Et. Glória Patri. Et fui tecum.

SABBATO

De libro quarto Regum

Lectio i Cap. 9, 1-13

GLiséus autem prophétes vocávit unum de fíliis prophetárum et ait illi : Accínge lumbos tuos et tolle lentículam ólei hanc in manu tua et vade in Ramoth Gálaad. Cumque véneris illuc, vidébis Jehu fílium Jósaphat fílii Namsi; et ingréssus suscitábis eum de médio fratrum suórum et introdúces in intérius cubículum. Tenénsque lentículam ólei fundes super caput ejus et dices : Hæc dicit Dóminus : Unxi te regem super Israël. Aperiésque óstium et fúgies et non ibi subsístes. Abiit ergo adoléscens puer prophétæ in Ramoth Gálaad et ingréssus est illuc : ecce autem príncipes exércitus sedébant, et ait : Verbum mihi ad te, o princeps. Dixítque Jehu : Ad quem ex ómnibus nobis? At ille dixit : Ad te, o princeps.

℟. Peccávi super número rum arénæ maris, et multiplicáta sunt peccáta mea; et non sum dignus vidére altitúdinem cæli præ multitúdine iniquitátis meæ : quóniam irritávi iram tuam, * Et malum coram te feci. ℣. Quóniam iniquitátem meam ego cognósco :

et delíctum meum contra me est semper, quia tibi soli peccávi. — Et.

Lectio ii

ET surréxit et ingréssus est cubículum; at ille fudit óleum super caput ejus et ait : Hæc dicit Dóminus Deus Israël : Unxi te regem super pópulum Dómini Israël, et percúties domum Achab dómini tui, et ulcíscar sánguinem servórum meórum prophetárum et sánguinem ómnium servórum Dómini de manu Jézabel. Perdámque omnem domum Achab et interfíciam de Achab mingéntem ad paríetem et clausum et novíssimum in Israël. Et dabo domum Achab sicut domum Jeróboam fílii Nabat, et sicut domum Báasa fílii Ahía. Jézabel quoque cómedent canes in agro Jézrahel, nec erit qui sepéliat eam. Aperuítque óstium et fugit.

℟. Exaudísti, Dómine, oratiónem servi tui, ut ædificárem templum nómini tuo : * Bénedic et sanctifica domum istam in sempitérnum, Deus Israël. ℣. Dómine, qui custódis pactum cum servís tuis, qui ámbulant coram te in toto corde suo. — Bénedic.

In Octavis simplicibus et in Officio S. Mariæ in Sabbato : Glória Patri. Bénedic.

Lectio iii

JEhu autem egréssus est ad servos dómini sui, qui dixérunt ei : Recte ne sunt ómnia? quid venit insánus iste ad te? Qui ait eis : Nostis hóminem, et quid lócutus sit. At illi respondérunt : Falsum est, sed magis narra nobis. Qui ait eis : Hæc et hæc locútus est mihi, et ait : Hæc dicit Dóminus : Unxi te regem super Israël. Festinavérunt ítaque et unusquísque tollens pállium suum posuérunt sub pédibus ejus in similitúdinem tribunális et cecinérunt tuba atque dixérunt : Regnávit Jehu.

℟. Audi, Dómine, hymnum et oratiónem, quam servus tuus orat coram te hódie : ut sint óculi tui apérti, et aures tuæ inténtæ, * Super domum istam die ac nocte. ℣. Réspice, Dómine, de sanctuário tuo, et de excélso cælórum habitáculo. — Super. Glória Patri. Super.

AD VESPERAS

℣. Vespertína orátio ascéndat ad te, Dómine. ℟. Et descéndat super nos misericórdia tua.

Ad Magnif. Ant. Fecit Joas * rectum coram Dómino cunctis diébus, quibus dócuit eum Jójada sacérdos.

Oratio

DEus, qui omnipoténtiam tuam parcéndo máxime et miserándo maniféstas : multíplica super nos misericórdiam tuam; ut ad tua promíssa curréntes, cæléstium bonórum fácias esse consórtes. Per Dóminum.

DOMINICA X
POST PENTECOSTEN

Semiduplex

In I Nocturno

De libro quarto Regum

Lectio i Cap. 9, 29-37

ANno undécimo Joram, fílii Achab, regnávit Ochozías super Judam, venítque Jehu in Jézrahel. Porro Jézabel, intróitu ejus audíto, depínxit óculos suos stíbio et ornávit caput suum et respéxit per fenéstram ingrediéntem Jehu per portam et ait : Numquid pax potest esse Zambri, qui interfécit dóminum suum? Levavítque Jehu fáciem suam ad fenéstram et ait : Quæ est ista? Et inclinavérunt se ad eum duo vel tres eunúchi. At ille dixit eis : Præcipitáte eam deórsum; et præcipitavérunt eam, aspersúsque est sánguine páries, et equórum úngulæ conculcavérunt eam. Cumque introgréssus esset ut coméderet biberétque, ait : Ite et vidéte maledíctam illam et sepelíte eam, quia fília regis est.

℟. Præparáte corda vestra Dómino, et servíte illi soli : * Et liberábit vos de mánibus inimicórum vestrórum. ℣. Convertímini ad eum in toto corde vestro, et auférte deos aliénos de médio vestri. — Et.

Lectio ii

CUmque issent ut sepelírent eam, non invenérunt nisi calváriam et pedes et summas manus. Reversíque nuntiavérunt ei. Et ait Jehu : Sermo Dómini est, quem locútus est per servum suum Elíam Thesbíten dicens : In agro Jézrahel cómedent canes carnes Jézabel, et erunt carnes Jézabel sicut stercus super fáciem terræ in agro Jézrahel, ita ut prætereúntes dicant : Hæccine est illa Jézabel? Erant autem Achab septuagínta fílii in Samária. Scripsit ergo Jehu lítteras et misit in Samaríam ad optimátes civitátis et ad majóres natu et ad nutrícios Achab dicens : Statim ut accéperitis lítteras has, qui habétis fílios dómini vestri et currus et equos et civitátes firmas et arma, elígite meliórem et eum qui vobis placúerit de fíliis dómini vestri et eum pónite super sólium patris sui et pugnáte pro domo dómini vestri.

℟. Deus ómnium exaudítor est : ipse misit Angelum suum, et tulit me de óvibus patris mei; * Et unxit me unctióne misericórdiæ suæ. ℣. Dóminus, qui erípuit me de ore leónis, et de manu béstiæ liberávit me. — Et.

Lectio iii

TImuérunt illi veheménter et dixérunt : Ecce duo reges non potuérunt stare coram eo, et quómodo nos valébimus resístere? Misérunt ergo præpósiti domus et præfécti civitátis et majóres natu et nutrícii ad Jehu dicéntes : Servi tui sumus : quæcúmque jússeris faciémus, nec constituémus nobis regem : quæcúmque tibi placent fac. Rescrípsit autem eis lítteras secúndo dicens : Si mei estis et obedítis mihi, tóllite cápita filiórum dómini vestri et veníte ad me hac eádem hora cras in Jézrahel. Porro fílii regis, septuagínta viri, apud optimátes civitátis nutriebántur. Cumque veníssent lítteræ ad eos, tulérunt fílios regis et occidérunt septuagínta viros et posuérunt cápita eórum in cóphinis et misérunt ad eum in Jézrahel.

℟. Dóminus, qui erípuit me de ore leónis, et de manu béstiæ liberávit me, * Ipse me erípiet de mánibus inimicórum meórum. ℣. Misit Deus misericórdiam suam et veritátem suam : ánimam meam erípuit de médio catulórum leónum. — Ipse. Glória Patri. Ipse.

In II Nocturno

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi

Homilia 25 in Epist. ad Romanos

Lectio iv

NON putémus nos excusatiónem habitúros, si quando delictórum sócios invenérimus : nam istud, supplícium magis augébit. Quandóquidem et serpens magis punítus est quam múlier, quemádmodum et múlier plus quam vir. Et Jézabel majóres pœnas dedit, quam Achab víneæ raptor; ipsa quippe univérsum istud negótium texúerat, regíque lapsus occasiónem déderat. Igitur et tu quoque, si réliquis perditiónis causa fúeris, gravióra patiéris quam qui per te subvérsi sunt.

Neque enim peccáre tantum in se perditiónis habet, quantum quod réliqui ad peccándum inducúntur.

℟. Percússit Saul mille, et David decem míllia : * Quia manus Dómini erat cum illo, percússit Philisthæum, et ábstulit oppróbrium ex Israël. ℣. Nonne iste est David, de quo canébant in choro, dicéntes : Saul percússit mille, et David decem míllia — Quia.

Lectio v

ITaque, si quando peccántes vidérimus, non solum non impellámus, sed et extrahámus ex ipso malítiæ bárathro, ne et aliénæ perditiónis pœnas demus. Recordémur quoque perpétuo terríbilis illíus tribunális, flúminis ígnei, vinculórum insolubílium, profundárum tenebrárum, stridórum déntium, venenosíque vermis. Sed dices : Benígnus est Deus. Ergo hæc ómnia verba sunt, et neque punítur dives ille Lázari contémptor, neque fátuæ vírgines a sponso rejiciúntur? Ergo qui Christum non pavérunt, in ignem diábolo præparátum non abíbunt? Ergo qui sórdidis est véstibus, non períbit, manus ac pedes vinctus? Qui centum denários a consérvo suo exégit, non tradétur tortóribus? Quod de mœchis dictum est, nimírum quod vermis eórum non moriétur, et ignis eórum non exstinguétur, verum non erit?

℟. Montes Gélboe, nec ros nec plúvia véniant super vos, * Ubi cecidérunt fortes Israël. ℣. Omnes montes, qui estis in circúitu ejus, vísitet Dóminus; a Gélboe autem tránseat. — Ubi.

Lectio vi

SED minátur ista tantúmmodo Deus? Utique, ínquies. Et unde, dic quæso, tantam rem audes públice loqui, atque ex teípso ferre sententiam? Ego quippe et ex iis quæ dixit Deus, et ex iis quæ fecit, contrárium probáre pótero. Quod si propter futúra non credis, vel saltem propter ea quæ jam facta sunt, crede. Non enim certe minæ sunt et verba tantúmmodo, quæ facta sunt et in opus ipsum exiérunt. Quis ígitur totum orbem indúcto dilúvio stagnávit, ac grave illud naufrágium, omnimodámque géneris nostri perditiónem effécit? Quis deínde fúlmina illa, télaque flammántia super terram Sodomórum demísit? Quis univérsum Ægýpti exércitum in mare demérsit? Quis synagógam Abíron combússit? Quis septuagínta illa míllia propter Davídis peccátum uno témporis moménto peste occídit? Nonne hæc ómnia et ália Deus illis íntulit?

℟. Ego te tuli de domo patris tui, dicit Dóminus, et pósui te páscere gregem pópuli mei : * Et fui tecum in ómnibus, ubicúmque ambulásti, firmans regnum tuum in ætérnum. ℣. Fecíque tibi nomen grande, juxta nomen magnórum, qui sunt in terra : et réquiem dedi tibi ab ómnibus inimícis tuis. — Et. Glória Patri. Et.

℟. vii Peccávi et ℟. viii Duo Séraphim, ut infra in Homiliis.

FERIA SECUNDA

De libro quarto Regum

Lectio i Cap. 11, 1-7

ATháliа vero, mater Ochozíæ, videns mórtuum fílium suum surréxit et interfécit omne semen régium. Tollens autem Jósaba fília regis Joram, soror Ochozíæ, Joas fílium Ochozíæ, furáta est eum de médio filiórum regis qui interficiebántur, et nutrícem ejus de triclínio et abscóndit eum a fácie Athaliæ, ut non interficerétur. Erátque cum ea sex annis clam in domo Dómini; porro Athalia regnávit super terram.

℟. Recordáre, Dómine, testaménti tui, et dic Angelo percutiénti : Cesset jam manus tua, * Ut non desolétur terra, et ne perdas omnem ánimam vivam. ℣. Ego sum qui peccávi, ego qui inique egi : isti qui oves sunt, quid fecérunt? Avertátur, óbsecro, furor tuus, Dómine, a pópulo tuo. — Ut.

Lectio ii

ANno autem séptimo misit Jójada, et assúmens centuriónes et míites introdúxit ad se in templum Dómini pepigítque cum eis fœdus; et adjúrans eos in domo Dómini osténdit eis fílium regis et præcépit illis dicens : Iste est sermo quem fácere debétis : tértia pars vestrum intróeat sábbato, et obsérvet excúbias domus regis; tértia autem pars sit ad portam Sur, et tértia pars sit ad portam, quæ est post habitáculum scutariórum, et custodiétis excúbias domus Messa. Duæ vero partes e vobis omnes egrediéntes sábbato custódiant excúbias domus Dómini circa regem.

℟. Exaudísti, Dómine, oratiónem servi tui, ut ædificárem templum nómini tuo : * Bénedic et sanctífica domum istam in sempitérnum, Deus Israël. ℣. Dómine, qui custódis pactum cum servis tuis, qui ámbulant coram te in toto corde suo. — Bénedic.

In Octavis et Festis ritus simplicis : Glória Patri. Bénedic.

Lectio iii Cap. 11, 9-12

ET assuméntes sínguli viros suos, qui ingrediebántur sábbatum, cum his qui egrediebántur sábbato, venérunt ad Jójadam sacerdótem, qui dedit eis hastas et arma regis David, quæ erant in domo Dómini. Et stetérunt sínguli habéntes arma in manu sua a parte templi déxtera usque ad partem sinístram altáris et ædis circum regem. Produxítque fílium regis et pósuit super eum diadéma et testimónium, fecerúntque eum regem et unxérunt et plaudéntes manu dixérunt : Vivat rex.

℟. Audi, Dómine, hymnum et oratiónem, quam servus tuus orat coram te hódie : ut sint óculi tui apérti, et aures tuæ inténtæ, * Super domum istam die ac nocte. ℣. Réspice, Dómine, de sanctuário tuo, et de excélso cælórum habitáculo. — Super. Glória Patri. Super.

FERIA TERTIA

De libro quarto Regum

Lectio i Cap. 12, 1-8

ANno séptimo Jehu regnávit Joas et quadragínta annis regnávit in Jerúsalem. Nomen matris ejus Sébia de Bersabée. Fecítque Joas rectum coram Dómino cunctis diébus, quibus dócuit eum Jójada sacérdos; verúmtamen excélsa non ábstulit; adhuc enim pópulus immolábat et adolébat in excélsis incénsum.

℟. Dómine, si convérsus fúerit pópulus tuus, et oráverit ad sanctuárium tuum : * Tu exáudies de cælo, Dómine, et líbera eos de mánibus inimicórum suórum. ℣. Si peccáverit in te pópulus tuus, et convérsus égerit pæniténtiam, veniénsque oráverit in isto loco. — Tu.

Lectio ii

DIxítque Joas ad sacerdótes : Omnem pecúniam sanctórum, quæ illáta fúerit in templum Dómini a prætereúntibus, quæ offértur pro prétio ánimæ, et quam sponte et arbítrio cordis sui ínferunt

in templum Dómini, accípiant illam sacerdótes juxta órdinem suum et instáurent sartatécta domus, si quid necessárium víderint instauratióne.

℟. Factum est, dum tólleret Dóminus Elíam per túrbinem in cælum, * Eliséus clamábat, dicens : Pater mi, pater mi, currus Israël, et auríga ejus. ℣. Cumque pérgerent, et incedéntes sermocinaréntur, ecce currus ígneus et equi ígnei divisérunt utrúmque, et ascéndit Elías per túrbinem in cælum. — Eliséus.

In Octavis et Festis ritus simplicis : Glória Patri. Eliséus.

Lectío iii

IGitur usque ad vigésimum tértium annum regis Joas non instauravérunt sacerdótes sartatécta templi. Vocavítque rex Joas Jójadam pontíficem et sacerdótes dicens eis : Quare sartatécta non instaurátis templi? Nolíte ergo ámplius accípere pecúniam juxta órdinem vestrum; sed ad instauratiónem templi réddite eam. Prohibítique sunt sacerdótes ultra accípere pecúniam a pópulo et instauráre sartatécta domus.

℟. Ego te tuli de domo patris tui, dicit Dóminus, et pósui te páscere gregem pópuli mei : * Et fui tecum in ómnibus, ubicúmque ambulásti, firmans regnum tuum in ætérnum. ℣. Fecíque tibi nomen grande, juxta nomen magnórum, qui sunt in terra : et réquiem dedi tibi ab ómnibus inimícis tuis. — Et. Glória Patri. Et.

FERIA QUARTA

De libro quarto Regum

Cap. 13, 14-21; 24-25

Lectio i

GLiséus autem ægrotábat infirmitáte, qua et mórtuus est; descendítque ad eum Jonas, rex Israël, et flebat coram eo dicebátque : Pater mi, pater mi, currus Israël et auríga ejus. Et ait illi Eliséus : Affer arcum et sagíttas. Cumque attulísset ad eum arcum et sagíttas, dixit ad regem Israël : Pone manum tuam super arcum. Et, cum posuísset ille manum suam, superpósuit Eliséus manus suas mánibus regis et ait : Aperi fenéstram orientálem. Cumque aperuísset, dixit Eliséus : Jace sagíttam. Et jecit. Et ait Eliséus : Sagítta salútis Dómini, et sagítta salútis contra Sýriam; percutiésque Sýriam in Aphec donec consúmas eam.

℟. Peccávi super número arénæ maris, et multiplicáta sunt peccáta mea; et non sum dignus vidére altitúdinem cæli præ multitúdine iniquitátis meæ : quóniam irritávi iram tuam, * Et malum coram te feci. ℣. Quóniam iniquitátem meam ego cognósco : et delíctum meum contra me est semper, quia tibi soli peccávi. — Et.

Lectio ii

ET ait : Tolle sagíttas. Qui cum tulísset, rursum dixit ei : Pércute jáculo terram. Et, cum percussísset tribus vícibus et stetísset, irátus est vir Dei contra eum et ait : Si percussísses quínquies aut séxies sive sépties, percussísses Sýriam usque ad consumptiónem; nunc autem tribus vícibus percúties eam. Mórtuus est ergo Eliséus, et sepeliérunt eum. Latrúnculi autem de Moab venérunt in terram in ipso anno.

℟. Exaudísti, Dómine, oratiónem servi tui, ut ædificárem templum nómini tuo : * Bénedic et sanctífica domum istam in sempitérnum, Deus Israël. ℣. Dómine, qui custódis pactum cum servis tuis, qui ámbulant coram te in toto corde suo. — Bénedic et sanctífica.

In Octavis et Festis ritus simplicis : Glória Patri. Bénedic.

Lectio iii

QUidam autem sepeliéntes hóminem vidérunt latrúnculos et projecérunt cadáver in sepúlcro Eliséi. Quod cum tetigisset ossa Eliséi, revixit homo et stetit super pedes suos. Mórtuus est autem Házael rex Sýriæ, et regnávit Bénadad fílius ejus pro eo. Porro Joas fílius Jóachaz tulit urbes de manu Bénadad fílii Házael, quas túlerat de manu Jóachaz patris sui jure prælii; tribus vícibus percússit eum Joas et réddidit civitátes Israël.

℟. Audi, Dómine, hymnum et oratiónem, quam servus tuus orat coram te hódie : ut sint óculi tui apérti, et aures tuæ inténtæ, * Super domum istam die ac nocte. ℣. Réspice, Dómine, de sanctuário tuo, et de excélso cælórum habitáculo. — Super. Glória Patri. Super.

FERIA QUINTA

De libro quarto Regum

Lectio i Cap. 17, 6-9

ANno autem nono Osée cepit rex Assyriórum Samaríam et tránstulit Israël in Assýrios posuítque eos in Hala et in Habor

juxta flúvium Gozan, in civitátibus Medórum. Factum est enim, cum peccássent fílii Israël Dómino Deo suo, qui edúxerat eos de terra Ægýpti, de manu Pharaónis regis Ægýpti, coluérunt deos aliénos. Et ambulavérunt juxta ritum géntium, quas consúmpserat Dóminus in conspéctu filiórum Israël et regum Israël, quia simíliter fécerant. Et offendérunt fílii Israël verbis non rectis Dóminum Deum suum, et ædificavérunt sibi excélsa in cunctis úrbibus suis.

℟. Præparáte corda vestra Dómino, et servíte illi soli : * Et liberábit vos de mánibus inimicórum vestrórum. ℣. Convertímini ad eum in toto corde vestro, et auférte deos aliénos de médio vestri. — Et.

Lectio ii Cap. 17, 13-15

ET testificátus est Dóminus in Israël et in Juda per manum ómnium prophetárum et vidéntium dicens : Revertímini a viis vestris péssimis et custodíte præcépta mea et cæremónias, juxta omnem legem, quam præcépi pátribus vestris, et sicut misi ad vos in manu servórum meórum prophetárum. Qui non audiérunt, sed induravérunt cervícem suam juxta cervícem patrum suórum, qui noluérunt obedíre Dómino, Deo suo; et abjecérunt legítima ejus et pactum, quod pépigit cum pátribus eórum, et testificatiónes, quibus contestátus est eos, secutíque sunt vanitátes et vane egérunt.

℟. Deus ómnium exaudítor est : ipse misit Angelum suum, et tulit me de óvibus patris mei; * Et unxit me unctióne misericórdiæ suæ. ℣. Dóminus, qui erípuit me de ore leónis, et de manu béstiæ liberávit me. — Et unxit me.

In Octavis et Festis ritus simplicis : Glória Patri. Et.

Lectio iii Cap. 17, 18-21

IRatúsque est Dóminus veheménter Israéli et ábstulit eos a conspéctu suo; et non remánsit nisi tribus Juda tantúmmodo. Sed nec ipse Juda custodívit mandáta Dómini Dei sui, verum ambulávit in erróribus Israël, quos operátus fúerat. Projecítque Dóminus omne semen Israël et afflíxit eos et trádidit eos in manu diripiéntium, donec projíceret eos a fácie sua ex eo jam témpore, quo scissus est Israël a domo David, et constituérunt sibi regem Jeróboam fílium Nabat.

℟. Dóminus, qui erípuit me de ore leónis, et de manu béstiæ liberávit me, * Ipse me erípiet de mánibus inimicórum meórum. ℣. Misit Deus misericórdiam suam et veritátem suam : ánimam meam erípuit de médio catulórum leónum. — Ipse. Glória Patri. Ipse.

FERIA SEXTA

De libro quarto Regum

Lectio i Cap. 17, 21-27

SEparávit Jeróboam Israël a Dómino et peccáre eos fecit peccátum magnum. Et ambulavérunt fílii Israël in univérsis peccátis Jeróboam quæ fécerat, et non recessérunt ab eis úsquequo Dóminus auférret Israël a fácie sua, sicut locútus fúerat in manu ómnium servórum suórum prophetárum; translatúsque est Israël de terra sua in Assýrios usque in diem hanc.

℟. Percússit Saul mille, et David decem míllia : * Quia manus Dómini erat cum illo, percússit Philisthæum, et ábstulit oppróbrium ex Israël. ℣. Nonne iste est David, de quo canébant in choro, dicéntes : Saul percússit mille, et David decem míllia? — Quia.

Lectio ii

ADdúxit autem rex Assyriórum de Babylóne et de Cutha et de Avah et de Emath et de Sephárvaim et collocávit eos in civitátibus Samaríæ pro fíliis Israël. Qui possedérunt Samaríam, et habitavérunt in úrbibus ejus. Cumque ibi habitáre cœpíssent, non timébant Dóminum, et immísit in eos Dóminus leónes, qui interficiébant eos.

℟. Montes Gélboe, nec ros nec plúvia véniant super vos, * Ubi cecidérunt fortes Israël. ℣. Omnes montes, qui estis in circúitu ejus, vísitet Dóminus; a Gélboe autem tránseat. — Ubi.

In Octavis et Festis ritus simplicis : Glória Patri. Ubi.

Lectio iii

NUntiatúmque est regi Assyriórum et dictum : Gentes, quas transtulísti et habitáre fecísti in civitátibus Samaríæ, ignórant legítima Dei terræ, et immísit in eos Dóminus leónes, et ecce interfíciunt eos, eo quod ignórent ritum Dei terræ. Præcépit autem rex Assyriórum dicens : Dúcite illuc unum de sacerdótibus, quos inde captívos adduxístis; et

vadat et hábitet cum eis et dóceat eos legítima Dei terræ.

℟. Ego te tuli de domo patris tui, dicit Dóminus, et pósui te páscere gregem pópuli mei : * Et fui tecum in ómnibus, ubicúmque ambulásti, firmans regnum tuum in ætérnum. ℣. Fecíque tibi nomen grande, juxta nomen magnórum, qui sunt in terra : et réquiem dedi tibi ab ómnibus inimícis tuis. — Et. Glória Patri. Et.

SABBATO

De libro quarto Regum

Lectio i Cap. 18, 1-12

ANno tértio Osée fílii Ela regis Israël regnávit Ezechías fílius Achaz regis Juda. Vigintiquínque annórum erat cum regnáre cœpísset, et vigintinóvem annis regnávit in Jerúsalem. Nomen matris ejus Abi fília Zacharíæ. Fecítque quod erat bonum coram Dómino juxta ómnia quæ fécerat David pater ejus. Ipse dissipávit excélsa et contrívit státuas et succídit lucos confregítque serpéntem æneum, quem fécerat Móyses : síquidem usque ad illud tempus fílii Israël adolébant ei incénsum : vocavítque nomen ejus Nohéstan. In Dómino Deo Israël sperávit.

℟. Peccávi super númerum arénæ maris, et multiplicáta sunt peccáta mea; et non sum dignus vidére altitúdinem cæli præ multitúdine iniquitátis meæ : quóniam irritávi iram tuam, * Et malum coram te feci. ℣. Quóniam iniquitátem meam ego cognósco : et delíctum meum contra me est semper, quia tibi soli peccávi. — Et.

Lectio ii

ITaque post eum non fuit símilis ei de cunctis régibus Juda, sed neque in his qui ante eum fuérunt. Et adhæsit Dómino et non recéssit a vestígiis ejus fecítque mandáta ejus, quæ præcéperat Dóminus Móysi. Unde et erat Dóminus cum eo, et in cunctis ad quæ procedébat, sapiénter se agébat. Rebellávit quoque contra regem Assyriórum et non servívit ei. Ipse percússit Philisthæos usque ad Gazam et omnes términos eórum, a turre custódum usque ad civitátem munítam.

℟. Exaudísti, Dómine, oratiónem servi tui, ut ædificárem templum nómini tuo : * Bénedic et sanctífica domum istam in sempitérnum, Deus Israël. ℣. Dómine, qui custódis

pactum cum servis tuis, qui ámbulant coram te in toto corde suo. — Bénedic et sanctífica domum istam in sempitérnum, Deus Israël.

In Octavis simplicibus et in Officio S. Mariæ in Sabbato : Glória Patri. Bénedic.

Lectio iii

ANno quarto regis Ezechiæ, qui erat annus séptimus Osée fílii Ela regis Israël, ascéndit Salmánasar rex Assyriórum in Samaríam et oppugnávit eam et cepit; nam post annos tres, anno sexto Ezechiæ, id est nono anno Osée regis Israël, capta est Samaria. Et tránstulit rex Assyriórum Israël in Assýrios, collocavítque eos in Hala et in Habor flúviis Gozan, in civitátibus Medórum, quia non audiérunt vocem Dómini Dei sui, sed prætergréssi sunt pactum ejus; ómnia, quæ præcéperat Móyses servus Dómini, non audiérunt neque fecérunt.

℟. Audi, Dómine, hymnum et oratiónem, quam servus tuus orat coram te hódie : ut sint óculi tui apérti, et aures tuæ inténtæ, * Super domum istam die ac nocte. ℣. Réspice, Dómine, de sanctuário tuo, et de excélso cælórum habitáculo. — Super. Glória Patri. Super.

AD VESPERAS

℣. Vespertína orátio ascéndat ad te, Dómine. ℟. Et descéndat super nos misericórdia tua.

Ad Magnif. Ant. Obsecro, Dómine : * meménto, quæso, quómodo ambulávérim coram te in veritáte et in corde perfécto et quod plácitum est coram te fécerim.

Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, qui abundántia pietátis tuæ, et mérita súpplicum excédis et vota : effúnde super nos misericórdiam tuam; ut dimíttas quæ consciéntia métuit, et adjícias quod orátio non præsúmit. Per Dóminum.

DOMINICA XI

POST PENTECOSTEN

Semiduplex

In I Nocturno

De libro quarto Regum

Lectio i Cap. 20, 1-11

N diébus illis ægrotávit Ezechias usque ad mortem, et venit ad eum Isaías fílius Amos Prophéta dixítque ei : Hæc dicit Dóminus Deus : Præcipe dómui tuæ, moriéris enim tu et non vi-

ves. Qui convértit fáciem suam ad paríetem et orávit Dóminum dicens : Obsecro, Dómine : meménto, quæso, quómodo ambuláverim coram te ín veritáte et in corde perfécto et, quod plácitum est coram te, fécerim. Flevit ítaque Ezechías fletu magno.

℟. Præparáte corda vestra Dómino, et servíte illi soli : * Et liberábit vos de mánibus inimicórum vestrórum. ℣. Convertímini ad eum in toto corde vestro, et auférte deos aliénos de médio vestri. — Et.

Lectio ii

ET ántequam egrederétur Isaías médiam partem átrii, factus est sermo Dómini ad eum dicens : Revértere et dic Ezechíæ duci pópuli mei : Hæc dicit Dóminus Deus David patris tui : Audívi oratiónem tuam et vidi lácrimas tuas et ecce sanávi te : die tértio ascéndes templum Dómini, et addam diébus tuis quíndecim annos; sed et de manu regis Assyrióorum liberábo te et civitátem hanc et prótegam urbem istam propter me et propter David servum meum. Dixítque Isaías : Afférte massam ficórum. Quam cum attulíssent et posuíssent super ulcus ejus, curátus est.

℟. Deus ómnium exaudítor est : ipse misit Angelum suum, et tulit me de óvibus patris mei; * Et unxit me unctióne misericórdiæ suæ. ℣. Dóminus, qui erípuit me de ore leónis, et de manu béstiæ liberávit me. — Et.

Lectio iii

DIxerat autem Ezechías ad Isaíam : Quod erit signum quia Dóminus me sanábit, et quia ascensúrus sum die tértia templum Dómini? Cui ait Isaías : Hoc erit signum a Dómino, quod factúrus sit Dóminus sermónem quem locútus est : vis ut ascéndat umbra decem líneis, an ut revertátur tótidem grádibus? Et ait Ezechías : Fácile est umbram créscere decem líneis, nec hoc volo ut fiat; sed ut revertátur retrórsum decem grádibus. Invocávit ítaque Isaías Prophéta Dóminum, et redúxit umbram per líneas, quibus jam descénderat in horológio Achaz, retrórsum decem grádibus.

℟. Dóminus, qui erípuit me de ore leónis, et de manu béstiæ liberávit me, * Ipse me erípiet de mánibus inimicórum meórum. ℣. Misit Deus misericórdiam suam et veritátem suam : ánimam meam erípuit de médio catulórum leónum. — Ipse me erípiet de mánibus inimicórum meórum. Glória Patri. Ipse.

In II Nocturno

De Expositióne sancti Hierónymi Presbýteri in Isaíam Prophétam

Liber 11 in Isaiæ cap. 38

Lectio iv

NE elevarétur cor Ezechíæ post incredíbiles triúmphos et de média captivitáte victóriam, infirmitáte córporis sui visitátur, et audit se esse moritúrum; ut convérsus ad Dóminum flectat sententiam ejus. Quod quidem et in Jona Prophéta légimus, et in comminatiónibus contra David : quæ dicúntur futúra, nec facta sunt, non Deo mutánte sententiam, sed provocánte humánum genus ad notítiam sui. Dóminus enim pœnitens est super malítiis. Convertítque Ezechías fáciem suam ad paríetem, quia ad templum ire non póterat. Ad paríetem autem templi, juxta quod Sálomon palátium exstrúxerat; vel absolúte ad paríetem, ne lácrimas suas assidéntibus ostentáre viderétur.

℟. Percússit Saul mille, et David decem míllia : * Quia manus Dómini erat cum illo, percússit Philisthæum, et ábstulit oppróbrium ex Israël. ℣. Nonne iste est David, de quo canébant in choro, dicéntes : Saul percússit mille, et David decem míllia? — Quia.

Lectio v

AUdiénsque se esse moritúrum, non precátur vitam et annos plúrimos, sed in Dei judício, quid velit præstáre, dimíttit. Nóverat enim idcírco Deo placuísse Salomónem, quod annos vitæ non petíerit amplióres; sed itúrus ad Dóminum narrat ópera sua, quómodo ambuláverat coram eo in veritáte et in corde perfécto. Felix consciéntia, quæ afflictiónis témpore bonórum óperum recordátur. Beáti enim mundo corde : quóniam ipsi Deum vidébunt. Et quómodo álibi scríbitur : Quis gloriábitur purum habére se cor? Quod ita sólvitur, perfectiónem cordis in eo nunc dici, quod idóla destrúxerit, templi valvas aperúerit, serpéntem æneum comminúerit, et cétera fécerit, quæ Scriptúra commémorat.

℟. Montes Gélboe, nec ros nec plúvia véniant super vos, * Ubi cecidérunt fortes Israël. ℣. Omnes montes, qui estis in circúitu ejus, vísitet Dóminus; a Gélboe autem tránseat. — Ubi.

Lectio vi

FLevit autem fletu magno, propter promissiónem Dómini ad David, quam vidébat in sua morte peritúram. Eo enim témpore Ezechías fílios non habébat; nam post mortem ejus Manásses, cum duódecim esset annórum, regnáre cœpit in Judæa : ex quo perspícuum est, post tértium annum concéssæ vitæ Manássen esse generátum. Ergo iste omnis est fletus, quod desperábat Christum de suo sémine nascitúrum. Alii ásserunt, quamvis sanctos viros morte terréri, propter incértum judícii et ignoratiónem senténtiæ Dei, quam sedem habitúri sint.

℟. Ego te tuli de domo patris tui, dicit Dóminus, et pósui te páscere gregem pópuli mei : * Et fui tecum in ómnibus, ubicúmque ambulásti, firmans regnum tuum in ætérnum. ℣. Fecíque tibi nomen grande, juxta nomen magnórum, qui sunt in terra : et réquiem dedi tibi ab ómnibus inimícis tuis. — Et fui. Glória Patri. Et fui.

℟. vii Peccávi et ℟. viii Duo Séraphim, ut infra in Homiliis.

FERIA SECUNDA

De libro quarto Regum

Lectio i Cap. 22, 1-5

OCto annórum erat Josías cum regnáre cœpísset : trigínta et uno anno regnávit in Jerúsalem. Nomen matris ejus Idida fília Hadaía de Bésecath. Fecítque quod plácitum erat coram Dómino et ambulávit per omnes vias David patris sui : non declinávit ad déxteram sive ad sinístram. Anno autem octávo décimo regis Josíæ misit rex Saphan fílium Aslía fílii Méssulam scribam templi Dómini dicens ei : Vade ad Helcíam sacerdótem magnum, ut conflétur pecúnia, quæ illáta est ín templum Dómini, quam collegérunt janitóres templi a pópulo, detúrque fabris per præpósitos domus Dómini; qui et dístríbuant eam his qui operántur in templo Dómini.

℟. Recordáre, Dómine, testaménti tui, et dic Angelo percutiénti : Cesset jam manus tua, * Ut non desolétur terra, et ne perdas omnem ánimam vivam. ℣. Ego sum qui peccávi, ego qui iníque egi : isti qui oves sunt, quid fecérunt? Avertátur, óbsecro, furor tuus, Dómine, a pópulo tuo. — Ut.

Lectio ii Cap. 22, 8-13

DIxit autem Helcías póntifex ad Saphan scribam : Librum legis réperi in domo Dómini. Dedítque Helcías volúmen Saphan, qui et legit illud. Venit quoque Saphan scriba ad regem et renuntiávit ei quod præcéperat et ait : Conflavérunt servi tui pecúniam, quæ repérta est in domo Dómini, et dedérunt ut distribuerétur fabris a præféctis óperum templi Dómini. Narrávit quoque Saphan scriba regi dicens : Librum dedit mihi Helcías sacérdos.

℟. Exaudísti, Dómine, oratiónem servi tui, ut ædificárem templum nómini tuo : * Bénedic et sanctífica domum istam in sempitérnum, Deus Israël. ℣. Dómine, qui custódis pactum cum servis tuis, qui ámbulant coram te in toto corde suo. — Bénedic.

In Octavis et Festis ritus simplicis : Glória Patri. Bénedic.

Lectio iii

QUem cum legísset Saphan coram rege, et audísset rex verba libri legis Dómini, scidit vestiménta sua. Et præcépit Helcíæ sacerdóti et Ahícam fílio Saphan et Achóbor fílio Micha et Saphan scribæ et Asaíæ servo regis dicens : Ite et consúlite Dóminum super me et super pópulo et super omni Juda de verbis volúminis istíus, quod invéntum est : magna enim ira Dómini succénsa est contra nos, quia non audiérunt patres nostri verba libri hujus, ut fácerent omne quod scriptum est nobis.

℟. Audi, Dómine, hymnum et oratiónem, quam servus tuus orat coram te hódie : ut sint óculi tui apérti, et aures tuæ inténtæ, * Super domum istam die ac nocte. ℣. Réspice, Dómine, de sanctuário tuo, et de excélso cælórum habitáculo. — Super. Glória Patri. Super.

FERIA TERTIA

De libro quarto Regum

Lectio i Cap. 23, 2-8

ASCéndit rex templum Dómini et omnes viri Juda universíque, qui habitábant in Jerúsalem cum eo, sacerdótes et prophétæ et omnis pópulus a parvo usque ad magnum; legítque cunctis audiéntibus ómnia verba libri fœderis, qui invéntus est in domo Dómini. Stetítque rex super gradum et fœdus percússit coram Dómino, ut ambulárent post Dóminum et custodírent præcépta ejus et testimónia et cæremónias in omni corde et in tota ánima, et suscitárent verba fœderis hujus, quæ scripta erant in libro illo. Acquievítque pópulus pacto.

℟. Dómine, si convérsus fúerit pópulus tuus, et oráverit ad sanctuárium tuum : * Tu exáudies de cælo, Dómine, et líbera eos de mánibus inimicórum suórum. ℣. Si peccáverit in te pópulus tuus, et convérsus égerit pœniténtiam, veniénsque oráverit in isto loco. — Tu.

Lectio ii

ET præcépit rex Helcíæ pontífici et sacerdótibus secúndi órdinis et janitóribus, ut projícerent de templo Dómini ómnia vasa, quæ facta fúerant Baal et in luco et univérsæ milítiæ cæli, et combússit ea foris Jerúsalem in conválle Cedron et tulit púlverem eórum in Bethel. Et delévit arúspices, quos posúerant reges Juda ad sacrificándum in excélsis per civitátes Juda et in circúitu Jerúsalem, et eos qui adolébant incénsum Baal et soli et lunæ et duódecim signis et omni milítiæ cæli.

℟. Factum est, dum tólleret Dóminus Elíam per túrbinem in cælum, * Eliséus clamábat, dicens : Pater mi, pater mi, currus Israël, et auríga ejus. ℣. Cumque pérgerent, et incedéntes sermocinaréntur, ecce currus ígneus et equi ígnei divisérunt utrúmque, et ascéndit Elias per túrbinem in cælum. — Eliséus.

In Octavis et Festis ritus simplicis : Glória Patri. Eliséus.

Lectio iii

ET efférri fecit lucum de domo Dómini foras Jerúsalem in conválle Cedron, et combússit eum ibi et redégit in púlverem et projécit super sepúlcra vulgi. Destrúxit quoque ædículas effeminatórum, quæ erant in domo Dómini, pro quibus mulíeres texébant quasi domúnculas luci. Congregavítque omnes sacerdótes de civitátibus Juda et contaminávit excélsa, ubi sacrificábant sacerdótes, de Gábaa usque Bersabée.

℟. Ego te tuli de domo patris tui, dicit Dóminus, et pósui te páscere gregem pópuli mei : * Et fui tecum in ómnibus, ubicúmque ambulásti, firmans regnum tuum in ætérnum. ℣. Fecíque tibi nomen grande, juxta nomen magnórum, qui sunt in terra : et réquiem dedi tibi ab ómnibus inimícis tuis. — Et. Glória Patri. Et.

FERIA QUARTA

De libro quarto Regum

Lectio i Cap. 23, 24-34

PYthónes et aríolos et figúras idolórum et immundítias et abominatiónes, quæ fúerant in terra Juda et Jerúsalem, ábstulit Josías, ut statúeret verba legis, quæ scripta sunt in libro, quem invénit Helcías sacérdos in templo Dómini. Símilis illi non fuit ante eum rex, qui reverterétur ad Dóminum in omni corde suo et tota ánima sua et in univérsa virtúte sua juxta omnem legem Móysi, neque post eum surréxit símilis illi. Verúmtamen non est avérsus Dóminus ab ira furóris sui magni, quo irátus est furor ejus contra Judam propter irritatiónes, quibus provocáverat eum Manásses.

℟. Peccávi super número arénæ maris, et multiplicáta sunt peccáta mea; et non sum dignus vidére altitúdinem cæli præ multitúdine iniquitátis meæ : quóniam irritávi iram tuam, * Et malum coram te feci. ℣. Quóniam iniquitátem meam ego cognósco : et delíctum meum contra me est semper, quia tibi soli peccávi. — Et.

Lectio ii

DIxit ítaque Dóminus : Etiam Judam áuferam a fácie mea, sicut ábstuli Israël, et projíciam civitátem hanc, quam elégi, Jerúsalem et domum de qua dixi : Erit nomen meum ibi. Réliqua autem sermónum Josíæ et univérsa, quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in libro verbórum diérum regum Juda? In diébus ejus ascéndit Phárao Néchao rex Ægýpti contra regem Assyriórum ad flumen Euphráten, et ábiit Josías rex in occúrsum ejus et occísus est in Magéddo, cum vidísset eum. Et portavérunt eum servi sui mórtuum de Magéddo et pertulérunt in Jerúsalem et sepeliérunt eum in sepúlcro suo.

℟. Exaudísti, Dómine, oratiónem servi tui, ut ædificárem templum nómini tuo : * Bénedic et sanctífica domum istam in sempitérnum, Deus Israël. ℣. Dómine, qui custódis pactum cum servis tuis, qui ámbulant coram te in toto corde suo. — Bénedic.

In Octavis et Festis ritus simplicis : Glória Patri. Bénedic.

Lectio iii

TUlítque pópulus terræ Jóachaz fílium Josíæ, et unxérunt eum et con-

stituérunt eum regem pro patre suo. Vigínti trium annórum erat Joáchaz, cum regnáre cœpísset, et tribus ménsibus regnávit in Jerúsalem. Nomen matris ejus Amítal fília Jeremíæ de Lobna. Et fecit malum coram Dómino, juxta ómnia quæ fécerant patres ejus. Vinxítque eum Phárao Néchao in Rebla, quæ est in terra Emath, ne regnáret in Jerúsalem; et impósuit mulctam terræ centum talénti argénti et talénto auri. Regémque constítuit Phárao Néchao Elíacim fílium Josíæ pro Josía patre ejus, vertítque nomen ejus Jóakim. Porro Jóachaz tulit et duxit in Ægýptum, et mórtuus est ibi.

℟. Audi, Dómine, hymnum et oratiónem, quam servus tuus orat coram te hódie : ut sint óculi tui apérti, et aures tuæ inténtæ, * Super domum istam die ac nocte. ℣. Réspice, Dómine, de sanctuário tuo, et de excélso cælórum habitáculo. — Super. Glória Patri. Super.

FERIA QUINTA

De libro quarto Regum

Lectio i Cap. 23, 36-37

VIgínti quinque annórum erat Jóakim, cum regnáre cœpísset, et úndecim annis regnávit in Jerúsalem. Nomen matris ejus Zébida fília Phadaía de Ruma. Et fecit malum coram Dómino, juxta ómnia quæ fécerant patres ejus. In diébus ejus ascéndit Nabuchodónosor rex Babylónis, et factus est ei Jóakim servus tribus annis, et rursum rebellávit contra eum.

℟. Præparáte corda vestra Dómino, et servíte illi soli : * Et liberábit vos de mánibus inimicórum vestrórum. ℣. Convertímini ad eum in toto corde vestro, et auférte deos aliénos de médio vestri. — Et.

Lectio ii Cap. 24, 1-7

IMmisítque ei Dóminus latrúnculos Chaldæórum et latrúnculos Sýriæ et latrúnculos Moab et latrúnculos filiórum Ammon, et immísit eos in Judam ut dispérderent eum, juxta verbum Dómini quod locútus fúerat per servos suos prophétas. Factum est autem hoc per verbum Dómini contra Judam, ut auférret eum coram se propter peccáta Manásse univérsa quæ fecit, et propter sánguinem innóxium quem effúdit et implévit Jerúsalem cruóre innocéntium, et ob hanc rem nóluit Dóminus propitiári.

℟. Deus ómnium exaudítor est : ipse misit Angelum suum, et tulit me de óvibus patris mei; * Et unxit me unctióne misericórdiæ suæ. ℣. Dóminus, qui erípuit me de ore leónis, et de manu béstiæ liberávit me. — Et.

In Octavis et Festis ritus simplicis : Glória Patri. Et.

Lectio iii

RElíqua autem sermónum Jóakim et univérsa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in libro sermónum diérum regum Juda? Et dormívit Jóakim cum pátribus suis. Et regnávit Joáchin fílius ejus pro eo. Et ultra non áddidit rex Ægýpti ut egrederétur de terra sua; túlerat enim rex Babylónis a rivo Ægýpti usque ad flúvium Euphráten ómnia quæ fúerant regis Ægýpti.

℟. Dóminus, qui erípuit me de ore leónis, et de manu béstiæ liberávit me, * Ipse me erípiet de mánibus inimicórum meórum. ℣. Misit Deus misericórdiam suam et veritátem suam : ánimam meam erípuit de médio catulórum leónum. — Ipse. Glória Patri. Ipse.

FERIA SEXTA

De libro quarto Regum

Lectio i Cap. 24, 8-17

DEcem et octo annórum erat Jóachin, cum regnáre cœpísset, et tribus ménsibus regnávit in Jerúsalem. Nomen matris ejus Nohésta fília Elnathan de Jerúsalem. Et fecit malum coram Dómino, juxta ómnia quæ fécerat pater ejus. In témpore illo ascendérunt servi Nabuchodónosor regis Babylónis in Jerúsalem, et circúmdata est urbs munitiónibus; venítque Nabuchodónosor rex Babylónis ad civitátem cum servis suis ut oppugnárent eam.

℟. Percússit Saul mille, et David decem míllia : * Quia manus Dómini erat cum illo, percússit Philisthæum, et ábstulit oppróbrium ex Israël. ℣. Nonne iste est David, de quo canébant in choro, dicéntes : Saul percússit mille, et David decem míllia? — Quia.

Lectio ii

GRessúsque est Jóachin rex Juda ad regem Babylónis ipse et mater ejus et servi ejus et príncipes ejus et eunúchi ejus, et suscépit eum rex Babylónis anno octávo regni sui. Et prótulit inde omnes thesáuros domus Dómini et thesáuros domus régiæ et cóncidit univérsa vasa áurea, quæ fécerat Sálomon rex Israël in templo Dómini juxta verbum Dómini, et tránstulit omnem Jerúsalem et univérsos príncipes et omnes fortes exércitus decem míllia in captivitátem, et omnem artíficem et clusórem; nihilque relíctum est, excéptis paupéribus pópuli terræ.

℟. Montes Gélboe, nec ros nec plúvia véniant super vos, * Ubi cecidérunt fortes Israël. ℣. Omnes montes, qui estis in circúitu ejus, vísitet Dóminus; a Gélboe autem tránseat. — Ubi.

In Octavis et Festis ritus simplicis : Glória Patri. Ubi.

Lectio iii

TRánstulit quoque Jóachin in Babylónem et matrem regis et uxóres regis et eunúchos ejus, et júdices terræ duxit in captivitátem de Jerúsalem in Babylónem et omnes viros robústos septem míllia et artífices et clusóres mille, omnes viros fortes et bellatóres; duxítque eos rex Babylónis captívos in Babylónem, et constituit Matthaníam pátruum ejus pro eo imposuítque nomen ei Sedecíam.

℟. Ego te tuli de domo patris tui, dicit Dóminus, et pósui te páscere gregem pópuli mei : * Et fui tecum in ómnibus, ubicúmque ambulásti, firmans regnum tuum in ætérnum. ℣. Fecíque tibi nomen grande juxta nomen magnórum, qui sunt in terra : et réquiem dedi tibi ab ómnibus inimícis tuis. — Et. Glória Patri. Et.

SABBATO

De libro quarto Regum

Cap. 24, 18-20; 25, 1-13

Lectio i

VIgésimum et primum annum ætátis habébat Sedecías, cum regnáre cœpísset, et úndecim annis regnávit in Jerúsalem. Nomen matris ejus erat Amítal fília Jeremíæ de Lobna. Et fecit malum coram Dómino, juxta ómnia quæ fécerat Jóakim; irascebátur enim Dóminus contra Jerúsalem et contra Judam, donec projíceret eos a fácie sua; recessítque Sedecias a rege Babylónis. Factum est autem anno nono regni ejus, mense décimo, décima die mensis, venit Nabuchodónosor rex Babylónis ipse et omnis exércitus ejus in Jerúsalem, et circumdedérunt eam et exstruxérunt in circúitu ejus

munitiónes, et clausa est cívitas atque valláta usque ad undécimum annum regis Sedecíæ nona die mensis; prævaluítque fames in civitáte, nec erat panis pópulo terræ.

℟. Peccávi super número rum arénæ maris, et multiplicáta sunt peccáta mea; et non sum dignus vidére altitúdinem cæli præ multitúdine iniquitátis meæ : quóniam irritávi iram tuam, * Et malum coram te feci. ℣. Quóniam iniquitátem meam ego cognósco : et delíctum meum contra me est semper, quia tibi soli peccávi. — Et.

Lectio ii

ET interrúpta est cívitas, et omnes viri belatóres nocte fugérunt per viam portæ, quæ est inter dúplicem murum ad hortum regis. Porro Chaldæi obsidébant in circúitu civitátem. Fugit ítaque Sedecías per viam, quæ ducit ad campéstria solitúdinis. Et persecútus est exércitus Chaldæórum regem, comprehendítque eum in planítie Jéricho; et omnes bellatóres, qui erant cum eo, dispérsi sunt et reliquérunt eum. Apprehénsum ergo regem duxérunt ad regem Babylónis in Réblatha, qui locútus est cum eo judícium. Fílios autem Sedecíæ occídit coram eo et óculos ejus effódit vinxítque eum caténis, et addúxit in Babylónem.

℟. Exaudísti, Dómine, oratiónem servi tui, ut ædificárem templum nómini tuo : * Bénedic et sanctífica domum istam in sempitérnum, Deus Israël. ℣. Dómine, qui custódis pactum cum servis tuis, qui ámbulant coram te in toto corde suo. — Bénedic.

In Octavis simplicibus et in Officio S. Mariæ in Sabbato : Glória Patri. Bénedic.

Lectio iii

MEnse quinto séptima die mensis, ipse est annus nonus décimus regis Babylónis, venit Nabuzárdan princeps exércitus servus regis Babylónis in Jerúsalem. Et succéndit domum Dómini et domum regis et domos Jerúsalem, omnémque domum combússit igni. Et muros Jerúsalem in circúitu destrúxit omnis exércitus Chaldæórum, qui erat cum príncipe mílitum. Réliquam autem pópuli partem, quæ remánserat in civitáte, et pérfugas, qui transfúgerant ad regem Babylónis, et réliquum vulgus tránstulit Nabuzárdan princeps militiæ et de paupéribus terræ relíquit vinitóres et agrícolas. Colúmnas autem æreas, quæ erant in templo Dómini, et bases, et mare æreum, quod erat in domo Dómini, confregérunt Chaldæi et transtulérunt æs omne in Babylónem.

℟. Audi, Dómine, hymnum et oratiónem, quam servus tuus orat coram te hódie : ut sint óculi tui apérti, et aures tuæ inténtæ, * Super domum istam die ac nocte. ℣. Réspice, Dómine, de sanctuário tuo, et de excélso cælórum habitáculo. — Super. Glória Patri. Super.

SABBATO
ante Dominicam I Augusti

Ea autem dicitur I Dominica mensis, quæ est in Kalendis, vel proximior Kalendis illius mensis : ita ut, si Kalendæ fuerint II, III vel IV Feria, tunc I Dominica mensis, in qua liber Scripturæ inchoandus ponitur, est ea quæ præcedit Kalendas. Sin autem V vel VI Feria, vel Sabbato, est ea quæ sequitur. Et in Sabbato præcedenti ad Magnificat ponitur Antiphona assignata Sabbato ante Dominicam I mensis, omissa alia, quæ forte occurreret.

AD VESPERAS

℣. Vespertína orátio ascéndat ad te, Dómine. ℟. Et descéndat super nos misericórdia tua.

Ad Magnif. Ant. Sapiéntia * ædificávit sibi domum, excídit colúmnas septem, súbdidit sibi gentes, superbórum et sublímium colla própria virtúte calcávit.

Oratio, quæ contingit in ordine aliarum Dominicarum, ut infra.

DOMINICA I AUGUSTI
Semiduplex

In I Nocturno

Incípiunt Parábolæ Salomónis

Lectio i Cap. 1, 1-19

ARábol æ Salomónis, fílii David regis Israël, ad sciéndam sapiéntiam et disciplínam, ad intelligénda verba prudéntiæ et suscipiéndam eruditiónem doctrínæ, justítiam et judícium et æquitátem, ut detur párvulis astútia, adolescénti sciéntia et intelléctus. Audiens sápiens sapiéntior erit, et intélligens gubernácula possidébit : animadvértet parábolam et interpretatiónem, verba sapiéntum et ænígmata eórum.

℟. In princípio Deus ántequam terram fáceret, priúsquam abýssos constitúeret, priúsquam prodúceret fontes aquárum,

* Antequam montes collocaréntur, ante omnes colles generávit me Dóminus. ℣. Quando præparábat cælos, áderam, cum eo cuncta compónens. — Antequam.

Lectio ii

TImor Dómini princípium sapiéntiæ. Sapiéntiam atque doctrínam stulti despíciunt. Audi, fili mi, disciplínam patris tui et ne dimíttas legem matris tuæ, ut addátur grátia cápiti tuo et torques collo tuo. Fili mi, si te lactáverint peccatóres, ne acquiéscas eis : si díxerint : Veni nobíscum, insidiémur sánguini, abscondámus tendículas contra insóntem frustra, deglutiámus eum sicut inférnus vivéntem et íntegrum quasi descendéntem in lacum; omnem pretiósam substántiam reperiémus, implébimus domos nostras spóliis : sortem mitte nobíscum, marsúpium unum sit ómnium nostrum.

℟. Gyrum cæli circúivi sola, et in flúctibus maris ambulávi, in omni gente et in omni pópulo primátum ténui : * Superbórum et sublímium colla própria virtúte calcávi. ℣. Ego in altíssimis hábito, et thronus meus in colúmna nubis. — Superbórum.

Lectio iii

FIli mi, ne ámbules cum eis : próhibe pedem tuum a sémitis eórum; pedes enim illórum ad malum currunt, et festínant ut effúndant sánguinem. Frustra autem jácitur rete ante óculos pennatórum. Ipsi quoque contra sánguinem suum insidiántur et moliúntur fraudes contra ánimas suas. Sic sémitæ omnis avári : ánimas possidéntium rápiunt.

℟. Emítte, Dómine, sapiéntiam de sede magnitúdinis tuæ, ut mecum sit et mecum labóret : * Ut sciam, quid accéptum sit coram te omni témpore. ℣. Da mihi, Dómine, sédium tuárum assistrícem sapiéntiam. — Ut. Glória Patri. Ut.

In II Nocturno

Ex Tractátu sancti Ambrósii Epíscopi in Psalmum centésimum décimum octávum

Sermo 5, n. 36-37

Lectio iv

INítium esse sapiéntiæ timórem Dómini, dicit Prophéta. Quid est autem inítium sapiéntiæ, nisi sæculo renuntiáre? Quia sápere sæculária, stultítia est. Dénique sapiéntiam hujus mundi, stultítiam esse

apud Deum, Apóstolus dicit. Sed et ipse timor Dómini, nisi secúndum sciéntiam sit, nihil prodest, immo obest plúrimum. Síquidem Judæi habent zelum Dei : sed quia non habent secúndum sciéntiam, in ipso zelo et timóre majórem cóntrahunt divinitátis offénsam. Quod circumcidunt infántulos suos, quod sábbata custódiunt, timórem Dei habent; sed quia nésciunt legem spiritálem esse, circumcídunt corpus, non cor suum.

℟. Da mihi, Dómine, sédium tuárum assistrícem sapiéntiam, et noli me reprobáre a púeris tuis : * Quóniam servus tuus sum ego, et fílius ancíllæ tuæ. ℣. Mitte illam de sede magnitúdinis tuæ, ut mecum sit et mecum labóret. — Quóniam.

Lectio v

ET quid de Judæis dico? Sunt étiam in nobis, qui habent timórem Dei, sed non secúndum sciéntiam, statuéntes durióra præcépta, quæ non possit humána conditio sustinére. Timor in eo est, quia vidéntur sibi consúlere disciplínæ, opus virtútis exigere; sed inscítia in eo est, quia non compatiúntur natúræ, non æstimant possibilitátem. Non sit ergo irrationábilis timor. Etenim vera sapiéntia a timóre Dei íncipit, nec est sapiéntia spiritális sine timóre Dei : ita timor sine sapiéntia esse non debet.

℟. Inítium sapiéntiæ timor Dómini : * Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum; laudátio ejus manet in sæculum sæculi. ℣. Diléctio illíus custódia legum est : quia omnis sapiéntia timor Dómini. — Intelléctus.

Lectio vi

BAsis quædam verbi est timor sanctus. Sicut enim simulácrum áliquod in basi statúitur, et tunc majórem habet grátiam, cum in basi státua fúerit collocáta, standíque áccipit firmitátem : ita verbum Dei in timóre sancto mélius statúitur, fórtius radicátur in péctore timéntis Dóminum; ne labátur verbum de corde viri, ne véniant vólucres et áuferant illud de incuriósi et dissimuléntis affféctu.

℟. Verbum iníquum et dolósum longe fac a me, Dómine : * Divítias et paupertátem ne déderis mihi, sed tantum víctui meo tríbue necessária. ℣. Duo rogávi te, ne déneges mihi, ántequam móriar. — Divítias et paupertátem ne déderis mihi, sed tantum víctui meo tríbue necessária. Glória Patri. Divítias.

℟. vii Dómine et ℟. viii Duo Séraphim, ut infra in Homiliis.

FERIA SECUNDA

De Parábolis Salomónis

Lectio i Cap. 3, 1-15

FIli mi, ne obliviscáris legis meæ, et præcépta mea cor tuum custódiat; longitúdinem enim diérum et annos vitæ et pacem appónent tibi. Misericórdia et véritas te non déserant : circúmda eas gúturi tuo et descríbe in tábulis cordis tui, et invénies grátiam et disciplínam bonam coram Deo et homínibus. Habe fidúciam in Dómino ex toto corde tuo et ne innitáris prudéntiæ tuæ; in ómnibus viis tuis cógita illum, et ipse díriget gressus tuos.

℟. Ne derelínquas me, Dómine, pater et dominátor vitæ meæ, ut non córruam in conspéctu adversariórum meórum : * Ne gáudeat de me inimícus meus. ℣. Apprehénde arma et scutum et exsúrge in adjutórium mihi. — Ne gáudeat.

Lectio ii

NE sis sápiens apud temetípsum, time Deum et recéde a malo; sánitas quippe erit umbilíco tuo et irrigátio óssium tuórum. Honóra Dóminum de tua substántia et de primítiis ómnium frugum tuárum da ei; et implebúntur hórrea tua saturitáte, et vino torculária tua redundábunt.

℟. Magna enim sunt judícia tua, Dómine, et inenarrabília verba tua : * Magnificásti pópulum tuum et honorásti. ℣. Transtulísti illos per Mare Rubrum et transvexísti eos per aquam nímiam. — Magnificásti.

In Octavis et Festis ritus simplicis : Glória Patri. Magnificásti.

Lectio iii

DIsciplínam Dómini, fili mi, ne abjícias, nec defícias, cum ab eo corríperis; quem enim diligit Dóminus, córripit, et quasi pater in fílio cómplacet sibi. Beátus homo qui invénit sapiéntiam et qui áffluit prudéntia. Mélior est acquisítio ejus negotiatióne argénti, et auri primi et purissimi fructus ejus; pretiósior est cunctis ópibus, et ómnia, quæ desiderántur, huic non valent comparári.

℟. Quæ sunt in corde hóminum, óculi tui vident, Dómine, et in libro tuo ómnia scribéntur : * Homo videt in fácie, Deus autem in corde. ℣. Omnia enim corda scrutátur, et univérsas méntium cogitatiónes intélligit. — Homo. Glória Patri. Homo.

FERIA TERTIA

De Parábolis Salomónis

Lectio i Cap. 5, 1-13

FIli mi, atténde ad sapiéntiam meam, et prudéntiæ meæ inclína aurem tuam, ut custódias cogitatiónes, et disciplínam lábia tua consérvent. Ne atténdas fallácia mulíeris; favus enim distíllans lábia meretrícis, et nitídius óleo guttur ejus; novíssima autem illíus amára quasi absýnthium et acúta quasi gládius biceps; pedes ejus descéndunt ín mortem, et ad ínferos gressus illíus pénetrant; per sémitam vitæ non ámbulant, vagi sunt gressus ejus et investigábiles.

℟. Præbe, fili, cor mihi, et óculi tui vias meas custódiant : * Ut addátur grátia cápiti tuo. ℣. Atténde, fili mi, sapiéntiam meam et ad elóquium meum inclína aurem tuam. — Ut.

Lectio ii

NUnc ergo, fili mi, audi me, et ne recédas a verbis oris mei. Longe fac ab ea viam tuam et ne appropínques fóribus domus ejus; ne des aliénis honórem tuum, et annos tuos crudéli; ne forte impleántur extránei víribus tuis, et labóres tui sint in domo aliéna, et gemas in novíssimis, quando consúmpseris carnes tuas et corpus tuum et dicas : Cur detestátus sum disciplínam, et increpatiónibus non acquiévit cor meum; nec audívi vocem docéntium me et magístris non inclinávi aurem meam?

℟. Inítium sapiéntiæ timor Dómini : * Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum; laudátio ejus manet in sæculum sæculi. ℣. Diléctio illíus custódia legum est : quia omnis sapiéntia timor Dómini. — Intelléctus.

In Octavis et Festis ritus simplicis : Glória Patri. Intelléctus.

Lectio iii Cap. 5, 20-23

QUare sedúceris, fili mi, ab aliéna, et fovéris in sinu altérius? Réspicit Dóminus vias hóminis, et omnes gressus ejus considerat; iniquitátes suæ cápiunt ímpium, et fúnibus

peccatórum suórum constringitur; ipse moriétur, quia non hábuit disciplínam, et in multitúdine stultítiæ suæ decipiétur.

℟. Verbum iníquum et dolósum longe fac a me, Dómine : * Divítias et paupertátem ne déderis mihi, sed tantum víctui meo tríbue necessária. ℣. Duo rogávi te, ne déneges mihi, ántequam móriar. — Divítias. Glória Patri. Divítias.

FERIA QUARTA

De Parábolis Salomónis

Lectio i Cap. 8, 1-17

NUmquid non sapiéntia clámitat, et prudéntia dat vocem suam? In summis excelsísque vertícibus supra viam, in médiis sémitis stans, juxta portas civitátis, in ipsis fóribus lóquitur dicens : O viri, ad vos clámito, et vox mea ad fílios hóminum; intellígite, párvuli, astútiam, et, insipiéntes, animadvértite; audíte, quóniam de rebus magnis locutúra sum, et aperiéntur lábia mea, ut recta prædícent.

℟. Dómine, pater et Deus vitæ meæ, ne derelínquas me in cogitátu malígno : extollántiam oculórum meórum ne déderis mihi, et desidérium malígnum avérte a me, Dómine; aufer a me concupiscéntiam, * Et ánimo irreverénti et infrunito ne tradas me, Dómine. ℣. Ne derelínquas me, Dómine, ne accréscant ignorántiæ meæ, nec multiplicéntur delícta mea. — Et ánimo.

Lectio ii

VEritátem meditábitur guttur meum, et lábia mea detestabúntur ímpium; justi sunt omnes sermónes mei, non est in eis pravum quid neque pervérsum : recti sunt intelligéntibus et æqui inveniéntibus sciéntiam. Accípite disciplínam meam et non pecúniam, doctrínam magis quam aurum elígite; mélior est enim sapiéntia cunctis pretiosíssimis, et omne desiderábile ei non potest comparári.

℟. Magna enim sunt judícia tua, Dómine, et inenarrabília verba tua : * Magnificásti pópulum tuum et honorásti. ℣. Transtulísti illos per Mare Rubrum et transvexísti eos per aquam nímiam. — Magnificásti.

In Octavis et Festis ritus simplicis : Glória Patri. Magnificásti.

Lectio iii

EGO sapiéntia hábito in consílio et erudítis intérsum cogitatiónibus; timor Dómini odit malum, arrogántiam et supérbiam et viam pravam et os bilíngue detéstor; meum est consílium et æquitas, mea est prudéntia, mea est fortitúdo; per me reges regnant, et legum conditóres justa decérnunt; per me príncipes ímperant, et poténtes decérnunt justítiam; ego diligéntes me díligo, et qui mane vígilant ad me, invénient me.

℟. Quæ sunt in corde hóminum, óculi tui vident, Dómine, et in libro tuo ómnia scribéntur : * Homo videt in fácie, Deus autem in corde. ℣. Omnia enim corda scrutátur, et univérsas méntium cogitatiónes intélligit. — Homo. Glória Patri. Homo.

FERIA QUINTA

De Parábolis Salomónis

Lectio i Cap. 10, 1-16

FIlius sápiens lætíficat patrem, fílius vero stultus mæstítia est matris suæ. Nihil próderunt thesáuri impietátis, justítia vero liberábit a morte. Non affliget Dóminus fame ánimam justi, et insídias impiórum subvértet. Egestátem operáta est manus remíssa, manus autem fórtium divítias parat. Qui nítitur mendáciis, hic pascit ventos, idem autem ipse séquitur aves volántes. Qui cóngregat in messe, fílius sápiens est; qui autem stertit æstáte, fílius confusiónis.

℟. In princípio Deus ántequam terram fáceret, priúsquam abýssos constitúeret, priúsquam produceret fontes aquárum, * Antequam montes collocaréntur, ante omnes colles generávit me Dóminus. ℣. Quando præparábat cælos, áderam, cum eo cuncta compónens. — Antequam.

Lectio ii

BEnedíctio Dómini super caput justi, os autem impiórum óperit iníquitas. Memória justi cum láudibus, et nomen impiórum putréscet. Sápiens corde præcépta súscipit, stultus cæditur lábiis. Qui ámbulat simpliciter, ámbulat confidénter; qui autem deprávat vias suas, maniféstus erit. Qui ánnuit óculo dabit dolórem, et stultus lábiis verberábitur.

℟. Gyrum cæli circuívi sola, et in flúctibus maris ambulávi, ín omni gente et in omni pópulo primátum ténui : * Superbórum et sublímium colla própria virtúte calcávi. ℣. Ego in altíssimis hábito, et thronus meus in colúmna nubis. — Superbórum.

In Octavis et Festis ritus simplicis : Glória Patri. Superbórum.

Lectio iii

VEna vitæ os justi, et os impiórum óperit iniquitátem. Odium súscitat rixas, et univérsa delícta óperit cáritas. In lábiis sapiéntis invenítur sapiéntia, et virga in dorso ejus qui índiget corde. Sapiéntes abscóndunt sciéntiam, os autem stulti confusióni próximum est. Substántia dívitis urbs fortitúdinis ejus, pavor páuperum egéstas eórum. Opus justi ad vitam, fructus autem ímpii ad peccátum.

℟. Emítte, Dómine, sapiéntiam de sede magnitúdinis tuæ, ut mecum sit et mecum labóret : * Ut sciam, quid accéptum sit coram te omni témpore. ℣. Da mihi, Dómine, sédium tuárum assistrícem sapiéntiam. — Ut sciam. Glória Patri. Ut sciam.

FERIA SEXTA

De Parábolis Salomónis

Lectio i Cap. 14, 1-16

SApiens múlier ædíficat domum suam, insípiens exstrúctam quoque mánibus déstruet. Ambulans recto itínere et timens Deum despícitur ab eo qui infámi gráditur via. In ore stulti virga supérbiæ, lábia autem sapiéntium custódiunt eos. Ubi non sunt boves, præsépe vácuum est; ubi autem plúrimæ ségetes, ibi manifésta est fortitúdo bovis. Testis fidélis non mentítur, profert autem mendácium dolósus testis.

℟. Da mihi, Dómine, sédium tuárum assistrícem sapiéntiam, et noli me reprobáre a púeris tuis : * Quóniam servus tuus sum ego, et fílius ancíllæ tuæ. ℣. Mitte illam de sede magnitúdinis tuæ, ut mecum sit et mecum labóret. — Quóniam.

Lectio ii

QUærit derísor sapiéntiam et non ínvenit, doctrina prudéntium fácilis. Vade contra virum stultum, et nescit lábia prudéntiæ. Sapiéntia cállidi est intellígere viam suam, et imprudéntia stultórum errans. Stultus illúdet peccátum, et inter justos morábitur grátia. Cor, quod novit amaritúdinem ánimæ suæ, in gáudio ejus non miscébitur extráneus. Domus impiórum delébitur, tabernácula vero justórum germinábunt.

℟. Inítium sapiéntiæ timor Dómini : * Intellectus

bonus ómnibus faciéntibus eum; laudátio ejus manet in sæculum sæculi. ℣. Díléctio illíus custódia legum est : quia omnis sapiéntia timor Dómini. — Intelléctus.

In Octavis et Festis ritus simplicis : Glória Patri. Intelléctus.

Lectio iii

EST via, quæ vidétur hómini justa, novíssima autem ejus dedúcunt ad mortem. Risus dolóre miscébitur, et extréma gáudii luctus óccupat. Viis suis replébitur stultus, et super eum erit vir bonus. Innocens credit omni verbo, astútus consíderat gressus suos. Fílio dolóso nihil erit boni, servo autem sapiénti prósperi erunt actus et dirigétur via ejus. Sápiens timet et declínat a malo, stultus tránsilit et confídit.

℟. Verbum iníquum et dolósum longe fac a me, Dómine : * Divítias et paupertátem ne déderis mihi, sed tantum víctui meo tríbue necessária. ℣. Duo rogávi te, ne déneges mihi, ántequam móriar. — Divítias. Glória Patri. Divítias.

SABBATO

De Parábolis Salomónis

Lectio i Cap. 16, 1-15

HOminis est ánimam præparáre, et Dómini gubernáre linguam. Omnes viæ hóminis patent óculis ejus : spirítuum ponderátor est Dóminus. Revéla Dómino ópera tua, et dirigéntur cogitatiónes tuæ. Univérsa propter semetípsum operátus est Dóminus, ímpium quoque ad diem malum. Abominátio Dómini est omnis árrogans, etiámsi manus ad manum fúerit, non est innocens.

℟. Dómine, pater et Deus vitæ meæ, ne derelínquas me in cogitátu malígno : extolléntiam oculórum meórum ne déderis mihi, et desidérium malígnum avérte a me, Dómine; aufer a me concupiscéntiam, * Et ánimo irreverénti et infruníto ne tradas me, Dómine. ℣. Ne derelínquas me, Dómine, ne accréscant ignorántiæ meæ, nec multiplicéntur delícta mea. — Et.

Lectio ii

INítium viæ bonæ fácere justítiam, accépta est autem apud Deum magis quam immoláre hóstias. Misericórdia et veritáte redímitur iníquitas, et in timóre Dómini declinátur a malo. Cum placúerint Dómino viæ hóminis, inimícos quoque ejus convértet ad pacem. Mélius est parum cum justítia, quam multi fructus cum iniquitáte. Cor hóminis dispónit viam suam, sed Dómini est dirígere gressus ejus.

℟. Magna enim sunt judícia tua, Dómine, et inenarrábilia verba tua : * Magnificásti pópulum tuum et honorásti. ℣. Transtulísti illos per Mare Rubrum et transvexísti eos per aquam nímiam. — Magnificásti.

In Octavis simplicibus et in Officio S. Mariæ in Sabbato : Glória Patri. Magnificásti.

Lectio iii

DIvinátio in lábiis regis, in judício non errábit os ejus. Pondus et statéra judícia Dómini sunt, et ópera ejus omnes lápides sácculi. Abominábiles regi qui agunt ímpie, quóniam justítia firmátur sólium. Volúntas regum lábia justa; qui recta lóquitur, diligétur. Indignátio regis núntii mortis, et vir sápiens placábit eam. In hilaritáte vultus regis vita, et cleméntia ejus quasi imber serótinus.

℟. Quæ sunt in corde hóminum, óculi tui vident, Dómine, et in libro tuo ómnia scribéntur : * Homo videt in fácie, Deus autem in corde. ℣. Omnia enim corda scrutátur, et univérsas méntium cogitatiónes intélligit. — Homo. Glória Patri. Homo.

AD VESPERAS

℣. Vespertína orátio ascéndat ad te, Dómine. ℟. Et descéndat super nos misericórdia tua.

Ad Magnif. Ant. Ego in altíssimis * hábito : et thronus meus in colúmna nubis.

Oratio Dominicæ occurrentis.

DOMINICA II AUGUSTI

Semiduplex

In I Nocturno

Incipit liber Ecclesiástes

Lectio i Cap. 1, 1-17

Erba Ecclesiástæ, fílii David, regis Jerúsalem. Vánitas vanitátum, dixit Ecclesiástes; vánitas vanitátum, et ómnia vánitas. Quid habet ámplius homo de univérso labóre suo quo labórat sub sole? Generátio prætérit, et generátio ádvenit; terra autem in ætérnum stat. Oritur sol et óccidit et ad locum suum revértitur; ibíque renáscens gyrat per merídiem et fléctitur ad aquilónem.

Lustrans univérsa in circúitu pergit spíritus et in círculos suos revértitur. Omnia flúmina intrant in mare, et mare non redúndat; ad locum unde éxeunt flúmina revertúntur, ut íterum fluant.

℟. In princípio Deus ántequam terram fáceret, priúsquam abýssos constitúeret, priúsquam prodúceret fontes aquárum, * Antequam montes collocaréntur, ante omnes colles generávit me Dóminus. ℣. Quando præparábat cælos, áderam, cum eo cuncta compónens. — Antequam.

Lectio ii

CUnctæ res difficiles : non potest eas homo explicáre sermóne. Non saturátur óculus visu, nec auris audítu implétur. Quid est quod fuit? Ipsum quod futúrum est. Quid est quod factum est? Ipsum quod faciéndum est? Nihil sub sole novum, nec valet quisquam dícere : Ecce hoc recens est; jam enim præcéssit in sæculis quæ fuérunt ante nos. Non est priórum memória; sed nec eórum quidem quæ póstea futúra sunt, erit recordátio apud eos qui futúri sunt in novíssimo.

℟. Gyrum cæli circuívi sola, et in flúctibus maris ambulávi, in omni gente et in omni pópulo primátum ténui : * Superbórum et sublímium colla própria virtúte calcávi. ℣. Ego in altíssimis hábito et thronus meus in colúmna nubís. — Superbórum.

Lectio iii

EGO Ecclesiástes fui rex Israël in Jerúsalem et propósui in ánimo meo et quærere et investígáre sapiénter de ómnibus quæ fiunt sub sole. Hanc occupatiónem péssimam dedit Deus fíliis hóminum, ut occuparéntur in ea. Vidi cuncta quæ fiunt sub sole, et ecce univérsa vánitas et afflíctio spíritus. Pervérsi difficile corrigúntur, et stultórum infinítus est númerus. Locútus sum in corde meo dicens : Ecce magnus efféctus sum et præcéssi omnes sapiéntia qui fuérunt ante me in Jerúsalem; et mens mea contempláta est multa sapiénter, et dídici dedíque cor meum ut scirem prudéntiam atque doctrinam errorésque et stultítiam.

℟. Emítte, Dómine, sapiéntiam de sede magnitúdinis tuæ, ut mecum sit et mecum labóret : * Ut sciam, quid accéptum sit coram te omni témpore. ℣. Da mihi, Dómine, sédium tuárum assistrícem

sapiéntiam. — Ut sciam, quid accéptum sit coram te omni témpore. Glória. Ut.

In II Nocturno

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi

Sermo contra concubinarios, in fine, tomo 5

Lectio iv

SAlomon cum sæcu-lárium rerum concupiscéntia tenerétur, magnas eas et admirándas putábat, multúmque in eis labóris et sollicitúdinis insumébat, magníficas ædificándo domos, copiósum coacervándo aurum, congregándo cantórum choros, vária génera ministrórum mensæ et popínæ, quæréndo ánimæ suæ voluptátem ab hortórum et córporum formosórum grátia, et omnem, ut ita dicam, oblectatiónis et refrigérii viam sectándo.

℟. Da mihi, Dómine, sédium tuárum assistrícem sapiéntiam, et noli me reprobáre a púeris tuis : * Quóniam servus tuus sum ego, et filius ancillæ tuæ. ℣. Mitte illam de sede magnitúdinis tuæ, ut mecum sit et mecum labóret. — Quóniam.

Lectio v

AT ubi inde ad se revérsus, et quasi ex umbrósa quadam abýsso ad lumen veræ sapiéntiæ respícere váluit, tunc sublímem illam et cælis dignam emísit vocem : Vánitas vanitátum, dicens, et ómnia vánitas. Hanc et vos, et hac sublimiórem, si voluéritis, efferétis sententiam de intempestiva hac voluptáte, si aliquantísper a mala consuetúdine vos sequestravéritis.

℟. Inítium sapiéntiæ timor Dómini : * Intellléctus bonus ómnibus faciéntibus eum; laudátio ejus manet in sæculum sæculi. ℣. Diléctio illíus custódia legum est : quia omnis sapiéntia timor Dómini. — Intellléctus.

Lectio vi

QUamvis autem a Salomóne sæculis superióribus non tam multa sapiéntiæ exigebátur diligéntia; neque enim delícias lex vetus prohibébat, neque áliis frui supervácuis dicébat vanum : áttamen et sic se habéntibus rebus, in ipsis contuéri licébit, quam viles et vanitáti obnóxiæ res sint. Nos vero ad majórem vocáti vitam, et ad excelléntius fastígium ascéndimus, et in majóribus exercémur palæstris : et quid áliud, quam quod, sicut supérnæ virtútes intellectuáles

et incorpóreæ illæ, vitam institúere jubémur?

℟. Verbum iníquum et dolósum longe fac a me, Dómine : * Divítias et paupertátem ne déderis mihi, sed tantum víctui meo tríbue necessária. ℣. Duo rogávi te, ne déneges mihi, ántequam móriar. — Divítias. lória Patri. Divítias.

℟. vii Dómine et ℟. viii Duo Séraphim, ut infra in Homiliis.

FERIA SECUNDA

De libro Ecclesiástæ

Lectio i Cap. 2, 1-4

DIxi ego in corde meo : Vadam et áffluam delíciis et fruar bonis; et vidi quod hoc quoque esset vánitas. Risum reputávi errórem et gáudio dixi : Quid frustra decíperis? Cogitávi in corde meo abstráhere a vino carnem meam, ut ánimum meum transférrem ad sapiéntiam, devitarémque stultítiam, donec vidérem quid esset útile fíliis hóminum, quo facto opus est sub sole número diérum vitæ suæ. Magnificávi ópera mea, ædificávi mihi domos et plantávi víneas.

℟. Ne derelínquas me, Dómine, pater et dominátor vitæ meæ, ut non córruam in conspéctu adversariórum meórum : * Ne gáudeat de me inimícus meus. ℣. Apprehénde arma et scutum et exsúrge in adjutórium mihi. — Ne gáudeat.

Lectio ii Cap. 2, 7-11

POssédi servos et ancíllas multámque famíliam hábui, arménta quoque et magnos óvium greges, ultra omnes qui fuérunt ante me in Jerúsalem; coacervávi mihi argéntum et aurum et substántias regum ac provinciárum; feci mihi cantóres et cantatrices et delícias filiórum hóminum, scyphos et úrceos in ministério ad vina fundénda, et supergréssus sum ópibus omnes qui ante me fuérunt in Jerúsalem : sapiéntia quoque perseverávit mecum.

℟. Magna enim sunt judícia tua, Dómine, et inenarrábilia verba tua : * Magnificásti pópulum tuum et honorásti. ℣. Transtulísti illos per Mare Rubrum et transvexísti eos per aquam nímiam. — Magnificásti.

In Octavis et Festis ritus simplicis : Glória Patri. Magnificásti.

Lectio iii

ET ómnia, quæ desideravérunt óculi mei, non negávi eis, nec prohíbui

cor meum, quin omni voluptáte fruerétur et oblectáret se in his quæ præparáveram; et hanc ratus sum partem meam si úterer labóre meo. Cumque me convertíssem ad univérsa ópera, quæ fécerant manus meæ, et ad labóres in quibus frustra sudáveram, vidi in ómnibus vanitátem et afflictiónem ánimi et nihil permanére sub sole.

℟. Quæ sunt in corde hóminum, óculi tui vident, Dómine, et in libro tuo ómnia scribéntur : * Homo videt in fácie, Deus autem in corde. ℣. Omnia enim corda scrutátur, et univérsas méntium cogitatiónes intélligit. — Homo. Glória Patri. Homo.

FERIA TERTIA

De libro Ecclesiástæ

Lectio i Cap. 3, 1-17

OMnia tempus habent, et suis spátiis tránseunt univérsa sub cælo. Tempus nascéndi et tempus moriéndi, tempus plantándi et tempus evellénti quod plantátum est, tempus occidéndi et tempus sanándi, tempus destruéndi et tempus ædificándi, tempus flendi et tempus ridéndi, tempus plangéndi et tempus saltándi, tempus spargéndi lápides et tempus colligéndi, tempus amplexándi et tempus longe fíeri ab ampléxibus, tempus acquiréndi et tempus perdéndi, tempus custodiéndi et tempus abjiciéndi, tempus scindéndi et tempus consuéndi, tempus tacéndi et tempus loquéndi, tempus dilectiónis et tempus ódii, tempus belli et tempus pacis.

℟. Præbe, fili, cor mihi, et óculi tui vias meas custódiant : * Ut addátur grátia cápiti tuo. ℣. Atténde, fili mi, sapiéntiam meam et ad elóquium meum inclína aurem tuam. — Ut.

Lectio ii

QUid habet ámplius homo de labóre suo? Vidi afflictiónem, quam dedit Deus fíliis hóminum, ut distendántur in ea. Cuncta fecit bona in témpore suo et mundum trádidit disputatióni eórum, ut non invéniat homo opus, quod operátus est Deus ab inítio usque ad finem. Et cognóvi quod non esset mélius nisi lætári et fácere bene in vita sua; omnis enim homo qui cómedit et bibit et videt bonum de labóre suo, hoc donum Dei est.

℟. Inítium sapiéntiæ timor Dómini : * Intellléctus

bonus ómnibus faciéntibus eum; laudátio ejus manet in sæculum sæculi. ℣. Diléctio illíus custódia legum est : quia omnis sapiéntia timor Dómini. — Intelléctus.

In Octavis et Festis ritus simplicis : Glória Patri. Intelléctus.

Lectio iii

DIdici quod ómnia ópera, quæ fecit Deus, persevérent in perpétuum; non póssumus eis quidquam áddere nec auférre, quæ fecit Deus ut timeátur. Quod factum est ipsum pérmanet, quæ futúra sunt jam fuérunt, et Deus instáurat quod ábiit. Vidi sub sole in loco judícii impietátem et in loco justítiæ iniquitátem et dixi in corde meo : Justum et ímpium judicábit Deus, et tempus omnis rei tunc erit.

℟. Verbum iníquum et dolósum longe fac a me, Dómine : * Divítias et paupertátem ne déderis mihi, sed tantum víctui meo tríbue necessária. ℣. Duo rogávi te, ne déneges mihi, ántequam móriar. — Divítias. Glória Patri. Divítias.

FERIA QUARTA

De libro Ecclesiástæ

Lectio i Cap. 4, 1-13

VErti me adália et vidi calúmnias, quæ sub sole gerúntur, et lácrimas innocéntium et néminem consolatórem, nec posse resístere eórum violéntiæ cunctórum auxílio destitútos. Et laudávi magis mórtuos quam vivéntes et feliciórem utróque judicávi qui necdum natus est nec vidit mala quæ sub sole fiunt. Rursum contemplátus sum omnes labóres hóminum et indústrias animadvérti patére invídiæ próximi; et in hoc ergo vánitas et cura supérflua est.

℟. Dómine, pater et Deus vitæ meæ, ne derelínquas me in cogitátu malígno : extolléntiam oculórum meórum ne déderis mihi, et desidérium malígnum avérte a me, Dómine; aufer a me concupiscéntiam, * Et ánimo irreverénti et infrunito ne tradas me, Dómine. ℣. Ne derelínquas me, Dómine, ne accréscant ignorántiæ meæ, nec multiplicéntur delícta mea. — Et.

Lectio ii

STultus cómplicat manus suas et comédit carnes suas dicens : Mélior

est pugíllus cum réquie, quam plena útraque manus cum labóre et afflictióne ánimi. Considerans réperi et áliam vanitátem sub sole. Unus est et secúndum non habet, non fílium, non fratrem, et tamen laboráre non cessat, nec satiántur óculi ejus divítiis, nec recógitat dicens : Cui labóro, et fraudo ánimam meam bonis? In hoc quoque vánitas est et afflíctio péssima.

℟. Magna enim sunt judícia tua, Dómine, et inenarrabília verba tua : *Magnificásti pópulum tuum et honorásti. ℣. Transtulísti illos per Mare Rubrum et transvexísti eos per aquam nímiam. — Magnificásti pópulum.

In Octavis et Festis ritus simplicis : Glória Patri. Magnificásti.

Lectio iii

MElius est ergo duos esse simul quam unum; habent enim emoluméntum societátis suæ. Si unus cecíderit, ab áltero fulciétur. Væ soli, quia, cum cecíderit, non habet sublevántem se. Et si dormíerint duo, fovebúntur mútuo : unus quómodo calefíet? Et, si quíspiam prævalúerit contra unum, duo resístunt ei; funículus triplex difficile rúmpitur. Mélior est puer pauper et sápiens rege sene et stulto, qui nescit prævidére in pósterum.

℟. Quæ sunt in corde hóminum, óculi tui vident, Dómine, et in libro tuo ómnia scribéntur : * Homo videt in fácie, Deus autem in corde. ℣. Omnia enim corda scrutátur, et univérsas méntium cogitatiónes intélligit. — Homo. Glória Patri. Homo.

FERIA QUINTA

De libro Ecclesiástæ

Lectio i Cap. 5, 3-13

NE témere quid loquáris neque cor tuum sit velox ad proferéndum sermónem coram Deo. Deus enim in cælo, et tu super terram; idcírco sint pauci sermónes tui. Multas curas sequúntur sómnia, et in multis sermónibus inveniétur stultítia. Si quid vovísti Deo, ne moréris réddere; displicet enim ei infidélis et stulta promíssio; sed quodcúmque vóveris redde; multóque mélius est non vovére, quam post votum promíssa non réddere.

℟. In princípio Deus ántequam terram fáceret, priúsquam abýssos constitúeret, priúsquam prodúceret fontes aquárum, * Antequam montes collocaréntur, ante omnes colles generávit me Dóminus. ℣. Quando præparábat cælos, áderam, cum eo cuncta compónens. — Antequam.

Lectio ii

NE déderis os tuum ut peccáre fácias carnem tuam; neque dicas coram Angelo : Non est providéntia; ne forte irátus Deus contra sermónes tuos díssipet cuncta ópera mánuum tuárum. Ubi multa sunt sómnia, plúrimæ sunt vanitátes et sermónes innúmeri; tu vero Deum time. Si víderis calúmnias egenórum et violénta judícia et subvérti justítiam in província, non miréris super hoc negótio; quia excélso excélsior est álius, et super hos quoque eminentióres sunt álii; et ínsuper univérsæ terræ rex ímperat serviénti.

℟. Gyrum cæli circuívi sola, et in flúctibus maris ambulávi, in omni gente et in omni pópulo primátum ténui : * Superbórum et sublímium colla própria virtúte calcávi. ℣. Ego in altíssimis hábito, et thronus meus in colúmna nubis. — Superbórum.

In Octavis et Festis ritus simplicis : Glória Patri. Superbórum.

Lectio iii

AVárus non implébitur pecúnia, et qui amat divítias, fructum non cápiet ex eis : et hoc ergo vánitas. Ubi multæ sunt opes, multi et qui cómedunt eas. Et quid prodest possessóri, nisi quod cernit divítias óculis suis? Dulcis est somnus operánti, sive parum sive multum cómedat; satúritas autem divítis non sinit eum dormíre. Est etália infírmitas péssima, quam vidi sub sole : divítiæ conservátæ in malum dómini sui. Péreunt enim in afflictióne péssima : generávit fílium qui in summa egestáte erit.

℟. Emítte, Dómine, sapiéntiam de sede magnitúdinis tuæ, ut mecum sit et mecum labóret : * Ut sciam, quid accéptum sit coram te omni témpore. ℣. Da mihi, Dómine, sédium tuárum assistrícem sapiéntiam. — Ut. Glória Patri. Ut.

FERIA SEXTA

De libro Ecclesiástæ

Lectio i Cap. 6, 1-9

EST et áliud malum quod vidi sub sole, et quidem frequens apud hómines : vir, cui dedit Deus

divítias et substántiam et honórem, et nihil deest ánimæ suæ, ex ómnibus quæ desíderat; nec tribuit ei potestátem Deus ut cómedat ex eo, sed homo extráneus vorábit illud : hoc vánitas et miséria magna est.

℟. Da mihi, Dómine, sédium tuárum assistrícem sapiéntiam, et noli me reprobáre a púeris tuis : * Quóniam servus tuus sum ego, et filius ancíllæ tuæ. ℣. Mitte illam de sede magnitúdinis tuæ, ut mecum sit et mecum labóret. — Quóniam.

Lectio ii

SI genúerit quispiam centum liberos et vixerit multos annos et plures dies ætátis habúerit, et ánima illíus non utátur bonis substántiæ suæ sepulturáque cáreat; de hoc ego pronúntio, quod mélior illo sit abortívus. Frustra enim venit et pergit ad ténebras, et oblivióne delébitur nomen ejus. Non vidit solem neque cognóvit distántiam boni et mali, étiam si duóbus millibus annis víxerit et non fúerit perfrúitus bonis.

℟. Initium sapiéntiæ timor Dómini : * Intellléctus bonus ómnibus faciéntibus eum; laudátio ejus manet in sæculum sæculi. ℣. Diléctio illius custódia legum est : quia omnis sapiéntia timor Dómini. — Intelléctus.

In Octavis et Festis ritus simplicis : Glória Patri. Intelléctus.

Lectio iii

NOnne ad unum locum próperant ómnia? Omnis labor hóminis in ore ejus; sed ánima ejus non implébitur. Quid habet ámplius sápiens a stulto? et quid pauper, nisi ut pergat illuc ubi est vita? Mélius est vidére quod cúpias, quam desideráre quod néscias; sed et hoc vánitas est et præsúmptio spiritus.

℟. Verbum iniquum et dolósum longe fac a me, Dómine : * Divítias et paupertátem ne déderis mihi, sed tantum victui meo tríbue necessária. ℣. Duo rogávi te, ne déneges mihi, ántequam móriar. — Divítias. Glória Patri. Divítias.

SABBATO

De libro Ecclesiástæ

Lectio i Cap. 7, 1-9

QUid necésse est hómini majóra se quærere, cum ignóret quid condúcat sibi in vita sua, número diérum peregrinatiónis suæ et témpore quod velut

umbra præterit? Aut quis ei póterit indicáre quid post eum futúrum sub sole sit? Mélius est nomen bonum quam unguénta pretiósa, et dies mortis die nativitátis. Mélius est ire ad domum luctus quam ad domum convívii; in illa enim finis cunctórum admonétur hóminum, et vivens cógitat quid futúrum sit.

℟. Dómine, pater et Deus vitæ meæ, ne derelínquas me in cogitátu malígno : extolléntiam oculórum meórum ne déderis mihi, et desidérium malignum avérte a me, Dómine; aufer a me concupiscéntiam, * Et ánimo irreverénti et infruníto ne tradas me, Dómine. ℣. Ne derelínquas me, Dómine, ne accréscant ignorántiæ meæ, nec multiplicéntur delícta mea. — Et.

Lectio ii

MElior est ira risu, quia per tristítiam vultus corrígitur ánimus delinquéntis. Cor sapiéntium ubi tristítia est, et cor stultórum ubi lætítia. Mélius est a sapiénte córripi, quam stultórum adulatióne décipi; quia sicut sónitus spinárum ardéntium sub olla, sic risus stulti; sed et hoc vánitas. Calúmnia contúrbat sapiéntem et perdet robur cordis illíus. Mélior est finis oratiónis quam princípium, mélior est pátiens arrogánte.

℟. Magna enim sunt judícia tua, Dómine, et inenarrabília verba tua : * Magnificásti pópulum tuum et honorásti. ℣. Transtulísti illos per Mare Rubrum et transvexísti eos per aquam nímiam. — Magnificásti.

In Octavis simplicibus et in Officio sanctæ Mariæ in Sabbato : Glória Patri. Magnificásti.

Lectio iii Cap. 7, 11-14

NE dicas : Quid putas causæ est quod prióra témpora melióra fuére quam nunc sunt? stulta enim est hujuscémodi interrogátio. Útilior est sapiéntia cum divítiis et magis prodest vidéntibus solem. Sicut enim prótegit sapiéntia, sic prótegit pecúnia; hoc autem plus habet erudítio et sapiéntia, quod vitam tríbuunt possessóri suo. Considéra ópera Dei, quod nemo possit corrígere quem ille despéxerit.

℟. Quæ sunt in corde hóminum, óculi tui vident, Dómine, et in libro tuo ómnia scribéntur : * Homo videt in fácie, Deus autem in corde. ℣. Omnia enim

corda scrutátur, et univérsas méntium cogitatiónes intélligit. — Homo videt in fácie, Deus autem in corde. Glória Patri. Homo.

AD VESPERAS

℣. Vespertína orátio ascéndat ad te, Dómine. ℟. Et descéndat super nos misericórdia tua.

Ad Magnif. Ant. Omnis sapiéntia * a Dómino Deo est, et cum illo fuit semper, et est ante ævum.

Oratio Dominicæ occurrentis.

DOMINICA III AUGUSTI

Semiduplex

In I Nocturno

Incipit liber Sapiéntiæ

Lectio i Cap. 1, 1-11

DIlígite justítiam, qui judicátis terram, sentíte de Dómino in bonitáte et in simplicitáte cordis quærite illum; quóniam invenítur ab his qui non tentant illum, appáret autem eis qui fidem habent in illum. Pervérsæ enim cogitatiónes séparant a Deo, probáta autem virtus córripit insipiéntes; quóniam in malévolam ánimam non introíbit sapiéntia, nec habitábit in córpore súbdito peccátis.

℟. In princípio Deus ántequam terram fáceret, priúsquam abýssos constitúeret, priúsquam prodúceret fontes aquárum, * Antequam montes collocaréntur, ante omnes colles generávit me Dóminus. ℣. Quando præparábat cælos, áderam, cum eo cuncta compónens. — Antequam.

Lectio ii

SPíritus enim sanctus disciplínæ effúgiet fictum et áuferet se a cogitatiónibus quæ sunt sine intelléctu et corripiétur a superveniénte iniquitáte. Benígnus est enim spíritus sapiéntiæ et non liberábit malédicum a lábiis suis; quóniam renum illíus testis est Deus et cordis illíus scrutátor est verus et linguæ ejus auditor : quóniam spíritus Dómini replévit orbem terárum, et hoc quod cóntinet ómnia sciéntiam habet vocis. Propter hoc qui lóquitur iníqua non potest latére, nec prætériet illum corrípiens judícium.

℟. Gyrum cæli circuívi sola, et in flúctibus maris ambulávi, in omni gente et in omni pópulo primátum ténui : * Superbórum et sublímium colla própria virtúte calcávi. ℣. Ego in altíssimis hábito, et thronus meus in colúmna nubis. — Superbórum.

Lectio iii

IN cogitatiónibus enim ímpii interrogátio erit, sermónum autem illíus audítio ad Deum véniet ad correptiónem iniquitátum illíus; quóniam auris zeli audit ómnia, et tumúltus murmuratiónum non abscondétur. Custodíte ergo vos a murmuratióne, quæ nihil prodest, et a detractióne párcite linguæ, quóniam sermo obscúrus in vácuum non ibit, os autem quod mentítur occídit ánimam.

℟. Emítte, Dómine, sapiéntiam de sede magnitúdinis tuæ, ut mecum sit et mecum labóret : * Ut sciam, quid accéptum sit coram te omni témpore. ℣. Da mihi, Dómine, sédium tuárum assistrícem sapiéntiam. — Ut. Glória Patri. Ut.

In II Nocturno

Ex libro Officiórum sancti Ambrósii Epíscopi

Liber 1, cap. 28 et 29

Lectio iv

MAgnus justítiæ splendor, quæ áliis pótius nata quam sibi, communitátem et societátem nostram ádjuvat, excelsitátem tenet, ut suo judício ómnia subjécta hábeat, opem áliis ferat, pecúniam cónferat, offícia non ábnuat, perícula suscípiat aliéna. Quis non cúperet hanc virtútis arcem tenére, nisi prima avarítia infirmáret atque inflécteret tantæ virtútis vigórem? Etenim dum augére opes, aggregáre pecúnias, occupáre terras possessiónibus cúpimus, præstáre divítiis; justítiæ formam exúimus, beneficéntiam commúnem amíttimus.

℟. Da mihi, Dómine, sédium tuárum assistrícem sapiéntiam, et noli me reprobáre a púeris tuis : * Quóniam servus tuus sum ego, et filius ancíllæ tuæ. ℣. Mitte illam de sede magnitúdinis tuæ, ut mecum sit et mecum labóret. — Quóniam.

Lectio v

QUanta autem justítia sit, ex hoc intélligi potest, quod nec locis, nec persónis, nec tempóribus excipitur, quæ étiam hóstibus reservátur : ut, si constitútus sit cum hoste aut locus aut dies prælio, advérsus justítiam putétur aut loco prævenire aut témpore. Interest enim, utrum áliquis pugna áliqua et conflíctu gravi capiátur, an superióre grátia, vel áliquo eventu. Si ergo in bello justítia valet, quanto magis in pace servánda est?

℟. Inítium sapiéntiæ timor Dómini : * Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum; laudátio ejus manet in sæculum sæculi. ℣. Diléctio illíus custódia legum est : quia omnis sapiéntia timor Dómini. — Intelléctus.

Lectio vi

FUndaméntum ergo est justítiæ fides. Justórum enim corda meditántur fidem : et qui se justus accúsat, justítiam supra fidem cóllocat. Nam tunc justítia ejus appáret, si vera fateátur. Dénique et Dóminus per Isaíam : Ecce, inquit, mitto lápidem in fundaméntum Sion; id est, Christum in fundaméntum Ecclésiæ. Fides enim ómnium Christus; Ecclésia autem quædam forma justítiæ est, commúne jus ómnium : in commúne orat, in commúne operátur, in commúne tentátur. Dénique qui seípsum sibi ábnegat, ipse justus, ipse dignus Christo est. Ideo et Paulus fundaméntum pósuit Christum, ut supra eum ópera justítiæ locarémus, quia fides fundaméntum est.

℟. Verbum iníquum et dolósum longe fac a me, Dómine : * Divítias et paupertátem ne déderis mihi, sed tantum víctui meo tríbue necessária. ℣. Duo rogávi te, ne déneges mihi, ántequam móriar. — Divítias. Glória Patri. Divítias.

℟. vii Dómine et ℟. viii Duo Séraphim, ut infra in Homiliis.

FERIA SECUNDA

De libro Sapiéntiæ

Lectio i Cap. 3, 1-11

JUstórum autem ánimæ in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum mortis. Visi sunt óculis insipiéntium mori, et æstimáta est afflíctio éxitus illórum, et quod a nobis est iter extermínium; illi autem sunt in pace; et si coram homínibus torménta passi sunt, spes illórum immortalitáte plena est. In paucis vexáti in multis bene disponéntur, quóniam Deus tentávit eos et invénit illos dignos se. Tamquam aurum in fornáce probávit illos, et quasi holocáusti hóstiam accépit illos, et in témpore erit respéctus illórum.

℟. Ne derelínquas me, Dómine, pater et dominátor vitæ meæ, ut non córruam in conspéctu adversariórum meórum : * Ne gáudeat de me inimícus meus. ℣. Apprehénde arma et scutum et exsúrge in adjutórium mihi. — Ne gáudeat.

Lectio ii

FUlgébunt justi et tamquam scintíllæ in arundinéto discúrrent; judicábunt natiónes et dominabúntur pópulis, et regnábit Dóminus illórum in perpétuum. Qui confídunt in illo intélligent veritátem, et fidéles in dilectióne acquiéscent illi, quóniam donum et pax est eléctis ejus. Impii autem, secúndum quæ cogitavérunt, correptiónem habébunt, qui neglexérunt justum et a Dómino recessérunt. Sapiéntiam enim et disciplínam qui ábjicit infélix est; et vácua est spes illórum, et labóres sine fructu, et inutília ópera eórum.

℟. Magna enim sunt judícia tua, Dómine, et inenarrabília verba tua : * Magnificásti pópulum tuum et honorásti. ℣. Transtulísti illos per Mare Rubrum et transvexísti eos per aquam nímiam. — Magnificásti.

In Octavis et Festis ritus simplicis : Glória Patri. Magnificásti.

Lectio iii Cap. 5, 16-21

JUsti autem in perpétuum vivent, et apud Dóminum est merces eórum et cogitátio illórum apud Altíssimum. Ideo accípient regnum decóris et diadéma speciéi de manu Dómini; quóniam déxtera sua teget eos et bráchio sancto suo deféndet illos. Accípiet armatúram zelus illíus et armábit creatúram ad ultiónem inimicórum. Induet pro thoráce justítiam et accípiet pro gálea judícium certum, sumet scutum inexpugnábile æquitátem. Acuet autem duram iram in lánceam, et pugnábit cum illo orbis terrárum contra insensátos.

℟. Quæ sunt in corde hóminum, óculi tui vident, Dómine, et in libro tuo ómnia scribéntur : * Homo videt in fácie, Deus autem in corde. ℣. Omnia enim corda scrutátur, et univérsas méntium cogitatiónes intélligit. — Homo. Glória Patri. Homo.

FERIA TERTIA

De libro Sapiéntiæ

Lectio i Cap. 6, 1-13

MElior est sapiéntia quam vires, et vir prudens quam fortis. Audíte ergo, reges, et intellígite; díscite, júdices fínium terræ; præbéte aures, vos qui continétis multitúdines et placétis vobis in turbis natiónum; quóniam data est a Dó-

mino potéstas vobis, et virtus ab Altíssimo, qui interrogábit ópera vestra et cogitatiónes scrutábitur; quóniam, cum essétis minístri regni illíus, non recte judicástis nec custodístis legem justítiæ neque secúndum voluntátem Dei ambulástis.

℟. Præbe, fili, cor mihi, et óculi tui vias meas custódiant : * Ut addátur grátia cápiti tuo. ℣. Atténde, fili mi, sapiéntiam meam et ad elóquium meum inclína aurem tuam. — Ut.

Lectio ii

HOrrénde et cito apparébit vobis, quóniam judícium duríssimum his qui præsunt fiet. Exíguo enim concéditur misericórdia; poténtes autem poténter torménta patiéntur; non enim súbtrahet persónam cujúsquam Deus nec verébitur magnitúdinem cujúsquam; quóniam pusíllum et magnum ipse fecit, et æquáliter cura est illi de ómnibus; fortióribus autem fórtior instat cruciátio.

℟. Inítium sapiéntiæ timor Dómini : * Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum; laudátio ejus manet in sæculum sæculi. ℣. Diléctio illíus custódia legum est : quia omnis sapiéntia timor Dómini. — Intelléctus.

In Octavis et Festis ritus simplicis : Glória Patri. Intelléctus.

Lectio iii

AD vos ergo, reges, sunt hi sermónes mei, ut discátis sapiéntiam et non excidátis. Qui enim custodíerint justa juste, justificabúntur et, qui didícerint ista, invénient quid respóndeant. Concupíscite ergo sermónes meos, dilígite illos et habébitis disciplínam. Clara est et quæ numquam marcéscit sapiéntia et fácile vidétur ab his qui díligunt eam et invenítur ab his qui quærunt illam.

℟. Verbum iníquum et dolósum longe fac a me, Dómine : * Divítias et paupertátem ne déderis mihi, sed tantum víctui meo tríbue necessária. ℣. Duo rogávi te, ne déneges mihi, ántequam móriar. — Divítias. Glória Patri. Divítias.

FERIA QUARTA

De libro Sapiéntiæ

Lectio i Cap. 7, 1-14

SUM quidem et ego mortális homo símilis ómnibus et ex génere terréni illíus, qui prior factus est, et in ventre matris figurátus sum caro, decem ménsium témpore coagulátus sum in sánguine ex sémine hóminis et delectaménto somni conveniénte; et ego natus accépi commúnem áërem et in símiliter factam décidi terram et primam vocem símilem ómnibus emísi plorans; in involuméntis nutrítus sum et curis magnis. Nemo enim ex régibus áliud hábuit nativitátis inítium: unus ergo intróitus est ómnibus ad vitam et símilis éxitus.

℟. Dómine, pater et Deus vitæ meæ, ne derelínquas me in cogitátu malígno : extolléntiam oculórum meórum ne déderis mihi, et desidérium malígnum avérte a me, Dómine; aufer a me concupiscéntiam, * Et ánimo irreverénti et infruníto ne tradas me, Dómine. ℣. Ne derelínquas me, Dómine, ne accréscant ignorántiæ meæ, nec multiplicéntur delícta mea. — Et.

Lectio ii

PROpter hoc optávi, et datus est mihi sensus; et invocávi, et venit in me spíritus sapiéntiæ; et præpósui illam regnis et sédibus et divítias nihil esse duxi in comparatióne illíus. Nec comparávi illi lápidem pretiósum, quóniam omne aurum in comparatióne illíus aréna est exígua, et tamquam lutum æstimábitur argéntum in conspéctu illíus. Super salútem et spéciem diléxi illam et propósui pro luce habére illam, quóniam inexstinguíbile est lumen illíus.

℟. Magna enim sunt judícia tua, Dómine, et inenarrabília verba tua : * Magnificásti pópulum tuum et honorásti. ℣. Transtulísti illos per Mare Rubrum et transvexísti eos per aquam nímiam. — Magnificásti.

In Octavis et Festis ritus simplicis : Glória Patri. Magnificásti.

Lectio iii

VEnérunt autem mihi ómnia bona páriter cum illa, et innumerábilis honéstas per manus illíus; et lætátus sum in ómnibus, quóniam antecedébat me ista sapiéntia, et ignorábam quóniam horum ómnium mater est. Quam sine fictióne dídici et sine invídia commúnico et honestátem illius non abscóndo. Infinítus enim thesáurus est homínibus; quo qui usi sunt, partícipes facti sunt amicítiæ Dei, propter disciplínæ dona commendáti.

℟. Quæ sunt in corde hóminum, óculi tui vident, Dómine, et in libro tuo ómnia scribéntur : * Homo videt in fácie, Deus autem in corde. ℣. Omnia enim corda scrutátur, et univérsas méntium cogitatiónes intélligit. — Homo. Glória Patri. Homo.

FERIA QUINTA

De libro Sapiéntiæ

Lectio i Cap. 9, 13-19

QUis hóminum póterit scire consílium Dei? aut quis póterit cogitáre quid velit Deus? Cogitatiónes enim mortálium tímidæ, et incértæ providéntiæ nostræ; corpus enim quod corrúmpitur ággravat ánimam, et terréna inhabitátio déprimit sensum multa cogitántem. Et difficile æstimátus quæ in terra sunt, et quæ in prospéctu sunt invenímus cum labóre; quæ autem in cælis sunt quis investigábit? Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu déderis sapiéntiam, et míseris Spíritum Sanctum tuum de altíssimis, et sic corréctæ sint sémitæ eórum qui sunt in terris, et quæ tibi placent didícerint hómines? Nam per sapiéntiam sanáti sunt quicúmque placuérunt tibi, Dómine, a princípio.

℟. In princípio Deus ántequam terram fáceret, priúsquam abýssos constitúeret, priúsquam prodúceret fontes aquárum, * Antequam montes collocaréntur, ante omnes colles generávit me Dóminus. ℣. Quando præparábat cælos, áderam, cum eo cuncta compónens. — Antequam.

Lectio ii Cap. 10, 1-9

HÆC illum, qui primus formátus est a Deo pater orbis terrárum, cum solus esset creátus, custodívit et edúxit illum a delicto suo et dedit illi virtútem continéndi ómnia. Ab hac ut recéssit injústus in ira sua, per iram homicídii fratérni depériit. Propter quem, cum aqua deléret terram, sanávit íterum sapiéntia per contemptíbile lignum justum gubérnans. Hæc, et in consénsu nequítiæ cum se natiónes contulíssent, scivit justum et conservávit sine queréla Deo et in fílii misericórdia fortem custodívit.

℟. Gyrum cæli circuívi sola, et in flúctibus maris ambulávi, in omni gente et in omni pópulo primátum ténui : * Superbórum et sublímium colla própria virtúte calcávi. ℣. Ego in altíssimis hábito, et thronus meus in colúmna nubis. — Superbórum.

In Octavis et Festis ritus simplicis : Glória Patri. Superbórum.

Lectio iii

HÆC justum a pereúntibus ímpiis liberávit fugiéntem, descendénte igne in Pentápolim, quibus in testimónium nequítiæ fumigabúnda constat desérta terra, et incérto témpore fructus habéntes árbores, et incredíbilis ánimæ memória stans figméntum salis. Sapiéntiam enim prætereúntes non tantum in hoc lapsi sunt ut ignorárent bona, sed et insipiéntiæ suæ reliquérunt homínibus memóriam, ut in his, quæ peccavérunt nec latére potuíssent. Sapiéntia autem hos qui se obsérvant a dolóribus liberávit.

℟. Emítte, Dómine, sapiéntiam de sede magnitúdinis tuæ, ut mecum sit et mecum labóret : * Ut sciam, quid accéptum sit coram te omni témpore. ℣. Da mihi, Dómine, sédium tuárum assistrícem sapiéntiam. — Ut. Glória Patri. Ut.

FERIA SEXTA

De libro Sapiéntiæ

Lectio i Cap. 13, 1-10

VAni autem sunt omnes hómines, in quibus non subest sciéntia Dei; et de his, quæ vidéntur bona, non potuérunt intelligere eum qui est, neque opéribus attendéntes agnovérunt quis esset ártifex; sed aut ignem aut spíritum aut citátum áërem aut gyrum stellárum aut nímiam aquam aut solem et lunam rectóres orbis terrárum deos putavérunt. Quorum si spécie delectáti, deos putavérunt, sciant quanto his dominátor eórum speciósior est; speciéi enim generátor hæc ómnia constítuit.

℟. Da mihi, Dómine, sédium tuárum assistrícem sapiéntiam, et noli me reprobáre a púeris tuis : * Quóniam servus tuus sum ego, et fílius ancíllæ tuæ. ℣. Mitte illam de sede magnitúdinis tuæ, ut mecum sit et mecum labóret. — Quóniam.

Lectio ii

AUT, si virtútem et ópera eórum miráti sunt, intélligant ab illis, quóniam qui hæc fecit, fórtior est illis; a magnitúdine enim speciéi et creatúræ cognoscibíliter póterit Creátor horum vidéri. Sed tamen adhuc in his minor est queréla, et hi enim fortásse errant, Deum quæréntes et voléntes invenire. Etenim, cum in opéribus illius conversántur, inquírunt et persuásum habent quóniam bona sunt quæ vidéntur.

℟. Inítium sapiéntiæ timor Dómini : * Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum; laudátio ejus manet in sæculum sæculi. ℣. Diléctio illíus custódia legum est : quia omnis sapiéntia timor Dómini. — Intelléctus.

In Octavis et Festis ritus simplicis : Glória Patri. Intelléctus.

Lectio iii

ITerum autem nec his debet ignósci. Si enim tantum potuérunt scire, ut possent æstimáre sæculum, quómodo hujus Dóminum non facílius invenérunt? Infelíces autem sunt, et inter mórtuos spes illórum est, qui appellavérunt deos ópera mánuum hóminum, aurum et argéntum, artis inventiónem et similitúdines animálium aut lápidem inútilem opus manus antíquæ.

℟. Verbum iníquum et dolósum longe fac a me, Dómine : * Divítias et paupertátem ne déderis mihi, sed tantum víctui meo tribue necessária. ℣. Duo rogávi te, ne déneges míhi, ántequam mória r. — Divítias. Glória Patri. Divítias.

SABBATO

De libro Sapiéntiæ

Lectio i Cap. 15, 1-9

TU autem, Deus noster, suávis et verus es, pátiens et in misericórdia dispónens ómnia. Etenim, si peccavérimus, tui sumus, sciéntes magnitúdinem tuam; et, si non peccavérimus, scimus quóniam apud te sumus computáti. Nosse enim te, consummáta justítia est, et scire justítiam et virtútem tuam, radix est immortalitátis.

℟. Dómine, pater et Deus vitæ meæ, ne derelínquas me in cogitátu malígno : extolléntiam oculórum meórum ne déderis mihi, et desidérium malígnum avérte a me, Dómine; aufer a me concupiscéntiam, * Et ánimo irreverénti et infruníto ne tradas me, Dómine. ℣. Ne derelínquas me, Dómine, ne accréscant ignorántiæ meæ, nec multiplicéntur delícta mea. — Et.

Lectio ii

NON enim in errórem indúxit nos hóminum malæ artis excogitátio, nec umbra pictúræ labor sine fructu, effígies sculpta per vários colóres, cujus aspéctus insensáto dat concupiscéntiam, et díligit mórtuæ imáginis effígiem sine ánima. Malórum amatóres digni sunt qui spem hábeant in tálibus, et qui fáciunt illos et qui díligunt et qui colunt.

℟. Magna enim sunt judícia tua, Dómine, et inenarrábilia verba tua : * Magnificásti pópulum tuum et honorásti. ℣. Transtulísti illos per Mare Rubrum et transvexísti eos per aquam nímiam. — Magnificásti.

In Octavis simplicibus et in Officio S. Mariæ in Sabbato : Glória Patri. Magnificásti.

Lectio iii

SED et fígulus mollem terram premens laborióse fingit ad usus nostros unumquódque vas; et de eódem luto fingit, quæ munda sunt in usum vasa, et similiter quæ his sunt contrária; horum autem vasórum quis sit usus judex est figulus. Et cum labóre vano deum fingit de eódem luto ille, qui paulo ante de terra factus fúerat, et post pusíllum redúcit se unde accéptus est, repetítus ánimæ débitum quam habébat.

℟. Quæ sunt in corde hóminum, óculi tui vident, Dómine, et in libro tuo ómnia scribéntur : * Homo videt in fácie, Deus autem in corde. ℣. Omnia enim corda scrutátur, et univérsas méntium cogitatiónes intélligit. — Homo. Glória Patri. Homo.

AD VESPERAS

℣. Vespertína orátio ascéndat ad te, Dómine. ℟. Et descéndat super nos misericórdia tua.

Ad Magnif. Ant. Sapiéntia * clámitat in platéis : Si quis díligit sapiéntiam, ad me declínet, et eam invéniet; et, cum invénerit, beátus erit, si tenúerit eam.

Oratio Dominicæ occurrentis.

DOMINICA IV AUGUSTI

Semiduplex

In I Nocturno

Incipit liber Ecclesiástici

Lectio i Cap. 1, 1-16

OMnis sapiéntia a Dómino Deo est et cum illo fuit semper et est ante ævum. Arénam maris et plúviæ guttas et dies sæculi quis dinumerávit? Altitúdinem cæli et latitúdinem terræ et profúndum abýssi quis diménsus est? Sapiéntiam Dei præcedéntem ómnia quis investigávit? Prior ómnium creáta est sapiéntia, et intelléctus prudéntiæ ab ævo. Fons sapién-

tiæ Verbum Dei in excélsis, et ingréssus illíus mandáta ætérna.

℟. In princípio Deus ántequam terram fáceret, priúsquam abýssos constitúeret, priúsquam prodúceret fontes aquárum, * Antequam montes collocaréntur, ante omnes colles generávit me Dóminus. ℣. Quando præparábat cælos, áderam, cum eo cuncta compónens. — Antequam.

Lectio ii

RAdix sapiéntiæ cui revelàta est? et astútias illíus quis agnóvit? Disciplína sapiéntiæ cui revelàta est et manifestáta? et multiplicatiónem ingréssus illíus quis intellèxit? Unus est altíssimus, Creátor omnípotens et Rex potens et metuéndus nimis, sedens super thronum illíus et dóminans, Deus. Ipse creávit illam in Spíritu Sancto et vidit et dinumerávit et mensus est. Et effúdit illam super ómnia ópera sua et super omnem carnem secúndum datum suum et præbuit illam diligéntibus se.

℟. Gyrum cæli circuívi sola, et in flúctibus maris ambulávi, in omni gente et in omni pópulo primátum ténui : * Superbórum et sublímium colla própria virtúte calcávi. ℣. Ego in altíssimis hábito, et thronus meus in colúmna nubis. — Superbórum.

Lectio iii

TImor Dómini glória et gloriátio et lætítia et coróna exsultatiónis. Timor Dómini delectábit cor et dabit lætítiam et gáudium et longitúdinem diérum. Timénti Dóminum bene erit in extrémis et in die defunctiónis suæ benedicétur. Diléctio Dei honorábilis sapiéntia; quibus autem apparúerit in visu díligunt eam in visióne et in agnitióne magnálium suórum. Initium sapiéntiæ timor Dómini et cum fidélibus in vulva concreátus est.

℟. Emítte, Dómine, sapiéntiam de sede magnitúdinis tuæ, ut mecum sit et mecum labóret : * Ut sciam, quid accéptum sit coram te omni témpore. ℣. Da mihi, Dómine, sédium tuárum assistrícem sapiéntiam. — Ut. Glória Patri. Ut.

In II Nocturno

Ex libro Morálium sancti Gregórii Papæ

Liber 1, cap. 10 in cap. 1 Job

Lectio iv

SUnt nonnúlli, qui vitam suam négligunt et, dum transitória áppetunt, dum

ætérna vel non intélligunt, vel intellécta contémnunt, nec dolórem séntiunt, nec habére consílium sciunt; cumque supérna, quæ amisérunt, non consíderant, esse se (heu míseri) in bonis felíces putant. Nequáquam enim ad veritátis lucem, cui cónditi fúerant, mentis óculos érigunt; nequáquam ad contemplatiónem pátriæ ætérnæ desidérii ácies tendunt; sed semetípsos in his, ad quæ projécti sunt, deseréntes, vice pátriæ díligunt exsílium quod patiúntur, et in cæcitáte quam tólerant, quasi in claritáte lúminis exsúltant.

℟. Da mihi, Dómine, sédium tuárum assistrícem sapiéntiam, et noli me reprobáre a púeris tuis : * Quóniam servus tuus sum ego, et fílius ancíllæ tuæ. ℣. Mitte illam de sede magnitúdinis tuæ, ut mecum sit et labóret. — Quóniam.

Lectio v

AT contra, electórum mentes, dum transitória cuncta nulla esse conspíciunt, ad quæ sint cónditæ exquírunt : cumque eórum satisfactióni nihil extra Deum súfficit, ipsa inquisitiónis exercitatióne fatigáta illórum cogitátio, in Conditóris sui spe et contemplatióne requiéscit, supérnis intérseri cívibus áppetit; et unusquísque eórum adhuc in mundo córpore pósitus, mente tamen extra mundum surgit : ærúmnam exsílii, quam tólerat, deplórat, et ad sublímem pátriam incessántibus se amóris stímulis éxcitat. Cum ergo dolens videt, quam sit ætérnum quod pérdidit, ínvenit salúbre consílium, temporále hoc despícere quod percúrrit : et quo magis crescit consílii sciéntia, ut peritúra déserat, eo augétur dolor, quod necdum ad mansúra pertíngat.

℟. Initium sapiéntiæ timor Dómini : * Intellèctus bonus ómnibus faciéntibus eum; laudátio ejus manet in sæculum sæculi. ℣. Diléctio illíus custódia legum est : quia omnis sapiéntia timor Dómini. — Intellèctus.

Lectio vi

INtuéndum quoque est, quod nullus dolor mentis sit in actióne præcipitatiónis. Qui enim sine consiliis vivunt, qui seípsos rerum evéntibus præcípites déserunt, nullo ínterim cogitatiónum dolóre fatigántur. Nam qui sollérter in vitæ consílio

fígit mentem, caute sese in omni actióne circumspiciéndo considerat; et ne ex re, quæ ágitur, repentínus finis adversúsque surrípiat, hunc prius mólliter pósito pede cogitatiónis palpat : pensat, ne ab his quæ agénda sunt, præpédiat formído; ne in his quæ differénda sunt, præcipitátio impéllat; ne prava per concupiscéntiam apérto bello súperent; ne recta per inánem glóriam insidiándo supplántent.

℟. Verbum iníquum et dolósum longe fac a me, Dómine : * Divítias et paupertátem ne déderis mihi, sed tantum víctui meo tríbue necessária. ℣. Duo rogávi te, ne déneges mihi, ántequam móriar. — Divítias. Glória Patri. Divítias.

℟. vii Dómine et ℟. viii Duo Séraphim, ut infra in Homiliis.

FERIA SECUNDA

De libro Ecclesiástici

Lectio i Cap. 1, 22-40

GOróna sapiéntiæ timor Dómini, replens pacem et salútis fructum; et vidit et dinumerávit eam : útraque autem sunt dona Dei. Sciéntiam et intellèctum prudéntiæ sapiéntia compartiétur et glóriam ténentium se exáltat. Radix sapiéntiæ est timére Dóminum, et rami illíus longævi. In thesáuris sapiéntiæ intellèctus et sciéntiæ religiósitas, exsecrátio autem peccatóribus sapiéntia.

℟. Ne derelínquas me, Dómine, pater et dominátor vitæ meæ, ut non córruam in conspéctu adversariórum meórum : * Ne gáudeat de me inimícus meus. ℣. Apprehénde arma et scutum et exsúrge in adjutórium mihi. — Ne gáudeat.

Lectio ii

TImor Dómini expéllit peccátum; nam qui sine timóre est non póterit justificári; iracúndia enim animositátis illíus subvérsio illíus est. Usque in tempus sustinébit pátiens, et póstea reddítio jucunditátis. Bonus sensus usque in tempus abscóndet verba illíus, et lábia multórum enarrábunt sensum illíus. In thesáuris sapiéntiæ signiticátio disciplínæ, exsecrátio autem peccatóri cultúra Dei. Fili, concupíscens sapiéntiam consérva justítiam, et Deus præbébit illam tibi.

℟. Magna enim sunt judícia tua, Dómine, et inenarrabília verba tua : * Magnificásti pópulum tuum

et honorásti. ℣. Transtulísti illos per Mare Rubrum et transvexísti eos per aquam nímiam. — Magnificásti pópulum tuum et honorásti.

In Octavis et Festis ritus simplicis : Glória Patri. Magnificásti.

Lectio iii

SApiéntia enim et disciplína timor Dómini, et quod beneplácitum est illi fides et mansuetúdo, et adimplébit thesáuros illíus. Ne sis incredíbilis timóri Dómini, et ne accésseris ad illum dúplici corde. Ne fúeris hypócrita in conspéctu hóminum et non scandalizéris in lábiis tuis. Atténde in illis, ne forte cadas et addúcas ánimæ tuæ inhonoratiónem, et revélet Deus abscónsa tua et in médio synagógæ elídat te; quóniam accessísti malígne ad Dóminum, et cor tuum plenum est dolo et fallácia.

℟. Quæ sunt in corde hóminum, óculi tui vident, Dómine, et in libro tuo ómnia scribéntur : * Homo videt in fácie, Deus autem in corde. ℣. Omnia enim corda scrutátur, et univérsas méntium cogitatiónes intélligit. — Homo. Glória Patri. Homo.

FERIA TERTIA

De libro Ecclesiástici

Lectio i Cap. 2, 1-12

FIli, accédens ad servitútem Dei sta in justítia et timóre, et præpara ánimam tuam ad tentatiónem. Déprime cor tuum et sústine, inclína aurem tuam et súscipe verba intelléctus et ne festínes in témpore obductiónis. Sústine sustentatiónes Dei, conjúngere Deo et sústine, ut crescat in novíssimo vita tua.

℟. Præbe, fili, cor mihi, et óculi tui vias meas custódiant : * Ut addátur grátia cápiti tuo. ℣. Atténde, fili mi, sapiéntiam meam et ad elóquium meum inclína aurem tuam. — Ut.

Lectio ii

OMne quod tibi applícitum fúerit áccipe et in dolóre sústine et in humilitáte tua patiéntiam habe; quóniam in igne probátur aurum et argéntum, hómines vero receptíbiles in camíno humiliatiónis. Crede Deo, et recuperábit te, et dírige viam tuam et spera in illum : serva timórem illíus et in illo veterásce.

℟. Inítium sapiéntiæ timor Dómini : * Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum; laudátio ejus manet in sæculum sæculi. ℣. Diléctio illíus custódia legum est : quia omnis sapiéntia timor Dómini. — Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum; laudátio ejus manet in sæculum sæculi.

In Octavis et Festis ritus simplicis : Glória Patri. Intelléctus.

Lectio iii

MEtuéntes Dóminum, sustinéte misericórdiam ejus et non deflectátis ab illo, ne cadátis. Qui timétis Dóminum, crédite illi, et non evacuábitur merces vestra. Qui timétis Dóminum, speráte in illum, et in oblectatiónem véniet vobis misericórdia. Qui timétis Dóminum, diligite illum, et illuminabúntur corda vestra. Respícite, fílii, natiónes hóminum et scitóte quia nullus sperávit in Dómino et confúsus est. Quis enim permánsit in mandátis ejus et derelíctus est? aut quis invocávit eum, et despéxit illum?

℟. Verbum iniquum et dolósum longe fac a me, Dómine : * Divítias et paupertátem ne déderis mihi, sed tantum víctui meo tríbue necessária. ℣. Duo rogávi te, ne déneges mihi, ántequam móriar. — Divítias. Glória Patri. Divítias.

FERIA QUARTA

De libro Ecclesiástici

Lectio i Cap. 3, 1-33

FIlii sapiéntiæ ecclésia justórum, et nátio illórum obediéntia et diléctio. Judícium patris audíte, fílii, et sic fácite ut salvi sitis. Deus enim honorávit patrem in fíliis, et judícium matris exquírens firmávit in fílios. Qui diligit Deum exorábit pro peccátis et continébit se ab illis et in oratióne diérum exaudiétur.

℟. Dómine, pater et Deus vitæ meæ, ne derelínquas me in cogitátu malígno : extolléntiam oculórum meórum ne déderis mihi, et desidérium malígnum avérte a me, Dómine; aufer a me concupiscéntiam, * Et ánimo irreverénti et infrunito ne tradas me, Dómine. ℣. Ne derelínquas me, Dómine, ne accréscant ignorántiæ meæ, nec multiplicéntur delícta mea. — Et.

Lectio ii

ET, sicut qui thesaurízat, ita, et qui honorificat matrem suam; qui honórat patrem suum jucundábitur in fíliis et in die oratiónis suæ exaudiétur. Qui honórat patrem suum vita vivet longióre, et qui obédit patri refrigerábit matrem. Qui timet Dóminum honórat paréntes et quasi dóminis sérviet his qui se genuérunt.

℟. Magna enim sunt judícia tua, Dómine, et inenarrabília verba tua : * Magnificásti pópulum tuum et honorásti. ℣. Transtulísti illos per Mare Rubrum et transvexísti eos per aquam nímiam. — Magnificásti.

In Octavis et Festis ritus simplicis : Glória Patri. Magnificásti.

Lectio iii

IN ópere et sermóne et omni patiéntia honóra patrem tuum, ut supervéniat tibi benedíctio ab eo, et benedíctio illíus in novíssimo máneat. Benedíctio patris firmat domos filiórum, maledíctio autem matris eradícat fundaménta. Ne gloriéris in contuméli a patris tui, non enim est tibi glória ejus confúsio. Glória enim hóminis ex honóre patrís sui, et dédecus fílii pater sine honóre.

℟. Quæ sunt in corde hóminum, óculi tui vident, Dómine, et in libro tuo ómnia scribéntur : * Homo videt in fácie, Deus autem in corde. ℣. Omnia enim corda scrutátur, et univérsas méntium cogitatiónes intélligit. — Homo. Glória Patri. Homo.

FERIA QUINTA

De libro Ecclesiástici

Lectio i Cap. 3, 22-34

ALtióra te ne quæsíeris et fortióra te ne scrutátus fúeris; sed, quæ præcépit tibi Deus, illa cógita semper et in plúribus opéribus ejus ne fúeris curiósus; non est enim tibi necessárium ea quæ abscóndita sunt vidére óculis tuis. In supervácuis rebus noli scrutári multipliciter, et in plúribus opéribus ejus non eris curiósus; plúrima enim super sensum hóminum osténsa sunt tibi; multos quoque supplantávit suspício illórum et in vanitáte detínuit sensus illórum.

℟. In princípio Deus ántequam terram fáceret, priúsquam abýssos constitúeret, priúsquam prodúceret fontes aquárum, * Antequam montes collocaréntur, ante omnes colles generávit me Dóminus. ℣. Quando præparábat cælos, áderam, cum eo cuncta compónens. — Antequam.

Lectio ii

COR durum habébit male in novíssimo, et qui amat perículum in illo períbit. Cor ingrédiens duas vias non habébit succéssus, et pravus corde in

illis scandalizábitur. Cor nequam gravábitur in dolóribus, et peccátor adjíciet ad peccándum. Synagógæ superbórum non erit sánitas, frutex enim peccáti radicábitur in illis et non intelligétur.

℟. Gyrum cæli circuívi sola, et in flúctibus maris ambulávi, in omni gente et in omni pópulo primátum ténui : * Superbórum et sublímium colla própria virtúte calcávi. ℣. Ego in altíssimis hábito, et thronus meus in colúmna nubis. — Superbórum.

In Octavis et Festis ritus simplicis : Glória Patri. Superbórum.

Lectio iii

COR sapiéntis intellígitur in sapiéntia, et auris bona áudiet cum omni concupiscéntia sapiéntiam. Sápiens cor et intelligíbile abstinébit se a peccátis et in opéribus justitiæ succéssus habébit. Ignem ardéntem extínguit aqua, et eleemósyna resístit peccátis; et Deus prospéctor est ejus qui reddit grátiam, méminit ejus in pósterum, et in témpore casus sui invéniet firmaméntum.

℟. Emítte, Dómine, sapiéntiam de sede magnitúdinis tuæ, ut mecum sit et mecum labóret : * Ut sciam, quid accéptum sit coram te omni témpore. ℣. Da mihi, Dómine, sédium tuárum assistrícem sapiéntiam. — Ut. Glória Patri. Ut.

FERIA SEXTA

De libro Ecclesiástici

Lectio i Cap. 4, 1-11

FIli, eleemósynam páuperis ne defráudes et óculos tuos ne transvértas a páupere. Animam esuriéntem ne despéxeris et non exásperes páuperem in inópia sua. Cor ínopis ne afflíxeris et non prótrahas datum angustiánti. Rogatiónem contribuláti ne abjícias et non avértas fáciem tuam ab egéno.

℟. Da mihi, Dómine, sédium tuárum assistrícem sapiéntiam, et noli me reprobáre a púeris tuis : * Quóniam servus tuus sum ego, et fílius ancíllæ tuæ. ℣. Mitte illam de sede magnitúdinis tuæ, ut mecum sit et mecum labóret. — Quóniam.

Lectio ii

AB ínope ne avértas óculos tuos propter iram et non relínquas quæréntibus tibi retro maledícere; maledicéntis enim tibi in amaritúdine ánimæ, exaudiétur deprecátio illíus; exáudiet autem eum qui fecit illum. Congregatióni páuperum affábilem te fácito et presbýtero humília ánimam tuam et magnáto humília caput tuum.

℟. Initium sapiéntiæ timor Dómini : * Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum; laudátio ejus manet in sæculum sæculi. ℣. Diléctio illius custódia legum est : quia omnis sapiéntia timor Dómini. — Intelléctus.

In Octavis et Festis ritus simplicis : Glória Patri. Intelléctus.

Lectio iii

DEclína páuperi sine tristítia aurem tuam et redde débitum tuum et respónde illi pacífica in mansuetúdine. Líbera eum, qui injúriam pátitur, de manu supérbi et non ácide feras in ánima tua. In judicándo esto pupíllis miséricors ut pater et pro viro matri illórum; et eris tu velut fílius Altíssimi obédiens, et miserébitur tui magis quam mater.

℟. Verbum iníquum et dolósum longe fac a me, Dómine : * Divítias et paupertátem ne déderis mihi, sed tantum víctui meo tríbue necessária. ℣. Duo rogávi te, ne déneges mihi, ántequam móriar. — Divítias. Glória Patri. Divítias.

SABBATO

De libro Ecclesiástici

Lectio i Cap. 4, 23-36

FIli, consérva tempus et devíta a malo. Pro ánima tua ne confundáris dicere verum; est enim confúsio addúcens peccátum, et est confúsio addúcens glóriam et grátiam. Ne accípias fáciem advérsus fáciem tuam nec advérsus ánimam tuam mendácium. Ne revereáris próximum tuum in casu suo, nec retíneas verbum in témpore salútis. Non abscóndas sapiéntiam tuam in decóre suo.

℟. Dómine, pater et Deus vitæ meæ, ne derelínquas me in cogitátu malígno : extollántiam oculórum meórum ne déderis mihi, et desidérium malígnum avérte a me, Dómine; aufer a me concupiscéntiam, * Et ánimo irreverénti et infrunito ne tradas me, Dómine. ℣. Ne derelínquas me, Dómine, ne accréscant ignorántiæ meæ, nec multiplicéntur delícta mea. — Et.

Lectio ii

IN lingua enim sapiéntia dignóscitur, et sensus et sciéntia et doctrína in verbo sensáti, et firmaméntum in opéribus justítiæ. Non contradícas verbo veritátis ullo modo et de mendácio ineruditiónis tuæ confúndere. Non confundáris confitéri peccáta tua et ne subjícias te omni hómini pro peccáto. Noli resístere contra fáciem poténtis, nec conéris contra ictum flúvii.

℟. Magna enim sunt judícia tua, Dómine, et inenarrabília verba tua : * Magnificásti pópulum tuum et honorásti. ℣. Transtulísti illos per Mare Rubrum et transvexísti eos per aquam nímiam. — Magnificásti.

In Octavis simplicibus et in Officio S. Mariæ in Sabbato : Glória Patri. Magnificásti.

Lectio iii

PRO justítia agonizáre pro ánima tua et usque ad mortem certa pro justítia, et Deus expugnábit pro te inimícos tuos. Noli citátus esse in lingua tua et inútilis et remíssus in opéribus tuis. Noli esse sicut leo in domo tua evértens doméstico tuos et ópprimens subjéctos tibi. Non sit porrécta manus tua ad accipiéndum et ad dandum collécta.

℟. Quæ sunt in corde hóminum, óculi tui vident, Dómine, et in libro tuo ómnia scribéntur : * Homo videt in fácie, Deus autem in corde. ℣. Omnia enim corda scrutátur, et univérsas méntium cogitatiónes intélligit. — Homo. Glória Patri. Homo.

SABBATO

ante Dñicam V Augusti

Nisi hæc occurrat a die 29 ad 31 Augusti; quia tunc, ea cum sua hebdomada prætermissa, ponitur Dominica et hebdomada 1 Septembris, et hodie dicitur Antiphona Cum audísset, quæ assignatur Sabbato ante ipsam Dominicam primam Septembris, ut in parte autumnali.

AD VESPERAS

℣. Vespertína orátio ascéndat ad te, Dómine. ℟. Et descéndat super nos misericórdia tua.

Ad Magnif. Ant. Obsérva, fili, * præcépta patris tui, et ne dimíttas legem matris tuæ, sed liga eam semper in corde tuo.

Oratio Dominicæ occurrentis.

DOMINICA V AUGUSTI

Semiduplex

In I Nocturno

De libro Ecclesiástici

Lectio i Cap. 5, 1-16

NOli atténdere ad possessiónes iníquas, et ne díxeris : Est mihi suffíciens vita;

nihil enim próderit in témpore vindíctæ et obductiónis. Ne sequáris in fortitúdine tua concupiscéntiam cordis tui, et ne díxeris : Quómodo pótui? aut quis me subjíciet propter facta mea? Deus enim víndicans vindicábit. Ne díxeris : Peccávi, et quid mihi áccidit triste? Altíssimus enim est pátiens rédditor. De propitiáto peccáto noli esse sine metu, neque adjícias peccátum super peccátum.

℟. In princípio Deus ántequam terram fáceret, priúsquam abýssos constitúeret, priúsquam prodúceret fontes aquárum, * Antequam montes collocaréntur, ante omnes colles generávit me Dóminus. ℣. Quando præparábat cælos, áderam, cum eo cuncta compónens. — Antequam.

Lectio ii

ET ne dicas : Miserátio Dómini magna est, multitúdinis peccatórum meórum miserébitur; misericórdia enim et ira ab illo cito próximant, et in peccatóres réspicit ira illíus. Non tardes convérti ad Dóminum et ne différas de die in diem; súbito enim véniet ira illíus et in témpore vindíctæ dispérdet te. Noli ánxius esse in divítiis injústis; non enim próderunt tibi in die obductiónis et vindíctæ. Non véntiles te in omnem ventum et non eas in omnem viam; sic enim omnis peccátor probátur in dúplici lingua.

℟. Gyrum cæli circuívi sola, et in flúctibus maris ambulávi, in omni gente et in omni pópulo primátum ténui : * Superbórum et sublímium colla própria virtúte calcávi. ℣. Ego in altíssimis hábito, et thronus meus in colúmna nubis. — Superbórum.

Lectio iii

ESto firmus in via Dómini et in veritáte sensus tui et sciéntia; et prosequátur te verbum pacis et justítiæ. Esto mansuétus ad audiéndum verbum, ut intélligas, et cum sapiéntia próferas respónsum verum. Si est tibi intelléctus, respónde próximo; sin autem, sit manus tua super os tuum, ne capiáris in verbo indisciplináto et confundáris. Honor et glória in sermóne sensáti; lingua vero imprudéntis subvérsio est ipsíus. Non appelléris susúrro, et lingua tua ne capiáris et confundáris.

℟. Emítte, Dómine, sapiéntiam de sede magnitúdinis tuæ, ut mecum sit

et mecum labóret : * Ut sciam, quid accéptum sit coram te omni témpore. ℣. Da mihi, Dómine, sédium tuárum assistrícem sapiéntiam. — Ut. Glória Patri. Ut.

In II Nocturno

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi

Homilia 22 in 2 Cor. 10 in Moral.

Lectio iv

NE tardes convérti ad Dóminum, et ne différas de die in diem; nescis enim, quid paritúra sit superventúra dies. Perículum enim et metus est in differéndo; salus vero certa ac secúra, si nulla sit dilátio. Virtútem igitur cole : sic enim, licet júvenis moriáris, secúre discésseris : quod si ad senectútem pervéneris, cum multa facilitáte et nulla moléstia e vita discédes; duplicémque habébis festivitátem, et quod a vitæ malítia abstinúeris et quod virtútem colúeris. Ne dicas : Erit tempus, quando convérti licébit; verba enim hæc Deum valde exásperant.

℟. Da mihi, Dómine, sédium tuárum assistrícem sapiéntiam, et noli me reprobáre a púeris tuis : * Quóniam servus tuus sum ego, et fílius ancíllæ tuæ. ℣. Mitte illam de sede magnitúdinis tuæ, ut mecum sit et mecum labóret. — Quóniam.

Lectio v

CUR nam, cum ipse tibi ætérna sæcula promísit, tu in præsénti vita laboráre non vis, quæ parva et momentánea est; sed sic ignávus ac dissolútus agis, quasi hac breviórem áliam quamdam inquíras? Nonne illæ quotidiánæ comessatiónes, nonne illæ mensæ, nonne scorta illa, nonne theátra illa, nonne divítiæ illæ testántur inexplébilem malítiæ concupiscéntiam? Cógita bene, quod, quóties scortátus es, tóties condemnásti teípsum; peccátum enim ita se habet, ut, mox atque patrátum fúerit, sententiam ferat judex.

℟. Inítium sapiéntiæ timor Dómini : * Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum; laudátio ejus manet in sæculum sæculi. ℣. Diléctio illíus custódia legum est : quia omnis sapiéntia timor Dómini. — Intelléctus.

Lectio vi

INebriátus es? ventri indulsísti? rapuísti? siste jam gradum, verte te in divérsum : confitére Deo grátiam, quod non in médiis peccátis te ábstulit;

ne quære áliud tibi prorogári tempus, ut male operéris. Multi dum male ac vitióse víverent, súbito periérunt et in maniféstam damnatiónem abiérunt : time, ne idem tibi áccidat. Sed multis, inquit, dedit Deus spátium, ut in última senécta confiteréntur. Quid ígitur? numquid et tibi dábitur? Fortásse dabit, inquis. Cur dicis, fortásse? Cóntigit aliquóties? Cógita, quod de ánima delíberas : proínde étiam de contrário cógita, et dic : Quid autem, si non det? Quid autem, si det, inquis? Esto, dat quidem ipse : verúmtamen hoc illo cértius et utílius.

℟. Verbum iníquum et dolósum longe fac a me, Dómine : * Divítias et paupertátem ne déderis mihi, sed tantum víctui meo tríbue necessária. ℣. Duo rogávi te, ne déneges mihi, ántequam móriar. — Divítias. Glória Patri. Divítias.

℟. vii Dómine et ℟. viii Duo Séraphim, ut infra in Homiliis.

FERIA SECUNDA

De libro Ecclesiástici

Lectio i Cap. 7, 1-15

NOli fácere mala, et non te apprehéndent : discéde ab iníquo, et defícient mala abs te. Fili, non sémines mala in sulcis injustítiæ et non metes ea in séptuplum. Noli quærere a dómino ducátum, neque a rege cáthedram honóris. Non te justífices ante Deum, quóniam ágnitor cordis ipse est et penes regem noli velle vidéri sápiens.

℟. Ne derelínquas me, Dómine, pater et dominátor vitæ meæ, ut non córruam in conspéctu adversariórum meórum : * Ne gáudeat de me inimícus meus. ℣. Apprehénde arma et scutum et exsúrge in adjutórium mihi. — Ne gáudeat.

Lectio ii

NOli quærere fíeri judex, nisi váleas virtúte irrúmpere iniquitátes; ne forte exstiméscas fáciem poténtis et ponas scándalum in æquitáte tua. Non pecces in multitúdinem civitátis nec te immíttas in pópulum neque álliges duplícia peccáta, nec enim in uno eris immúnis. Noli esse pusillánimis in ánimo tuo, exoráre et fácere eleemósynam ne despícias.

℟. Magna enim sunt judícia tua, Dómine, et inenarrabília verba tua : * Magnificásti pópulum tuum et honorásti. ℣. Transtu-

lísti illos per Mare Rubrum et transvexísti eos per aquam nímiam. — Magnificásti pópulum tuum et honorásti.

In Octavis et Festis ritus simplicis : Glória Patri. Magnificásti.

Lectio iii

NE dicas : In multitúdine múnerum meórum respiciet Deus et, offerénte me Deo altíssimo, múnera mea suscípiet. Non irrídeas hóminem in amaritúdine ánimæ; est enim qui humíliat et exáltat, circumspéctor Deus. Noli aráre mendácium advérsus fratrem tuum neque in amícum similiter fácias. Noli velle mentíri omne mendácium; assidúitas enim illíus non est bona. Noli verbósus esse in multitúdine presbyterórum et non íteres verbum in oratióne tua.

℟. Quæ sunt in corde hóminum, óculi tui vident, Dómine, et in libro tuo ómnia scribéntur : * Homo videt in fácie, Deus autem in corde. ℣. Omnia enim corda scrutátur, et univérsas méntium cogitatiónes intélligit. — Homo. Glória Patri. Homo.

FERIA TERTIA

De libro Ecclesiástici

Lectio i Cap. 10, 1-16

JUdex sápiens judicábit pópulum suum, et princípatus sensáti stábilis erit. Secúndum júdicem pópuli sic et minístri ejus, et qualis rector est civitátis, tales et inhabitántes in ea. Rex insípiens perdet pópulum suum, et civitátes inhabitabúntur per sensum poténtium. In manu Dei potéstas terræ, et útilem rectórem suscitábit in tempus super illam. In manu Dei prospéritas hóminis, et super fáciem scribæ impónet honórem suum.

℟. Præbe, fili, cor mihi, et óculi tui vias meas custódiant : * Ut addátur grátia cápiti tuo. ℣. Atténde, fili mi, sapiéntiam meam et ad elóquium meum inclína aurem tuam. — Ut.

Lectio ii

OMnis injúriæ próximi ne memíneris et nihil agas in opéribus injúriæ. Odíbilis coram Deo est et homínibus supérbia, et execrábilis omnis iníquitas géntium. Regnum a gente in gentem transfértur propter injustítias et injúrias et contumélias et divérsos dolos. Aváro autem nihil

est sceléstius. Quid supérbit terra et cinis? Nihil est iníquius quam amáre pecúniam; hic enim et ánimam suam venálem habet, quóniam in vita sua projécit íntima sua.

℟. Inítium sapiéntiæ timor Dómini : * Intellléctus bonus ómnibus faciéntibus eum; laudátio ejus manet in sæculum sæculi. ℣. Diléctio illíus custódia legum est : quia omnis sapiéntia timor Dómini. — Intelléctus.

In Octavis et Festis ritus simplicis : Glória Patri. Intelléctus.

Lectio iii

OMnis potentátus brevis vita : languor prolíxior gravat médicum, brevem languórem præcídit médicus; sic et rex hódie est et cras moriétur : cum enim moriétur homo, hereditábit serpéntes et béstias et vermes. Inítium supérbiæ hóminis apostatáre a Deo; quóniam ab eo, qui fecit illum, recéssit cor ejus, quóniam inítium omnis peccáti est supérbia. Qui tenúerit illam adimplébitur maledíctis, et subvértet eum in finem. Proptérea exhonorávit Dóminus convéntus malórum et destrúxit eos usque in finem.

℟. Verbum iníquum et dolósum longe fac a me, Dómine : * Divítias et paupertátem ne déderis mihi, sed tantum víctui meo tríbue necessária. ℣. Duo rogávi te, ne déneges mihi, ántequam móriar. — Divítias. Glória Patri. Divítias.

FERIA QUARTA

De libro Ecclesiástici

Lectio i Cap. 13, 1-6

QUI tetígerit picem, inquinábitur ab ea; et, qui communicáverit supérbo, índuet supérbiam. Pondus super se tollet qui honestióri se communícat, et ditióri te ne sócius fúeris. Quid communicábit cácabus ad ollam? quando enim se colliserint, confringétur. Dives injúste egit et fremet, pauper autem læsus tacébit. Si largítus fúeris, assúmet te, et, si non habúeris, derelínquet te. Si habes, convívet tecum et evacuábit te, et ipse non dolébit super te.

℟. Dómine, pater et Deus vitæ meæ, ne derelínquas me in cogitátu malígno : extollántiam oculórum meórum ne déderis mihi, et desidérium malígnum avérte a me, Dómine; aufer a me concupiscéntiam, * Et ánimo irreverénti et infruníto ne

tradas me, Dómine. ℣. Ne derelínquas me, Dómine, ne accréscant ignorántiæ meæ, nec multiplicéntur delícta mea. — Et ánimo irreverénti et infruníto ne tradas me, Dómine.

Lectio ii Cap. 13, 9-22

HUmiliáre Deo et exspécta manus ejus; atténde, ne sedúctus in stultítiam humiliéris. Noli esse húmilis in sapiéntia tua, ne humiliátus in stultítiam seducáris. Advocátus a potentióre discéde, ex hoc enim magis te advocábit. Ne ímprobus sis, ne impingáris, et ne longe sis ab eo, ne eas in oblivión-em. Ne retíneas ex æquo loqui cum illo nec credas multis verbis illíus; ex multa enim loquéla tentábit te et subrídens interrogábit te de abscónditis tuis. Immítis ánimus illíus conservábit verba tua et non parcet de malítia et de vínculis.

℟. Magna enim sunt judícia tua, Dómine, et inenarrabília verba tua : * Magnificásti pópulum tuum et honorásti. ℣. Transtulísti illos per Mare Rubrum et transvexísti eos per aquam nímiam. — Magnificásti.

In Octavis et Festis ritus simplicis : Glória Patri. Magnificásti.

Lectio iii

CAve tibi et atténde diligénter audítui tuo, quóniam cum subversióne tua ámbulas; áudiens vero illa quasi in somnis vide et vigilábis. Omni vita tua dílige Deum et ínvoca illum in salúte tua. Omne ánimal díligit símile sibi, sic et omnis homo próximum sibi; omnis caro ad símilem sibi conjungétur, et omnis homo símili sui sociábitur. Si communicábit lupus agno aliquándo, sic peccátor justo. Quæ communicátio sancto hómini ad canem? aut quæ pars díviti ad páuperem?

℟. Quæ sunt in corde hóminum, óculi tui vident, Dómine, et in libro tuo ómnia scribéntur : * Homo videt in fácie, Deus autem in corde. ℣. Omnia enim corda scrutátur, et univérsas méntium cogitatiónes intélligit. — Homo. Glória Patri. Homo.

FERIA QUINTA

De libro Ecclesiástici

Lectio i Cap. 14, 1-17

BEátus vir, qui non est lapsus verbo ex ore suo et non est stimulátus in tristítia delícti; felix qui non hábuit ánimi sui tristítiam et non éxcidit a

spe sua. Viro cúpido et tenáci sine ratióne est substántia, et hómini lívido ad quid aurum? Qui acérvat ex ánimo suo injúste áliis cóngregat, et in bonis illíus álius luxuriábitur. Qui sibi nequam est, cui álii bonus erit? et non jucundábitur in bonis suis.

℟. In princípio Deus ántequam terram fáceret, priúsquam abýssos constitúeret, priúsquam prodúceret fontes aquárum, * Antequam montes collocaréntur, ante omnes colles generávit me Dóminus. ℣. Quando præparábat cælos, áderam, cum eo cuncta compónens. — Antequam.

Lectio ii

QUI sibi ínvidet, nihil est illo néquius, et hæc reddítio est malítiæ illíus; et, si bene fécerit, ignoránter et non volens facit et in novíssimo maniféstat malítiam suam. Nequam est óculus lívidi et avértens fáciem suam et despíciens ánimam suam. Insatiábilis óculus cúpidi in parte iniquitátis non satiábitur, donec consúmat arefáciens ánimam suam. Oculus malus ad mala et non satiábitur pane, sed índigens et in tristítia erit super mensam suam.

℟. Gyrum cæli circuívi sola, et in flúctibus maris ambulávi, in omni gente et in omni pópulo primátum ténui : * Superbórum et sublímium colla própria virtúte calcávi. ℣. Ego in altíssimis hábito, et thronus meus in colúmna nubis. — Superbórum.

In Octavis et Festis ritus simplicis : Glória Patri. Superbórum.

Lectio iii

FIli, si habes, bénefac tecum et Deo dignas oblatiónes offer. Memor esto quóniam mors non tardat, et testaméntum inferórum, quia demonstrátum est tibi; testaméntum enim hujus mundi morte moriétur. Ante mortem bénefac amíco tuo et secúndum vires tuas expórrigens da páuperi. Non defraudéris a die bono, et partícula boni doni non te prætéreat. Nonne áliis relínques dolóres et labóres tuos in divisióne sortis? Da et áccipe et justífica ánimam tuam : ante óbitum tuum operáre justítiam; quóniam non est apud ínferos invenire cibum.

℟. Emítte, Dómine, sapiéntiam de sede magnitúdinis tuæ, ut mecum sit et mecum labóret : * Ut sciam, quid accéptum sit coram te omni témpore. ℣. Da mihi, Dómine, sédium tuárum assistrícem sapiéntiam. — Ut sciam, quid accéptum sit coram te omni témpore. Glória Patri. Ut.

FERIA SEXTA

De libro Ecclesiástici

Lectio i Cap. 21, 1-16

FIli, peccásti? non adjícias íterum, sed et de prístinis deprecáre, ut tibi dimittántur. Quasi a fácie cólubri fuge peccáta et, si accésseris ad illa, suscípient te. Dentes leónis dentes ejus interficiéntes ánimas hóminum, quasi rhomphæa bis acúta omnis iníquitas, plagæ illíus non est sánitas. Objurgátio et injúriæ annullábunt substántiam, et domus, quæ nimis lócuples est, annullábitur supérbia : sic substántia supérbi eradicábitur.

℟. Da mihi, Dómine, sédium tuárum assistrícem sapiéntiam, et noli me reprobáre a púeris tuis : * Quóniam servus tuus sum ego, et fílius ancíllæ tuæ. ℣. Mitte illam de sede magnitúdinis tuæ, ut mecum sit et mecum labóret. — Quóniam.

Lectio ii

DEprecátio páuperis ex ore usque ad aures ejus pervéniet, et judícium festináto advéniet illi. Qui odit correptiónem, vestígium est peccatóris; et, qui timet Deum, convertétur ad cor suum. Notus a longe potens lingua audáci, et sensátus scit labi se ab ipso. Qui ædíficat domum suam impéndiis aliénis, quasi qui cólligit lápides suos in híeme. Stuppa collécta synagóga peccántium, et consummátio illórum flamma ignis.

℟. Inítium sapiéntiæ timor Dómini : * Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum; laudátio ejus manet in sæculum sæculi. ℣. Diléctio illíus custódia legum est : quia omnis sapiéntia timor Dómini. — Intelléctus.

In Octavis et Festis ritus simplicis : Glória Patri. Intelléctus.

Lectio iii

VIA peccántium complanáta lapídibus, et in fine illórum ínferi et ténebræ et pœnæ. Qui custódit justítiam continébit sensum ejus. Consummátio timóris Dei sapiéntia et sensus. Non erudiétur qui non est sápiens in bono; est autem sapiéntia quæ abúndat in malo, et non est sensus ubi est amaritúdo. Sciéntia sapiéntis tamquam inundátio abundábit, et consílium illíus sicut fons vitæ pérmanet.

℟. Verbum iníquum et dolósum longe fac a me, Dómine : * Divítias et paupertátem ne déderis mihi, sed tantum víctui meo tríbue necessária. ℣. Duo rogávi te, ne déneges mihi, ántequam móriar. — Divítias. Glória Patri. Divítias.

SABBATO

De libro Ecclesiástici

Lectio i Cap. 32, 1-17

RECtórem te posuérunt? noli extólli : esto in illis quasi unus ex ipsis. Curam illórum habe et sic conside et omni cura tua explícita recúmbe, ut lætéris propter illos et ornaméntum grátiæ accípias corónam, et dignatiónem consequáris corrogatiónis. Lóquere, major natu; decet enim te primum verbum diligénti sciéntia, et non impédias músicam.

℟. Dómine, pater et Deus vitæ meæ, ne derelínquas me in cogitátu malígno : extollléntiam oculórum meórum ne déderis mihi, et desidérium malígnum avérte a me, Dómine; aufer a me concupiscéntiam, * Et ánimo irreverénti et infrunito ne tradas me, Dómine. ℣. Ne derelínquas me, Dómine, ne accréscant ignorántiæ meæ, nec multiplicéntur delícta mea. — Et.

Lectio ii

UBI audítus non est, non effúndas sermónem et importúne noli extólli in sapiéntia tua. Gémmula carbúnculi in ornaménto auri, et comparátio musicórum in convívio vini; sicut in fabricatióne auri signum est smarágdi, sic número musicórum in jucúndo et moderáto vino. Audi tacens, et pro reveréntia accédet tibi bona grátia. Adoléscens, lóquere in tua causa vix. Si bis interrogátus fúeris, hábeat caput respónsum tuum.

℟. Magna enim sunt judícia tua, Dómine, et inenarrabília verba tua : * Magnificásti pópulum tuum et honorásti. ℣. Transtulísti illos per Mare Rubrum et transvexísti eos per aquam nímiam. — Magnificásti.

In Octavis simplicibus et in Officio S. Mariæ in Sabbato : Glória Patri. Magnificásti.

Lectio iii

IN multis esto quasi ínscius et audi tacens simul et quærens. In médio magnatórum non præsúmas et, ubi sunt senes, non multum loquáris. Ante grándinem præíbit coru-

scátio, et ante verecúndiam præíbit grátia et pro reveréntia accédet tibi bona grátia. Et hora surgéndi non te trices, præcúrre autem prior in domum tuam et illic avocáre et illic lude et age conceptiónes tuas et non in delíctis et verbo supérbo; et super his ómnibus benedícito Dóminum, qui fecit te, et inebriántem te ab ómnibus bonis suis.

℟. Quæ sunt in corde hóminum, óculi tui vident, Dómine, et in libro tuo ómnia scribéntur : * Homo videt in fácie, Deus autem in corde. ℣. Omnia enim corda scrutátur, et univérsas méntium cogitatiónes intélligit. — Homo. Glória Patri. Homo.

Homiliæ et Orationes

IN DOMINICIS PER ORDINEM DISPOSITÆ

a quarta usque ad decimam quintam post Pentecosten

DOMINICA IV
POST PENTECOSTEN

Semiduplex

Oratio Da nobis, ut infra ad Laudes.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 5, 1-11

IN illo témpore : Cum turbæ irrúerent in Jesum, ut audírent verbum Dei, et ipse stabat secus stagnum Genésareth. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi

Liber 4 in Lucæ cap. 5 prope finem libri

UBI Dóminus multis impartívit vária génera sanitátum, nec témpore, nec loco pótuit ab stúdio sanándi turba cohibéri. Vesper incúbuit, sequebántur; stagnum occúrrit, urgébant : et ídeo ascéndit in Petri navim. Hæc est illa navis, quæ adhuc secúndum Matthæum flúctuat, secúndum Lucam replétur píscibus : ut et princípia Ecclésiæ fluctuántis, et posterióra exuberántis agnóscas. Pisces enim sunt, qui hanc enávigant vitam. Ibi adhuc discípulis Christus dormit, hic præcipit; dormit enim tépidis, perféctis vígilat.

℟. Peccávi super número arénæ maris, et multiplicáta sunt peccáta mea; et non sum dignus vidére altitúdinem cæli præ multitúdine iniquitátis meæ : quóniam irritávi iram tuam, * Et malum coram te feci. ℣. Quóniam iniquitátem meam ego cognósco : et delíctum meum contra me est semper, quia tibi soli peccávi. — Et malum.

Lectio viii

NON turbátur hæc navis, in qua prudéntia návigat, abest perfídia, fides aspírat. Quemádmodum enim turbári póterat, cui præerat is, in quo Ecclésiæ firmaméntum est? Illic ergo turbátio, ubi módica fides; hic secúritas, ubi perfécta diléctio. Et si áliis imperátur, ut laxent rétia sua, soli tamen Petro dícitur : Duc in altum; hoc est, in profúndum disputatiónum. Quid enim tam altum, quam altitúdinem divitiárum vidére, scire Dei Fílium, et professiónem divínæ generatiónis assúmere? Quam licet mens non queat humána plene ratiónis investigatióne comprehéndere, fídei tamen plenitúdo compléctitur.

℟. Duo Séraphim clamábant alter ad álterum : * Sanctus, sanctus, sanctus Dóminus, Deus Sábaoth : * Plena est omnis terra glória ejus. ℣. Tres sunt qui testimónium dant ín cælo : Pater, Verbum, et Spíritus Sanctus; et hi tres unum sunt. — Sanctus. Glória Patri. Plena.

Lectio ix

NAM etsi non licet mihi scire, quemádmodum natus sit, non licet tamen nescíre, quod natus sit. Sériem generatiónis ignóro; sed auctórem generatiónis agnósco. Non interfúimus, cum ex Patre Dei Fílius nascerétur; sed interfúimus, cum a Patre Dei Fílius dicerétur. Si Deo non crédimus, cui credémus? Omnia enim quæ crédimus, vel visu crédimus, vel audítu : visus sæpe fállitur, audítus in fide est.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

℣. Dóminus regnávit, decórem índuit. ℟. Induit Dóminus fortitúdinem, et præcínxit se virtúte.

Ad Bened. Ant. Ascéndens Jesus * in navim et sedens docébat turbas. allelúja.

Oratio

DA nobis, quæsumus, Dómine : ut et mundi cursus pacífice nobis tuo órdine dirigátur; et Ecclésia tua tranquílla devotióne lætétur. Per Dóminum.

Ad Vesperas

℣. Dirigátur, Dómine, orátio mea. ℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Ad Magnif. Ant. Præcéptor, * per totam noctem laborántes nihil cépimus; in verbo autem tuo laxábo rete.

DOMINICA V
POST PENTECOSTEN

Semiduplex

Oratio Deus, qui, ut infra ad Laudes.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 5, 20-24

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Nisi abundáverit justítia vestra plus quam scribárum et pharisæórum, non intrábitis in regnum cælórum. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi

Liber 1 de Sermone Domini in monte, cap. 9

JUstítia pharisæórum est, ut non occídant : justítia eórum, qui intratúri sunt in regnum cælórum, ut non irascántur sine causa. Mínimum est ergo, non occídere; et qui illud sólverit, mínimus vocábitur in regno cælórum. Qui autem illud impléverit, ut non occídat, non contínuo magnus erit, et idóneus regno cælórum; sed tamen ascéndit áliquem gradum : perficiétur autem, si nec irascátur sine causa; quod si perfécerit, multo remótior erit ab homicídio. Quaprópter qui docet, ut non irascámur, non solvit legem, ne occidámus, sed implet pótius; ut et foris, dum non occídimus, et in corde, dum non iráscimur, innocéntiam custodiámus.

℟. Peccávi super número arénæ maris, et multiplicáta sunt peccáta mea; et non sum dignus vidére altitúdinem cæli præ multitúdine iniquitátis meæ : quóniam irritávi iram tuam, * Et malum coram te feci. ℣. Quóniam iniquitátem meam ego cognósco : et delíctum meum contra me est semper, quia tibi soli peccávi. — Et.

Lectio viii

GRadus ítaque sunt in istis peccátis : ut primo quisque irascátur, et eum motum retíneat corde concéptum. Jam si extórserit vocem indignántis ipsa commótio, non significántem áliquid, sed illum ánimi motum ipsa eruptióne testántem, qua feriátur ille, cui irascitur; plus est útique. quam si surgens ira siléntio premerétur. Si vero non solum vox indignántis audiátur, sed étiam verbum, quo jam certam ejus vituperatiónem, in quem profértur, desígnet et notet; quis dúbitet, ámplius hoc esse, quam si solus indignatiónis sonus ederétur?

℟. Duo Séraphim clamábant alter ad álterum : * Sanctus, sanctus, sanctus Dóminus, Deus Sábaoth : * Plena est omnis terra glória ejus. ℣. Tres sunt qui testimónium dant in cælo : Pater, Verbum, et Spíritus Sanctus; et hi tres unum sunt. — Sanctus. Glória Patri. Plena.

Lectio ix

VIde nunc étiam tres reátus, judícii, concílii, et gehénnæ ignis. Nam in judício adhuc defensióni datur locus. In concílio autem, quamquam et judícium esse sóleat, tamen quia interésse áliquid hoc loco fatéri cogit ipsa distínctio, vidétur ad concílium pertinére senténtiæ prolátio; quando non jam cum ipso reo ágitur, utrum damnándus sit; sed inter se, qui júdicant, cónferunt, quo supplício damnári opórteat, quem constat esse damnándum. Gehénna vero ignis, nec damnatiónem habet dúbiam, sicut judícium, nec damnáti pœnam, sicut concílium : in gehénna quippe ignis, certa est damnátio, et pœna damnáti.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

℣. Dóminus regnávit, decórem índuit. ℟. Induit Dóminus fortitúdinem, et præcínxit se virtúte.

Ad Bened. Ant. Audístis, * quia dictum est antíquis : Non occídes; qui autem occíderit, reus erit judício.

Oratio

DEus, qui diligéntibus te bona invisibília præparásti : infúnde córdibus nostris tui amóris afféctum; ut, te in ómnibus et super ómnia diligéntes, promissiónes tuas, quæ omne desidérium súperant, consequámur. Per Dóminum.

Ad Vesperas

℣. Dirigátur, Dómine, orátio mea. ℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Ad Magnif. Ant. Si offers * munus tuum ad altáre et recordátus fúeris, quia frater tuus habet áliquid advérsus te, relínque ibi munus tuum ante altáre et vade prius reconciliári fratri tuo, et tunc véniens ófferes munus tuum, allelúja.

DOMINICA VI
POST PENTECOSTEN

Semiduplex

Oratio Deus virtútum, ut infra ad Laudes.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii
secúndum Marcum

Lectio vii Cap. 8, 1-9

IN illo témpore : Cum turba multa esset cum Jesu nec habérent quod manducárent, convocátis discípulis, ait illis : Miséreor super turbam, quia ecce jam tríduo sústinent me nec habent quod manducent. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii
Epíscopi

Liber 6 in Lucæ cap. 9 post initium

POsteáquam illa, quæ Ecclésiæ typum accépit, a fluxu curáta est sánguinis, posteáquam Apóstoli ad evangelizándum regnum Dei sunt destináti, grátiæ cæléstis impartítur aliméntum. Sed quibus impartiátur, advérte. Non otiósis, non in civitáte, quasi in synagóga vel sæculári dignitáte residéntibus; sed inter desérta quæréntibus Christum. Qui enim non fastídiunt, ipsi excipiúntur a Christo, et cum ipsis lóquitur Dei Verbum, non de sæculáribus, sed de regno Dei. Et si qui corporális gerunt úlcera passiónis, his medicínam suam libénter indúlget.

℟. Peccávi super número rum arénæ maris, et multiplicáta sunt peccáta mea; et non sum dignus vidére altitúdinem cæli præ multitúdine iniquitátis meæ : quóniam irritávi iram tuam, * Et malum coram te feci. ℣. Quóniam iniquitátem meam ego cognósco : et delíctum meum contra me est semper, quia tibi soli peccávi. — Et.

Lectio viii

GOnsequens ígitur erat, ut, quos a vúlnerum dolóre sanáverat, eos alimóniis spiritálibus a jejúnio liberáret. Itaque nemo cibum áccipit Christi, nisi fúerit ante sanátus; et illi, qui vocántur ad cœnam,

prius vocándo sanántur. Si claudus fuit, gradiéndi facultátem, ut veníret, accépit : si lúmine oculórum privátus, domum útique Dómini, nisi refúsa luce, intráre non pótuit.

℟. Duo Séraphim clamábant alter ad álterum : * Sanctus, sanctus, sanctus Dóminus, Deus Sábaoth : * Plena est omnis terra glória ejus. ℣. Tres sunt qui testimónium dant in cælo : Pater, Verbum, et Spíritus Sanctus; et hi tres unum sunt. — Sanctus. Glória Patri. Plena.

Lectio ix

UBique igitur mystérii ordo servátur, ut prius per remissiónem peccatórum vulnéribus medicína tribuátur, post alimónia mensæ cæléstis exúberet; quamquam nondum validióribus hæc turba reficiátur aliméntis, neque Christi córpore et sánguine jejúna solidióris fídei corda pascántur. Lacte, inquit, vos potávi, non esca; nondum enim poterátis, sed nec adhuc quidem potéstis. In modum lactis quinque sunt panes : esca autem solídior corpus est Christi; potus veheméntior sanguis est Dómini.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

℣. Dóminus regnávit, decórem índuit. ℟. Induit Dóminus fortitúdinem, et præcínxit se virtúte.

Ad Bened. Ant. Cum turba multa * esset cum Jesu nec habérent quod manducárent, convocátis discípulis, ait illis : Miséreor super turbam, quia ecce jam tríduo sústinent me nec habent quod mandúcent, allelúja.

Oratio

DEus virtútum, cujus est totum quod est óptimum : ínsere pectóribus nostris amórem tui nóminis, et præsta in nobis religiónis augméntum; ut, quæ sunt bona, nútrias, ac pietátis stúdio, quæ sunt nutríta, custódias. Per Dóminum.

Ad Vesperas

℣. Dirigátur, Dómine, orátio mea. ℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Ad Magnif. Ant. Miséreor * super turbam, quia ecce jam tríduo sústinent me nec habent quod mandúcent, et, si dimísero eos jejúnos, defícient in via, allelúja.

DOMINICA VII
POST PENTECOSTEN

Semiduplex

Oratio Deus, cujus, ut infra ad Laudes.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 7, 15-21

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Atténdite a falsis prophétis, qui véniunt ad vos in vestiméntis óvium intrínsecus autem sunt lupi rapáces. Et réliqua.

Homília sancti Hilárii Epíscopi

Comment. in Matth. can. 6

BLandiménta verbórum, et mansuetúdinis simulatiónem ádmonet fructu operatiónis expéndi oportére; ut, non qualem quis verbis réferat, sed qualem se rebus effíciat, spectémus; quia in multis vestítu óvium rábies lupína contégitur. Ergo ut spinæ uvas, ut tríbuli ficus non génerant, et ut iníquæ árbores utília poma non áfferunt : ita ne in istis quidem consístere docet boni óperis efféctum, et idcírco omnes cognoscéndos esse de frúctibus. Regnum enim cælórum sola verbórum offícia non óbtinent; neque qui díxerit : Dómine, Dómine, heres illíus erit.

Ante Dominicam I Augusti

℟. Peccávi super número rum arénæ maris, et multiplicáta sunt peccáta mea; et non sum dignus vidére altitúdinem cæli præ multitúdine iniquitátis meæ : quóniam irritávi iram tuam, * Et malum coram te feci. ℣. Quóniam iniquitátem meam ego cognósco : et delíctum meum contra me est semper, quia tibi soli peccávi. — Et.

In Dominica I Augusti

℟. Dómine, pater et Deus vitæ meæ, ne derelínquas me in cogitátu malígno : extolléntiam oculórum meórum ne déderis mihi, et desidérium malígnum avérte a me, Dómine; aufer a me concupiscéntiam, * Et ánimo irreverénti et infruníto ne tradas me, Dómine. ℣. Ne derelínquas me, Dómine, ne accréscant ignorántiæ meæ, nec multiplicéntur delícta mea. — Et.

Lectio viii

QUid enim mériti est Dómino dícere, Dómine? Numquid Dóminus non erit, nisi fúerit dictus a nobis? Et quæ offícii sánctitas est nóminis nuncupátio, cum cæléstis regni iter obediéntia pótius voluntátis Dei, non nuncupátio, repertúra sit? Multi mihi dicent in illa die : Dómine, Dómine, nonne in tuo nómine prophetávimus? Etiam nunc pseudoprophetárum fraudulén tiam et hypocritárum simulaménta condémnat, qui glóriam sibi ex verbi virtúte præsúmunt, in doctrínæ prophetía, et dæmoniórum fuga, et istiúsmodi óperum virtútibus.

℟. Duo Séraphim clamábant alter ad álterum : * Sanctus, sanctus, sanctus Dóminus, Deus Sábaoth : * Plena est omnis terra glória ejus. ℣. Tres sunt qui testimónium dant in cælo : Pater, Verbum, et Spíritus Sanctus; et hi tres unum sunt. — Sanctus. Glória Patri. Plena.

Lectio ix

ATque hinc sibi regnum cælórum pollicéntur : quasi vero eórum áliquid próprium sit, quæ loquúntur aut fáciunt, et non ómnia virtus Dei invocáta perfíciat; cum doctrínæ sciéntiam léctio afferat, dæmónia Christi nomen exágitet. De nostro ígitur est beáta illa ætérnitas promerénda, præstandúmque est áliquid ex próprio, ut bonum velímus, malum omne vitémus, totóque afféctu præcéptis cæléstibus obtemperémus, ac tálibus offíciis cógniti Deo simus, agamúsque pótius quod vult, quam quod potest gloriémur; repúdians eos ac repéllens, quos a cognitióne sua, ópera iniquitátis avérterint.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

℣. Dóminus regnávit, decórem índuit. ℟. Induit Dóminus fortitúdinem, et præcínxit se virtúte.

Ad Bened. Ant. Atténdite * a falsis prophétis, qui véniunt ad vos in vestiméntis óvium, intrínsecus autem sunt lupi rapáces; a frúctibus eórum cognoscétis eos, allelúja.

Oratio

DEus, cujus providéntia in sui dispositióne non fállitur : te súpplices exorámus; ut nóxia cuncta submóveas, et ómnia nobis profutúra concédas. Per Dóminum.

Ad Vesperas

℣. Dirigátur, Dómine, orátio mea. ℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Ad Magnif. Ant. Non potest arbor * bona fructus malos fácere, nec arbor mala fructus bonos fácere. Omnis arbor, quæ non fa-

cit fructum bonum, excidétur, et in ignem mittétur, allelúja.

DOMINICA VIII
POST PENTECOSTEN

Semiduplex Oratio

LArgíre nobis, quǽsumus, Dómine, semper spíritum cogitándi quæ recta sunt, propítius et agéndi : ut, qui sine te esse non póssumus, secúndum te vívere valeámus. Per Dóminum.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 16, 1-9

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Homo quidam erat dives, qui habébat víllicum, et hic diffamátus est apud illum, quasi dissipásset bona ipsíus. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbýteri

Ep. 151 ad Algas., quæst. 6, t. 3

SI dispensátor iníqui mammónæ, dómini voce laudátur, quod de re iníqua sibi justítiam præparárit; et passus dispéndia dóminus laudat dispensatóris prudéntiam, quod advérsus dóminum quidem fraudulénter, sed pro se prudénter égerit : quanto magis Christus, qui nullum damnum sustinére potest, et pronus est ad cleméntiam, laudábit discípulos suos, si in eos, qui creditúri sibi sunt, misericórdes fúerint?

Ante Dominicam I Augusti

℟. Peccávi super número rum arénæ maris, et multiplicáta sunt peccáta mea; et non sum dignus vidére altitúdinem cæli præ multitúdine iniquitátis meæ : quóniam irritávi iram tuam, * Et malum coram te feci. ℣. Quóniam iniquitátem meam ego cognósco : et delíctum meum contra me est semper, quia tibi soli peccávi. — Et.

In Dominicis Augusti

℟. Dómine, pater et Deus vitæ meæ, ne derelínquas me in cogitátu malígno : extolléntiam oculórum meórum ne déderis mihi, et desidérium malígnum avérte a me, Dómine; aufer a me concupiscéntiam, * Et ánimo irreverénti et infruníto ne tradas me, Dómine. ℣. Ne derelínquas me, Dómine, ne accréscant ignorántiæ meæ, nec multiplicéntur delícta mea. — Et.

Lectio viii

DEnique post parábolam íntulit : Et ego vobis dico, Fácite vobis amícos de iníquo mammóna. Mammóna autem non Hebræórum, sed Syrórum lingua divítiæ nuncupántur, quod de iniquitáte colléctæ sint. Si ergo iníquitas bene dispensáta vértitur in justítiam : quanto magis sermo divínus, in quo nulla est iníquitas, qui et Apóstolis créditus est, si bene fúerit dispensátus, dispensatóres suos levábit in cælum?

℟. Duo Séraphim clamábant alter ad álterum : * Sanctus, sanctus, sanctus Dóminus, Deus Sábaoth : * Plena est omnis terra glória ejus. ℣. Tres sunt qui testimónium dant in cælo : Pater, Verbum, et Spíritus Sanctus; et hi tres unum sunt. — Sanctus. Glória Patri. Plena.

Lectio ix

QUam ob rem séquitur : Qui fidélis est in mínimo, hoc est, in carnálibus; et in multis fidélis erit, hoc est, in spirituálibus. Qui autem in parvo iníquus est, ut non det frátribus ad uténdum, quod a Deo pro ómnibus est creátum; iste et in spirituáli pecúnia dividénda iníquus erit, ut non pro necessitáte, sed pro persónis doctrínam Dómini dívidat. Si autem, inquit, carnáles divítias, quæ labúntur, non bene dispensátis; veras ætersásque divítias doctrínæ Dei quis credet vobis?

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

℣. Dóminus regnávit, decórem índuit. ℟. Induit Dóminus fortitúdinem, et præcínxit se virtúte.

Ad Bened. Ant. Ait dóminus víllico : * Quid hoc áudio de te? redde ratiónem villicatiónis tuæ, allelúja.

Oratio

LArgíre nobis, quǽsumus, Dómine, semper spíritum cogitándi quæ recta sunt, propítius et agéndi : ut, qui sine te esse non póssumus, secúndum te vívere valeámus. Per Dóminum.

Ad Vesperas

℣. Dirigátur, Dómine, orátio mea. ℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Ad Magnif. Ant. Quid fáciam, * quia dóminus meus aufert a me villicatiónem? Fódere non váleo, mendicáre erubésco. Scio quid fáciam, ut, cum amótus fúero a villicatióne, recípiant me in domos suas.

DOMINICA IX
POST PENTECOSTEN

Semiduplex Oratio

PAteant aures misericórdiæ tuæ, Dómine, précibus supplicántium : et, ut peténtibus desideráta concédas; fac eos, quæ tibi sunt plácita, postuláre. Per Dóminum.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 19, 41-47

IN illo témpore : Cum appropinquáret Jesus Jerúsalem, videns civitátem flevit super illam dicens : Quia si cognovísses et tu, et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi! Nunc autem abscóndita sunt ab óculis tuis. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ

Homilia 39 in Evangelia

QUod a flente Dómino illa Jerosolymórum subvérsio describitur, quæ a Vespasiáno et Tito Románis princípibus facta est, nullus, qui históriam eversiónis ejúsdem legit, ignórat. Román étenim príncipes denuntiántur, cum dícitur : Quia vénient dies in te, et circúmdabunt te inimíci tui vallo. Hoc quoque quod ádditur, Non relínquent in te lápidem super lápidem : étiam jam ipsa ejúsdem civitátis transmigrátio testátur; quia, dum nunc in eo loco constrúcta est, ubi extra portam fúerat Dóminus crucifíxus, prior illa Jerúsalem, ut dícitur, fúnditus est evérsa.

Ante Dominicam I Augusti

℟. Peccávi super número rum arénæ maris, et multiplicáta sunt peccáta mea; et non sum dignus vidére altitúdinem cæli præ multitúdine iniquitátis meæ : quóniam irritávi iram tuam, * Et malum coram te feci. ℣. Quóniam iniquitátem meam ego cognósco : et delíctum meum contra me est semper, quia tibi soli peccávi. — Et.

In Dominicis Augusti

℟. Dómine, pater et Deus vitæ meæ, ne derelínquas me in cogitátu malígno : extolléntiam oculórum meórum ne déderis mihi, et desidérium malígnum avérte a me, Dómine; aufer a me concupiscéntiam, * Et ánimo irreverénti et infruníto ne tradas me, Dómine. ℣. Ne derelínquas me, Dómine, ne accréscant ignorántiæ meæ, nec multiplicéntur delícta mea. — Et.

Lectio viii

CUI ex qua culpa eversiónis suæ pœna fúerit illáta, subjúngitur : Eo quod non cognóveris tempus visitatiónis tuæ. Creátor quippe hóminum per incarnatiónis suæ mystérium hanc visitáre dignátus est; sed ipsa timóris et amóris illíus recordáta non est. Unde étiam per Prophétam in increpatióne cordis humáni aves cæli ad testimónium deducúntur, dum dícitur : Milvus in cælo cognóvit tempus suum, turtur et hirúndo et cicónia custodiérunt tempus advéntus sui; pópulus autem meus non cognóvit judícium Dómini.

℟. Duo Séraphim clamábant alter ad álterum : * Sanctus, sanctus, sanctus Dóminus, Deus Sábaoth : * Plena est omnis terra glória ejus. ℣. Tres sunt qui testimónium dant in cælo : Pater, Verbum, et Spíritus Sanctus; et hi tres unum sunt. — Sanctus. Glória Patri. Plena.

Lectio ix

FLevit étenim prius Redémptor ruínam pérfidæ civitátis, quam ipsa sibi cívitas non cognoscébat esse ventúram. Cui a flente Dómino recte dícitur : Quia si cognovísses, et tu; subáudi, fleres : quæ modo, quia nescis quod ímminet, exsúltas. Unde et súbditur : Et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi. Cum enim carnis se voluptátibus daret, et ventúra mala non prospíceret; in die sua, quæ ad pacem esse ei póterant, habébat.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

℣. Dóminus regnávit, decórem índuit. ℟. Induit Dóminus fortitúdinem, et præcínxit se virtúte.

Ad Bened. Ant. Cum appropinquáret * Dóminus Jerúsalem, videns civitátem flevit super illam, et dixit : Quia si cognovísses et tu, quia vénient dies in te, et circúmdabunt te inimíci tui vallo et circúmdabunt te et coangustábunt te úndique et ad terram prostérnent te : eo quod non cognovísti tempus visitatiónis tuæ, allelúja.

Oratio

PAteant aures miseri-córdiæ tuæ, Dómine, précibus supplicántium : et, ut peténtibus desideráta concédas; fac eos, quæ tibi sunt plácita, postuláre. Per Dóminum.

Ad Vesperas

℣. Dirigátur, Dómine, orátio mea. ℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Ad Magnif. Ant. Scriptum est enim : * Quia domus mea domus oratiónis est cunctis géntibus; vos autem fecístis illam spelúncam latrónum. Et erat quotídie docens in templo.

DOMINICA X
POST PENTECOSTEN

Semiduplex Oratio

DEus, qui omnipoténtiam tuam parcéndo máxime et miserándo maniféstas : multíplica super nos misericórdiam tuam; ut ad tua promíssa curréntes, cæléstium bonórum fácias esse consórtes. Per Dóminum.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 18, 9-14

IN illo témpore : Dixit Jesus ad quosdam, qui in se confidébant tamquam justi et aspernabántur céteros, parábolam istam : Duo hómines ascendérunt in templum, ut orárent : unus pharisæus, et alter publicánus. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi

Sermo 36 de verbis Domini, circa medium

DIceret saltem pharisæus : Non sum sicut multi hómines. Quid est, céteri hómines, nisi omnes præter ipsum? Ego, inquit, justus sum, céteri peccatóres. Non sum sicut céteri hómines, injústi, raptóres, adúlteri. Et ecce tibi ex vicíno publicáno majóris tumóris occásio : Sicut, inquit, publicánus iste. Ego, inquit, solus sum : iste de céteris est. Non sum, inquit, talis, qualis iste, per justítias meas, quibus iniquus non sum.

Ante Dominicam I Augusti

℟. Peccávi super número-rum arénæ maris, et multiplicáta sunt peccáta mea; et non sum dignus vidére altitúdinem cæli præ multitúdine iniquitátis meæ : quóniam irritávi iram tuam, * Et malum coram te feci. ℣. Quóniam iniquitátem meam ego cognósco : et delíctum meum contra me est semper, quia tibi soli peccávi. — Et.

In Dominicis Augusti

℟. Dómine, pater et Deus vitæ meæ, ne derelínquas me in cogitátu malígno : extolléntiam oculórum meórum ne déderis mihi, et desidérium malignum avérte a me, Dómine; aufer a me concupiscéntiam, * Et ánimo irreveránti et infrunito ne tradas me, Dómine. ℣. Ne derelínquas me, Dómine, ne accréscant ignorántiæ meæ, nec multiplicéntur delícta mea. — Et.

Lectio viii

JEjúno bis in sábbato, décimas do ómnium quæ possideo. Quid rogáverit Deum, quære in verbis ejus; nihil invénies. Ascéndit oráre : nóluit Deum rogáre, sed se laudáre. Parum est, non Deum rogáre, sed se laudáre; ínsuper et roganti insultáre. Publicánus autem de longínquo stabat, et Deo tamen ipse appropinquábat : cordis consciéntia eum removébat, pietas applicábat. Publicánus autem de longínquo stabat, sed Dóminus eum de propínquo attendébat.

℟. Duo Séraphim clamábant alter ad álterum : * Sanctus, sanctus, sanctus Dóminus, Deus Sábaoth : * Plena est omnis terra glória ejus. ℣. Tres sunt qui testimónium dant in cælo : Pater, Verbum, et Spíritus Sanctus; et hi tres unum sunt. — Sanctus. Glória Patri. Plena.

Lectio ix

EXcélsus enim Dóminus, et humília réspicit; excélsos autem, qualis erat ille pharisæus, a longe cognóscit. Excélsa quidem Deus a longe cognóscit, sed non ignóscit. Adhuc audi humilitátem publicáni. Parum est, quia de longínquo stabat; nec óculos suos ad cælum levábat; ut aspicerétur, non aspiciébat; respícere sursum non audébat : premébat consciéntia, spes sublevábat. Adhuc audi : Percutiébat pectus suum. Pœnas a se ipso exigébat; proptérea Dóminus confiténti parcébat. Percutiébat pectus suum, dicens : Dómine, propítius esto mihi peccatóri. Ecce, qui rogat. Quid miráris, si Deus ignóscit, quando ipse agnóscit?

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

℣. Dóminus regnávit, decórem índuit. ℟. Induit Dóminus fortitúdinem, et præcínxit se virtúte.

Ad Bened. Ant. Stans a longe * publicánus, nolébat óculos ad cælum leváre, sed percutiébat pectus suum dicens : Deus, propítius esto mihi peccatóri.

Oratio

DEus, qui omnipoténtiam tuam parcéndo máxime et miserándo maniféstas : multíplica super nos misericórdiam tuam; ut ad tua promíssa curréntes, cæléstium bonórum fácias esse consórtes. Per Dóminum.

Ad Vesperas

℣. Dirigátur, Dómine, orátio mea. ℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Ad Magnif. Ant. Descéndit * hic justificátus in domum suam ab illo; quia omnis, qui se exáltat, humiliábitur, et, qui se humíliat, exaltábitur.

DOMINICA XI
POST PENTECOSTEN

Semiduplex Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, qui, abundántia pietátis tuæ, et mérita súpplicum excédis et vota : effúnde super nos misericórdiam tuam; ut dimíttas quæ consciéntia métuit, et adjícias quod orátio non præsúmit. Per Dóminum.

In III Nocturno
Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum

Lectio vii Cap. 7, 31-37

IN illo témpore : Exiens Jesus de fínibus Tyri venit per Sidónem ad mare Galilææ inter médios fines Decapóleos. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ

Homilia 10, liber 1 in Ezech., ante medium

QUid est, quod Creátor ómnium Deus, cum surdum et mutum sanáre volúisset, in aures illíus suos dígitos misit, et exspuens linguam ejus tétigit? Quid per dígitos Redemptóris, nisi dona Sancti Spíritus designántur? Unde, cum in álio loco ejecísset dæmónium, dixit : Si in dígito Dei ejício dæmónia, profécto pervénit in vos regnum Dei. Qua de re per Evangelístam álium dixísse descríbitur : Si ego in Spíritu Dei ejício dæmones, ígitur pervénit in vos regnum Dei. Ex quo utróque loco collígitur, quia dígitus Spíritus vocátur. Dígitos ergo in aurículas mittere, est per dona Spíritus Sancti mentem surdi ad obediéndum aperíre.

Ante Dominicam I Augusti

℟. Peccávi super número arénæ maris, et multiplicáta sunt peccáta mea; et non sum dignus vidére altitúdinem cæli præ multitúdine iniquitátis meæ : quóniam irritávi iram tuam, * Et malum coram te feci. ℣. Quóniam iniquitátem meam ego cognósco : et delíctum meum contra me est semper, quia tibi soli peccávi. — Et malum coram.

In Dominicis Augusti

℟. Dómine, pater et Deus vitæ meæ, ne derelínquas me in cogitátu malígno : extolléntiam oculórum meórum ne déderis mihi, et desidérium malígnum avérte a me, Dómine; aufer a me concupiscéntiam, * Et ánimo irreveránti et infruníto ne tradas me, Dómine. ℣. Ne derelínquas me, Dómine, ne accréscant ignorántiæ meæ, nec multiplicéntur delícta mea. — Et ánimo irreveránti.

Lectio viii

QUid est vero, quod éxspuens linguam ejus tétigit? Salíva nobis est ex ore Redemptóris, accépta sapiéntia in elóquio divíno. Salíva quippe ex cápite défluit in ore. Ea ergo sapiéntia, quæ ipse est, dum lingua nostra tángitur, mox ad prædicatiónis verba formátur. Qui suspíciens in cælum, ingémuit : non quod ipse necessárium gémitum habéret, qui dabat quod postulábat; sed nos ad eum gémere, qui cælo præsídet, dócuit : ut et aures nostræ per donum Spíritus Sancti aperíri, et lingua per salívam oris, id est, per sciéntiam divínæ locutiónis, solvi débeat ad verba prædicatiónis.

℟. Duo Séraphim clamábant alter ad álterum : * Sanctus, sanctus, sanctus Dóminus, Deus Sábaoth : * Plena est omnis terra glória ejus. ℣. Tres sunt qui testimónium dant in cælo : Pater, Verbum, et Spíritus Sanctus; et hi tres unum sunt. — Sanctus. Glória Patri. Plena.

Lectio ix

QUI mox, Ephphetha, id est, Adaperíre dícitur : et statim apértæ sunt aures ejus, et solútum est vínculus linguæ ejus. Qua in re notándum est, quia propter clausas aures dictum est, Adaperíre. Sed cui aures cordis ab obediéndum apértæ fúerint, ex subsequénti procul dúbio étiam linguæ ejus vínculum sólvitur; ut bona, quæ ipse fécerit, étiam faciénda áliis loquátur. Ubi bene ádditur : Et loquebátur recte. Ille enim recte lóquitur, qui prius obediéndo fécerit, quæ loquéndo ádmonet esse faciénda.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

℣. Dóminus regnávit, decórem índuit. ℟. Induit Dóminus fortitúdinem, et præcínxit se virtúte.

Ad Bened. Ant. Cum transísset Dóminus * fines Tyri, surdos fecit audíre et mutos loqui.

Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, qui, abundántia pietátis tuæ, et mérita súpplicum excédis et vota : effúnde super nos misericórdiam tuam; ut dimíttas quæ consciéntia métuit, et adjícias quod orátio non præsúmit. Per Dóminum.

Ad Vesperas

℣. Dirigátur, Dómine, orátio mea. ℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Ad Magnif. Ant. Bene ómnia fecit * et surdos fecit audíre et mutos loqui.

DOMINICA XII
POST PENTECOSTEN

Semiduplex Oratio

OMnípotens et miséricors Deus, de cujus múnere venit, ut tibi a fidélibus tuis digne et laudabíliter serviátur : tríbue, quæsumus, nobis; ut ad promissiónes tuas sine offensióne currámus. Per Dóminum.

In III Nocturno
Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 10, 23-37

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Beáti óculi, qui vident quæ vos vidétis; dico enim vobis, quod multi prophétæ et reges voluérunt vidére quæ vos vidétis, et non vidérunt. Et réliqua.

Homília sancti Bedæ Venerábilis Presbýteri

Liber 3 in Lucæ 10

NON óculi scribárum et pharisæórum, qui corpus tantum Dómini vidére; sed illi beáti óculi, qui ejus possunt cognóscere sacraménta, de quibus dícitur : Et revelásti ea párvulis. Beáti óculi parvulórum, quibus et se et Patrem Fílius reveláre dignátur. Abraham exsultávit, ut vidéret diem Christi; et vidit, et gavísus est. Isaías quoque, et Michæas, et multi álii prophétæ vidérunt glóriam Dómini, qui et propterea Vidéntes sunt appelláti; sed hi omnes, a longe aspiciéntes et salutántes,

per spéculum et in ænígmate vidérunt.

℟. Dómine, pater et Deus vitæ meæ, ne derelínquas me in cogitátu malígno : extollántiam oculórum meórum ne déderis mihi, et desidérium malígnum avérte a me, Dómine; aufer a me concupiscéntiam, * Et ánimo irreverénti et infruníto ne tradas me, Dómine. ℣. Ne derelínquas me, Dómine, ne accréscant ignorántiæ meæ, nec multiplicéntur delícta mea. — Et.

Lectio viii

APóstoli autem, in præsentiárum habéntes Dóminum, convescentésque ei, et quæcúmque voluíssent interrogándo discéntes, nequáquam per Angelos aut várias visiónum spécies opus habébant docéri. Quos vero Lucas multos prophétas et reges dicit, Matthæus apértius prophétas et justos appéllat. Ipsi sunt enim reges magni; quia tentatiónum suárum mótibus non consentiéndo succúmbere, sed regéndo præésse novérunt.

℟. Duo Séraphim clamábant alter ad álterum : * Sanctus, sanctus, sanctus Dóminus, Deus Sábaoth : * Plena est omnis terra glória ejus. ℣. Tres sunt qui testimónium dant in cælo : Pater, Verbum, et Spíritus Sanctus; et hi tres unum sunt. — Sanctus. Glória Patri. Plena.

Lectio ix

ET ecce quidam legisperítus surréxit, tentans eum et dicens : Magíster, quid faciéndo vitam ætérnam possidébo? Legisperítus, qui de vita ætérna Dóminum tentans intérrogat, occasiónem, ut reor, tentándi de ipsis Dómini sermónibus sumpsit, ubi ait : Gaudéte autem quod nómina vestra scripta sunt in cælis. Sed ipsa sua tentatióne declárat, quam vera sit illa Dómini conféssio, qua Patri lóquitur : Quod abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Te Deum.

Ad Laudes

℣. Dóminus regnávit, decórem índuit. ℟. Induit Dóminus fortitúdinem, et præcínxit se virtúte.

Ad Bened. Ant. Magíster, * quid faciéndo vitam ætérnam possidébo? At ille dixit ad eum : In lege quid scriptum est? quómodo legis? Díliges Dóminum, Deum tuum, ex toto corde tuo, allelúja.

Oratio Omnípotens et miséricors. 548

Ad Vesperas

℣. Dirigátur, Dómine, orátio mea. ℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Ad Magnif. Ant. Homo quidam * descendébat ab Jerúsalem in Jéricho et incidit in latrónes, qui étiam despoliavérunt eum et, plagis impósitis, abiérunt semivívo relícto.

DOMINICA XIII
POST PENTECOSTEN

Semiduplex Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, da nobis fídei, spei et caritátis augméntum : et, ut mereámur ássequi quod promíttis, fac nos amáre quod præcípis. Per Dóminum.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 17, 11-19

IN illo témpore : Dum iret Jesus in Jerúsalem, transíbat per médiam Samaríam et Galilæam. Et cum ingrederétur quoddam castéllum, occurrérunt ei decem viri leprósi. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi

Liber 2 quæst. Evang. cap. 40

DE decem leprósis, quos Dóminus ita mundávit, cum ait : Ite, osténdite vos sacerdótibus; quæri potest, cur eos ad sacerdótes míserit, ut, cum irent, mundaréntur. Nullum enim eórum, quibus hæc corporália benefícia præstitit, invenítur misísse ad sacerdótes, nisi leprósos. Nam et illum a lepra mundáverat, cui dixit : Vade, osténde te sacerdótibus, et offer pro te sacrifícium, quod præcépit Móyses, in testimónium illis. Quæréndum igitur est, quid ipsa lepra significet : non enim sanáti, sed mundáti dicúntur, qui ea caruérunt. Colóris quippe vítium est, non valetúdinis, aut integritátis sénsuum atque membrórum.

℟. Dómine, pater et Deus vitæ meæ, ne derelinquas me in cogitátu malígno : extollántiam oculórum meórum ne déderis mihi, et desidérium malígnum avérte a me, Dómine; aufer a me concupiscéntiam, * Et ánimo irreverénti et infruníto ne tradas me, Dómine. ℣. Ne derelínquas me, Dómine, ne accréscant ignorántiæ meæ, nec multiplicéntur delícta mea. — Et.

Lectio viii

LEprósi ergo non absúrde intélligi possunt, qui sciéntiam veræ fídei non habéntes, várias doctrínas profiténtur erróris. Non enim abscóndunt imperítiam suam; sed pro summa perítia próferunt in lucem, et jactántia serónis osténtant. Nulla porro falsa doctrína est, quæ non áliqua veris intermísceat. Vera ergo falsis inordináte permíxta, in una disputatióne vel narratióne hóminis, tamquam in unius córporis colóre apparéntia, significant lepram, tamquam veris falsísque colórum fucis humána córpora variántem atque maculántem.

℟. Duo Séraphim clamábant alter ad álterum : * Sanctus, sanctus, sanctus Dóminus, Deus Sábaoth : * Plena est omnis terra glória ejus. ℣. Tres sunt qui testimónium dant in cælo : Pater, Verbum, et Spíritus Sanctus; et hi tres unum sunt. — Sanctus. Glória Patri. Plena.

Lectio ix

HI autem tam vitándi sunt Ecclésiæ, ut, si fíeri potest, lóngius remóti, magno clamóre Christum interpéllent; sicut isti decem stetérunt a longe, et levavérunt vocem, dicéntes : Jesu præcéptor, miserére nostri. Nam et quod præceptórem vocant, quo nómine néscio utrum quisquam Dóminum interpelláverit pro medicína corporáli; satis puto significáre, lepram falsam esse doctrínam, quam bonus præcéptor abstérgit. Te Deum.

Ad Laudes

℣. Dóminus regnávit, decórem índuit. ℟. Induit Dóminus fortitúdinem, et præcínxit se virtúte.

Ad Bened. Ant. Cum transíret Jesus * quoddam castéllum, occurrérunt ei decem viri leprósi, qui stetérunt a longe et levavérunt vocem dicéntes : Jesu præcéptor miserére nostri.

Oratio Omnípotens. 550

Ad Vesperas

℣. Dirigátur, Dómine, orátio mea. ℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Ad Magnif. Ant. Unus autem * ex illis, ut vidit, quod mundátus est, regréssus est cum magna voce magníficans Deum, allelúja.

DOMINICA XIV
POST PENTECOSTEN

Semiduplex Oratio

CUstódi, Dómine, quæsumus, Ecclésiam tuam propitiatióne perpétua : et quia sine te lábitur humá-

na mortálitas; tuis semper auxiliis et abstrahátur a nóxiis, et ad salutária dirigátur. Per Dóminum.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 6, 24-33

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Nemo potest duóbus dóminis servire. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Episcopi

Liber 2 de Sermone Domini in monte, cap. 14

NEmo potest duóbus dóminis servire. Ad hanc ipsam intentiónem referéndum est, quod consequénter expónit, dicens : Aut enim unum ódio habébit, et álterum díliget; aut álterum patiétur, et álterum contémnet. Quæ verba diligénter consideránda sunt; nam, qui sint duo dómini, deínceps osténdit, cum dicit : Non potéstis Deo servíre, et mammónæ. Mammóna apud Hebræos divítiæ appellári dicúntur. Cóngruit et Púnicum nomen; nam lucrum Púnice mammon dicitur.

℟. Dómine, pater et Deus vitæ meæ, ne derelínquas me in cogitátu malígno : extolléntiam oculórum meórum ne déderis mihi, et desidérium malignum avérte a me, Dómine; aufer a me concupiscéntiam, * Et ánimo irreverénti et infruníto ne tradas me, Dómine. ℣. Ne derelínquas me, Dómine, ne accréscant ignorántiæ meæ, nec multiplicéntur delicta mea. — Et.

Lectio viii

SED qui servit mammónæ, illi útique servit, qui rebus istis terrénis mérito suæ perversitátis præpósitus, magistrátus hujus sæculi a Dómino dícitur. Aut enim unum ódio habébit homo, et álterum diliget, id est, Deum; aut álterum patiétur, et álterum contémnet. Patiétur enim durum et pernicióssum dóminum, quisquis servit mammónæ; sua enim cupiditáte implicátus, súbditur diábolo, et non eum díligit. Quis enim est, qui díligat diábolum? sed tamen pátitur.

℟. Duo Séraphim clamábant alter ad álterum : * Sanctus, sanctus, sanctus Dóminus, Deus Sábaoth : * Plena est omnis terra glória ejus. ℣. Tres sunt qui testimónium dant in cælo : Pater, Verbum, et Spíritus Sanctus; et hi tres unum sunt. — Sanctus. Glória Patri. Plena.

Lectio ix

IDeo, inquit, dico vobis, non habére sollicitúdinem ánimæ vestræ quid edátis, neque córpori vestro quid induátis; ne forte, quamvis jam supérflua non quæránter, propter ipsa necessária cor duplicétur, et ad ipsa conquiréndа, nostra detorqueátur inténtio, cum áliquid quasi misericórditer operámur : id est, ut, cum consúlere alícui vidéri vólumus, nostrum emoluméntum ibi pótius quam illíus utilitátem attendámus; et ídeo nobis non videámur peccáre, quia non supérflua, sed necessária sunt, quæ cónsequi vólumus.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

℣. Dóminus regnávit, decórem índuit. ℟. Induit Dóminus fortitúdinem, et præcínxit se virtúte.

Ad Bened. Ant. Nolíte sollíciti esse * dicéntes : Quid manducábimus aut quid bibémus? scit enim Pater vester quid vobis necésse sit, allelúja.

Oratio

GUstódi, Dómine, quæsumus, Ecclésiam tuam propitiatióne perpétua : et quia sine te lábitur humána mortálitas; tuis semper auxíliis et abstrahátur a nóxiis, et ad salutária dirigátur. Per Dóminum.

Ad Vesperas

℣. Dirigátur, Dómine, orátio mea. ℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Ad Magnif. Ant. Quærite primum * regnum Dei et justítiam ejus, et hæc ómnia adjiciéntur vobis, allelúja.

DOMINICA XV POST PENTECOSTEN

Semiduplex Oratio

GEcclésiam tuam, Dómine, miserátio continuáta mundet et múniat : et quia sine te non potest salva consístere; tuo semper múnere gubernétur. Per Dóminum.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 7, 11-16

IN illo témpore : Ibat Jesus in civitátem, quæ vocátur Naïm : et ibant cum eo discípuli ejus et turba copiósa. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Episcopi

Sermo 44 de verbis Domini, circa initium

DE júvene illo resuscitáto gavísa est mater vídua; de homínibus in

spíritu quotídie suscitátis gaudet mater Ecclésia. Ille quidem mórtuus erat córpore; illi autem mente. Illíus mors visíbilis visibíliter plangebátur; illórum mors invisíbilis nec quærebátur, nec videbátur. Quæsívit ille, qui nóverat mórtuos. Ille solus nóverat mórtuos, qui póterat fácere vivos. Nisi enim ad mórtuos suscitándos venísset, Apóstolus non díceret : Surge, qui dormis, et exsúrge a mórtuis, et illumináblt te Christus.

℟. Dómine, pater et Deus vitæ meæ, ne derelínquas me in cogitátu malígno : extolléntiam oculórum meórum ne déderis mihi, et desidérium malígnum avérte a me, Dómine; aufer a me concupiscéntiam, * Et ánimo irreverénti et infruníto ne tradas me, Dómine. ℣. Ne derelínquas me, Dómine, ne accréscant ignorántiæ meæ, nec multiplicéntur delícta mea. — Et.

Lectio viii

TRes autem mórtuos invenímus a Dómino resuscitátos visibíliter, míllia invisibíliter. Quot autem mórtuos visibíliter suscitáverit, quis novit? Non enim ómnia, quæ fecit, scripta sunt. Joánnes hoc dixit : Multa ália fecit Jesus, quæ si scripta essent, árbitror totum mundum non posse libros cápere. Multi ergo sunt álii sine dúbio suscitáti, sed non tres frustra commemoráti. Dóminus enim noster Jesus Christus ea, quæ faciébat corporáliter, étiam spiritáliter volébat intélligi. Neque enim tantum mirácula propter mirácula faciébat; sed ut illa, quæ faciébat, mira essent vidéntibus, vera essent intelligéntibus.

℟. Duo Séraphim clamábant alter ad álterum : * Sanctus, sanctus, sanctus Dóminus, Deus Sábaoth : * Plena est omnis terra glória ejus. ℣. Tres sunt qui testimónium dant in cælo : Pater, Verbum, et Spíritus Sanctus; et hi tres unum sunt. — Sanctus. Glória Patri. Plena.

Lectio ix

QUemádmodum qui videt lítteras in códice óptime scripto, et non novit légere, laudat quidem antiquárii manum, admírans ápicum pulchritúdinem; sed quid sibi velint, quid indícent illi ápices, nescit, et est óculis laudátor, mente non cógnitor. Alius autem et laudat artifícium, et capit intellectum : ille útique, qui non

solum vidére, quod commúne est ómnibus, potest, sed étiam légere; quod qui non dídicit, non potest. Ita qui vidérunt Christi mirácula, et non intellexérunt quid sibi vellent et quid intelligéntibus quodámmodo innúerent, miráti sunt tantum quia facta sunt; álii vero et facta miráti, et intellécta assecúti. Tales nos in schola Christi esse debémus.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

℣. Dóminus regnávit, decórem índuit. ℟. Induit Dóminus fortitúdinem, et præcínxit se virtúte.

Ad Bened. Ant. Ibat Jesus * in civitátem, quæ vocátur Naïm : et ecce defúnctus efferebátur fílius únicus matris suæ.

Oratio

Ecclésiam tuam, Dómine, miserátio continuáta mundet et múniat : et quia sine te non potest salva consístere; tuo semper múnere gubernétur. Per Dóminum.

Ad Vesperas

℣. Dirigátur, Dómine, orátio mea. ℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Ad Magnif. Ant. Prophéta magnus * surréxit in nobis, et quia Deus visitávit plebem suam.

Proprium Sanctorum

In omnibus Festis novem Lectionum Domini, beatæ Mariæ Virginis, Angelorum, sancti Joannis Baptistæ, sancti Joseph, Apostolorum, Evangelistarum, necnon in omnibus Duplicibus I vel II classis, integrum Officium dicitur ut in Proprio vel Communi, et Lectiones I Nocturni cum suis Responsoriis, nisi propriæ vel specialiter assignatæ habeantur, sumuntur de Communi 1 loco.

In reliquis vero Festis novem Lectionum, nisi propria suis locis assignentur, Antiphonæ et Psalmi ad omnes Horas, et ad Matutinum Versus Nocturnorum, dicuntur de occurrenti hebdomadæ die, ad Laudes quidem et Feria IV etiam in III Nocturno, 1 loco; Lectiones I Nocturni de Scriptura occurrenti, vel resumendæ aut anticipandæ juxta Rubricas, cum suis Responsoriis de Tempore; quæ si omnino desint, Lectiones et Responsoria de Communi 1 loco, nisi aliter propriis locis notetur; reliqua omnia item de Communi, nempe præter Orationem :

Ad utrasque Vesperas et Laudes Capitulum, Hymnus, Versus et Antiphona ad Magnificat vel Benedictus.

Ad Matutinum Invitatorium, Hymnus, Lectiones II et III Nocturni cum suis Responsoriis.

Ad Primam Lectio brevis, pro qua sumitur Capitulum Nonæ.

Ad Tertiam, Sextam et Nonam Capitulum et ℟. breve.

Per Octavas autem communes, similiter Antiphonæ et Psalmi dicuntur de occurrenti hebdomadæ die, reliqua, nisi aliter suis locis notetur, ut in Festo : sed Lectiones et Responsoria I Nocturni, nisi propria habeantur, sumuntur de Scriptura occurrenti, ut supra, et iis deficientibus, Lectiones in diebus infra Octavam dicuntur de Communi, in die Octava, et pro Festis Dómini Commune non habentibus etiam infra Octavam, ut in Festo; Responsoria vero,

tam infra Octavam quam in die Octava, ut in Festo. Item Lectiones II et III Nocturni, si propriæ de Octava non habeantur, in diebus infra Octavam dicuntur de Communi, in die Octava, et pro Festis Domini ut supra, ut in Festo. Et de Festo etiam infra Octavam sumuntur Lectiones III Nocturni si alia non habeatur Homilia in Evangelium Festi.

In Festis autem et diebus Octavis simplicibus omnia pariter dicuntur de occurrenti hebdomadæ die, et de Festo vel de Communi, ut supra; sed ad Matutinum, omissis Versibus I et II, novem Psalmi sub suis Antiphonis dicuntur continuatim in unico Nocturno, et in eo sumuntur I et II Lectio de Scriptura occurrenti cum suis Responsoriis de Tempore, addito II Responsorio Glória Patri, ut notatur; Lectio vero III de Festo, ut in Proprio vel Communi.

FESTA MAJI

Die 18 Maji

S. Venantii

Martyris [29] Duplex

IN I VESPERIS

Ant. Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit; fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória et honóre.

Oratio

Deus, qui hunc diem beáti Venántii Mártyris tui triúmpho consecrásti : exáudi preces pópuli tui, et præsta; ut, qui ejus mérita venerámur, fídei constántiam imitémur. Per Dóminum.

AD MATUTINUM

Hymnus

Martyr Dei Venántius,
Lux et decus Camértium,
Tortóre victo et júdice,
Lætus triúmphum cóncinit.

Annis puer, post víncula,
Post cárceres, post vérbera,
Longa fame freméntibus
Cibus datur leónibus.

Sed ejus innocéntiæ
Parcit leónum immánitas :
Pedésque lambunt Mártyris,
Iræ famísque immémores.

Verso deórsum vértice
Haurire fumum cógitur;
Costas utrímque et víscera
Succénsa lampas ústulat.

AThléta Christi nóbilis
Idóla damnat géntium,
Deíque amóre sáucius
Vitæ perícla déspicit.

Loris revínctus ásperis,
E rupe præceps vólvitur :
Spinéta vultum láncinant;
Per saxa corpus scínditur.

Dum membra raptant Mártyris,
Languent siti satéllites;
Signo crucis Venántius
E rupe fontes élicit.

Bellátor o fortíssime,
Qui pérfidis tortóribus
E caute præbes póculum,
Nos rore grátiæ írriga.

¶ Sequens Conclusio numquam mutatur.

Sit laus Patri, sit Fílio,
Tibíque, Sancte Spíritus :
Da per preces Venántii
Beáta nobis gáudia.
Amen.

In I Nocturno, si dicendæ non sint de Scriptura occurrenti, Lectiones Fratres : Debitóres, de Communi plurimorum Martyrum, cum ℟℟. de Communi unius Mart. ibidem notatis. [52]

In II Nocturno

Lectio iv

VEnántius Camers, quíndecim annos natus, cum christiánæ religiónis accusarétur apud Antíochum, qui sub Décio imperatóre Cameríno præerat, in porta civitátis præsídi se óbtulit. Quem ille, pollicitatiónibus ac terróribus diu tentátum, flagris cædi et vínculis astringi jussit; sed is, mirabíliter ab Angelo solútus, lampádibus póstea adúritur, atque invérso ore, fumo suppósito, suspénditur. Ejus constántiam in torméntis demirátus Anastásius Corniculárius, et quod eum ab Angelo íterum solútum cándida veste supra fumum ambuléntem vidísset, in Christum crédidit; et a beáto Porphýrio presbýtero cum família baptizátus, paulo post martýrii palmam cum eódem proméruit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit eum. — Et.

Lectio v

AT Venántius præsídi sístitur, et ab eo íterum frustra tentátus, ut Christi fidem deséreret, in cárcerem conjícitur; quo Attalus præco míttitur, qui ei dicat se quoque Christiánum fuísse et ei nómini proptérea renuntiásse, quod cognovísset iníane esse fídei comméntum, quo Christiáni præséntibus se ábdicant ob vanam futurórum spem. Verum nóbilis Christi athléta, cállidi hostis insídias non ignórans, diáboli minístrum a se pénitus rejécit. Quare ad præsídem íterum addúcto omnes contúsi sunt dentes maxilláque confráctæ; atque, ita cæsus, in sterquilínium dejícitur. Sed inde ab Angelo quoque eréptus, rursus stetit ante júdicem; qui, Venántio adhuc loquénte, e tribunáli cécidit et in ea voce, Verus est Venántii Deus, nostros deos destrúite, exclámans exspirávit.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Et.

Lectio vi

QUod cum præsídi nuntiátum esset, extémplo Venántium leónibus óbjici jussit; qui, naturáli feritáte omíssa, ad ejus se pedes abjecérunt. Interim ille pópulum Christi fidem edocébat. Quare inde amótus, íterum in cárcerem tráditur. Cumque postridie præsídi referret Porphýrius, se per visum noctu pópulos, quos Venántius aqua tingébat, clarissima luce fulgéntes, ipsum vero præsídem obscurissima calígine opértum vidísse; præses, ira incénsus, eum íllico cápite plecti ímperat, deínde Venántium per loca vépribus et cárduis cónsita trahi usque ad vésperam. Is, cum semiánimis relíctus esset, mane se íterum præsídi præsentávit; cujus jussu statim e rupe præcipitátur. Sed inde étiam divínitus eréptus, dénuo per loca áspera ad mille passus tráhitur; ubi, milítibus siti æstuántibus, in próxima conválle, ex lápide, in quo et génuum formam relíquit, sicut étiam nunc in ejus ecclésia vidére licet, crucis signo a Venántio facto, aquæ manárunt. Eo miráculo plures permóti ín Christum credidérunt, quos omnes præses eo loci una cum Venántio cápite feríri jussit. Fúlgura et terræmótus eo témpore ita magni fuére, ut præses aufúgeret; qui paucis tamen post diébus, divínam haud valens effúgere justítiam, turpíssimam mortem oppétiit. Christiáni ínterim Venántii et aliórum córpora honorífico loco sepeliérunt : quæ Camerini in ecclésia Venántio dicáta cóndita adhuc sunt.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus : * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus : et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. — Et. Glória Patri. Et.

Pro hoc Festo simplificato

Lectio ix

VEnántius Camers, quíndecim annos natus, christiánæ religiónis accusátus apud Antíochum, qui sub Décio imperatóre Camerino præerat, in porta civitátis præsídi se óbtulit. Quem ille, pollicitatiónibus ac terróribus diu tentátum, flagris cædi et vínculis astringi jussit; e quibus mirabíliter ab Angelo solútus, lampádibus póstea adúritur, atque invérso ore, fumo suppósito, suspénditur. Eídem, ad præsídem íterum addúcto, omnes contúsi sunt dentes maxilláque confráctæ, atque ita cæsus in sterquilínium dejícitur. Sed inde ab Angelo eréptus, rursus stetit ante júdicem; qui, Venántio adhuc loquénte, e tribunáli cécidit et in ea voce, Verus est Venántii Deus, nostros deos destrúite, exclámans exspirávit. Demum, post nova et exquisíta torménta, una cum áliis decem gloriósi certáminis cursum cervícibus abscíssis implévit. Quorum córpora Christiáni honorífico loco sepeliérunt, quæ Camerini in ecclésia Venántio dicáta cóndita sunt.

Te Deum laudámus.

In III Nocturno Homilia in Evang. Nolíte arbitrári, de Comm. unius Mart. 3 loco. [45]

AD LAUDES

Capitulum Jac. 1, 12

BEátus vir, qui suffert tentatiónem : quóniam, cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se.

Hymnus

DUM, nocte pulsa, lúcifer
Diem propínquam núntiat,
Nobis refert Venántius
Lucis beátæ múnera.

Nam críminum calíginem
Stygísque noctem dépulit,
Veróque cives lúmine
Divinitátis ímbuit.

Aquis sacri baptísmatis
Lustrávit ille pátriam :
Quos tinxit unda mílites,
In astra misit Mártyres.

Nunc Angelórum párticeps,
Adésto votis súpplicum :
Procul repélle crímina,
Tuúmque lumen íngere.

¶ Sequens Conclusio numquam mutatur.

Sit laus Patri, sit Fílio,
Tibíque, Sancte Spíritus :
Da per preces Venántii
Beáta nobis gáudia.
Amen.

℣. Justus ut palma.

Ad Bened. Ant. Qui odit * ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

Oratio

DEus, qui hunc diem beáti Venántii Mártyris tui triúmpho consecrásti : exáudi preces pópuli tui, et præsta; ut, qui ejus mérita venerámur, fídei constántiam imitémur. Per Dóminum.

Vesperæ a Capitulo de sequenti, Commemoratio præcedentis et S. Pudentianæ Virg.

¶ Si Vesperæ dicendæ sint integræ Hymnus Martyr Dei Venántius usque ad Athléta cum conclusione, ut supra ad Matutinum.

Die 19 Maji
S. Petri Cælestini
Papæ et Confessoris [69]
Duplex

℣. Amávit eum Dóminus.

Ad Magnif. Ant. Sacérdos et Póntifex, * et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

Oratio

DEus, qui beátum Petrum Cælestínum ad summi pontificátus ápicem sublimásti, quique illum humilitáti postpónere docuísti : concéde propítius; ut ejus exémplo cuncta mundi despícere, et ad promíssa humílibus prǽmia pervenire felíciter mereámur. Per Dóminum.

Et fit Com. præcedentis :

Ant. Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

℣. Justus ut palma.

Oratio Deus qui hunc, ut supra.

Deinde Commem. S. Pudentianæ Virg. :

Ant. Veni, Sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

℣. Spécie tua et.

Oratio

GXáudi nos, Deus, salutáris noster : ut, sicut de beátæ Pudentiánæ Vírginis tuæ festivitáte gaudémus; ita piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per Dóminum.

In II Nocturno

¶ Pro hoc Festo simplificato, ut ix dicitur sequens

Lectio iv

PEtrus, a nómine quo Póntifex est appellátus, Cælestínus dictus, honéstis catholicísque paréntibus Æsérniæ in Samnítibus natus, adolescéntiam vix ingréssus, ut ánimum a mundi illécebris custodíret, in solitúdinem secéssit. Ibi contemplatiónibus mentem nútriens, corpus in servitútem rédigens, férream caténam ad nudam carnem adhibébat. Congregatiónem, quæ póstea Cælestinórum dicta est, sub régula sancti Benedícti instítuit. Hinc, quasi lucérna supra candelábrum pósita, cum abscóndi nequíret, (Romána Eccléisia diu viduáta pastóre) in Petri Cáthedram ignórans et absens adscítus, magna novitátis admiratióne non minus quam repentíno gáudio cunctos affécit. Cum autem in pontificátus sublimitáte collocátus, váriis disténtus curis, assuétis incúmbere meditatiónibus vix posse cognósceret, óneri páriter et honóri voluntárie cessit. Indeque priscam vitæ ratiónem répetens, obdormívit in Dómino, ejúsque pretiósam mortem Crux præfúlgens in áëre ante cubículi óstium réddidit ámplius gloriósam. Miráculis multis tam vivens quam post óbitum cláruit; quibus rite examinátis, Clemens quintus anno postquam decéssit undécimo, Sanctórum número adscrípsit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. — Manus.

Ex libro Morálium sancti Gregórii Papæ
Liber 10, cap. 16, in cap. 12 Job

Lectio v

DEridétur justi simplícitas. Hujus mundi sapiéntia est : cor machinatiónibus tégere, sensum verbis veláre : quæ falsa sunt, vera osténdere; quæ vera sunt, falsa demonstráre. Hæc nimírum prudéntia usu a juvénibus scitur, hæc a púeris prétio díscitur : hanc qui sciunt, céteros despiciéndo supérbiunt : hanc qui nésciunt, subjécti et tímidi in áliis mirántur; quia ab eis hæc éadem duplicitátis iníquitas, nómine palliáta, dilígitur, dum mentis pervérsitas urbánitas vocátur.

Hæc sibi obsequéntibus præcipit honórum cúlmina quærere; adépta temporális glóriæ vanitáte gaudére; irrogáta ab áliis mala multiplícius réddere; cum vires súppetunt, nullis resisténtibus cédere; cum virtútis possibílitas deest, quidquid explére per malítiam non valent, hoc in pacífica bonitáte simuláre.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Lectio vi

AT contra, sapiéntia justórum est : nil per ostensiónem fíngere, sensum verbis aperíre, vera ut sunt dilígere, falsa devitáre; bona gratis exhibére, mala libéntius toleráre quam fácere; nullam injúriæ ultiónem quærere, pro veritáte contuméliam lucrum putáre. Sed hæc justórum simplícitas derídetur; quia ab hujus mundi sapiéntibus puritátis virtus fatúitas créditur. Omne enim, quod innocénter ágitur, ab eis proculdúbio stultum putátur; et quidquid in ópere véritas ápprobat, carnáli sapiéntiæ fátuum sonat. Quid namque stúltius vidétur mundo quam mentem verbis osténdere, nil cállida machinatióne simuláre, nullas injúriis contumélias réddere, pro maledicéntibus oráre, paupertátem quærere, posséssa relínquere, rapiénti non resístere, percutiénti álteram maxíllam præbére?

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Ipse. Glória. Ipse.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 16, 13-19

IN illo témpore : Venit Jesus in partes Cæsaréæ Philíppi, et interrogábat discípulos suos, dicens : Quem dicunt hómines esse Fílium hóminis? Et réliqua.

Homília sancti Leónis Papæ
Sermo 2 in anniversario assumpt. suæ, ante medium

QUM, sicut evangélica lectióne recerátum est, interrogásset Dóminus discípulos, quem ipsum (multis divérsa opinántibus) cré-

derent; respondissétque beátus Petrus, dicens : Tu es Christus Fílius Dei vivi; Dóminus ait : Beátus es, Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelávit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est : et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam, et portæ inferi non prævalébunt advérsus eam. Et tibi dabo claves regni cælórum : et quodcúmque ligáveris super terram, erit ligátum et in cælis : et quodcúmque sólveris super terram, erit solútum et in cælis. Manet ergo dispositio veritátis,et beátus Petrus, in accépta fortitúdine petræ persevérans, suscépta Ecclésiæ gubernácula non relíquit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio viii

IN univérsa namque Eclésia, Tu es Christus Fílius Dei vivi, quotídie Petrus dicit; et omnis lingua, quæ confitétur Dóminum, magistério hujus vocis imbúitur. Hæc fides diábolum vincit et captivórum ejus víncula dissólvit. Hæc érutos mundo, ínserit cælo, et portæ ínferi advérsus eam prævalére non possunt. Tanta enim divínitus soliditáte munita est, ut eam neque hærética umquam corrúmpere právitas, nec pagána potúerit superáre perfídia. His ítaque modís, dilectíssimi, rationábili obséquio celebrétur hodiérna festívitas : ut in persóna humilitátis meæ ille intelligátur, ille honorétur, in quo et ómnium pastórum sollicitúdo, cum commendatárum sibi óvium custódia persevérat, et cujus étiam dignitas in indigno heréde non déficit.

℟. Sint lumbi vestri præcincti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. — Et. Glória Patri. Et.

Pro S. Pudentiana Virg. :

Lectio ix

PUdentiána Virgo, Pudéntis Románi fília, paréntibus orbáta, cum admirábilipietátechristiánam religiónem cóleret, una cum soróre Praxéde pecúniam ex véndito património redáctam paupéribus distríbuit, seque jejúniis et oratiónibus dedit. Cujus étiam ópera, tota ejus família, in qua erant nonagínta sex hómines, a Pio Pontífice baptizáta est. Quod autem ab Antoníno imperatóre sancítum erat, ne Christiáni públice sacrifícia fácerent, Pius Póntifex in ædibus Pudentiánæ cum Christiánis Sacra celebrábat. Quibus illa benígne accéptis, quæ ad vitam necessária essent, suppeditábat. Itaque in his christiánæ pietátis offíciis migrávit e vita, et in sepúlcro patris ad cœmetérium Priscíllæ, via Salária, sepúlta est décimo quarto Kaléndas Júnii. Te Deum.

Ad Laudes pro Commemoratione S. Pudentianæ Virg. :

Ant. Símile est. [124]

℣. Diffúsa est grátia.

Oratio Exáudi nos. 561

IN II VESPERIS

℣. Justum dedúxit.

Ad Magnif. Ant. Dum esset Summus Póntifex, * terréna non métuit, sed ad cæléstia regna gloriósus migrávit.

Oratio

DEus, qui beátum Petrum Cælestínum ad summi pontificátus ápicem sublimásti, quique illum humilitáti postpónere docuísti : concéde propítius; ut ejus exémplo cuncta mundi despícere, et ad promíssa humílibus prædmia pervenire felíciter mereámur. Per Dóminum.

Et fit Commem. sequentis.

Die 20 Maji

S. Bernardini Senensis

Confessoris [94]

Semiduplex

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

℣. Amávit eum Dóminus.

Oratio

DOmine Jesu, qui beáto Bernardíno Confessóri tuo exímium sancti nóminis tui amórem tribuísti : ejus, quæsumus, méritis et intercessióne, spíritum nobis tuæ dilectiónis benígnus infúnde : Qui vivis.

In II Nocturno

Lectio iv

GErnardínus Albizésca, nóbili Senénsi família ortus, ab ineúnte ætáte non obscúra sanctitátis dedit indícia; nam a piis paréntibus honéste educátus, negléctis puerílibus ludis, inter prima grammáticæ stúdia pietátis opéribus ánimum inténdit, jejúniis, oratióni,

et beatíssimæ Vírginis cúltui præcípue addíctus. Misericórdia vero in páuperes fuit insígnis. Quæ quidem ómnia procedénte témpore quo mélius posset excólere, eórum número adscríbi vóluit, qui Senis in hospitáli domo beátæ Maríæ de Scala Deo insérviunt, unde complúres sanctitáte célebres viri prodiérunt. Ibi córporis afflictatióne et ægrotántium cura, dum atrox pestiléntia grassarétur, incredíbili caritáte sese exércuit. Inter céteras autem virtútes castitátem, egrégia forma repugnánte, sanctíssime custodívit, ádeo ut eo præsénte nemo umquam, ne impudentíssimus quidem, verbum minus honéstum proférre audéret.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et.

Lectio v

GRavi morbo tentátus, eóque ad quátuor menses patientíssime toleráto, demum incólumis, de religiósæ vitæ institúto capesséndo deliberáre cœpit. Quo ut sibi viam muníret, ædículam in extréma urbe condúxit; in quam cum sese abdidísset, aspérrimam omni ex parte vitam trahébat, Deum assídue orans, ut quid sibi sequéndum esset, osténderet. Quare divínitus factum est, ut beáti Francísci órdinem præ céteris optáret, in quo humilitáte, patiéntia aliísque religiósi hóminis virtútibus excélluit. Id cum cœnóbii rector animadvérteret, jamque ántea Bernardíni doctrínam et sacrárum litterárum perítiam perspéctam habéret, prædicándi onus eídem impósuit : quo humíllime suscépto, cum se minus idóneum agnósceret ob vocis exilitátem ac raucitátem, Dei ope imploráta, non sine miráculo ejúsmodi impedimento liberátus est.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vi

GUmque ea témpora vítiis criminibúsque redundárent, et cruéntis factiónibus in Itália, divína humánaque ómnia permíxta essent, Bernardínus

urbes atque óppida concúrsans, in nómine Jesu, quem semper in ore et in péctore gerébat, collápsam pietátem morésque verbo et exémplo magna ex parte restítuit. Quo factum est, ut præclárae civitátes eum sibi epíscopum a Summo Pontífice postulárent; quod ille munus invícta humilitáte constantíssime rejécit. Dénique vir Dei imménsis labóribus exháustus, multis magnísque éditis miráculis, libris étiam pie doctéque conscríptis, cum vixisset annos sex ac sexagínta, in urbe Aquila in Vestinis beáto fine quiévit. Quem novis in dies coruscántem signis, anno post óbitum sexto, Nicoláus quintus Póntifex Máximus in Sanctórum númerum rétulit.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Quia. Glória Patri. Quia.

Pro hoc Festo simplificato

Lectio ix

BErnardínus Albizésca, nóbili Senénsi família ortus, inter prima grammáticæ stúdia, negléctis puerílibus ludis, pietátis opéribus ánimum inténdit, beátæ Vírginis cúltui præcípue addíctus. Caritáte et misericórdia in páuperes insignis, eórum servítio Senis in hospitáli beátæ Maríæ de Scala se mancipávit. De capesséndo religiósæ vitæ institúto delíberans, Deo sic disponénte, beáti Francísci órdinem præ céteris optávit, in quo humilitáte, patiéntia, aliísque religiósi hóminis virtútibus excélluit. Prædicándi ónere a superióribus suscépto, cum se minus idóneum agnósceret ob vocis exilitátem et raucitátem, Dei ope imploráta, prodigióse ab hoc impedimento liberátus est. Urbes atque óppida concúrsans, in nómine Jesu, quem semper in ore et péctore gerébat, cívium ubíque discórdias exstínxit, et collápsam pietátem morésque verbo et exémplo magna ex parte restítuit. Libros pie doctéque conscrípsit. Plenus méritis et miráculis clarus, annos natus sex ac sexagínta, in urbe Aquila in Vestínis, beáto fine quiévit.

Te Deum laudámus.

In III Nocturno Homilia in Ev. Ecce nos reliquimus, de Comm. Abbatum I loco. [107]

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

Oratio

DOmine Jesu, qui beáto Bernardíno Confessóri tuo exímium sancti nóminis tui amórem tribuísti : ejus, quæsumus, méritis et intercessióne, spíritum nobis tuæ dilectiónis benígnus infúnde : Qui vivis.

IN II VESPERIS

℣. Justum dedúxit.

Ad Magnif. Ant. Hic vir despíciens mundum * et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

Die 25 Maji

S. Gregorii VII

Papæ et Confessoris [69]

Duplex

℣. Amávit eum Dóminus.

Ad Magnif. Ant. Sacérdos et Póntifex, * et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

Oratio

DEus, in te sperántium fortitúdo, qui beátum Gregórium Confessórem tuum atque Pontíficem, pro tuénda Ecclésiæ libertáte, virtúte constántiæ roborásti : da nobis, ejus exémplo et intercessióne, ómnia adversántia fórtiter superáre. Per Dóminum.

Et fit Commem. S. Urbani I Papæ et Mart.

Ant. Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit; fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória et honóre.

Oratio

GRegem tuum, Pastor ætérne, placátus intende : et per beátum Urbánum Mártyrem tuum atque Summum Pontíficem, perpétua protectióne custódi; quem totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastórem. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

GRegórius Papa séptimus, ántea Hildebrándus, Suánæ in Etrúria natus, doctrína, sanctitáte, omníque virtútum génere cum primis nóbilis, mirífice univérsam Dei illustrávit Ecclésiam. Cum párvulus ad fabri ligna edolántis pedes, jam

litterárum ínscius, lúderet, ex rejéctis tamen segméntis illa Davídici eleménta oráculi, Dominábitur a mari usque ad mare, casu formásse narrátur; manum púeri ductánte Númine, quo significarétur ejus fore amplíssimam in mundo auctoritátem. Romam deínde profectus, sub protectióne sancti Petri educátus est. Júvenis, Ecclésiæ libertátem a láicis oppréssam ac depravátos ecclesiasticórum mores veheméntius dolens, in Cluniacénsi monastério, ubi sub régula sancti Benedícti austerióris vitæ observántia eo témpore máxime vigébat, mónachi hábitum índuens, tanto pietátis ardóre divínæ majestáti deserviébat, ut a sanctis ejúsdem cœnóbii pátribus prior sit eléctus. Sed, divína providéntia majóra de eo disponénte, in salútem plurimórum Cluniaco edúctus Hildebrándus, abbas primum monastérii sancti Pauli extra muros Urbis eléctus, ac póstmodum Románæ Ecclésiæ cardinális creátus, sub summis Pontifícibus, Leóne nono, Victóre secúndo, Stéphano nono, Nicoláo secúndo et Alexándro secúndo præcípuis munéribus et legatiónibus perfúnctus est; sanctíssimi et puríssimi consílii vir a beáto Petro Damiáno nuncupátus. A Victóre Papa secúndo legátus a látere in Gálliam missus, Lugdúni epíscopum, simoníaca labe infectum, ad sui críminis confessiónem miráculo adégit. Berengárium in concílio Turonénsi ad iterátam hæresis abjuratiónem cómpulit. Cadalói quoque schisma sua virtúte compréssit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. — Manus.

Lectio v

MOrtuo Alexándro secúndo, invítus et mœrens, unánimi ómnium consénsu, décimo Kalendas Maji anno Christi millésimo septuagésimo tértio, summus Póntifex eléctus, sicut sol effúlsit in domo Dei. Nam, potens ópere et sermóne, ecclesiásticæ disciplínæ reparándæ, fídei propagándæ, libertáti Ecclésiæ restituéndæ, exstirpándis erróribus et corruptélis tanto stúdio incúbuit, ut ex Apostolórum ætáte nullus Pontíficum fuísse tradátur, qui majóres pro Ecclésia Dei labóres molestiás-

que pertúlerit, aut qui pro ejus libertáte ácrius pugnáverit. Aliquot províncias a simoníaca labe expurgávit. Contra Henríci imperatóris ímpios conátus, fortis per ómnia athléta, impávidus permánsit, seque pro muro dómui Israël pónere non tímuit; ac eúmdem Henrícum, in profúndum malórum prolápsum, fidélium communióne regnóque privávit, atque súbditos pópulos fide ei data liberávit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Lectio vi

DUM Missárum solémnia perágeret, visa est viris piis colúmba e cælo delápsa, húmero ejus dextro ínsidens, alis exténsis caput ejus veláre; quo significátum est, Spíritus Sancti afflátu, non humánæ prudéntiæ ratiónibus ipsum duci in Ecclésiæ regímine. Cum ab iníqui Henríci exércitu Romæ gravi obsidióne premerétur, excitátum ab hóstibus incéndium signo crucis exstínxit. De ejus manu tandem a Robérto Guiscárdo duce Northmánno eréptus, Cassínum se cóntulit; atque inde Salérnum ad dedicándam ecclésiam sancti Matthæi Apóstoli conténdit. Cum aliquándo in ea civitáte sermónem habuísset ad pópulum, ærúmnis conféctus in morbum incidit, quo se interitúrum præscívit. Postréma moriéntis Gregórii verba fuére : Diléxi justítiam et odívi iniquitátem, proptérea mórior in exsílio. Innumerabília sunt, quæ vel fórtiter sustínuit, vel multis coáctis in Urbe sýnodis sapiénter constítuit; vir vere sanctus, críminum vindex, et acérrimus Ecclésiæ defénsor. Exáctis ítaque in pontificátu annis duódecim, migrávit in cælum anno salútis millésimo octogésimo quinto, plúribus in vita et post mortem miráculis clarus; ejúsque sacrum corpus in cathedráli basílica Salernitána est honorífice cónditum.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Ipse. Glória Patri. Ipse.

Pro hoc Festo simplificato

Lectio ix

GRegórius Papa séptimus, ántea Hildebrándus, Suánæ in Etrúria natus, doctrína, sanctitáte, omníque virtútum génere cum primis nóbilis, mirífice univérsam Dei Ecclésiam illustrávit. Adoléscens religiósi hábitum índuit in Cluniacénsi monastério, tantóque pietátis ardóre Deo desérviit, ut a sanctis ejúsdem cœnóbii pátribus prior fúerit eléctus. Póstea factus abbas monastérii sancti Pauli extra muros Urbis, ac deínde creátus Románæ Ecclésiæ cardinális, sub summis Pontifícibus Leóne nono, Victóre secúndo, Stéphano nono, Nicoláo secúndo et Alexándro secúndo, præcípuis munéribus et legatiónibus perfúnctus est. Mórtuo Alexándro secúndo, unanímiter summus Póntifex eléctus, ecclesiásticæ libertátis propugnátor ac defénsor acérrimus éxstitit; quaprópter multa passus, et Roma discédere coáctus est. Postréma ejus moriéntis verba fuére : Diléxi justítiam et odívi iniquitátem, proptérea mórior in exsílio. Migrávit in cælum, anno salútis millésimo octogésimo quinto, ejúsque corpus in cathedráli basílica Salernitána honorífice cónditum est.

Te Deum laudámus.

In III Nocturno Homilia in Ev. Venit Jesus, de Comm. unius aut plurium Summorum Pontificum. [28¹]

Pro S. Urbano I Papa et Mart.

Lectio ix

URbánus Románus, Alexándro Severo imperatóre, doctrína et vitæ sanctitáte multos ad Christi fidem convértit; in illis Valeriánum, beátæ Cæcíliæ sponsum, et Tibúrtium, Valeriáni fratrem, qui póstea martýrium forti ánimo subiérunt. Hic de bonis Ecclésiæ attribútis scripsit his verbis : Ipsæ res fidélium, quæ Dómino offerúntur, non debent in álios usus quam ecclesiásticos et christianórum fratrum, vel indigéntium, convérti; quia vota sunt fidélium, et prétia peccatórum, ac patrimónia páuperum. Sedit annos sex, menses septem, dies quátuor : ac martýrio coronátus, sepúltus est in cœmetério Prætextáti, octávo Kaléndas Júnii. Ordinatiónibus quinque hábitis mense Decémbri, creávit presbýteros novem, diáconos quinque, epíscopos per divérsa loca octo.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Oratio

DEus, in te sperántium fortitúdo, qui beátum Gregórium Confessórem tuum atque Pontíficem, pro tuénda Ecclésiæ libertáte, virtúte constántiæ roborásti : da nobis, ejus exémplo et intercessióne, ómnia adversántia fórtiter superáre. Per Dóminum.

Deinde pro Commemoratione S. Urbani I Papæ et Mart. :

Ant. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

℣. Justus ut palma.

Oratio

GRegem tuum, Pastor ætérne, placátus inténde : et per beátum Urbánum Mártyrem tuum atque Summum Pontíficem, perpétua protectióne custódi; quem totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastórem. Per Dóminum.

Vesperæ a Capitulo de sequenti, Commemoratio præcedentis ac S. Eleutherii Papæ et Mart.

Die 26 Maji

S. Philippi Nerii

Conf. [94] Duplex

℣. Amávit eum Dóminus.

Ad Magnif. Ant. Similábo eum * viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

Oratio

DEus, qui beátum Philippum Confessórem tuum Sanctórum tuórum glória sublimásti : concéde propítius; ut, cujus solemnitáte lætámur, ejus virtútum proficiámus exémplo. Per Dóminum.

Et fit Com. præcedentis :

Ant. Dum esset summus Póntifex, terréna non métuit, sed ad cæléstia regna gloriósus migrávit.

℣. Justum dedúxit.

Oratio Deus, in te sperántium, ut supra.

Deinde Commem. S. Eleutherii Papæ et Mart.

Ant. Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit; fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória et honóre.

Oratio

GRegem tuum, Pastor ætérne, placátus inténde: et per beátum Eleu-

thérium Mártyrem tuum atque Summum Pontíficem, perpétua protectióne custódi; quem totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastórem. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

Hilíppus Nérius, piis honestísque paréntibus Floréntiæ natus, ab ipsa ineúnte ætáte non obscúra dedit futúræ sanctitátis indícia. Adoléscens, ampla pátrui hereditáte dimíssa, Romam se cóntulit; ubi philosóphia ac sacris lítteris erudítus, totum se Christo dicávit. Ea fuit abstinéntia, ut sæpe jejúnus tríduum permánserit. Vigíliis et oratiónibus inténtus, septem Urbis Ecclésias frequénter vísitans, apud cœmetérium Callísti in cæléstium rerum contemplatióne pernoctáre consuévit. Sacérdos ex obediéntia factus, in animárum salúte procuránda totus fuit; et in confessiónibus audiéndis ad extrémum usque diem persevérans, innúmeros pene fílios Christo péperit; quos verbi Dei quotidiáno pábulo, sacramentórum frequéntia, oratiónis assiduitáte aliísque piis exercitatiónibus enutríri cúpiens, Oratórii congregatiónem instítuit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et.

Lectio v

Caritáte Dei vulnerátus languébat júgiter, tantóque cor ejus æstuábat ardóre, ut, cum intra fines suos continéri non posset, illius sinum, confráctis atque elátis duábus cóstulis, mirabíliter Dóminus ampliáverit. Sacrum vero fáciens aut fervéntius orans, in áëra quandóque sublátus, mira úndique luce fulgére visus fuit. Egénos et páuperes omni caritátis offício prosequebátur : dignus, qui et Angelo in spécie páuperis eleemósynam erogáret; et, dum egéntibus noctu panem deférret, in fóveam lapsus, inde páriter ab Angelo incólumis eriperétur. Humilitáti addíctus, ab honóribus semper abhórruit, atque ecclesiásticas dignitátes, étiam primárias, non semel ultro delátas, constantíssime recusávit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et ad portas.

Lectio vi

Prophetíæ dono fuit illústris, et in animórum sénsibus penetrándis mirífice enítuit. Virginitátem perpétuo illibátam servávit; idque assecútus est, ut eos qui puritátem cólerent, ex odóre, qui vero secus, ex fœtóre dignósceret. Abséntibus intérdum appáruit, iísque periclitántibus opem tulit. Ægrótos plúrimos et morti próximos sanitáti restítuit. Mórtuum quoque ad vitam revocávit. Cæléstium spirítuum et ipsíus Deíparæ Vírginis frequénter fuit apparitióne dignátus, ac plurimórum ánimas splendóre circumfúsas in cælum conscéndere vidit. Dénique, anno salútis millésimo quingentésimo nonagésimo quinto, octávo Kaléndas Júnias, in quem diem incíderat festum Córporis Christi, Sacro máxima spíritus exsultatióne perácto, ceterísque functiónibus explétis, post médiam noctem, qua prædíxerat hora, octogenárius obdormívit in Dómino. Quem Gregórius décimus quintus, miráculis clarum, in Sanctórum númerum rétulit.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Quia. Glória Patri. Quia.

Pro hoc Festo simplificato

Lectio ix

Philippus Nérius, piis honestísque paréntibus Floréntiæ natus, ampla pátrui hereditáte dimíssa, Romam se cóntulit; ubi, philosóphia ac sacris lítteris erudítus, totum se Christo dicávit. Sacérdos ex obediéntia factus, in animárum salúte procuránda totus fuit, et in confessiónibus audiéndis ad extrémum usque diem persevérans, innúmeros pene fílios Christo péperit; quos verbi Dei quotidiáno pábulo, sacramentórum frequéntia, oratiónis assiduitáte, aliísque piis exercitatiónibus enutríri cúpiens, Oratórii congregatiónem instítuit. Caritáte Dei vulnerátum tanto cor ejus æstuábat ardóre, ut, cum intra fines suos continéri non posset, sinum, confráctis atque elátis duábus cóstulis, mirabíliter Dóminus ampliáverit. Prophetíæ dono fuit illústris, et in animórum sénsibus penetrándis mirífice enítuit. Virginitátem perpétuo illibátam servávit; idque assecútus est, ut eos qui puritátem cólerent, ex odóre, qui vero secus, ex fœtóre dignósceret. Anno salútis millésimo quingentésimo nonagésimo quinto, octogenárius obdormívit in Dómino.

Te Deum laudámus.

In III Nocturno Homilia in Ev. Sint lumbi vestri, de Communi Conf. non Pont. 1 loco. [98]

Pro S. Eleutherio Papa et Mart.

Lectio ix

Eleuthérius, Nicópoli in Græcia natus, Anicéti Pontíficis diáconus, Cómmodo imperatóre, præfuit Ecclésiæ. Huic, ínitio pontificátus, súpplices lítteræ venérunt a Lúcio Britannórum rege, ut se ac suos in Christianórum número recíperet. Quam ob rem Fugátium et Damiánum, doctos et pios viros, misit in Británniam, per quos rex et réliqui fidem suscíperent. Hoc Pontífice, Irenæus Polycárpi discípulus, Romam véniens, ab eo benígne accéptus est. Quo témpore summa pace et quiéte fruebátur Ecclésia Dei; ac per totum orbem terrárum, máxime Romæ, fides propagabátur. Vixit Eleuthérius in pontificátu annos quíndecim, dies vigínti tres. Fecit ordinatiónes tres mense Decémbri, quibus creávit presbýteros duódecim, diáconos octo, epíscopos per divérsa loca quíndecim : sepultúsque est in Vaticáno prope corpus sancti Petri. Te Deum.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constituam, intra in gáudium Dómini tui.

Oratio

Deus, qui beátum Philíppum Confessórem tuum sanctórum glória sublimásti : concéde propítius; ut, cujus solemnitáte lætámur, ejus virtútum proficiámus exémplo. Per Dóminum.

Pro Commem. S. Eleutherii Papæ et Mart. :

Ant. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

℣. Justus ut palma.

Oratio

GRegem tuum, Pastor ætérne, placátus inténde: et per beátum Eleuthérium Mártyrem tuum atque Summum Pontíficem, perpétua protectióne custódi; quem totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastórem. Per Dóminum.

Vesperæ a Capitulo de seq., Commemoratio præcedentis ac S. Joannis I Papæ et Mart.

Die 27 Maji

S. Bedæ Venerabilis

Conf. et Eccl. Doct. [94]

Duplex (m. t. v.)

℣. Amávit eum Dóminus.

Ad Magnif. Ant. O Doctor óptime, * Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Beda, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

Oratio

DEus, qui Ecclésiam tuam beáti Bedæ Confessóris tui atque Doctóris eruditióne claríficas : concéde propítius fámulis tuis; ejus semper illustrári sapiéntia et méritis adjuvári. Per Dóminum.

Et fit Com. præcedentis :

Ant. Hic vir, despíciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit.

Oratio

DEus, qui beátum Philíppum Confessórem tuum sanctórum glória sublimásti : concéde propítius; ut, cujus solemnitáte lætámur, ejus virtútum proficiámus exémplo. Per Dóminum.

Deinde Commem. S. Joannis I Papæ et Mart. :

Ant. Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit; fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória et honóre.

Oratio

GRegem tuum, Pastor ætérne, placátus inténde : et per beátum Joánnem Mártyrem tuum atque Summum Pontíficem, perpétua protectióne custódi; quem totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastórem. Per Dóminum.

In I Nocturno, si sumendæ sint de Communi, Lectiones Sapiéntiam. [87]

In II Nocturno

Lectio iv

BEda présbyter, Girvi in Británniæ et Scótiæ fínibus ortus, septénnis sancto Benedícto Biscópio abbáti Wiremuthénsi educándus tráditur. Mónachus deínde factus, vitam sic instítuit, ut, dum se ártium et doctrinárum stúdiis totum impénderet, nihil umquam de regulári disciplína remítteret. Nullum fuit doctrínæ genus, in quo non esset diligentíssime versátus; sed præcípua illi cura divinárum Scripturárum meditátio, quarum sententiam ut plénius assequerétur, Græci Hebraicíque sermónis notítiam est adéptus. Tricésimo ætátis anno, abbátis sui jussu sacérdos initiátus, statim, suasóre Acca Hagulstadénsi episcopo, sacros explanáre libros aggréssus est : in quo sanctórum Patrum doctrínis ádeo inhæsit, ut nihil proférret nisi illórum judício comprobátum, eorúmdem étiam fere verbis usus. Otium perósus semper, ex lectióne ad oratiónem transíbat ac vicíssim ex oratióne ad lectiónem : in qua ádeo ánimo inflammabátur, ut sæpe inter legéndum et docéndum lácrimis perfunderétur. Ne autem rerum fluxárum curis distraherétur, delátum abbátis munus constantíssime detrectávit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et.

Lectio v

SCiéntiæ ac pietátis laude Bedæ nomen sic brevi cláruit, ut sanctus Sérgius Papa de eo Romam arcesséndo cogitáverit; quo difficíllimis scílicet, quæ de rebus sacris exórtæ erant, quæstiónibus definiéndis conférret óperam. Emendándis fidélium móribus, fídei vindicándæ atque asseréndæ libros plures conscrípsit, quibus tantam sui apud omnes opiniónem fecit, ut illum sanctus Bonifátius episcopus et martyr, Ecclésiæ lumen prædicáverit; Lanfráncus, Anglórum doctórem; concílium Aquisgranénse, doctórem admirábilem díxerit. Quin ejus scripta, eo adhuc vivénte, públice in ecclésiis legebántur. Quod cum fíeret, quóniam ipsum sanctum mínime appelláre licéret, Venerábilis título efferébant; qui deínde véluti próprius secútis étiam tempóribus semper hábitus est. Ejus autem doctrínæ eo vis efficácior erat, quod vitæ sanctimónia religiosísque virtútibus confirmabátur. Quam ob rem discípulos, quos multos et egrégios imbuéndos hábuit, stúdio et exémplo non lítteris modo atque sciéntiis, sed étiam sanctitáte fecit insígnes.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vi

ÆTáte demum et labóribus fractus, gravi morbo corréptus est. Quo cum ámplius quinquagínta dies deténtus esset, consuétum orándi morem Scripturásque interpretándi non intercépit; eo namque témpore Evangélium Joánnis in populárium suórum usum Anglice vertit. Cum autem in Ascensiónis prælúdio instáre sibi mortem persentíret, suprémis Ecclésiæ sacraméntis muníri vóluit; tum, sodáles amplexátus, atque humi super cilício stratus, cum illa verba ingemináret, Glória Patri, et Fílio, et Spirítui Sancto, obdormívit in Dómino. Ejus corpus, suavíssimum, uti fertur, spirans odórem, sepúltum est in monastério Girvénsi, ac póstea Dunclínum cum sancti Cuthbérti relíquiis translátum. Eum tamquam Doctórem a Benedictínis aliisque religiósis famíliis ac diœcésibus cultum, Leo décimus tértius Póntifex máximus, ex sacrórum Rítuum Congregatiónis consúlto, universális Ecclésiæ Doctórem declarávit, et festo ipsíus die Missam et Offícium de Doctóribus ab ómnibus recitári decrévit.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Quia. Glória Patri. Quia.

Pro hoc Festo simplificato

Lectio ix

BEda présbyter, Girvi in Británniæ et Scótiæ fínibus ortus est. Mónachus factus, vitam sic instítuit, ut, dum se ártium et doctrinárum stúdiis totum impénderet, nihil umquam de regulári disciplína remítteret. Nullum fuit doctrínæ genus, in quo non esset diligentíssime versátus; sed præcípua illi cura fuit divinárum Scripturárum meditátio, ita ut, sacerdótio initiátus, sacros explanáre libros aggrés-

sus sit; in quo sanctórum Patrum doctrinis ádeo inhæsit, ut nihil proférret nisi illórum judício comprobátum, eorúmdem étiam fere verbis usus. Otium perósus semper, ex lectióne ad oratiónem transibat, ac vicíssim ex oratióne ad lectiónem. Emendándis fidélium móribus, fidei vindicándæ atque asseréndæ libros plures conscrípsit, quibus tantam sui apud omnes opiniónem fecit, ut ejus scripta, eo adhuc vivénte, públice in ecclésiis legeréntur. Ætáte demum et labóribus fractus, pie obdormívit in Dómino. Eum Leo décimus tértius universális Ecclésiæ Doctórem declarávit.

Te Deum laudámus.

In III Nocturno

Si ix Lectio alicujus Officii commemorati dicenda non sit, ex vii Lectione fit etiam viii incipiendo a signo ¶ et Lectio viii legitur ut ix.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 5, 13-19

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Et réliqua.

Homília sancti Bedæ Venerábilis Presbýteri

In Ev. Vos estis sal terræ

IN terra, humána natúra; in sale, sapiéntia verbis significátur. Salis enim natúra, terra effícitur infructuósa; unde quasdam urbes légimus, victórum ira, sale seminátas. Et hoc cónvenit apostólicæ doctrínæ, ut sale sapiéntiæ compéscat in terra humánæ carnis luxum sæculi aut fœditátem vitiórum germináre. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Id est, si vos, per quos condiéndi sunt pópuli, propter metum persecutiónum, aut terrórem, amiséritis regna cælórum, extra Ecclésiam pósiti, inimicórum oppróbria sustinétis non dúbium. ¶ Vos estis lux mundi : id est, vos, quia vera luce illumináti estis, lux eis qui in mundo sunt, esse debétis. Non potest civitas abscóndi supra montem pósita : id est, apostólica doctrína super Christum fundáta, sive Ecclésia super Christum ex multis géntibus fídei unitáte constrúcta et caritátis bitúmine conglutináta; quæ sit tuta intrántibus, et laboriósa adeúntibus, habitatóres

custódit, et omnes inimícos seclúdit.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. — Ipse.

Lectio viii

NEque accéndunt lucérnam, et ponunt eam sub módio, sed super candelábrum. Sub módio ergo lucérnam ponit quisquis lucem doctrínæ cómmodis temporálibus obscúrat et tegit; super candelábrum vero, qui se ita ministério Dei súbjicit, ut supérior sit doctrína veritátis quam sérvitus córporis. Aliter Salvátor accéndit lucérnam, qui humánæ testam natúræ flamma suæ divinitátis implévit; et hanc super candelábrum, id est Ecclésiam, pósuit, quod in fróntibus nostris fidem suæ incarnatiónis fixit. Quæ lucérna non pótuit sub módio poni, id est, sub mensúra legis inclúdi; nec in sola Judæa, sed in univérso illúxit orbe.

℟. In médio Ecclésiæ apéruit os ejus, * Et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ et intellectus. ℣. Jucunditátem et exsultatiónem thesaurizávit super eum. — Et. Glória Patri. Et.

Pro S. Joanne I P. et M.

Lectio ix

JOánnes Etrúscus, Justíno senióre imperatóre, rexit Ecclésiam; ad quem profectus est Constantinópolim auxílii causa, quod Theodorícus rex hæréticus divexábat Itáliam. Cujus étiam iter Deus miráculis illustrávit. Nam, cum ei nóbilis vir ad Corínthum, equum, quo ejus uxor mansuéto utebátur, itíneris causa commodásset, factum est, ut dómino póstea remíssus equus ita ferox eváderet, ut frémitu et totíus córporis agitatióne semper deínceps dóminam expúlerit; tamquam indignarétur mulíerem recípere, ex quo sedísset in eo Jesu Christi Vicárius. Quam ob rem illi equum Pontífici donavérunt. Sed illud majus miráculum, quod Constantinópoli, in áditu portæ Aureæ, inspectánte frequentíssimo pópulo, qui una cum imperatóre Pontífici honóris causa occúrrerat, cæco lumen restítuit.

Ad cujus pedes prostrátus étiam imperátor, eum venerátus est. Rebus cum imperatóre compósitis, in Itáliam rédiit, statímque epístolam scripsit ad omnes Itáliæ episcopos, jubens eos Arianórum ecclésias ad cathólicum ritum consecráre, illud subjúngens : Quia et nos, quando fúimus Constantinópoli tam pro religióne cathólica quam pro regis Theodoríci causa, quascúmque illis in pártibus eórum ecclésias reperíre potúimus, cathólicas eas consecrávimus. Quod iniquíssimo ánimo ferens Theodorícus, dolo accersítum Pontíficem Ravénnam in cárcerem conjécit; ubi squalóre inediáque afflíctus, paucis diébus cessit e vita, cum sedísset annos duos, menses novem, dies quatuórdecim, ordinátis eo témpore episcopis quíndecim. Paulo post móritur Theodorícus : quem quidam eremíta, ut scribit sanctus Gregórius, vidit inter Joánnem Pontíficem et Sýmmachum patrícium, quem idem occíderat, demérgi in ignem Liparitánum; ut vidélicet illi, quibus mortem attúlerat, tamquam júdices essent ejus intéritus. Joánnis corpus Ravénna Romam portátum est, et in basílica sancti Petri sepúltum.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

Oratio

DEus, qui Ecclésiam tuam beáti Bedæ Confessóris tui atque Doctóris eruditióne clarificas : concéde propítius fámulis tuis; ejus semper illustrári sapiéntia et méritis adjuvári. Per Dóminum.

Pro Commem. S. Joannis I Papæ et Mart.

Ant. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

℣. Justus ut palma.

Oratio

GRegem tuum, Pastor ætérne, placátus inténde : et per beátum Joánnem Mártyrem tuum atque Summum Pontíficem, perpétua protectióne custódi; quem totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastórem. Per Dóminum.

Vesperæ a Capitulo de seq., Commemoratio præcedentis.

Die 28 Maji

S. Augustini

Episcopi et Conf. [69]

Duplex (m. t. v.)

℣. Amávit eum Dóminus.

Ad Magnif. Ant. Sacérdos et Póntifex, * et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

Oratio

DEus, qui Anglórum gentes, prædicatióne et miráculis beáti Augustíni Confessóris tui atque Pontíficis, veræ fídei luce illustráre dignátus es : concéde; ut, ipso interveniénte, errántium corda ad veritátis tuæ rédeant unitátem, et nos in tua simus voluntáte concórdes. Per Dóminum.

Et fit Commem. præced.

Ant. O Doctor óptime, Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Beda, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

℣. Justum dedúxit.

Oratio

DEus, qui Ecclésiam tuam beáti Bedæ Confessóris tui atque Doctóris eruditióne clarificas : concéde propítius fámulis tuis; ejus semper illustrári sapiéntia et méritis adjuvári. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

AUgustínus, Romæ in Lateranénsi cœnóbio mónachus, a Gregório Magno cum sóciis mónachis fere quadragínta in Angliam missus est anno quingentésimo nonagésimo séptimo, ut gentes illas ad Christum convérteret. Erat eo témpore rex Ethelbértus, in Cántio potentíssimus, qui, audíta advéntus Augustíni causa, eum cum sóciis Cantuáriam, sui regni metrópolim, invitávit; ibíque manéndi et Christum prædicándi facultátem eídem liberáliter concéssit. Quare sanctus vir prope Cantuáriam oratórium exstrúxit, ubi ipse aliquámdiu consédit, atque apostólicam vivéndi ratiónem cum suis æmulátus est.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. — Manus.

Lectio v

CÆléstis doctrínæ prædicatióne plúrimis firmáta miráculis, ac vitæ exémplo sic insulános illos demúlsit, ut eórum plerósque ad christiánam fidem perdúxerit, ac demum regem ipsum, quem, cum innúmero suórum comitátu, sacro fonte lustrávit, summa cum lætítia Berthæ régiæ uxóris, quæ Christiána erat. Olim in Natáli Dómini, cum decem míllibus et ámplius baptísmum in álveo flúminis Eboráci contulisset, quotquot ex iis morbo áliquo affécti erant, cum ánimæ salúte, córporis quoque sanitátem recepísse memóriæ próditum est. Jussu Gregórii ordinátus episcopus, Sedem Cantuáriæ instítuit in ecclésia Salvatóris a se erécta, in qua mónachos óperis sui subsidiários collocávit; et sancti Petri monastérium, quod póstea et a suo nómine dictum est, in suburbánis construxit. Idem Gregórius usum pállii cum facultáte ecclesiásticæ hierarchíæ in Anglia instituéndæ ei concéssit : quo novam étiam operariórum manum misit, nempe Mellítum, Justum, Paulínum et Rufiniánum.

℟. Pósui adjutórium super poténtem et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Lectio vi

DIspósitis ejus ecclésiæ rebus, sýnodum hábuit Augustínus cum epíscopis atque doctóribus véterum Britónum, qui in Paschæ celebratióne aliísque rítibus ab Ecclésia Romána jamdúdum dissidébant. Sed, cum eos neque apostólicæ Sedis auctoritáte neque miráculis movére posset, ut dissidio cessárent, prophético spíritu eis excídium prænuntiávit. Dénique máximis pro Christo exantlátis labóribus, miráculis clarus, cum Mellítum Londinénsi ecclésiæ præfecísset, Justum Roffénsi, suæ Laurentium, in cælum migrávit séptimo Kaléndas Júnias, Ethelbérto regnánte, ac sepúltus est in monastério sancti Petri, quod exínde Cantuariénsium antístitum et áliquot regum conditórium fuit. Ejus cultum fervénti stúdio prosecútæ sunt Anglórum gentes; ac Leo décimus tértius Póntifex máximus ejus Offícium et Missam ad univérsam exténdit Ecclésiam.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. Glória Patri. Ipse.

Pro hoc Festo simplificato

Lectio ix

AUgustínus, Romæ in Lateranénsi cœnóbio mónachus, a Gregório Magno cum sóciis mónachis fere quadragínta in Angliam missus est, anno quingentésimo nonagésimo séptimo. A rege Ethelbérto Cantuáriam, ejus regni metrópolim, invitátus cum sóciis, prope eam oratórium exstrúxit. Cæléstis doctrínæ prædicatióne plerósque insulános ac regem ipsum ad christiánam fidem perdúxit, summa cum lætítia Berthæ régiæ uxóris, quæ Christiána erat. Jussu Gregórii ordinátus episcopus, Sedem Cantuariénsem instítuit, et ab eódem Pontifice usum pállii cum facultáte hierarchíæ in Anglia instituéndæ obtínuit. Máximis demum pro Christo exantlátis labóribus, cum Mellítum Londinénsi ecclésiæ præfecísset, Justum Roffénsi, suæ Laurentium, in cælum migrávit séptimo Kaléndas Júnias, et sepúltus est in monastério sancti Petri, quod exínde Cantuariénsium antístitum et áliquot regum conditórium fuit.

Te Deum laudámus.

In III Nocturno Homilia in Ev. Designávit Dóminus, de Communi Ev. cum ℟℟. de Communi Conf. Pont. ibidem notatis. [27]

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Oratio

DEus, qui Anglórum gentes, prædicatióne et miráculis beáti Augustíni Confessóris tui atque Pontíficis, veræ fidei luce illustráre dignátus es : concéde; ut, ipso interveniénte, errántium corda ad veritátis tuæ rédeant unitátem, et nos in tua simus voluntáte concórdes. Per Dóminum.

IN II VESPERIS

℣. Justum dedúxit.

Ad Magnif. Ant. Amávit eum Dóminus, * et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

Et fit Commemoratio sequentis.

Die 29 Maji

S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis Virginis [111]

Semiduplex

Ant. Veni, Sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

℣. Spécie tua et.

Oratio

DEus, virginitátis amátor, qui beátam Maríam Magdalénam Vírginem, tuo amóre succénsam, cæléstibus donis decorásti : da; ut, quam festíva celebritáte venerámur, puritáte et caritáte imitémur. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

MAría Magdaléna, illustrióri Pazziórum génere Florentiæ nata, fere ab incunábulis iter perfectiónis arrípuit. Decénnis perpétuam virginitátem vovit, susceptóque hábitu in monastério sanctæ Maríæ Angelórum, órdinis Carmelitárum, se ómnium virtútum exémplar exhíbuit. Adeo casta fuit, ut quidquid puritátem lædere potest, pénitus ignoráverit. Quinquénnium, Deo jubénte, solo pane et aqua transégit, excéptis diébus Dominícis, quibus cibis quadragesimálibus vescebátur. Corpus suum cilício, flagéllis, frígore, inédia, vigíliis, nuditáte atque omni pœnárum génere cruciábat.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. — Et.

Lectio v

TAnto igne divíni amóris æstuábat, ut, ei feréndo impar, ingésta aqua pectus refrigeráre cogerétur. Extra sensus frequénter rapta, diutúrnas et admirábiles éxtases passa est, in quibus et arcána cæléstia penetrávit, et exímiis a Deo grátiis illustráta fuit. His autem munita longum certámen a principibus tenebrárum sustínuit, árida, desoláta, ab ómnibus derelícta, variísque tentatiónibus vexáta; Deo sic permitténte, ut invíctæ patiéntiæ ac profundíssimæ humilitátis exémplar præbéret.

℟. Dilexísti justitiam, et odísti iniquitátem : * Propterea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea.

Lectio vi

CAritáte erga próximum singulariter enítuit; nam sæpe noctes ducébat insómnes, vel obeúndis sorórum ministériis, vel inserviéndo infírmis occupáta, quarum aliquándo úlcera lambens sanávit. Infidélium et peccatórum perditiónem amáre deflens, se ad quælibet pro illórum salúte torménta parátam offerébat. Multis ante óbitum annis, univérsis cæli delíciis, quibus copióse affluébat, heróica virtúte renúntians, illud frequénter in ore habébat : Pati, non mori. Tandem longa et gravíssima infirmitáte exháusta, transívit ad Sponsum die vigésima quinta Maji, anno millésimo sexcentésimo séptimo, expléto anno quadragésimo primo ætátis suæ. Eam, multis in vita et post mortem miráculis claram, Clemens nonus sanctárum Vírginum número adscrípsit : cujus corpus in præséntem diem incórruptum conservátur.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus * Afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. — Afferéntur. Glória. Afferéntur.

Pro hoc Festo simplificato

Lectio ix

MAría Magdaléna, Florentiæ illústri Pazziórum génere nata, fere ab incunábulis iter perfectiónis arrípuit. Decénnis perpétuam virginitátem vovit, susceptóque hábitu in monastério sorórum Carmelitárum, se ómnium virtútum exémplar præbuit. Adeo casta fuit, ut, quidquid puritátem lædere posset, pénitus ignoráverit. Tanto igne divíni amóris æstuábat, ut, ei feréndo impar, ingésta aqua pectus refrigeráre cogerétur. Caritáte erga próximum excélluit; nam sæpe noctes ducébat insómnes, vel obeúndis sorórum ministériis, vel inserviéndo infírmis occupáta, quarum aliquándo úlcera lambens sanávit. Illud frequénter in ore habébat : Pati, non mori. Tandem, diútino et gravi morbo exháusta, transívit ad Sponsum, anno millésimo sexcentésimo séptimo, expléto ætátis suæ anno quadragésimo primo. Eam Clemens nonus sanctárum Vírginum número adscrípsit.

Te Deum laudámus.

In III Nocturno Homilia in Ev. Símile erit regnum cælórum decem virgínibus, de Communi Virg. I loco. [122]

AD LAUDES

℣. Diffúsa est grátia.

Ad Bened. Ant. Símile est regnum cælórum * hómini negotiatóri quǽrénti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

Oratio

DEus virginitátis amátor, qui beátam Maríam Magdalénam Vírginem, tuo amóre succénsam, cæléstibus donis decorásti : da; ut quam festíva celebritáte venerámur, puritáte et caritáte imitémur. Per Dóminum.

IN II VESPERIS

℣. Diffúsa est grátia.

Ad Magnif. Ant. Veni, Sponsa Christi, * áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

Et fit Commemoratio sequentis.

Die 30 Maji

S. Felicis I

Papæ et Martyris [29]

Simplex

Ant. Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit; fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória et honóre.

Oratio

GRegem tuum, Pastor ætérne, placátus inténde : et per beátum Felícem Mártyrem tuum atque Summum Pontíficem, perpétua protectióne custódi; quem totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastórem. Per Dóminum.

Lectio iii

FElix Románus, patre Constántio, Aureliáno imperatóre præfuit Ecclésiæ. Constítuit ut Missa supra memórias et sepúlcra Mártyrum celebrarétur. Qui, cum mense Decembri habuísset ordinatiónes duas, et creásset presbýteros novem, diáconos quinque, epíscopos per divérsa loca quinque; martýrio coronátus, via Aurélia sepelítur in basílica quam a se ædificátam dedicárat. Vixit in pontificátu annos duos, menses quátuor, dies vigínti novem.

Te Deum laudámus.

℣. Justus ut palma.

Ad Bened. Ant. Qui odit * ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

Vesperæ de sequenti, Commemoratio S. Petronillæ Virg.

Die 31 Maji

S. Angelæ Mericiæ

Virginis [III] Duplex

℣. Spécie tua et.

Ad Magnif. Ant. Veni, Sponsa Christi, * áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

Oratio

DEus, qui novum per beátam Angelam sacrárum Vírginum collégium in Ecclésia tua florére voluísti : da nobis, ejus intercessióne, angélicis móribus vívere; ut, terrénis ómnibus abdicátis, gáudiis pérfrui mereámur ætérnis. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Petronillæ Virg. :

Ant. Símile est regnum cælórum hómini negotiatóri quærénti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

℣. Diffúsa est grátia.

Oratio

CXáudi nos, Deus, salutáris noster : ut, sicut de beátæ Petronillæ Vírginis tuæ festivitáte gaudémus; ita piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

ANgela Mericia, Decentiáni, Veronénsis diœcésis óppido ad lacum Benácum in dicióne Véneta, piis orta paréntibus, a prima ætáte virginitátis lílium, quod perpétuo serváre statúerat, sédula sepsit. Ab omni muliébri ornátu abhórrens, egrégiam vultus formam pulchrámque cæsáriem studióse fœdávit, ut cæléstі dumtáxat animárum Sponso placéret. In ipso autem adolescéntiæ flore paréntibus orbáta, austerióris vitæ desidério in desértum locum aufúgere tentávit; sed, ab avúnculo prohibita, novit præstáre domi, quod in solitúdine non lícuit. Cilício ac flagéllis frequénter usa, carnem nónnisi infírma valetúdine, vinum in Nativitátis et Resurrectiónis Domínicæ tantum celebritáte; complúres vero dies nihil omnino degustávit. Oratióni dédita, brevíssimum humi carpébat somnum. Dæmonem vero sub lucéntis ángeli forma sibi illúdere conántem agnóvit prótinus, et conjécit in fugam. Tandem patérnis bonis abdicátis, et hábitum ac régulam tértii órdinis sancti Francísci ampléxa, evangélicam paupertátem virginitátis laudi conjúnxit.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. — Et.

Lectio v

NUllum pietátis offícium erga próximos omíttens, paupéribus, quidquid sibi ex mendicáto victu superésset, largiebátur; libénter ministrábat ægrótis, plúraque cum magna sanctitátis fama peragrávit loca, ut vel solátio esset afflíctis, vel reis véniam impetráret, vel infénsos ínvicem reconciliáret ánimos, vel e vitiórum cœno scelestos revocáret. Angelórum pane, quem único esuriébat, frequentíssime refécta, tanta caritátis vi ferebátur in Deum, ut sæpius extra sensus raperétur. Sacra Palæstínæ loca, summa cum religióne, obívit; quo in itínere et visum, quem ad Cydónias appúlsa oras amíserat, eódem regréssa recuperávit, et barbarórum captivitátem ac naufrágium imminens divínitus evásit. Romam dénique, firmam Eccléstæ petram veneratúra et amplíssimæ jubilæi véniæ percúpida, sedénte Cleménte séptimo, accéssit; quam summus Póntifex allocútus, ejúsdem sanctimóniam suspéxit et commendávit summópere; nec ab Urbe ipsam abíre ante permísit, quam álio cælitus vocátam agnóvit.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Propterea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justitiam. — Proptérea.

Lectio vi

BRíxiam ítaque, ubi domum ad sanctæ Afræ templum condúxit, revérsa, novam ibi vírginum societátem, sicut cæléstі voce ac visióne mandátum sibi fúerat, sub certa disciplína sanctísque vivéndi régulis constítuit, quam sanctæ Ursulæ invíctæ vírginum ducis patrocínio ac nómine insignívit : eam vero perénnem futúram morti próxima prædíxit. Tandem prope septuagenária, dives méritis evolávit in cælum sexto Kaléndas Februárii anni millésimi quingentésimi et quadragésimi. Cujus cadáver per ipsos trigínta dies inhumátum, flexíbile ac vivo simíllimum perseverávit. Demum in sanctæ Afræ templo inter céteras, quibus illud abúndat, Sanctórum relíquias repósito, plúrima ad ejus sepúlcrum agi statim cœpére miracula; quorum fama late diffúsa, non Brixiæ modo et Decentiáni, sed álibi étiam vulgo cœpit nuncupári beáta, ejúsque imágo aris impóni : immo sanctus ipse Cárolus Borromæus non multis post annis dignam, quæ ab apostólica Sede in sanctárum Vírginum album referrétur, Brixiæ palam asséruit. Cultum vero illi jámdiu a pópulis exhíbitum, et tum locórum Ordináriis probátum, tum plúribus étiam summórum Pontíficum indúltis munítum, Clemens Papa décimus tértius solémni decréto ratum hábuit ac confirmávit. Eam tandem, novis miráculis rite probátis insígnem, Pius Papa séptimus, solémni canonizatióne in Vaticána basílica perácta, die vigésima quarta Maji anno millésimo octingentésimo séptimo, sanctárum Vírginum catálogo adscrípsit.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus * Afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. — Afferéntur tibi. Glória Patri. Afferéntur tibi.

Pro hoc Festo simplificato

Lectio ix

ANgela Merícia, piis orta paréntibus, a prima ætáte magna virtútum specímina dedit, cilício ac flagéllis frequénter usa, et oratióni indesinénter dédita. Patérnis bonis abdicátis, ac régulam tértii órdinis sancti Francísci ampléxa, evangélicam paupertátem virginitátis laudi conjúnxit, nullúmque pietátis offícium erga próximos omísit. Sacra Eucharistia frequentíssime refécta, tanta caritátis vi ferebátur in Deum, ut sæpius extra sensus raperétur. Brixiæ novam vírginum societátem sub certa disciplína sanctísque vivéndi régulis constítuit, quam sanctæ Ursulæ patrocínio ac nómine insignívit. Tandem prope septuagenária evolávit ín cælum, anno Dómini millésimo quingentésimo quadragésimo, sexto Kaléndas Februárii. Cultum illi jámdiu exhíbitum Clemens Papa décimus tértius solémni decréto ratum hábuit et confirmávit. Pius vero Papa séptimus sanctárum Vír-

ginum catálogo eam adscrípsit.

Te Deum laudámus.

In III Nocturno Homilia in Ev. Símile erit regnum cælórum decem virgínibus, de Communi Virg. I loco. [122]

AD LAUDES

℣. Diffúsa est grátia.

Ad Bened. Ant. Símili est regnum cælórum * hómini negotiatóri quæránti bonas margarítas: invénta una pretiósa dedit ómnia sua, et comparávit eam.

Oratio

DEus, qui novum per beátam Angelam sacrárum Vírginum collégium in Ecclésia tua floréscere voluísti: da nobis, ejus intercessióne, angélicis móribus vívere; ut, terrénis ómnibus abdicátis, gáudiis pérfrui mereámur ætérnis. Per Dóminum.

Pro Commem. S. Petronillæ Virg.:

Ant. Veni, Sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

℣. Spécie tua, et.

Oratio

EXáudi nos, Deus, salutáris noster: ut, sicut de beátæ Petronillæ Vírginis tuæ festivitáte gaudémus; ita piæ devotiónis erudiámur affectu. Per Dóminum.

IN II VESPERIS

℣. Diffúsa est grátia.

Ad Magnif. Ant. Veni, Sponsa Christi, * áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

Oratio Deus, qui novum, ut supra ad Laudes.

FESTA JUNII

Die 2 Junii

Ss. Marcellini, Petri atque Erasmi Ep., Mm.

Simplex [49]

Ad Vesperas

℣. Lætámini in Dómino.

Ad Magnif. Ant. Istórum est enim * regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad prǽmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

Oratio

DEus, qui nos ánnua beatórum Mártyrum tuórum Marcellíni, Petri atque Erásmi solemnitáte lætíficas: præsta, quæsumus; ut, quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis. Per Dóminum.

Lectio iii

PEtrus exorcísta, Diocletiáno imperatóre, Romæ a Seréno júdice propter christiánæ fídei confessiónem missus in cárcerem, Paulínam Artémii, qui cárceri præerat, fíliam a dǽmone agitátam liberávit. Quo facto et paréntes puéllæ cum tota família, et vicínos qui ad rei novitátem concúrrerant, Jesu Christo conciliátos ad Marcellínum presbýterum addúxit, a quo omnes baptizáti sunt. Quod ubi rescívit Serénus, Petrum et Marcellínum ad se vocátos aspérius objúrgat, et ad verbórum acerbitátem minas ac terróres adjúngit, nisi Christo renúntient. Cui cum Marcellínus christiána libertáte respondéret, pugnis contúsum, et a Petro sejúnctum, nudum inclúdit in cárcerem stratum vitri fragméntis, sine cibo ac sine lúmine. Petrum item constríngi ímperat arctíssimis vínculis. Sed cum utríque ex torméntis fides et ánimus crésceret, constánti confessióne, et abscísso cápite, illústre testimónium Jesu Christo dedérunt. Erásmus epíscopus, imperatóribus Diocletiáno et Maximiáno, in Campánia plumbátis et fústibus cæsus, resína quoque, súlphure, plumbo liquefácto, et fervénti pice, cera, oleóque perfúsus, inde tamen ínteger et inviolátus evásit. Quo miráculo multi se ad Christi fidem convertérunt. Verum is, íterum detrúsus in cárcerem, constrictus férreis gravissimísque vínculis, inde ab Angelo mirabíliter eréptus est. Deínde Fórmiis a Maximiáno váriis afféctus supplíciis, tunicáque ærea candénti indútus, illa étiam torménta divína virtúte superávit. Dénique, plúrimis et in fide confírmátis et ad fidem convérsis, insígnem martýrii palmam adéptus est.

Te Deum laudámus.

℣. Exsultábunt Sancti.

Ad Bened. Ant. Vestri capílli cápitis * omnes numeráti sunt: nolíte timére: multis passéribus melióres estis vos.

Oratio

DEus, qui nos ánnua beatórum Mártyrum tuórum Marcellíni, Petri atque Erásmi solemnitáte lætíficas: præsta, quæsumus; ut, quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis. Per Dóminum.

Die 4 Junii

S. Francisci Caracciolo

Confessoris [94]

Duplex

℣. Amávit eum Dóminus.

Ad Magnif. Ant. Similábo eum * viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

Oratio

DEus, qui beátum Franciscum, novi órdinis institutórem, orándi stúdio et pœniténtiæ amóre decorásti: da fámulis tuis in ejus imitatióne ita proícere; ut semper orántes, et corpus in servitútem redigéntes, ad cæléstem glóriam pervenire mereántur. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

FRanciscus, dictus ántea Ascánius, ex nóbili família Caracciolo in óppido sanctæ Maríæ de Villa in Aprútio ortus, a primis annis exímio enítuit pietátis cultu. Adoléscens gráviter ægrótans státuit sese prorsus Dei proximíque mancipáre servítio. Neápolim profectus, sacerdótio initiátus sacróque adscríptus sodalítio, contemplatióni lucrandísque animábus se totum devóvit, ac extrémo supplício damnátis hortatórem se præbuit assíduum. Cóntigit autem, ut epistólium álteri destinátum ei per errórem redderétur, quo a piíssimis viris Joánne Augustíno Adórno et Fabrício Caracciolo ad novi religiósi institúti fundatiónem vocabátur. Rei novitáte captus et divínæ voluntátis demirátus consília, álacri ánimo sese illis adjúnxit. Cóndidit autem in Camaldulénsium erémo, quo secésserant, novi órdinis légibus, inde Romam simul profécti, confirmatiónem a Xysto quinto impetrárunt, qui eósdem cléricos reguláres Minóres appellári vóluit, áddito ad tria consuéta áltero de non ambiéndis dignitátibus voto.

℣. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et.

Lectio v

SOlémni emíssa professióne, ob singulárem ejus in divum Francíscum Assisinátem cultum, Francísci nomen assúmpsit.

Adórno biénnio post vita functo, ipse toti religióni, quamquam invítus, præfícitur; quo in múnere virtútum ómnium præclára præbuit exémpla. Institúti amplificándi studiosíssimus, id assíduis oratiónibus, lácrimis, et jugi córporis maceratióne eníxe a Deo postulábat. Quam ob rem tértio in Hispániam se cóntulit, peregríni hábitu indútus, victúmque ostiátim mendícans. In itínere aspérrima quæque perpéssus, Omnipoténtis auxílium mirum in modum expértus, navim quam conscénderat, ab imminénti naufrágio oratiónis præsídio servávit incólumem. Ut in regnis illis voti compos fíeret, plúrimum laborávit; sed, ejus sanctitátis fama prælucénte, amplissimáque catholicórum regum Philíppi secúndi et Philíppi tértii munificéntia, adversariórum conátibus singulári ánimi fortitúdine superátis, plura sui órdinis domicília fundávit : quod pari eventu per Itáliam præstitit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vi

Humilitáte ádeo excélluit, ut Romam véniens, in páuperum hospítio recéptus, se lepróso sociáverit, et ecclesiásticas dignitátes a Paulo quinto sibi oblátas constantíssime recusáverit. Illibátam perpétuo servávit virginitátem, effrontésque mulíeres, ejus castimóniæ insidiántes, Christo lucrifécit. Erga divinissimum Eucharístiæ mystérium ardénti æstuans amóre, noctes pene íntegras in ejus adoratióne insómnes ducébat : quod pium exercítium, véluti sui órdinis tésseram, in eo perpétuo servándum constítuit. Deíparæ Vírginis cultum impénse fovit. In próximum exímia exársit caritáte. Prophetíæ dono et córdium scrutatióne ditátus fuit. Quadragésimum quartum ætátis suæ annum agens, dum in sacra Lauretána æde in oratióne persísteret, sibi vitæ finem imminére cognóvit. Aprútium statim defléxit, et in óppido Agnóni apud alúmnos sancti Philíppi Nérii letháli febre corréptus, sacraméntis Ecclésiæ devotíssime susceptis, prídie Nonas Júnii anni millésimi sexcentésimi octávi, in pervigílio festi Córporis Christi, placidissime obdormívit in Dómino. Sacrum ejus corpus, Neápolim delátum, in ecclésia sanctæ Maríæ Majóris, ubi prima sui órdinis jécerat fundaménta, honorífice cónditum fuit. Eum póstea, miráculis clarum, Clemens decimusquártus Póntifex máximus solémni ritu inter Beátos; Pius vero séptimus Póntifex máximus, novis fulgéntem signis, anno millésimo octingentésimo séptimo, Sanctórum albo adscrípsit.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Quia. Glória Patri. Quia.

Pro hoc Festo simplificato

Lectio ix

Franciscus, dictus ántea Ascánius, ex nóbili família Caracciolo in óppido sanctæ Maríæ de Villa in Aprútio ortus est. Adolescens gráviter ægrótans státuit sese prorsus Dei proximíque mancipáre servítio. Neápolim profectus et sacerdótio initiátus, contemplatióni lucrandísque animábus se totum devóvit, ac extrémo supplício damnátis hortatórem se præbuit assíduum. Joánni Augustíno Adórno et Fabrício Caracciolo, mira Dei dispositióne, adjúnctus, Clericórum regulárium Minórum órdinem instítuit, áddito ad tria consuéta áltero de non ambiéndis dignitátibus voto; quem, post óbitum Adórni, sanctíssime rexit, et summo stúdio per Hispániam et Itáliam propagávit. Erga sanctíssimæ Eucharístiæ sacraméntum tanto æstuábat affectu, ut noctes pene íntegras in ejus adoratióne impénderet; quod pium exercítium, véluti sui órdinis tésseram, perpétuo in eo servándum constítuit. Tandem prophetíæ dono et córdium scrutatióne ditátus, quadragésimum quartum annum agens, in óppido Agnóni in Aprútio letháli febre corréptus, in Dómino obdormívit prídie Nonas Júnii, anno millésimo sexcentésimo octávo. Sacrum ejus corpus, Neápolim delátum, in ecclésia sui órdinis cónditum est. Te Deum.

In III Nocturno Homilia in Ev. Sint lumbi, de Communi Conf. non Pont. 1 loco. [98]

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

Oratio

Deus, qui beátum Franciscum, novi órdinis institutórem, orándi stúdio et pœniténtiæ amóre decorásti : da fámulis tuis in ejus imitatióne ita profícere; ut, semper oántes et corpus in servitútem redigéntes, ad cæléstem glóriam pervenire mereántur. Per Dóminum.

Vesperæ a Capitulo de seq., Commemoratio præcedentis.

Die 5 Junii

S. Bonifatii

Episcopi et Martyris [29]

Duplex

Oratio

Deus, qui multitúdinem populórum, beáti Bonifátii Mártyris tui atque Pontíficis zelo, ad agnitiónem tui nóminis vocáre dignátus es : concéde propítius; ut, cujus solémnia cólimus, étiam patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Et fit Com. præcedentis :

Ant. Hic vir, despiciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit.

Oratio Deus, qui beátum, ut supra.

In II Nocturno

Lectio iv

Bonifátius, ántea Winfrídus appellátus, apud Anglos natus est exeúnte sæculo séptimo, et ab ipsa infántia mundum aversátus, vitam monásticam in votis hábuit. Cum ejus pater ánimum sæculi illécebris permutáre frustra tentásset, monastérium ingréditur, et sub beáti Wolphárdi disciplina ómnium virtútum ac scientiárum génere imbúitur. Annum agens trigésimum sacerdótio insignítur, ac verbi divíni prædicátor assíduus, magno animárum lucro hoc in múnere versátur. Attamen, regnum Christi adaugére desíderans, contínuo fiebat ingéntem multitúdinem barbarórum, qui ignorántiæ ténebris immérsi dæmoni famulabántur. Qui quidem animárum zelus cum in dies inexstinguíbili ardóre accrésceret, divíno núnine per lácrimas et oratió-

nes exploráto, facultátem a monastérii præpósito obtínuit ad Germánicas oras proficiscéndi.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit eum. — Et.

Lectio v

EX Anglia duóbus cum sóciis navem solvens, Dorestádium in Frísiæ óppidum venit. Cum autem bellum gravíssimum inter Frísonum regem Radbódum et Cárolum Martéllum exarsísset, sine fructu Evangélium prædicávit. Quaprópter in Angliam revérsus, ad suum redívit monastérium, cui invítus præfícitur. Post elápsum biénnium, ex consénsu episcopi Vintoniénsis, munus abdicávit, et Romam proféctus est, ut apostólica auctoritáte ad gentílium conversiónem delegarétur. Cum ad Urbem pervenísset, a Gregório secúndo benígne excípitur, pro Winfrído Bonifátius a Pontífice nominátur. In Germániam diréctus, Thuríngiæ Saxoniæque pópulis Christum annuntiávit. Cum intérea Radbódus, Frísiæ rex ac infestíssimus christiáni nóminis hostis, occubuísset, Bonifátius ad Frísones rédiit, ubi sancti Willibrórdi sócius per triénnium tanto cum fructu Evangélium prædicávit, ut, destrúctis idolórum simulácris, innúmeræ vero Deo ecclésiæ excitaréntur.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Et.

Lectio vi

A Sancto Willibrórdo ad episcopále munus expetítus, illud detrectávit ut prómptius infidélium salúti instáret. In Germániam proféctus, plura Hassórum míllia a dæmonis superstitióne avocávit. A Gregório Pontífice Romam evocátus, post insígnem fídei professiónem epíscopus consecrátur. Exínde ad Germános redux, Hássiam et Thuríngiam ad idololatríæ reliquiis pénitus expurgávit. Tanta propter mérita Bonifátius a Gregório tértio ad dignitátem archiepiscopálem evéhitur, et tértio Romam proféctus a summo Pontífice Sedis apostólicæ legátus constitúitur. Qua insignitus auctoritáte quátuor episcopátus instítuit, et várias sýnodos celebrávit, inter quas concílium Leptinénse memorábile est, apud Belgas in Cameracénsi diœcési celebrátum, quo quidem témpore ad fidem in Bélgio adaugéndam egrégie cóntulit. A Zacharía Papa creátus Moguntínus archiepíscopus, ipso Pontífice jubénte, Pipínum in regem Francórum unxit. Post mortem sancti Willibrórdi Ultrajecténsem ecclésiam gubernándam suscépit, primo per Eóbanum deínde per seípsum, dum ab ecclésia Moguntína absolútus Ultrajécti resédit. Frisónibus ad idololatríam relápsis, Evangélium prædicáre rursus aggréditur, cumque offício pastorali occuparétur, a bárbaris et ímpiis homínibus juxta Bornam flúvium cum Eóbano coepíscopo multísque áliis cruénta cæde peremptus martýrii palma condecorátur. Corpus sancti Bonifátii Mogúntiam translátum, et, ut ipse vivens petíerat, in Fuldénsi monastério, quod exstrúxerat, recónditum fuit, ubi multis miráculis incláruit. Pius autem nonus, Póntifex máximus, ejus Offícium et Missam ad univérsam Ecclésiam exténdit.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus : * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intellléctus : et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. — Et corónam. Glória Patri. Et corónam.

Pro hoc Festo simplificato

Lectio ix

BOnifátius, ántea Winfrídus appellátus, apud Anglos natus est exeúnte sæculo séptimo. Monastérium ingréssus et sacerdótio auctus, magno animárum lucro in prædicatóris múnere est versátus. Zelo augéndæ fídei accénsus, apud Frísones Evangélium prædicávit. In Angliam revérsus, cum per biénnium monastério sanctíssime præfuísset, superióris múnere abdicáto, Romam se cóntulit, ubi a Gregório secúndo Bonifátii nomen accépit, et in Germániam missus, Thuríngiæ Saxoniæque pópulis Christum annuntiávit. Ad Frísones revérsus, cum sancto Willibrórdo, magno fructu Evangélium prædicávit. Mox Romam accersítus, episcopáli dignitáte insignítur, et in Germániam íterum proféctus, Hássiam et Thuríngiam ab idololatríæ relíquiis pénitus expurgávit. Sedis apostólicæ legátus creátus et Moguntínus archiepíscopus, plures eréxit et, per se vel per discípulos, administrávit ecclésias. Frisónibus demum ad idololatríam relápsis Evangélium prædicáre rursus aggréssus, cum Eóbano coepíscopo multísque áliis, juxta Bornam flúvium cruénta cæde peremptus, martýrii palmam accépit. Ejus corpus in Fuldénsi monastério cónditum est.

Te Deum laudámus.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 5, 1-12

IN illo témpore : Videns Jesus turbas, ascéndit in montem, et cum sedísset, accessérunt ad eum discípuli ejus. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi

Liber 1 de Sermone Domini in monte cap. 2

BEáti mundo corde; quóniam ipsi Deum vidébunt. Quam ergo stulti sunt, qui Deum istis exterióribus óculis quærunt, cum corde videátur, sicut álibi scriptum est : Et in simplicitáte cordis quærite illum. Hoc est enim mundum cor, quod est simplex cor. Et quemádmodum lumen hoc vidéri non potest, nisi óculis mundis; ita nec Deus vidétur, nisi mundum sit illud quo vidéri potest. Beáti pacífici; quóniam ipsi fílii Dei vocabúntur. In pace perféctio est, ubi nihil repúgnat; et ídeo fílii Dei pacífici, quóniam nihil in his resístit Deo, et útique fílii similitúdinem patris habére debent.

℟. Coróna áurea super caput ejus, * Expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Expréssa.

Lectio viii

PAcífici autem in semetípsis sunt, qui omnes ánimi sui motus componéntes, et subjiciéntes ratióni, id est menti et spirítui, carnalésque concupiscéntias habéntes edómitas, fiunt regnum Dei. In quo ita sunt ordináta ómnia, ut id quod est in hómine præcípuum et excéllens, hoc ímperet, céteris

non reluctántibus, quæ sunt nobis bestiísque commúnia; atque idípsum quod excéllit in hómine, id est mens et rátio, subjiciátur potióri, quod est ipsa véritas, unigénitus Fílius Dei. Neque enim imperáre inferióribus potest, nisi superióri se ipse subjíciat. Et hæc est pax, quæ datur in terra homínibus bonæ voluntátis; hæc vita consummáti perfectíque sapiéntis.

℟. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit : * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, sed ad cæléstia regna pervénit. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Qui. Glória. Qui.

Lectio ix

DE hujúsmodi regno patíssimo et ordinatíssimo missus est foras princeps hujus sæculi, qui pervérsis inordinatísque dominátur. Hac pace intrínsecus constitúta atque firmáta, quascúmque persecutiónes ille, qui foras missus est, forínsecus concitáverit, auget glóriam, quæ secúndum Deum est; non áliquid in illo ædifício labefáctans, sed deficiéntibus máchinis suis innotéscere fáciens, quanta fírmitas intus exstrúcta sit. Ideo séquitur : Beáti, qui persecutiónem patiúntur propter justítiam; quóniam ipsórum est regnum cælórum.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Justus ut palma.

Ad Bened. Ant. Qui odit * ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

Oratio

DEus, qui multitúdinem populórum, beáti Bonifátii Mártyris tui atque Pontíficis zelo, ad agnitiónem tui nóminis vocáre dignátus es : concéde propítius; ut, cujus solémnia cólimus, étiam patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Vesperæ a Capitulo de seq., Commemoratio præcedentis.

Die 6 Junii

S. Norberti

Ep. et Conf. [69] Duplex

Oratio

DEus, qui beátum Norbértum Confessórem tuum atque Pontíficem, verbi tui præcónem exímium effecísti, et per eum Ecclésiam tuam nova prole fœcundásti : præsta, quæsumus; ut, ejúsdem suffragántibus méritis, quod ore simul et ópere dócuit, te adjuvánte, exercére valeámus. Per Dóminum.

Et fit Com. præcedentis :

Ant. Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

℣. Justus ut palma.

Oratio Deus, qui multitúdinem, ut supra. 600

In II Nocturno

Lectio iv

NOrbértus, nobilíssimis paréntibus natus, adoléscens liberálibus disciplínis erudítus, in ipsa póstea imperatóris aula, spretis mundi illécebris, ecclesiásticæ militiæ adscríbi vóluit. Sacris initiátus, rejéctis móllibus ac splendídis vestibus, pellícea melóte indútus, prædicatióni verbi Dei se totum dedit. Abdicátis ecclesiásticis provéntibus satis amplis, et património in páuperes erogáto, semel in die sub vésperam solo cibo quadragesimáli utens, nudísque pédibus et lácera veste sub brumáli rigóre incédens, miræ austeritátis vitam est aggréssus. Potens ígitur ópere et sermóne, innúmeros hæréticos ad fidem, peccatóres ad pœniténtiam, dissidéntes ad pacem et concórdiam revocávit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. — Manus.

Lectio v

CUM Laudúni esset, ab episcopo rogátus ne a sua diœcési discéderet, desértum in ea locum, qui Præmonstrátus dicebátur, sibi delégit; ibíque, trédecim sóciis aggregátis, Præmonstraténsem órdinem instítuit, divínitus accépta per visum régula a sancto Augustíno. Cum vero ejus fama sanctitátis in dies magis augerétur, ac plúrimi ad eum quotídie discípuli convenírent, idem ordo ab Honório secúndo aliísque summis Pontifícibus confirmátus, ac plúribus ab eo monastériis ædificátis, mirífice propagátus est.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Lectio vi

ANtvérpiam accersítus, in ea urbe Tanchelíni nefáriam hæresim profligávit. Prophético spíritu et miráculis cláruit. Archiepíscopus tandem (licet relúctans) Magdeburgénsis creátus, ecclesiásticam disciplínam, præsértim cœlibátum, constánter propugnávit. Rhemis in concílio Innocéntium secúndum egrégie adjúvit, et Romam cum áliis epíscopis profectus, schisma Petri Leónis compréssit. Postrémo vir Dei, méritis et Spíritu Sancto plenus, Magdebúrgi obdormívit in Dómino, anno salútis millésimo centésimo trigésimo quarto, die sexta Júnii.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Ipse. Glória Patri. Ipse.

Pro hoc Festo simplificato

Lectio ix

NOrbértus, nobilíssimis paréntibus natus, adoléscens liberálibus disciplínis erudítus, in ipsa póstea imperatóris aula, spretis mundi illécebris, ecclesiásticæ militiæ adscríbi vóluit. Sacris initiátus, prædicatióni verbi Dei se totum dedit. Innúmeros hæréticos ad fidem, peccatóres ad pœniténtiam, dissidéntes ad pacem et concórdiam revocávit. Desértum locum, qui Præmonstrátus dicebátur, in Laudunénsi diœcési sibi delégit; ibíque, trédecim sóciis aggregátis, Præmonstraténsem órdinem instítuit, qui mirífice propagátus est. Archiepíscopus Magdeburgénsis, licet relúctans, creátus, ecclesiásticam disciplínam, cœlibátum præsértim, constánter propugnávit. Rhemis in concílio Innocéntium secúndum egrégie adjúvit, et Romam cum áliis epíscopis profectus, schisma Petri Leónis compréssit. Magdebúrgi obdormívit in Dómino, anno salútis millésimo centésimo trigésimo quarto, die sexta Júnii.

Te Deum laudámus.

In III Noctuno Homilia in Ev. Homo péregre, de Communi Conf. Pont. 1 loco. [80]

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Oratio

DEus, qui beátum Norbértum Confessórem tuum atque Pontíficem, verbi tui præcónem eximium effecísti, et per eum Ecclésiam tuam nova prole fœcundásti : præsta quæsumus, ut ejúsdem suffragántibus méritis, quod ore simul et ópere dócuit, te adjuvánte exercére valeámus. Per Dóminum.

IN II VESPERIS

℣. Justum dedúxit.

Ad Magnif. Ant. Amávit eum Dóminus, * et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

Die 9 Junii

Ss. Primi et Feliciani

Martyrum [49]

Simplex

℣. Lætámini in Dómino.

Ad Magnif. Ant. Istórum est enim * regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad prǽmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

Oratio

FAC nos, quæsumus, Dómine, sanctórum Mártyrum tuórum Primi et Feliciáni semper festa sectári : quorum suffrágiis protectiónis tuæ dona sentiámus. Per Dóminum.

Lectio iii

PRimus et Feliciánus fratres, in persecutióne Diocletiáni et Maximiáni accusáti christiánæ religiónis, in víncula conjiciúntur; quibus solúti, inde eripiúntur ab Angelo. Mox ad prætórem addúcti, cum christiánam fidem acérrime tueréntur, alter ab áltero distrácti sunt; ac primum várie tentáta est constántia Feliciáni. Sed, cum suasóres impietátis se posse quidquam verbis proficere desperárent, affíxis stípiti mánibus ejus et pédibus, ipsum sine cibo et potu inde tríduum pendéntem reliquérunt. Postridie ejus diéi, prætor vocátum ad se Primum sic affátur : Vides quanto sit prudéntior, quam tu, frater tuus, qui obsecútus imperatóribus, apud ipsos est honorátus? Quem si tu quoque imitári volúeris, pártíceps eris ejus honóris et grátiæ. Cui Primus : Quid factum sit fratri meo, cognóvi ex Angelo. Utinam, quemádmodum sum cum eo voluntáte conjunctíssimus, sic ab eódem ne martýrio disjúngar. Quo dicto excánduit prætor, et ad céteros cruciátus, quibus Primum affécit, præsénte jam Feliciáno, liquátum igne plumbum in os ejus jussit infúndi. Mox utrúmque perdúci ímperat in theátrum, in eósque immítti duos leónes; qui, prostráti ad eórum génua, cápite et cauda ipsis blandiebántur. Ad id spectáculum cum ámplius duódecim míllia hóminum convenísssent, quingénti cum suis famíliis christiánam religiónem suscepérunt. Quibus rebus permótus prætor, eos secúri pércuti jussit.

Te Deum laudámus.

℣. Exsultábunt Sancti.

Ad Bened. Ant. Vestri capílli cápitis * omnes numeráti sunt : nolíte timére : multis passéribus melióres estis vos.

Oratio

FAC nos, quæsumus, Dómine, sanctórum Mártyrum tuórum Primi et Feliciáni semper festa sectári : quorum suffrágiis protectiónis tuæ dona sentiámus. Per Dóminum.

Vesperæ de sequenti.

Die 10 Junii

S. Margaritæ

Reginæ, Viduæ [130]

Semiduplex

℣. Spécie tua et.

Ad Magnif. Ant. Símile est regnum cælórum * hómini negotiatóri quæ-rénti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

Oratio

DEus, qui beátam Margarítam regínam exímia in páuperes caritáte mirábilem effecísti : da; ut ejus intercessióne et exémplo, tua in córdibus nostris cáritas júgiter augeátur. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

MArgaríta, Scotórum regína, patérno Angliæ regum, matérno Cæsarum sánguine claríssima, illústrior adhuc fuit christiána virtúte. Hæc in Hungária nata, ubi pater tunc témporis exsulábat, post exáctam summa cum pietáte puerílem ætátem, una cum genitóre, qui a sancto Eduárdo pátruo, Anglórum rege, ad patérni regni fastígium vocabátur, in Angliam venit. Mox, alternánte paréntum fortúna, ex Angliæ líttore solvens, vi tempestátis expúlsa, seu vérius divínæ providéntiæ consilio dedúcta est in oram marítimam Scótiæ. Ibi cum ex matris império Malchólmo tértio Scotórum regi, egrégiis ejus dótibus capto, nupsísset, sanctimóniæ ac pietátis opéribus, trigínta quibus regnávit annis, toti regno miríifice prófuit.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. — Et.

Lectio v

INter regáles delícias corpus afflictatiónibus ac vigíliis mácerans, magnam noctis partem piis precatiónibus extrahébat. Præterália jejúnia, quæ idéntidem usurpábat, íntegros quadragínta dies ante natalítia festa tanta cum severitáte jejunáre consuévit, ut ne in gravíssimis quidem dolóribus intermíserit. Divíno cúltui addictíssima, templa plúrima et cœnóbia partim ex integro excitávit, partim resarcívit, et sacra supelléctili ac largo censu ditávit. Regem cónjugem ad meliórem frugem et ad símilia suis exercitatiónibus ópera salubérrimo exémplo tradúxit, liberósque omnes tam sancte et feliciter educávit, ut eórum plerique, quemádmodum et Agatha mater, et Christína soror, sanctíssimum vitæ genus ampléxi sint. Univérsi demum regni felicitáti cónsulens, a vítiis ómnibus, quæ furtim irrépserant, pópulos expurgávit, eísque mores christiána pietáte dignos restítuit.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Propterea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Propterea.

Lectio vi

NIhil tamen æque in illa mirábile fuit ac flagrantíssima cáritas erga próximos, præsértim egénos, quorum numerósis grégibus non modo stipem áffatim suppeditáre, verum étiam trecéntis quotídie matérna benignitáte dapes præbére, flexis génibus in morem ancíllæ ministráre, régiis mánibus pedes ablúere, et pressis étiam ósculis úlcera fovére, solémne hábuit. His porro aliísque piis súmptibus non régias tantum vestes et pretiósa monília

distráxit, sed ipsum non semel exháusit ærárium. Tolerátis demum ad patiéntiæ miráculum acerbíssimis dolóribus, ánimam seméstri córporis ægrotatióne purgátam Auctóri suo, sextodécimo Kaléndas Decémbris, réddidit. Quo témporis moménto fácies ejus, diutúrni morbi mácie ac pallóre fœdáta, insólita quadam venustáte reflóruit. Miris étiam post mortem prodígiis clara, et Cleméntis décimi auctoritáte in Scótiæ patrónam accépta, ubíque terrárum religiosíssime cólitur.

℟. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo : * Múlier timens Deum, ipsa laudábitur. ℣. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus. — Múlier. Glória Patri. Múlier.

Pro hoc Festo simplificato

Lectio ix

MArgaríta, ex régia Anglórum stirpe in Hungária nata, post exáctam summa cum pietáte puerítiam, una cum genitóre, qui a sancto Eduárdo pátruo, Anglórum rege, ad patérni regni fastígium vocabátur, in Angliam, dein in Scótiam venit. Ibi, cum ex matris império Scotórum regi Malchólmo tértio nupsísset, sanctimóniæ et pietátis opéribus annis trigínta toti regno prófuit. Máxima erat in ea vitæ austéritas et flagrantíssimum erga próximos caritátis stúdium, præsértim in egénos; pro quibus aléndis non semel exháusit ærárium. Demum acérbis dolóribus et diutúrno morbo patientíssime tolerátis, ánimam Deo réddidit sextodécimo Kaléndas Decémbris. Quo témporis moménto fácies ejus, mácie ac pallóre fœdáta, insólita quadam venustáte reflóruit. Cleméntis décimi auctoritáte in Scótiæ patrónam accépta, ubíque terrárum religiosíssime cólitur.

Te Deum laudámus.

In III Nocturno Homilia in Ev. Símile est regnum cælórum, de Comm. non Virg. [134]

AD LAUDES

℣. Diffúsa est grátia.

Ad Bened. Ant. Date ei * de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus.

Oratio

DEus, qui beátam Margarítam regínam exímia in páuperes caritáte mirábilem effecísti : da; ut ejus intercessióne et exémplo, tua in córdibus nostris cáritas júgiter augeátur. Per Dóminum.

Vesperæ de sequenti, Commemoratio præcedentis.

Die 11 Junii

S. Barnabæ Apostoli

Duplex majus

Omnia de Communi Apostolorum [3], præter Orationem et Lectiones, ut infra.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Ad Magnif. Ant. Tradent enim vos * in concíliis, et in synagógis suis flagellábunt vos, et ante reges et præsides ducémini propter me in testimónium illis, et géntibus.

Oratio

DEus, qui nos beáti Bárnabæ Apóstoli tui méritis et intercessióne lætíficas : concéde propítius; ut, qui tua per eum benefícia póscimus, dono tuæ grátiæ consequámur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio præcedentis :

Ant. Manum suam apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem, et panem otiósa non comédit.

℣. Diffúsa est grátia.

Oratio Deus, qui beátam, ut supra. 606

In I Nocturno

De Actibus Apostolórum

Lectio i Cap. 13, 43-52

CUM dimíssa esset synagóga, secúti sunt multi Judæórum et coléntium advenárum, Paulum et Bárnabam; qui loquéntes suadébant eis ut permanérent in grátia Dei. Sequénti vero sábbato pene univérsa civitas convénit audíre verbum Dei. Vidéntes autem turbas Judæi, repléti sunt zelo et contradicébant his, quæ a Paulo dicebántur, blasphemántes. Tunc constánter Paulus et Bárnabas dixérunt : Vobis oportébat primum loqui verbum Dei; sed, quóniam repéllitis illud et indígnos vos judicátis ætérnæ vitæ, ecce convértimur ad gentes; sic enim præcépit nobis Dóminus : Pósui te in lucem géntium, ut sis in salútem usque ad extrémum terræ. ℟. Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum, dicit Dóminus : * Estóte ergo prudéntes sicut serpéntes, et símplices sicut colúmbæ. ℣. Dum lucem habétis, crédite in lucem, ut fílii lucis sitis. — Estóte.

Lectio ii

AUdiéntes autem gentes gavísæ sunt et glorificábant verbum Dómini, et credidérunt quotquot erant præordináti ad vitam ætérnam. Disseminabátur autem verbum Dómini per univérsam regiónem. Judæi autem concitavérunt mulíeres religiósas et honéstas et primos civitátis, et excitavérunt persecutiónem in Paulum et Bárnabam, et ejecérunt eos de fínibus suis. At illi, excússo púlvere pedum in eos, venérunt Icónium. Discípuli quoque replebántur gáudio et Spíritu Sancto.

℟. Tóllite jugum meum super vos, dicit Dóminus, et discite a me, quia mitis sum et húmilis corde : * Jugum enim meum suáve est, et onus meum leve. ℣. Et inveniétis réquiem animábus vestris. — Jugum.

Lectio iii Cap. 14, 1-3

FActum est autem Icónii, ut simul introírent in synagógam Judæórum et loquerêntur, ita ut créderet Judæórum et Græcórum copiósa multitúdo. Qui vero incréduli fuérunt Judæi, suscitavérunt et adiracúndiam concitavérunt ánimas géntium advérsus fratres. Multo ígitur témpore demoráti sunt fiduciáliter agéntes in Dómino, testimónium perhibénte verbo grátiæ suæ, dante signa et prodigia fieri per manus eórum.

℟. Dum stetéritis ante reges et præsides, nolíte cogitáre quómodo aut quid loquámini : * Dábitur enim vobis in illa hora, quid loquámini. ℣. Non enim vos estis qui loquímini; sed Spíritus Patris vestri, qui lóquitur in vobis. — Dábitur. Glória Patri. Dábitur.

In II Nocturno

Lectio iv

BArnabas Levites, Cýprius génere, qui et Joseph, cum Paulo géntium Apóstolus ordinátus est ad prædicándum Jesu Christi Evangélium. Is, agro véndito quem habébat, redáctam ex eo pecúniam áttulit Apóstolis. Missus autem Antiochíam prædicatiónis causa, cum ibi multos ad Christi Dómini fidem convérsos esse comperisset, incredibiliter lætátus, eos hortabátur ut in Christi fide permanérent. Qua cohortatióne multum proficiébat, quod ab ómnibus vir bonus et Spíritu Sancto plenus habebátur.

℟. Vidi conjúnctos viros, habéntes spléndidas ve-

stes, et Angelus Dómini locútus est ad me, dicens : * Isti sunt viri sancti facti amíci Dei. ℣. Vidi Angelum Dei fortem, volántem per médium cælum, voce magna clamántem et dicéntem. — Isti.

Lectio v

PRofféctus inde Tarsum ut quæreret Paulum, cum eo Antiochíam venit. In ejus urbis ecclésia annum commoráti, christiánæ fídei et vitæ illis homínibus præcépta dedérunt : ubi étiam Jesu Christi cultóres primum Christiáni sunt appelláti. Discípuli autem Pauli et Bárnabæ, suis facultátibus Christiános, qui in Judæa erant, sustentábant, eo mitténtes pecúniam per Paulum et Bárnabam. Qui perfúncti illo caritátis offício, adhíbito Joánne, cui cognómen erat Marcus, rediérunt Antiochíam.

℟. Beáti estis, cum maledíxerint vobis hómines, et persecúti vos fúerint, et díxerint omne malum advérsum vos, mentiéntes, propter me : * Gaudéte et exsultáte, quóniam merces vestra copiósa est in cælis. ℣. Cum vos óderint hómines, et cum separáverint vos, et exprobráverint, et ejécerint nomen vestrum tamquam malum propter Fílium hóminis. — Gaudéte.

Lectio vi

CUM autem Antiochíæ in Ecclésia, cum céteris prophétis et doctóribus, Paulus et Bárnabas in jejúnio et oratióne Dómino deservírent, dixit Spíritus Sanctus : Segregáte mihi Saulum et Bárnabam in opus, ad quod assúmpsi eos. Tunc jejunántes et orántes, imponentésque eis manus, dimisérunt illos. Itaque Seleuciam venérunt, inde in Cyprum; ac multas prætérea urbes regionésque, prædicántes Evangélium summa cum audiéntium utilitáte, peragrárunt. Postrémo Bárnabas digréssus a Paulo, una cum Joánne, qui cognominátus est Marcus, navigávit in Cyprum; ibique círciter séptimum Nerónis annum, tértio Idus Júnii, ad apostólici múneris laudem, martýrii corónam adjúnxit. Ejus corpus, Zenóne imperatóre, repértum est in ínsula Cypro; ad cujus pectus erat Evangélium Matthæi, Bárnabæ manu conscriptum.

℟. Isti sunt triumphatóres et amíci Dei, qui contemnéntes jussa príncipum, meruérunt prǽmia ætérna : * Modo coronántur, et accípiunt palmam.

℣. Isti sunt qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni. — Modo coronántur, et accípiunt palmam. Glória. Modo.

Pro hoc Festo simplificato

Lectio ix

BArnabas Levítes, Cýprius génere, cum Paulo Apóstolo ordinátus est ad prædicándum Jesu Christi Evangélium. Is, agro véndito quem habébat, redáctam ex eo pecúniam áttulit Apóstolis. Missus Antiochíam prædicatiónis causa, multos ibi ad Christi fidem convérsos suis hortatiónibus confirmávit. Inde profféctus cum eódem Paulo, multas urbes regionésque summa cum audiéntium utilitáte peragrávit. Postrémo, digréssus a Paulo, una cum Joánne, qui cognominátus est Marcus, navigávit in Cyprum, ibíque, séptimo Nerónis anno, ad apostólici múneris laudem, martýrii corónam adjúnxit. Te Deum.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 10, 16-22

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Ecce ego mitto vos sicut oves in médio luporum. Et réliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi

Homilia 34 in Matthæum, post initium

CUM Dóminus omnem sollicitúdinem a discipulórum córdibus ejécerit, et ostensióne signórum armáverit, atque, ab ómnibus negótiis sæculáribus alienátos et ab omni temporálium rerum cura liberátos, férreos quodámmodo atque adamántinos fécerit, tum dénique eventúra illis advérsa prædícit. Multa enim ex hac prædictióne futurárum rerum cómmoda consequebántur. Primum, ut ejus præsciéntiæ vim edísceret. Deínde, ut nemo suspicarétur, ex Magístri infirmitáte tam grávia mala descéndere. Prætérea, ne, qui ea passúri erant, súbito ac inopináto rerum eventu perturbaréntur. Dénique, ne, cum ista sub ipsum passiónis suæ tempus audírent, nímium commoveréntur.

℟. Isti sunt qui vivéntes in carne, plantavérunt Ecclésiam sánguine suo : * Cálicem Dómini bibérunt, et amíci Dei facti sunt. ℣. In omnem terram exívit sonus eórum, et in

fines orbis terræ verba eórum. — Cálicem.

Lectio viii

JAM vero, ut intélligant novum hoc esse belli genus et insólitum præliándi morem, cum illos nudos mítteret, una indútos túnica, sine cálceis, absque virga et absque zona et pera, et ab excipiéntibus ali jubéret, non fecit hic dicéndi finem, sed inexplicábilem virtútem suam próferens, Etiam sic eúntes, inquit, mansuetúdinem tamen óvium osténdite, quamvis ad lupos itúri, nec simplíciter ad lupos, sed étiam in médio lupórum : (neque vero óvium tantum mansuetúdinem habére jubet, sed étiam colúmbæ simplicitátem); sic enim virtútem meam máxime osténdam, cum ab óvibus lupi superabúntur; et quamvis illæ sint in médio lupórum, et innúmeris mórsibus laceréntur, non modo non consúmptæ fúerint, verum étiam illos in sui natúram transmutáverint.

℟. Isti sunt viri sancti, quos elégit Dóminus in caritáte non ficta, et dedit illis glóriam sempitérnam : * Quorum doctrína fulget Ecclésia, ut sole luna. ℣. Sancti per fidem vicérunt regna : operáti sunt justítiam. — Quórum. Glória Patri. Quorum.

Lectio ix

MAjus certe atque admirabílius est mentem adversariórum commutáre, et ánimum in divérsum transférre, quam illos occídere; præsértim cum duódecim tantum essent, et lupis plenus esset orbis univérsus. Erubescámus ígitur, qui, longe divérsa faciéntes, tamquam lupi in adversários rúimus. Nam, quámdiu oves fuérimus, víncimus; étiam si mille circúmstent lupi, superámus, et victóres sumus. Quod si lupi fuérimus, víncimur; tunc enim a nobis pastóris auxílium recédit, qui non lupos, sed oves pascit.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

Ad Bened. Ant. Vos qui reliquístis * ómnia, et secúti estis me, céntuplum accipiétis, et vitam ætérnam possidébitis.

Oratio

DEus, qui nos beáti Bárnabæ Apóstoli tui méritis et intercessióne lætíficas : concéde propitius, ut qui tua per eum benefícia póscimus,dono tuæ grátiæ consequámur. Per Dñum.

IN II VESPERIS

℣. Annuntiavérunt ópera Dei.

Ad Magnif. Ant. Estóte fortes * in bello, et pugnáte cum antíquo serpénte : et accipiétis regnum ætérnum, allelúja.

Et fit Commemoratio sequentis ac Ss. Basilidis, Cyrini, Naboris et Nazarii Mm.

Die 12 Junii

S. Joannis a S. Facundo

Confessoris [94]

Duplex

(m. t. v.), nisi tamen alicubi I Vesperas habeat

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

℣. Amávit eum Dóminus.

Oratio

DEus, auctor pacis et amátor caritátis, qui beátum Joánnem Confessórem tuum mirífica dissidéntes componéndi grátia decorásti : ejus méritis et intercessióne concéde; ut in tua caritáte firmáti, nullis a te tentatiónibus separémur. Per Dóminum.

Et fit Com. Ss. Basilidis, Cyrini, Naboris et Nazarii Mm.

Ant. Istórum est enim regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad prǽmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Lætámini in Dómino.

Oratio

SAnctórum Mártyrum tuórum Basílidis, Cyríni, Náboris atque Nazárii, quæsumus, Dómine, natalítia nobis votíva respléndeant : et, quod illis cóntulit excelléntia sempitérna, frúctibus nostræ devotiónis accréscat. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

OánnemSahagúni in Hispánia, nóbili génere natum, paréntes cum diu prole caruíssent, piis opéribus et oratiónibus a Deo impetrárunt. Ab ineúnte ætáte egrégium futúræ sanctitátis spécimen dedit; nam e loco superióri ad céteros púeros crebro verba faciébat, quibus eos ad virtútem et Dei cultum hortabátur, eorúmque dissídia componébat. In pátria mónachis sancti Facúndi, órdinis sancti Benedícti, primis litterárum rudiméntis imbuéndus tráditur. Dum iis óperam daret, curávit pater ut párochus ecclésiam administráret; quod munus júvenis nullis ratiónibus addúci pótuit ut retinéret. Inter familiáres episcopi Burgénsis adscríptus, ob spectátam ipsíus probitátem íntimus ei fuit, ab eóque présbyter et canónicus factus, multis benefíciis auctus est. Sed relícta aula episcopi, ut Deo quiétius serviret, ómnibus ecclésiæ provéntibus abdicátis, se cuidam sacéllo addíxit, ubi Sacrum quotídie faciébat, ac de rebus divínis magna cum auditórum ædificatióne frequénter concionabátur.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et.

Lectio v

POstea studiórum causa Salmánticam profectus, in célebre collégium divi Bartholomæi cooptátus, sacerdótis munus ita exércuit, ut simul optátis stúdiis incúmberet, et in sacris étiam conciónibus assídue versarétur. Cum vero in gravíssimum morbum incidísset, arctióris disciplínæ voto se obstrínxit, quod ut rédderet, cum prius cuidam páuperi pene nudo ex duábus, quas tantum habébat vestes, meliórem dedísset, ad cœnóbium sancti Augustíni, severióri disciplína tum máxime florens, se cóntulit; in quo admíssus, obediéntia, ánimi demissióne, vigíliis ac oratióne provectióres anteíbat. Triclínii cura cum ipsi demandáta esset, vini dolíolum, ipso attingénte, ómnibus mónachis per annum abúnde suffécit. Exácto tirocínii anno, præfécti jussu munus concionándi suscépit. Salmánticæ id témporis ádeo cruéntis factiónibus divína humánaque ómnia permíxta erant, ut síngulis propémodum horis cædes fíerent, et ómnium órdinum, ac præsértim nobílium, sánguine non viæ solum et fora, sed templa étiam redundárent.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vi

AT Joánnes, tum conciónibus, tum privátis collóquiis cívium ánimos demúlcens, ad tranquillitátem urbem redúxit. Virum príncipem gráviter offéndit, quod illíus in súbditos sævítiam increpásset. Qua de causa équites duos immísit, qui eum in itínere confóderent; jamque ad ipsum propinquáverant, cum, stupóre divínitus immísso, simul cum equis immóbiles stetérunt, donec, ad pedes sancti viri provolúti, scéleris véniam precaréntur. Ipse quoque princeps, repentíno terróre percúlsus, jam de salúte desperáverat, cum, revocáto Joánne, facti pœnitens incolumitáti rédditus est. Factiósi étiam hómines, cum eum fústibus péterent, bráchiis diriguére, nec ante réddita vires quam delícti véniam precaréntur. Christum Dóminum, dum Sacrum fáceret, præséntem contuéri, atque ex ipso divinitátis fonte cæléstia mystéria haurire sólitus; ábdita cordis inspícere, ac futúra raro eventu præsagíre frequens illi fuit, fratrísque fíliam septénnem mórtuam excitávit. Déinque mortis die prænuntiáto, et Ecclésiæ sacraméntis devotíssime suscéptis, extrémum diem clausit, multis ante et post óbitum miráculis gloriósus. Quibus rite probátis, Alexánder octávus Sanctórum número eum adscrípsit.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Quia. Glória Patri. Quia.

Pro hoc Festo simplificato

Lectio ix

JOánnem, Sahagúni in Hispánia, nóbili génere natum, paréntes cum diu prole caruíssent, piis opéribus et oratiónibus a Deo impetrárunt. Ab ineúnte ætáte futúræ sanctitátis indícia præbuit. Présbyter ordinátus, ut Deo quiétius serviret, omnes ecclesiásticos provéntus, quibus mérito auctus fúerat, sponte dimísit. Salmánticæ, cum in gravíssimum morbum incidísset, arctióris disciplínæ voto se obstrínxit, quod ut rédderet, ad cœnóbium sancti Augustíni, severióri disciplína tum máxime florens, se cóntulit; in quo admíssus, virtútibus ómnibus provectióres anteíbat. Salmanticénses cives, cruéntis factiónibus exagitátos, tum conciónibus tum privátis collóquiis ac vitæ sanctitáte, ad tranquillitátem redúxit, non semel a præsénti discrímine divínitus liberátus. Christum Dómi-

num, dum Sacrum fáceret, præséntem contuéri, ábdita cordis inspícere, ac futúra præsagíre frequens illi fuit. Dénique, mortis die prænuntiáto, sanctíssime ex hac vita migrávit, multis ante et post óbitum miráculis gloriósus. Quibus rite probátis, Alexánder octávus Sanctórum número eum adscrípsit.

Te Deum laudámus.

In III Nocturno Homilia in Ev. Sint lumbi, de Comm. Conf. non Pont. 1 loco. [98]

Pro Ss. Basilide, Cyrino, Nabore et Nazario Mm.

Lectio ix

BAsílides, Cyrínus, Nabor et Nazárius, Románi mílites, nóbiles génere, et virtúte illústres, christiána religióne suscépta, cum Christum Dei Fílium, Diocletiáno imperatóre, prædicárent, ab Aurélio præfécto Urbis comprehénsi, et ut diis sacra fácerent, admóniti, ejus jussa contemnéntes, missi sunt in cárcerem. Quibus orántibus, cum súbito claríssima lux obórta ómnium óculis, qui ibídem essent, cárcerem collustrásset; illo cæléstis splendóre commótus Marcéllus custódiæ præpósitus, multíque álii, Christo Dómino credidérunt. Verum póstea e cárcere emíssi, ab imperatóre Maximiáno, cum, ejus étiam neglécto império, unum Christum Deum et Dóminum in ore habérent, scorpiónibus cruciáti íterum conjiciúntur in víncula; unde séptimo die edúcti et ante pedes imperatóris constitúti, perstitérunt in irrisióne inánium deórum, Jesum Christum Deum constantíssime confiténtes. Quam ob rem damnáti, secúri feriúntur. Quorum córpora, feris objécta nec ab illis tacta, a Christiánis honorífice sepúlta sunt.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítiam, intra in gáudium Dómini tui.

Oratio

DEus, auctor pacis et amátor caritátis, qui beátum Joánnem Confessórem tuum mirífica dissidéntes componéndi grátia decorásti : ejus méritis et intercessióne concéde; ut in tua caritáte firmáti, nullis a te tentatiónibus separémur. Per Dóminum nostrum.

Et fit Com. Ss. Basilidis, Cyrini, Naboris et Nazarii Mm.

Ant. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt : nolíte timére : multis passéribus melióres estis vos.

℣. Exsultábunt Sancti.

Oratio

SAnctórum Mártyrum tuórum Basílidis, Cyríni, Náboris atque Nazárii, quæsumus, Dómine, natalítia nobis votíva respléndeant : et, quod illis cóntulit excelléntia sempitérna, fructibus nostræ devotiónis accréscat. Per Dóminum.

Vesperæ a Capitulo de seq., Commemoratio præcedentis.

Die 13 Junii

S. Antonii de Padua

Conf. [94] Duplex

℣. Amávit eum Dóminus.

Ad Magnif. Ant. Similábo eum * viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

Oratio

ECclésiam tuam, Deus, beáti Antónii Confessóris tui solémnitas votíva lætíficet : ut spirituálibus semper muniátur auxíliis, et gáudiis pérfrui mereátur ætérnis. Per Dóminum.

Et fit Com. præcedentis :

Ant. Hic vir, despíciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit.

Oratio

DEus, auctor pacis et amátor caritátis, qui beátum Joánnem Confessórem tuum mirífica dissidéntes componéndi grátia decorásti : ejus méritis et intercessióne concéde; ut in tua caritáte firmáti, nullis a te tentatiónibus separémur. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

Ntónius, Ulyssipóne in Lusitánia honéstis ortus paréntibus, et ab iis pie educátus, adoléscens, institútum canonicórum regulárium suscépit. Sed, cum córpora beatórum quinque Mártyrum fratrum Minórum Conímbriam transferréntur, qui paulo ante apud Marróchium pro Christi fide passi erant, martýrii desidério incénsus ad Franciscánum órdinem transívit. Mox eódem ardóre impúlsus, ad Saracénos ire perréxit; sed, advérsa valetúdine afflíctus et redíre coáctus, cum navi ad Hispániæ líttora ténderet, ventórum vi in Sicíliam delátus est.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit

eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et.

Lectio v

ASsísium e Sicília ad cápitulum generále venit : inde in erémum montis Pauli in Æmília secéssit, ubi divínis contemplatiónibus, jejúniis et vigíliis diu vacávit. Póstea, sacris ordínibus initiátus et ad prædicándum Evangélium missus, dicéndi sapiéntia et cópia tantum profécit, tantámque sui admiratiónem commóvit, ut eum summus Póntifex aliquándo concionántem áudiens, arcam Testaménti appellárit. In primis vero hæreses summa vi profligávit, ideóque perpétuus hæreticórum málleus est vocátus.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vi

PRimus ex suo órdine, ob doctrínæ præstántiam, Bonóniæ et álibi sacras lítteras est interpretátus, fratrúmque suórum stúdiis præfuit. Multis vero peragrátis provínciis, anno ante óbitum Patávium venit, ubi illústria sanctitátis suæ monuménta relíquit. Dénique magnis labóribus pro glória Dei perfúnctus, méritis et miráculis clarus obdormívit in Dómino Idibus Júnii, anno salútis millésimo ducentésimo trigésimo primo. Quem Gregórius nonus, Póntifex máximus, sanctórum Confessórum número adscrípsit.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Quia. Glória Patri. Quia.

Pro hoc Festo simplificato

Lectio ix

ANtónius, Ulyssipóne in Lusitánia honéstis písque ortus paréntibus; adoléscens, institútum canonicórum regulárium suscépit : sed, mártyrii desidério incénsus, ad Franciscánum órdinem transívit. Ad Saracénos missus, et advérsa valetúdine redíre coáctus, vi ventórum in Sicíliam delátus

est. Mox sacris ordinibus initiátus et prædicatóris múnere fungens, tantam sui admiratiónem commóvit, ut ad sacras lítteras interpretándas Bonóniæ et álibi vocátus sit, fratrum suórum stúdiis fúerit præféctus, et arca Testaménti atque hæresum málleus merúerit appellári. Multis autem peragrátis provínciis, anno ante óbitum Patávium venit, ubi illústria sanctitátis suæ monuménta relíquit. Méritis et miráculis clarus obdormívit in Dómino Idíbus Júnii, anno salútis millésimo ducentésimo trigésimo primo, ætátis suæ trigésimo sexto.

Te Deum laudámus.

In III Nocturno Homilia in Ev. Sint lumbi, de Communi Conf. non Pont. 1 loco. [98]

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

Oratio

Ecclésiam tuam, Deus, beáti Antónii Confessóris tui solémnitas votíva lætíficet : ut spirituálibus semper muniátur auxíliis, et gáudiis pérfrui mereátur ætérnis. Per Dóminum.

Vesperæ a Capitulo de sequenti, Commem. præced.

Die 14 Junii

S. Basilii Magni

Ep., Conf. et Eccl. Doct. [69]

Duplex (m. t. v.)

℣. Amávit eum Dóminus.

Ad Magnif. Ant. O Doctor óptime, * Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Basíli, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

Oratio C 2

Exáudi, quæsumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti Basílii Confessóris tui atque Pontifícis solemnitáte deférimus : et, qui tíbi dígne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

Et fit Commem. præced. :

Ant. Hic vir, despíciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit.

Oratio Ecclésiam tuam, ut supra.

In I Nocturno, si sumendæ sint de Communi, Lectiones Sapiéntiam. [87]

In II Nocturno

Lectio iv

Basílius, nóbilis Cáppadox, Athénis una cum Gregório Nazianzéno, ejus amicíssimo, sæculáribus lítteris, deínde in monastério sacris mirabíliter erudítus, eum brevi cursum fecit ad omnem doctrínæ et morum excellántiam, ut inde Magni cognómen invénerit. Is ad prædicándum Jesu Christi Evangélium in Pontum accersítus, eam provínciam, a christiánis institútis aberrántem, ad viam salútis revocávit. Mox ab Eusébio Cæsaréæ epíscopo ad erudiéndam eam civitátem adjútor adhibétur; in cujus locum póstea successit. Is Fílium Patri consubstantiálem esse in primis defendit, ac Valéntem imperatórem, sibi irátum, miráculis ádeo flexit, ut, incumbéntem ad voluntátem ejiciéndi ipsum in exsílium, a senténtia discédere coégerit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. — Manus.

Lectio v

Nam et Valéntis sella, in qua, factúrus decrétum de ejiciéndo e civitáte Basilio, sedére volébat, confrácta est. Et tribus ab eo cálamis adhíbitis ad scribéndam exsílii legem, nullus eórum réddidit atraméntum; et, cum nihilóminus in propósito scribéndi ímpium decrétum persísteret, ipsius déxtera, dissolútis nervis, tota contrémuit. His commótus Valens chartam utráque manu conscídit. Ea autem nocte, quæ ad deliberándum Basilio data est, Valéntis uxor íntimis est cruciáta dolóribus, et únicus fílius in gravem morbum incidit. Quibus ille pertérritus, iniquitátem suam recognóscens, Basilium accérsit, quo præsénte, puer cœpit convaléscere; verum, vocátis a Valénte ad viséndum púerum hæréticis, paulo post móritur.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Lectio vi

Abstinéntia et continéntia fuit admirábili; una túnica conténtus erat : in jejúnio servándo diligentíssimus, in oratióne assíduus, in qua sæpe totam noctem consumébat. Virginitátem perpétuo cóluit. Monastériis exstrúctis, ita monachórum institútum temperávit, ut solitáriæ atque actuósæ vitæ utilitátes præcláre simul conjúngeret. Multa erudíte scripsit; ac nemo, teste Gregório Nazianzéno, sacræ Scriptúræ libros vérius aut ubérius explicávit. Obiit Kaléndis Januárii, cum tantum spíritu vivens, præter ossa et pellem, nulla prætérea córporis parte constáre viderétur.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Ipse. Glória. Ipse.

Pro hoc Festo simplificato

Lectio ix

Basílius, nóbilis Cáppadox, Athénis una cum Gregório Nazianzéno, ejus amicíssimo, sæculáribus lítteris, deínde in monastério sacris mirabíliter erudítus, eum brevi cursum fecit ad omnem doctrínæ et morum excellántiam, ut inde Magni cognómen invénerit. Ad prædicándum Jesu Christi Evangélium in Pontum accersítus, eam provínciam ad viam salútis revocávit; mox ab Eusébio Cæsaréæ epíscopo ad erudiéndam eam civitátem adjútor adhibétur, in cujus locum póstea successit. Is Fílium Patri consubstantiálem esse in primis defendit, ac Valéntem imperatórem, sibi irátum et exsílium minitántem, miráculis ádeo flexit, ut a senténtia discédere coégerit. Abstinéntia et continéntia fuit admirábili; in oratióne assíduus, in ea sæpe totam noctem consumébat. Monastériis exstrúctis, ita monachórum institútum temperávit, ut solitáriæ atque actuósæ vitæ utilitátes præcláre simul conjúngeret. Multa erudíte scripsit; ac nemo, teste Gregório Nazianzéno, sacræ Scriptúræ libros vérius aut ubérius explicávit. Obiit Kaléndis Januárii. Te Deum.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 14, 26-35

In illo témpore : Dixit Jesus turbis : Si quis venit ad me, et non odit

patrem suum, et matrem, et uxórem, et fílios, et fratres, et soróres, adhuc autem et ánimam suam, non potest meus esse discípulus. Et réliqua.

Homilía sancti Basilii Epíscopi

Liber Regularum fusius explicat. ad interrog. 8

Erfécta quidem renuntiátio in eo consístit, ut id assequámur, ne ad ipsíus étiam vitæ affectiónem propénsi simus, et respónsum mortis habeámus, ut non simus fidéntes in nobis ipsis. Hujúsmodi autem renuntiátio inítium sumit ab alienatióne rerum externárum, véluti a possessiónibus, ab ináni glória, a vivéndi consuetúdine, a rerum inutílium amóre; quemádmodum étiam suo exémplo nobis ostendérunt sancti Dómini nostri discípuli, Jacóbus quidem et Joánnes, relícto patre Zebedæo et ipsa quoque navícula, de qua omnis illórum victus rátio pendébat; Matthæus vero, cum ab ipso telónio surréxit ac Dóminum secútus est.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fidei, et ornávit eum. — Et.

Lectio viii

SED quid opus est nostris ratiónibus aut sanctórum virórum exémplis id quod dícimus confírmare, cum ipsa Dómini verba in médium líceat afférre, iísque ipsis religiósam ac Deum timéntem ánimam commovére, quibus ille perspícue et sine controvérsia protestátur, dicens : Sic ígitur quicúmque ex vobis non renuntiáverit ómnibus quæ pósidet, non potest meus esse discípulus? Et álio in loco, cum prius dixísset : Si vis perféctus esse, vade, et vende ómnia quæ habes, et da paupéribus; póstea subjúnxit : Veni, séquere me.

℟. In médio Ecclésiæ apéruit os ejus, * Et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ et intelléctus. ℣. Jucunditátem et exsultatiónem thesaurizávit super eum. — Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix

EST ígitur renuntiátio, quemádmodum docúimus, vinculórum terrénæ hujus ac temporális vitæ solútio, atque ab humánis negótiis liberátio, per quam ad ineúndam viam, qua ad Deum pervenítur, aptióres et promptióres effícimur; et expedíta rátio ad acquisitiónem usúmque rerum, quæ super aurum et lápidem pretiósum multum longe sunt pretiosióres. Et in summa, cordis humáni ad cæléstem conversatiónem translátio, ita ut dícere líceat : Nostra conversátio in cælis est; et (quod máximum est) inítium unde ad Christi similitúdinem evádimus, qui cum dives esset, propter nos pauper est factus.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Oratio C 2

EXáudi, quæsumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti Basilii Confessóris tui atque Pontíficis solemnitáte deférimus : et, qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

IN II VESPERIS

℣. Justum dedúxit.

Ad Magnif. Ant. O Doctor óptime, * Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Basíli, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

Et fit Commem. sequentis.

Die 15 Junii

Ss. Viti, Modesti atque Crescentiæ

Martyrum [49] Simplex

Ant. Istórum est enim regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad prǽmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Lætámini in Dómino.

Oratio

DA Ecclésiæ tuæ, quæsumus, Dómine, sanctis Martýribus tuis Vito, Modésto atque Crescéntia intercedéntibus : supérbe non sápere, sed tibi plácita humilitáte profícere; ut, prava despíciens, quæcúmque recta sunt, líbera exérceat caritáte. Per Dóminum.

Lectio iii

VItus ádmodum puer, ínscio patre, baptizátus est; quod cum ille rescivísset, nihil prætermísit, quo fílium a christiána religióne removéret. Qua in voluntáte permanéntem, Valeriáno júdici verbéribus castigándum trádidit. Sed nihil ominus in senténtia persístens, patri rédditus est. Sed dum eum pater grávius puníre cógitat, Vitus Angeli mónitu, comítibus Modésto et Crescéntia, ejus educatóribus, migrat in aliénas terras; ibíque eam sanctitátis laudem adéptus est, ut ejus fama ad Diocletiánum perláta, ipsum imperátor accérseret, ut fílium suum a dæmone vexátum liberáret. Quo liberáto, cum ei amplíssimis prǽmiis ingrátus imperátor, ut deos cóleret, persuadére non potuísset, una cum Modésto et Crescéntia vínculis constríctum mittit in cárcerem. Quos ubi constantióres esse cómperit, demítti jubet in ingens vas liquáto plumbo, fervénti resína ac pice plenum; in quo, cum trium Hebræórum puerórum more divínos hymnos cánerent, inde erépti leóni objiciúntur, qui, prostérnens se eórum pedes lambébat. Quare inflammátus ira imperátor, quod multitúdinem vidébat miráculo commovéri, eos in catásta sterni jubet, et ita cædi eórum membra atque ossa divélli. Quo témpore tonítrua, fúlgura magníque terræmótus fuére, quibus templa deórum corruérunt, et multi oppréssi sunt. Eórum relíquias Floréntia, nóbilis fémina, unguéntis condítas honorífice sepelívit.

Te Deum laudámus.

℣. Exsultábunt Sancti.

Ad Bened. Ant. Vestri capílli cápitis * omnes numeráti sunt : nolíte timére : multis passéribus melióres estis vos.

Oratio Da Ecclésiæ, ut supra. 622

Die 18 Junii

S. Ephræm Syri,

Diaconi, Conf. et Eccl. Doct. [94] Duplex

℣. Amávit eum Dóminus.

Ad Magnif. Ant. O Doctor óptime, * Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Ephræm, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

Oratio

DEus, qui Ecclésiam tuam beáti Ephræm Confessóris tui et Doctóris mira eruditióne et præcláris vitæ méritis illustráre voluísti : te súpplices exorámus; ut, ipso intercedénte, eam advérsus erróris et pravitátis insídias perénni tua virtúte deféndas. Per Dóminum.

Et fit Commem. Ss. Marci et Marcelliani Mm. :

Ant. Istórum est enim regnum cælórum, qui con-

tempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad prǽmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Lætámini in Dómino.

Oratio

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus : ut qui sanctórum Mártyrum tuórum Marci et Marcelliáni natalítia cólimus; a cunctis malis imminéntibus, eórum intercessiónibus liberémur. Per Dóminum.

In I Nocturno, si sumendæ sint de Communi, Lectiones Sapiéntiam. [87]

In II Nocturno

Lectio iv

Ephræm, génere Syrus, Nisibéno patre natus est. Adhuc júvenis ad sanctum Jacóbum epíscopum se cóntulit, a quo baptizátus, brevi ita sanctitáte et doctrína profécit, ut in schola Nísibi, Mesopotámiæ urbe, florénte magíster fúerit constitútus. Post Jacóbi epíscopi mortem, Nísibi a Persis capta, Edéssam profóctus est; ubi primum in monte inter mónachos consédit, deínde, ut plúrimos ad se confluéntes hómines vitáret, vitam duxit eremíticam. Edessénæ Ecclésiæ diáconus ordinátus et ob humilitátem sacerdótium recúsans, ómnium virtútum splendóre enítuit, et pietátem et religiónem vera sapiéntiæ professióne sibi comparáre satégit. Spem omnem in solo Deo defíxam habens, quævis humána ac transitória contémnens, divína ac sempitérna assídue concupiscébat.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et.

Lectio v

CÆsaréam Cappadóciæ, divíno ductus Spíritu, cum petísset, ipsum ibi os Ecclésiæ Basílium vidit, et utérque mútua consuetúdine opportúnum in modum usus est. Ad innúmeros erróres refelléndos, qui, tunc témporis grassántes, Ecclésiam Dei divexábant, atque ad mystéria Dómini nostri Jesu Christi sédulo illustránda, plúrimas édidit lucubratiónes, Syro sermóne compósitas, et fere omnes in linguam græcam versas; atque, teste sancto Hierónymo, ipse ad tantam venit claritúdinem, ut post lectiónem Scripturárum públice in

quibúsdam ecclésiis ejus scripta recitaréntur.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vi

UNivérsa illíus ópera, tam spléndido doctrínæ lúmine referta, effecérunt, ut idem Sanctus, adhuc vivens, tamquam Ecclésiæ Doctor, magno honóre hábitus fúerit. Métrica quoque cántica compósuit in laudem beatíssimæ Vírginis Maríæ ac Sanctórum : quam ob causam a Syris Spíritus Sancti cíthara mérito fuit appellátus. In mirífica ac pia devotióne erga eámdem Vírginem immaculátam primum excélluit. Méritis plenus, Edéssæ, in Mesopotámia, décimo quarto Kaléndas Júlii, decéssit sub Valénte príncipe : eúmque, instántibus plúribus sanctæ Románæ Ecclésiæ Cardinálibus, Patriárchis, Archiepíscopis, Epíscopis, Abbátibus, et religiósis famíliis, Benedíctus Papa décimus quintus, ex sacrórum Rítuum Congregatiónis consúlto, universális Ecclésiæ Doctórem declarávit.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi et pervénit ad cæléstia regna. — Quia. Glória Patri. Quia.

Pro hoc Festo simplificato

Lectio ix

CPhræm, génere Syrus, Nisibéno patre natus est. Adhuc júvenis ad sanctum Jacóbum epíscopum se cóntulit, a quo baptizátus, brevi ita sanctitáte et doctrína profécit, ut in schola Nísibi, Mesopotámiæ urbe, florénte magíster fúerit constitútus. Edessénæ Ecclésiæ diáconus ordinátus et ob humilitátem sacerdótium recúsans, ómnium virtútum splendóre enítuit, et pietátem et religiónem vera sapiéntiæ professióne sibi comparáre satégit. Univérsa illíus ópera, tam spléndido doctrínæ lúmine referta, effecérunt, ut idem Sanctus, adhuc vivens, tamquam Ecclésiæ Doctor, magno honóre hábitus fúerit. In mirífica ac pia devotióne erga Vírginem immaculátam primum excélluit. Méritis

plenus, Edéssæ in Mesopotámia, décimo quarto Kaléndas Júlii, decéssit sub Valénte príncipe : eúmque Benedíctus Papa décimus quintus, ex sacrórum Rítuum Congregatiónis consúlto, universális Ecclésiæ Doctórem declarávit.

Te Deum laudámus.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 5, 13-19

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Et réliqua.

Homília sancti Ephræm Syri, Diáconi

Sermo de vita et exercitatione monastica

RÆclárum est bonum inchoáre atque perfícere, et gratum Deo esse et útilem próximo, ipsíque summo ac dulcíssimo rectóri nostro Christo Jesu placére, qui ait : Vos estis sal terræ, et colúmna cælórum. Labor afflictiónis tuæ, dilectíssime, tamquam somnus est; porro labóris réquies inenarrábilis atque inæstimábilis. Atténde ergo tibi ipsi sollícite, ne utrúmque páriter amíttas, dum néutrum plene persequéris, præséntem scílicet sempiternámque lætítiam. Stude pótius perféctam virtútem cónsequi, ornátam atque insignítam ómnibus quæ díligit Deus. Hanc si assequáris, numquam irritábis Deum neque próximum tuum violábis.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium popolórum. ℣. Ecce homo síne queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo. et pérmanens in innocéntia sua. — Ipse.

Lectio viii

POrro vírtus ista, única uniúsque speciéi dícitur, variárum virtútum in se ipsa habens pulchritúdinem. Diadéma régium absque pretiósis lapídibus candentibúsque margarítis conécti texíque non potest; ita et hæc única virtus sine variárum fulgóre virtútum constáre nequit. Est enim profécto simíllima diadémati régio. Nam, ut illi si lapis unus aut margaríta defúerit, in régio cápite lucére pléniter nequit; ita et hæc única virtus, nisi virtútum cete-

rárum honóre consériturr, perfécta virtus non appelátur. Símilis item est pretiosíssimis épulis, exquisitíssimis condiméntis præparátis, sed sale carentibus. Sicut enim pretiósi illi cibi sine sale cómedi néqueunt : ita et ista virtus unifórmis, si variárum virtútum glória et honóre decorétur, absit autem Dei proximíque diléctio, vilis prorsus atque contemptíbilis est.

℟. In médio Ecclésiæ apéruit os ejus, * Et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ et intelléctus. ℣. Jucunditátem et exsultatiónem thesaurizávit super eum. — Et. Glória Patri. Et.

Pro Ss. Marco et Marcelliano Martyribus

Lectio ix

MArcus et Marcelliánus, fratres Románi, propter christiánam fidem a Fabiáno duce comprehénsi, ad stípitem alligáti sunt, pédibus clavis confíxis. Ad quos cum ita loquerétur judex : Resipíscite, míseri, et vos ipsos ab his cruciátibus erípite, respondérunt : Numquam tam jucúnde epuláti sumus, quam hæc libénter, Jesu Christi causa, perférimus, in cujus amóre nunc fixi esse cœpimus. Utinam támdiu nos hæc pati sinat, quámdiu hoc corruptíbili córpore vestíti érimus. Qui diem noctémque in torméntis divínas laudes canéntes, dénique, telis transfíxi, ad martýrii glóriam pervenérunt. Quorum córpora via Ardeatína sepúlta sunt.

Te Deum laudámus.

Sicubi autem ix Lectio alicujus Officii commemorati non fuerit dicenda, erit sequens

Lectio ix

ADépti sunt quidam hujúsmodi virtútem, ipsámque velut régium diadéma conseréntes, multum ex ea ornaménti cepérunt. Póstmodum vero, vilíssimæ rei cujúslibet grátia virtútem ádeo illústrem deduxérunt ad níhilum. Alligáta enim est illórum mens terrenárum rerum curis, atque víncu-lis hujúsmodi præpedíta virtus cælum intráre non pótuit. Vigiláter ítaque cave, dilécte mi, ne, teípsum his néxibus vínciens, inimíco ad prædam páteas; neque mirábilem illam clarissimámque virtútem amíttas quam tanto labóre quæsíisti, neque illam prohíbeas cæléstes íngredi jánuas, neque rubóre confúsam ante thálamum státuas, neque capíllo uno humi affígi permíttas. Cé-

terum da illi líberam fidúciam vocémque excélsam, ut exsúltans intróeat thálamum, ac sublími voce sua prǽmia répetat.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gaúdium Dómini tui.

Oratio

DEus, qui Ecclésiam tuam beáti Ephræm Confessóris tui et Doctóris mira eruditióne et præcláris vitæ méritis illustráre voluísti : te súpplices exorámus; ut, ipso intercedénte, eam advérsus erróris et pravitátis insídias perénni tua virtúte deféndas. Per Dóminum.

Et fit Commem. Ss. Marci et Marcelliani :

Ant. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt : nolíte timére : multis passéribus melióres estis vos.

℣. Exsultábunt Sancti.

Oratio

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus : ut, qui sanctórum Mártyrum tuórum Marci et Marcelliáni natalítia cólimus; a cunctis malis imminéntibus, eórum intercessiónibus liberémur. Per Dóminum.

Vesperæ a Capitulo de seq., Commemoratio præcedentis ac Ss. Gervasii et Protasii Mm.

Die 19 Junii

S. Julianæ de Falconeriis

Virginis [III] Duplex

IN I VESPERIS

Capit. 2 Cor. 10, 17-18

FRatres : Qui gloriátur, in Dómino gloriétur. Non enim qui seípsum comméndat, ille probátus est; sed quem Deus comméndat.

Hymnus

CÆléstis Agni núptias, O Juliána, dum petis, Domum patérnam déseris, Chorúmque ducis Vírginum.

Sponsúmque suffíxum cruci Noctes diésque dum gemis, Dolóris icta cúspide Sponsi refers imáginem.

Quin septifórmi vúlnere Fles ad genu Deíparæ : Sed crescit infúsa fletu, Flammásque tollit cáritas.

Hinc morte fessam próxima Non usitáto te modo

Solátur et nutrit Deus, Dapem supérnam pórrigens.

* Ætérne rerum Cónditor, Ætérne Fili par Patri, Et par utríque Spíritus, Soli tibi sit glória. Amen.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

In II Vesperis

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Magnif. Ant. Veni, Sponsa Christi, * áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

Oratio

DEus, qui beátam Juliánam Vírginem tuam extrémo morbo laboránem pretióso Fílii tui córpore mirabíliter recreáre dignátus es : concéde, quæsumus; ut, ejus intercedéntibus méritis, nos quoque eódem in mortis agóne refécti ac roboráti, ad cæléstem pátriam perducámur. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Com. præcedentis :

Ant. O Doctor óptime, Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Ephræm, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

℣. Justum dedúxit.

Oratio Deus, qui Ecclésiam, ut supra. 628

Deinde Commem. Ss. Gervasii et Protasii Mm. :

Ant. Istórum est enim regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad prǽmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Lætámini in Dómino.

Oratio

DEus, qui nos ánnua sanctórum Mártyrum tuórum Gervásii et Protásii solemnitáte lætificas : concéde propítius; ut, quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis. Per Dóminum.

AD MATUTINUM

Hymnus Cæléstis Agni núptias, ut supra. 628

In II Nocturno

Lectio iv

ULiána, ex nóbili Falconéria família, Claríssimo patre, qui templum Deíparæ ab Angelo salutátæ ære suo magnífice a fundaméntis Floréntiæ, ut nunc vísitur, eréxit, matre Reguardáta, ambóbus jam senescéntibus ac ad id tempus sterílibus, nata est anno millésimo ducentésimo septua-

gésimo. Ab incunábulis non exíguum futúræ sanctitátis spécimen dedit; vagiéntibus quippe labris, suavíssima Jesu et Maríæ nómina ultro proférre audíta est. Puerítiam póstmodum ingréssa totam se christiánis virtútibus mancipávit, in quibus ádeo excélluit, ut beátus Aléxius pátruus, cujus institútis ac exémplis instruebátur, matri dícere non dubitáverit, ipsam non féminam peperísse, sed ángelum. Nam ita modésto vultu animóque ab omni vel levíssima erróris mácula pura fuit, ut óculos numquam in toto vitæ cursu ad hóminis fáciem intuéndam eréxerit, auditóque peccáti vocábulo contremúerit; immo, scéleris narratióne percúlsa, íllico prope exánimis corrúerit. Expléto nondum décimo quinto ætátis suæ anno, re familiári, licet opulénta, terrenísque posthábitis núptiis, Deo virginitátem in mánibus divi Philíppi Benítii solémniter vovit, ab eóque ómnium prima religiósum Mantellatárum hábitum, ut dicunt, sumpsit.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. — Et.

Lectio v

JUliánæ exémplum secútæ sunt plúrimæ ex nobilióribus famíliis féminæ, ac mater ipsa fíliæ sese religióse instituéndam dedit, ita ut, aucto paulátim número, órdinem Mantellatárum institúerit, ac illi pie vivéndi leges summa prudéntia ac sanctitáte tradíderit. Ejus virtútes cum óptime perspéctas divus Benítius habéret, morti próximus nulli mélius quam Juliánæ, non féminas tantum, sed et totum Servórum órdinem, cujus propagátor et moderátor exstíterat, commendátum vóluit. Verum ipsa demísse semper de se cogitábat; et, cum ceterárum esset magístra, in re quaque doméstica, licet vili, soróribus famulabátur. Assiduitáte orándi integras insumébat dies in éxtasim sæpíssime rapta, et, si réliquum, in sedándis cívium dissídiis, criminósis a via iniquitátis retrahéndis, ac inserviéndis impendébat ægrótis; quorum quandóque sániem ex ulcéribus manántem, admóto ore lambens, eos sanitáti restituébat. Corpus suum flagris, nodósis funículis, férreis cíngulis, vigíliis, humi nudæ cubándo, térere sólita fuit. Parcíssimo cibo, et hoc vili, quátuor hebdómadæ diébus, et réliquis duóbus solo Angelórum pane conténta, excépto die sábbati, quo pane solo et aqua nutriebátur.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Propterea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea.

Lectio vi

DUra hujúsmodi vivéndi ratióne in stómachi morbum íncidit, quo ingravescénte, cum septuagésimum ætátis annum ágeret, ad extrémum vitæ spátium redácta est. Diutúrnæ valetúdinis incómmoda hílari vultu constantíque ánimo pértulit; de uno tantum cónqueri audíta est, quod, cum cibum cápere ac retinére nullo modo posset, ab Eucharística mensa ob sacraménti reveréntiam arcerétur. Verum, his in angústiis constitúta, sacerdótem rogávit, ut allátum divínum Panem, quem ore súmere nequíbat, péctori saltem extérius admovéret. Précibus illíus morem gessit sacérdos; et mirum! eódem témporis moménto divínus Panis dispáruit, et Juliána seréno ac ridénti vultu exspirávit. Res supra fidem támdiu fuit, donec virgíneum de more curarétur corpus : invénta enim est circa sinístrum péctoris latus carni véluti sigíllo impréssa forma hóstiæ, quæ Christi crucifíxi effígiem repræsentábat. Hujus prodígii fama ceterorúmque miraculórum non Floréntiæ tantum, sed totíus christiáni orbis veneratiónem illi conciliávit, ac per quátuor prope íntegra sæcula ádeo aucta est, ut tandem Benedictus Papa décimus tértius in ejus celebritáte Offícium próprium recitári ab univérso órdine beátæ Maríæ Vírginis Servórum jússerit. Clemens vero duodécimus, munificentíssimus ejúsdem órdinis protéctor, novis ín dies miráculis coruscántem, sanctárum Vírginum catálogo adscrípsit.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus * Afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. — Afferéntur tibi. Glória Patri. Afferéntur tibi.

Pro hoc Festo simplificato

Lectio ix

JUliána, ex nóbili Falconéria família, ab incunábulis, vagiéntibus lábiis suavíssima Jesu et Maríæ nómina ultro proférre audíta est. Expléto nondum décimo quinto ætátis anno, re familiári, licet opulénta, terrenísque núptiis posthábitis, Deo virginitátem in mánibus divi Philíppi Benítii solémniter vovit, et ab eo ómnium prima religiósum Mantellatárum, quas vocant, hábitum sumpsit. Cum vero ejus exémplum plúrimæ ex nobilióribus féminis sequeréntur, et mater fíliæ sese instituéndam dedísset, Juliána órdinem Mantellatárum instítuit. Mira humilitáte, assíduo oratiónis stúdio, singulári abstinéntia excélluit. Cum ob advérsam valetúdinem cibum cápere ac retinére nullo modo posset, ideóque ab Eucharística mensa arcerétur, sacerdótem rogávit, ut allátum divínum Panem, quem ore súmere nequíbat, pectóri saltem extérius admovéret. Quod cum sacérdos præstitísset, íllico divínus Panis dispáruit, et Juliána ridénti vultu exspirávit.

Te Deum laudámus.

In III Nocturno Homilia in Ev. Símile erit, de Communi Virginum 1 loco. [122]

Pro Ss. Gervasio et Protasio Martyribus

Lectio ix

GErvásius et Protásius, Vitális et Valériæ fílii, quorum pater Ravénnæ, mater Medioláni pro Christi Dómini fide martýrium subiérunt, distribúto paupéribus património, domésticos servos libertáte donárunt. Quo facto gentílium sacerdótes immáne in illos concéptum ódium habébant. Quare, cum Astásius comes in bellum proficísci vellet, hanc occasiónem perdéndi pios fratres se nactos esse putavérunt. Itaque Astásio persuádent se a diis admónitos esse, nullo modo eum in bello victórem futúrum, nisi Gervásio et Protásio coáctis Christum negáre, eósdem ad sacra diis faciénda compélleret. Quod cum illi detestaréntur, Astásius imperávit Gervásium támdiu cædi, dum inter vérbera exspiráret; Protásium fústibus contúsum securi pércuti jubet. Quorum córpora Philíppus Christi servus clam sústulit et in suis ædibus sepelívit : quæ póstea sanctus Ambrósius, Dei mónitu invénta, in loco sacro

et insígni collocánda curávit. Passi sunt Medioláni décimo tértio Kaléndas Júlii.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Diffúsa est grátia.

Ad Bened. Ant. Símile est regnum cælórum * hómini negotiatóri quæ-rénti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

Oratio

DEus, qui beátam Juliánam Vírginem tuam extrémo morbo laborántem pretióso Fílii tui córpore mirabíliter recreáre dignátus es : concéde quæsumus, ut ejus intercedéntibus méritis, nos quoque eódem in mortis agóne refécti ac roboráti, ad cæléstem pátriam perducámur. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Commem. Ss. Gervasii et Protasii Mm.

Ant. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt : nolíte timére : multis passéribus melióres estis vos.

℣. Exsultábunt Sancti.

Oratio

DEus, qui nos ánnua sanctórum Mártyrum tuórum Gervásii et Protásii solemnitáte lætíficas : concéde propítius : ut, quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis. Per Dóminum.

In II Vesperis Hymnus Cæléstis Agni, ut in I Vesp. 628

Et fit Commemoratio sequentis.

Die 20 Junii

S. Silverii

Papæ et Martyris [29]

Simplex

Ant. Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit; fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória et honóre.

Oratio

GRegem tuum, Pastor ætérne, placátus inténde : et per beátum Silvérium Mártyrem tuum atque Summum Pontíficem, perpétua protectióne custódi; quem totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastórem. Per Dóminum.

Lectio iii

SIlvérius, Campánus, post Agapítum próxime Póntifex creátus est : cujus doctrína et sánctitas illúxit in insectándis hæréticis, et constántis ánimi magnitúdo perspécta est in tuéndo judício Agapíti. Nam Anthimum, quem, quia Eutychiánam hæresim defendébat, Agapítus ab episcopátu Constantinopolitáno deposúerat, cum a Theodóra Augústa sæpíssime rogátus esset, restitúere nóluit. Quam ob rem iráta múlier mandat Belisário ut Silvérium mittat in exsílium. Qui exsulávit in ínsula Póntia, unde his verbis scripsísse fertur ad Amatórem epíscopum : Susténtor pane tribulatiónis et aqua angústiæ; nec tamen dimísi, aut dimítto offícium meum. Et sane, brevi incómmodis ærumnísque confectus, obdormívit in Dómino, duodécimo Kaléndas Júlii. Cujus corpus, Romam delátum et in basílica Vaticána depósitum, multis miráculis illustrátum fuit. Præfuit Ecclésiæ annos tres et ámplius, creátis mense Decémbri presbýteris trédecim, diáconis quinque, epíscopis per divérsa loca decem et novem. Te Deum.

℣. Justus ut palma.

Ad Bened. Ant. Qui odit * ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

Oratio

GRegem tuum, Pastor ætérne, placátus inténde : et per beátum Silvérium Mártyrem tuum atque Summum Pontíficem, perpétua protectióne custódi; quem totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastórem. Per Dóminum.

Vesperæ de sequenti.

Die 21 Junii

S. Aloisii Gonzagæ

Conf. [94] Duplex

℣. Amávit eum Dóminus.

Ad Magnif. Ant. Similábo eum * viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

Oratio

GAléstium donórum distribútor, Deus, qui in angélico júvene Aloísio miram vitæ innocéntiam pari cum pœniténtia sociásti : ejus méritis et précibus concéde; ut, innocéntem non secúti, pœniténtem imitémur. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

ALoísius, Ferdinándi Gonzágæ Castelliónis Stiverórum marchiónis fílius, festináto propter vitæ perículum baptísmo, prius cælo quam terris nasci visus, primam illam grátiam tam constánter retínuit, ut in ea confirmátus crederétur. A primo ratiónis usu, quo se Deo statim óbtulit, vitam duxit quotídie sanctiórem. Novénnis Florentiæ ante aram beátæ Vírginis, quam paréntis loco semper hábuit, perpétuam virginitátem vovit; eámque, insígni Dei benefício, nulla mentis aut córporis pugna tentátam servávit. Réliquas ánimi perturbatiónes cœpit ætáte illa tam fórtiter comprímere, ut ne primo quidem eárum motu deínde incitarétur. Sensus étiam, óculos præcípue, ita cohíbuit, ut non modo illos numquam in fáciem inténderit Maríæ Austríacæ, quam plures annos inter honorários Hispaniárum príncipis ephébos fere quotídie salutávit; sed a matris étiam vultu continéret : homo proptérea sine carne, aut ángelus in carne mérito appellátus.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et.

Lectio v

ADjécit sénsuum custódiæ, córporis cruciátum. Tria síngulis hebdómadis jejúnia, éaque plerúmque módico pane et aqua tolerábat; quamquam perpétuum fuísse per id tempus ipsíus jejúnium vidéri potest, cum ejus prándia ferme vix únciam æquárent. Sæpe étiam ter in die se fúnibus aut caténis cruentábat; flagélla quandóque canum loris, cilícia equórum calcáribus supplévit. Mollem léctulum clam injéctis ásserum fragméntis asperábat, eo étiam ut cítius ad orándum excitarétur; magnam quippe noctis partem, summa étiam hieme, solo tectus indúsio, pósitis humi génibus, vel præ languóre jacens ac pronus, in cæléstium contemplatióne traducébat. Intérdiu quoque tres, quátuor, quinque horas in ea perstábat immótus, donec unam saltem ánimo nusquam distrácto percurrísset. Cujus constántiæ prémium fuit stabílitas mentis inter orándum álio non vagántis, immo perpétua velut éxtasi in Deo defíxæ. Ei demum ut únice adhæréret, victo post triennále acérrimum certámen patre, et avíti principátus jure in fratrem transláto, societáti Jesu, ad quam cælésti voce Matríti fúerat accítus, Romæ se adjúnxit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : sto-

lam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vi

IN tirocínio ipso virtútum ómnium magíster habéri cœpit. Exactíssima in eo erat legum étiam minimárum custódia, mundi contémptus singuláris, implacábile ódium sui; Dei vero amor tam ardens, ut corpus étiam sensim absúmeret. Jussus proptérea mentem a divínis rebus tantísper avértere, occurréntem sibi ubíque Deum írrito conátu fugiébat. Mira étiam próximos caritáte ampléxus, in públicis, quibus alácriter ministrábat, nosocomíis, contagiósam luem traxit. Qua lente consúmptus, die, quem prædíxerat, undécimo Kaléndas Júlii, ætátis anno quarto et vigésimo jam inchoáto, cum ántea flagéllis cædi atque humi stratus mori postulásset, migrávit in cælum. Ibi eum sancta María Magdaléna de Pazzis tanta frui glória, Deo monstránte, vidit, quantam vix esse in cælo credidísset; ipsúmque sanctimónia insígnem et caritáte Mártyrem incógnitum fuísse prædicávit. Multis étiam magnísque cláruit miráculis. Quibus rite probátis, Benedíctus décimus tértius Sanctórum fastis angélicum júvenem adscrípsit, atque innocéntiæ et castitátis exémplar simul et patrónum studiósæ præsértim juventúti dedit.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Quia. Glória Patri. Quia.

Pro hoc Festo simplificato

Lectio ix

ALoísius, Ferdinándi Gonzágæ Castelliónis Stiverórum marchiónis fílius, festináto propter vitæ perículum baptísmo, prius cælo quam terris nasci visus, primam illam grátiam tam constánter retínuit, ut in ea confirmátus crederétur. Novénnis Floréntiæ ante aram beátæ Vírginis, quam paréntis loco semper hábuit, perpétuam virginitátem vovit; eámque, insígni Dei benefício, nulla mentis aut córporis pugna tentátam servávit, homo proptérea sine carne, aut ángelus in carne mérito appellátus. Aviti principátus jure in fratrem transmisso, societáti Jesu Romæ se adjúnxit. In tirocínio ipso ómnium virtútum magíster habéri cœpit. In eo Dei amor erat tam ardens, ut corpus étiam sensim absúmeret. Mira étiam próximos caritáte ampléxus, in públicis, quibus alácriter ministrábat, nosocomíis, contagiósam luem traxit. Qua lente consúmptus undécimo Kaléndas Júlii, ætátis anno quarto et vigésimo jam inchoáto, migrávit in cælum. Quem Benedíctus décimus tértius inter Sanctos rétulit, atque innocéntiæ et castitátis exémplar simul et patrónum studiósæ præsértim juventúti dedit.

Te Deum laudámus.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 22, 29-40

IN illo témpore : Respóndens Jesus ait Sadducæis : Errátis nesciéntes Scriptúras neque virtútem Dei. In resurrectióne enim neque nubent neque nubéntur, sed erunt sicut Angeli Dei in cælo. Et réliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi

Liber de Virginitate

VIrginitas est bona : id ego quoque fáteor. Atqui núptiis étiam mélior; et istud tibi asséntior : ac si libet, illud adjúngam, tanto núptiis eam præstáre, quanto cælum terræ, quanto homínibus Angeli antecéllunt; ac, si quid prætérea addéndum est, étiam magis. Nam, si neque nubunt Angeli, neque uxórem ducunt, non étiam carne et sánguine coagmentáti sunt; in terris prætérea non commorántur, non cupiditátum aut libídinum perturbatiónibus sunt obnóxii, non cibi índigent aut potus; non sunt ejúsmodi, ut eos dulcis sonus aut cantus mollis aut præclára spécies possit allícere; nulla dénique ejus géneris illécebra capiúntur.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. — Ipse.

Lectio viii

AT humánum genus, cum natúra beátis illis méntibus inférius sit, omni vi studióque conténdit, ut, quoad ejus fíeri potest, illas assequátur. Quómodo? Non nubunt Angeli; at neque étiam virgo. Assisténtes illi semper ad Deum, eídem insérviunt; et istud ipsum virgo. Quod si vírgines, quámdiu córporis ónere deprimúntur, quemádmodum Angeli in cælum néqueunt ascéndere; illud eo vel máximo solátio compénsant, quod modo spíritu et córpore sancti sint, cæli Regem recípiunt. Vidésne virginitátis præstántiam? quómodo terrárum íncolas sic affíciat, ut qui córpore vestíti sunt, eos incorpóreis méntibus exæquet?

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. — Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix

QUA enim, quæso, re differébant ab Angelis Elías, Eliséus, Joánnes, veri hi virginitátis amatóres? Nulla, nisi quod mortáli natúra constábant. Nam cétera si quis diligénter inquírat, hi níhilo minus affécti reperiéntur, quam beátæ illæ mentes : et idípsum quo inferióre conditióne vidéntur esse, in magna est eórum laude ponéndum. Ut enim terrárum íncolæ, et ii qui essent mortáli natúra, possent ad illam virtútem vi et contentióne perveníre; vide quanta eos fortitúdine, quanta vitæ ratióne prædítos fuísse opórteat!

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit.

Ad Bened. Ant. Euge, seve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

Oratio

GAléstium donórum distribútor Deus, qui in angélico júvene Aloísio miram vitæ innocéntiam pari cum pœniténtia sociásti : ejus méritis et précibus concéde; ut innocéntem non secúti, pœniténtem imitémur. Per Dóminum.

Vesperæ a Capitulo de seq., Commemoratio præcedentis.

Die 22 Junii
S. Paulini
Episcopi et Conf. [69]
Duplex

℣. Amávit eum Dóminus.

Ad Magnif. Ant. Sacérdos et Póntifex, * et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

Oratio

DEus, qui ómnia pro te in hoc sæculo relinquéntibus céntuplum in futúro et vitam ætérnam promisisti : concéde propítius; ut, sancti Pontificis Paulini vestígiis inhæréntes, valeámus terréna despicere, et sola cæléstia desideráre : Qui vivis.

Et fit Commem. præced. :

Ant. Hic vir, despiciens mundum et terréna, triúmphans, divitias cælo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit.

Oratio Cæléstium, ut supra. 638

In II Nocturno

Lectio iv

Breve Pii X d. 18 Sept. 1908

COntius Merópius Anícius Paulínus, anno reparátæ salútis trecentésimo quinquagésimo tértio, a clarissima cívium Romanórum familia Burdigalæ in Aquitánia natus, acri fuit ingénio ac móribus suávibus. Ausónio magistro, eloquéntiæ ac poéseos laude excélluit. Prænóbilis ac ditissimus, honórum cursum ingréssus, florénti ætáte. senatória dignitáte potitus est. Dein Itáliam pétiit consul, et Campániam provínciam nactus, sedem Nolæ státuit. Hic divino lúmine tactus, ob cæléstia signa, quæ Felícis presbýteri Mártyris sepúlcrum illustrábant, veræ Christi fidei, quam jam ánimo cogitábat, impénsius adhærére cœpit. Fasces igitur ac sccúrim nulla cæde maculátam depósuit, et revérsus in Gálliam, váriis ærúmnis ac magnis terra marique labóribus jactátus, óculo cápitur; sed a beáto Martino Turonénsi epíscopo sanitáti restitútus, lustrálibus baptismatis aquis a beáto Delphíno Burdigalénsi antístite ablúitur.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. — Manus.

Lectio v

DIvitiis quibus abundábat spretis, bona véndidit pretiúmque paupéribus distríbuit, et uxórem linquens Therásiam, mutáta pátria et ruptis vínculis carnis, in Hispániam secéssit, venerándam secútus ac toto sibi pretiosiórem orbe Christi paupériem. Barcinóne dum Sacris devóte astáret, solémni die Domínicæ Natívitátis, repentíno admirátæ plebis tumúltu corréptus, ac frustra relúctans, a Lampídio epíscopo présbyter ordinátur. Inde redit in Itáliam, et Nolæ, quo sancti Felícis religióne ductus fúerat, penes illíus sepúlcrum monastérium cóndidit, et adscítis sóciis cœnobíticam vitam aggréditur. Hic vir, jam senatória et consulári dignitáte præclárus, stultítiam Crucis ampléxus, toto fere orbe admiránte, vili indútus túnica, vigílias inter ac jejúnia, in assídua cæléstium rerum contemplatióne dies noctésque defíxus manébat. Sed, percrebrescénte sanctimóniæ fama, ad Nolánum episcopátum evéhitur, atque eódem in pastoráli múnere obeúndo, miránda pietátis, sapiéntiæ ac potíssimum caritátis exémpla relíquit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Lectio vi

HÆC inter, sapiéntia referta, de religióne ac fide pertractántia ediderat scripta, sæpe étiam numerisindúlgensconcínniscarmínibus Sanctórum acta concelebráverat, summam christiáni poétæ famam adéptus. Quotquot sanctitáte ac doctrína præstantíssimi viri eo témpore erant, tot sibi amicítia atque admiratióne devínxit. Quamplúrimi ad eum, ceu ad christiánæ perfectiónis magístrum, undequáquam confluébant. Vastáta a Gothis Campánia, facultátem omnem, ne relíctis quidem sibi rebus ad vitam necessáriis, in aléndos páuperes et captívos rediméndos cóntulit. Póstea vero, Vándalis eásdem regiónes infestántibus, cum ab eo pósceret vídua ut fílium sibi redímeret ab hóstibus captum; consúmptis bonis ómnibus in offício pietátis, se ipsum pro illo tradit in servitútem, atque in víncula conjéctus in Africam rápitur. Tandem, non sine præsénti Dei ope, libertáte donátus et Nolam revérsus, diléctum ovíle bonus pastor revísit; ibíque annum agens septuagésimum octávum ætátis suæ, placidíssimo éxitu obdormívit in Dómino. Corpus, prope sancti Felícis sepúlcrum cónditum, póstea, Longobardórum témpore, Benevéntum, atque, Ottóne tértio imperatóre, Romam ad basílicam sancti Bartholomæi ad ínsulam Tiberínam translátum fuit. Pius vero Papa décimus jussit sacras Paulíni exúvias Nolæ restítui, et festum ipsíus ad ritum dúplicem pro univérsa Eccléisia evéxit.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Ipse. Glória Patri. Ipse.

Pro hoc Festo simplificato

Lectio ix

PAulínus, anno reparátæ salútis trecentésimo quinquagésimo tértio a claríssima cívium Romanórum família Burdígalæ natus, senatória dignitáte potítus est. Nolæ consul renuntiátus, divíno lúmine tactus consulátum dimísit, et, Burdígalam revérsus, a beáto Delphíno baptizátus est. Dein, bonórum quibus abundábat prétio paupéribus distribúto, in Hispániam secéssit, ubi présbyter ordinátur. Nolam cum rediísset, penes sancti Felícis sepúlcrum monastérium cóndidit, sociísque adscítis, cœnobíticam vitam eámque arctíssimam est aggréssus. Precrebrescénte ejus sanctimóniæ fama, ad Nolánum episcopátum evéhitur, quo in múnere admiránda pietátis, patiéntiæ ac potíssimum caritátis exémpla relíquit. Multa ad sacram doctrínam pertinéntia scripsit, atque ínsuper eloquéntiæ et poéseos laude excélluit. Vastáta a Gothis Campánia, facultátes omnes in aléndos páuperes et captívos rediméndos cóntulit. Póstea vero, Vándalis eásdem regiónes infestántibus, cum nil ámplius erogándum habéret, se ipsum pro fílio cujúsdam víduæ in servitútem trádidit, et in Africam ductus est. Tandem, Dei ope libertáte donátus, Nolæ placidíssimo éxitu obdormívit in Dómino.

Te Deum laudámus.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii
secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 12, 32-34

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Nolíte timére, pusíllus grex, quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Et réliqua.

Homília sancti Paulíni
Epíscopi

Sermo, alias Epistola 34 de Gazophylacio

QUótérat, dilectíssimi, Dóminus omnípotens æque univérsos dívites fácere, ut nemo indigéret áltero; sed infinítæ bonitátis consílio sic parávit miséricors et miserátor Dóminus, ut tuam in illis mentem probet. Fecit míserum, ut agnósceret misericórdem; fecit ínopem, ut exercéret opuléntum. Matéria divitiárum tibi est fratérna paupértas, si intélligas super egénum et páuperem, nec tibi tantum hábeas quod accepísti; quia ídeo et illíus partem tibi in hoc sæculo cóntulit Deus, ut tibi debéret quidquid de suis donis tuo voluntário affféctu indigéntibus obtulísses, ac te vicíssim in ætérna die de illíus parte ditáret. Per ipsos enim nunc áccipit Christus, et tunc pro ipsis repéndet.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio viii

REfice esuriéntem ánimam, et non timébis in die malo ab ira superventúra. Beátus enim (inquit) qui intélligit super egénum et páuperem, in die malo liberábit eum Dóminus. Operáre ígitur et éxcole hanc regiónem terræ tuæ, frater, ut gérminet tibi frugem fértilem, plenam ádipe fruménti, magno cum fænore centésimum tibi fructum multiplicáti séminis afferéntem. In hujus vel possessiónis vel negotiatiónis appetítum et stúdium sancta et salutáris est avarítia; nam talis cupíditas, quæ regnum cæléste merétur et bonum perénne desíderat, radix bonórum est. Tales ígitur divítias concupíscite, et hujúsmodi possidéte patrimónium, quod in centénos fructus vobis créditor pénsitet, ut vestros quoque vobíscum bonis perénnibus augeátis herédes. Possédssio enim hæc vere magna et pretiósa est, quæ possessórem suum non cúmulo sæculári ónerat, sed réditu ditat ætérno.

℟. Sint lumbi vestri præcincti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. — Et. Glória Patri. Et.

Si hodie fuerit Sabbatum, Lectio ix de Homilia Vigiliæ anticipatæ S. Joannis Baptistæ, et ejus Commemoratio ad Laudes, ut die sequenti notatur; secus

Lectio ix

VErum, dilectíssimi, non solum ut bona ætérna quærátis, sed ut mala innúmera vitáre mereámini, præsénti sollicitúdine et sédula operatióne justitiæ providéte. Magno enim adjutório atque præsídio nobis opus est, et multárum atque indeficiéntium oratiónum patrocíniis indigémus. Adversárius enim noster non quiéscit, et in nostrum pérvigil hostis intéritum óbsidet omnes vias nostras. Multæ prætérea nobis in hoc sæculo cruces, innúmera discrímina, morbórum labes, fébrium ignes et dolórum tela grassántur in ánimas, cupiditátum faces accendúntur; ubíque præténti latent láquei, úndique stricti horrent gládii, inter insídias et pugnas vita transígitur, et per ignes dolóso cineri suppósitos ambulámus. Igitur, priúsquam in áliquam tantárum ægritúdinum labem casu vel mérito actus incúrras, festina médico suscéptus et carus fíeri, ut in témpore necessitátis parátum hábeas remédium salútis. Aliud est, quando tu solus oras pro te; et áliud, quando multitúdo pro te apud Deum trépidat. Te Deum.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Oratio

DEus, qui ómnia pro te in hoc sæculo relinquéntibus, céntuplum in futúro et vitam ætérnam promisisti : concéde propítius; ut, sancti Pontíficis Paulíni vestígiis inhæréntes, valeámus terréna despícere, et sola cæléstia desideráre : Qui vivis.

IN II VESPERIS

℣. Justum dedúxit.

Ad Magnif. Ant. Amávit eum Dóminus, * et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

Die 23 Junii

In Vigilia S. Joannis Baptistæ

Officium fit de Feria, ut in Ordinario et Psalterio, præter Lectiones et Orationem, quæ dicuntur ut infra, cum Responsoriis tamen de Feria currenti, ut in Proprio de Tempore.

Ad Nocturnum vero in Feria IV tres ultimæ Antiphonæ cum suis Psalmis, et ad Laudes in qualibet Feria Antiphonæ omnes et Psalmi sumuntur de 2 loco; ad Primam additur quartus Psalmus, ut in Psalterio notatur, et ad omnes Horas dicuntur Preces feriales, ut in Psalterio.

Léctio sancti Evangélii
secúndum Lucam

Lectio i Cap. 1, 5-17

FUit in diébus Heródis, regis Judææ, sacérdos quidam, nómine Zacharías, de vice Abía et uxor illíus de filiábus Aaron, et nomen ejus Elísabeth. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii
Epíscopi

Liber 1 in Lucam

DOcet nos Scriptúra divína non solum mores in iis qui prædicábiles sunt, sed étiam paréntes oportére laudári; ut véluti transmíssa immaculátæ puritátis heréditas in iis, quos vólumus laudáre, præcéllat. Quæ enim ália inténtio hoc loco sancti Evangelístæ, nisi ut sanctus Joánnes Baptísta nobilitétur paréntibus, miráculis, móribus, múnere, passióne? Sic étiam sancti Sámuel mater Anna laudátur; sic Isaac a paréntibus nobilitátem pietátis accépit, quam pósteris derelíquit. Sacérdos ítaque Zacharías, nec solum sacérdos, sed étiam de vice Abía, id est, nóbilis inter superióres famílias.

Lectio ii

ET uxor, inquit, illi de filiábus Aaron. Non solum ígitur a paréntibus, sed étiam a majóribus sancti Joánnis nobílitas propagátur, non sæculári potestáte sublímis, sed religiónis successióne venerábilis. Tales enim majóres habére débuit prænúntius Christi; ut non repénte concéptam, sed a majóribus accéptam et ipso infúsam jure natúræ, prædicáre fidem Domínici viderétur advéntus. Erant, inquit, ambo justi ante Deum, incedéntes in ómnibus mandátis et justificatiónibus Dómini sine queréla. Quid ad hoc réfe-

runt qui, peccátis suis solátia præferéntes, sine peccátis frequéntibus hóminem putant esse non posse; et utúntur versículo, quia scriptum est in Job : Nemo mundus a sorde, nec si uníus diéi vita ejus sit in terra?

Lectio iii

QUibus respondéndum est, prius ut quid sit hóminem sine peccáto esse, defíniant : utrum numquam omníno peccásse, an desiísse peccáre. Si enim hoc putant sine peccáto esse, numquam omníno peccásse; et ipse conséntio. Omnes enim peccavérunt, et egent glória Dei. Sin autem eum qui véterem errórem corréxerit et in eam se vitæ transformáverit qualitátem, ut témperet a peccáto, negant abstinére a delíctis : non possum in eórum convenire senténtiam, cum legámus, quia Sic Dóminus diléxit Ecclésiam, ut exhíbeat ipsam sibi gloriósam, et non habéntem máculam, aut rugam, aut áliquid ejúsmodi; sed ut sit sancta et immaculáta.

Oratio

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus : ut família tua per viam salútis incédat; et beáti Joánnis Præcursóris hortaménta sectándo, ad eum quem prædíxit, secúra pervéniat, Dóminum nostrum Jesum Christum, Fílium tuum : Qui tecum.

Vesperæ de sequenti.

DIE 24 JUNII

In Natívitate S. Joannis Baptistæ

DUPLEX I CLASSIS CUM OCTAVA COMMUNI

IN I VESPERIS

Ant. 1 Ipse præíbit * ante illum in spíritu et virtúte Elíæ paráre Dómino plebem perféctam.

Psalmi ut in I Vesperis de Communi Apostolorum. [3]

2 Joánnes * est nomen ejus : vinum et síceram non bibet, et multi in nativitáte ejus gaudébunt.

3 Ex útero senectútis * et stérili Joánnes natus est, præcúrsor Dómini.

4 Iste puer * magnus coram Dómino : nam et manus ejus cum ipso est.

5 Nazaræus * vocábitur puer iste : vinum et síceram non bibet, et omne immúndum non manducábit ex útero matris suæ.

Capitulum Is. 49, 1

AUdíte, ínsulæ, et atténdite, pópuli de longe : Dóminus ab útero vocávit me, de ventre matris meæ recordátus est nóminis mei.

Hymnus

UT queant laxis resonáre fibris
Mira gestórum fámuli tuórum,
Solve pollúti lábii reátum,
Sancte Joánnes.

Núntius celso véniens Olýmpo,
Te patri magnum fore nascitúrum,
Nomen, et vitæ sériem geréndæ
Ordine promit.

Ille promíssi dúbius supérni,
Pérdidit promptæ módulos loquélæ;
Sed reformásti génitus peremptæ
Organa vocis.

Ventris obstrúso récubans cubíli
Sénseras Regem thálamo manéntem;
Hinc parens nati méritis utérque
Abdita pandit.

Sit decus Patri, genitæque Proli,
Et tibi, compar utriúsque virtus,
Spíritus semper, Deus unus omni
Témporis ævo.
Amen.

℣. Fuit homo missus a Deo. ℟. Cui nomen erat Joánnes.

Ad Magnif. Ant. Ingrésso * Zacharía templum Dómini, appáruit ei Gábriel Angelus stans a dextris altáris incénsi.

Oratio

DEus, qui præséntem diem honorábilem nobis in beáti Joánnis nativitáte fecísti : da pópulis tuis spirituálium grátiam gaudiórum; et ómnium fidélium mentes dírige in viam salútis ætérnæ. Per Dóminum.

Completorium de Dominica.

AD MATUTINUM

Invitat. Regem Præcursóris Dóminum, * Veníte, adorémus. Ps. 94 Veníte, exsultémus.

Hymnus

ANtra desérti téneris sub annis,
Cívium turmas fúgiens, petísti,
Ne levi posses maculáre vitam
Crímine linguæ.

Et tibi, compar utriúsque virtus,
Spíritus semper, Deus unus omni
Témporis ævo.
Amen.

℣. Fuit homo missus a Deo. ℟. Cui nomen erat Joánnes.

Ad Magnif. Ant. Ingrésso * Zacharía templum Dómini, appáruit ei Gábriel Angelus stans a dextris altáris incénsi.

Oratio

DEus, qui præséntem diem honorábilem nobis in beáti Joánnis nativitáte fecísti : da pópulis tuis spirituálium grátiam gaudiórum; et ómnium fidélium mentes dírige in viam salútis ætérnæ. Per Dóminum.

Completorium de Dominica.

AD MATUTINUM

Invitat. Regem Præcursóris Dóminum, * Veníte, adorémus. Ps. 94 Veníte, exsultémus.

Hymnus

ANtra desérti téneris sub annis,
Cívium turmas fúgiens, petísti,
Ne levi posses maculáre vitam
Crímine linguæ.

Præbuit durum tégumen camélus
Artubus sacris, stróphium bidéntes;
Cui latex haustum, sociáta pastum
Mella locústis.

Céteri tantum cecinére Vatum
Corde præságo jubar affutúrum;
Tu quidem mundi scelus auferéntem
Indice prodis.

Non fuit vasti spátium per orbis
Sánctior quisquam génitus Joánne,
Qui nefas sæcli méruit laván tem
Tíngere lymphis.

Sit decus Patri, genitæque Proli,
Et tibi, compar utriúsque virtus,
Spíritus semper, Deus unus omni
Témporis ævo. Amen.

In I Nocturno

Ant. Priúsquam te formárem * in útero, novi te; et ántequam progrederéris, sanctificávi te.

Psalmus 1

BEátus vir, qui non ábiit in consílio impiórum, et in via peccatórum non stetit, * et in cáthedra pestilentiæ non sedit :

Sed in lege Dómini volúntas ejus, * et in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantátum est secus decúrsus aquárum, * quod fructum suum dabit in témpore suo :

Et fólium ejus non défluet : * et ómnia quæcúmque fáciet, prosperabúntur.

Non sic ímpii, non sic : * sed tamquam pulvis, quem prójicit ventus a fácie terræ.

Ideo non resúrgent ímpii in judício : * neque peccatóres in concílio justórum.

Quóniam novit Dóminus viam justórum : * et iter impiórum períbit.

Ant. Priúsquam te formárem in útero, novi te; et ántequam progrederéris, sanctificávi te.

Ant. Ad ómnia quæ mittam te, * dicit Dóminus, ibis : ne tímeas, et quæ mandávero tibi, loquéris ad eos.

Psalmus 2

QUare fremuérunt gentes, * et pópuli meditáti sunt inánia?

Astitérunt reges terræ, et príncipes convenérunt in unum * advérsus Dóminum, et advérsus Christum ejus.

Dirumpámus víncula eórum : * et projiciámus a nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in cælis, irridébit eos : * et Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua, * et in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * prædicans præcéptum ejus.

Dóminus dixit ad me : * Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Póstula a me, et dabo tibi gentes hereditátem tuam, * et possessiónem tuam términos terræ.

Reges eos in virga férrea, * et tamquam vas fíguli confrínges eos.

Et nunc, reges, intellígite : * erudímini, qui judicátis terram.

Servíte Dómino in timóre : * et exsultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplínam, nequándo irascátur Dóminus, * et pereátis de via justa.

Cum exárserit in brevi ira ejus, * beáti omnes qui confídunt in eo.

Ant. Ad ómnia quæ mittam te, dicit Dóminus, ibis : ne tímeas, et quæ mandávero tibi, loquéris ad eos.

Ant. Ne tímeas * a fácie eórum, quia ego tecum sum, dicit Dóminus.

Psalmus 3

DOmine, quid multiplicáti sunt qui tríbulant me? * multi insúrgunt advérsum me.

Multi dicunt ánimæ meæ : * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem, Dómine, suscéptor meus es, * glória mea, et exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum clamávi : * et exaudívit me de monte sancto suo.

Ego dormívi et soporátus sum : * et exsurréxi, quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me : * exsúrge, Dómine, salvum me fac, Deus meus.

Quóniam tu percussísti omnes adversántes mihi sine causa : * dentes peccatórum contrivísti.

Dómini est salus : * et super pópulum tuum benedíctio tua.

Ant. Ne tímeas a fácie eórum, quia ego tecum sum, dicit Dóminus.

℣. Fuit homo missus a Deo. ℟. Cui nomen erat Joánnes.

Incipit liber Jeremíæ Prophétæ

Lectio i Cap. 1, 1-10

VErba Jeremíæ fílii Helcíæ, de sacerdótibus, qui fuérunt in Anathoth, in terra Bénjámin. Quod factum est verbum Dómini ad eum in diébus Josíæ fílii Amon regis Juda, in tertiodécimo anno regni ejus. Et factum est in diébus Jóakim fílii Josíæ regis Juda, usque da consummatiónem undécimi anni Sedecíæ fílii Josíæ regis Juda, usque ad transmigratiónem Jerúsalem, in mense quinto. Et factum est verbum Dómini ad me, dicens : Priúsquam te formárem in útero, novi te : et ántequam exíres de vulva, sanctificávi te, et Prophétam in géntibus dedi te.

℟. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joánnes : * Hic venit in testimónium, ut testimónium perhibéret de lúmine, et paráret Dómino plebem perféctam. ℣. Erat Joánnes in desérto prædicans baptísmum pœniténtiæ. — Hic.

Lectio ii

ET dixi, A a a, Dómine Deus : ecce néscio loqui, quia puer ego sum. Et dixit Dóminus ad me : Noli dícere, Puer sum : quóniam ad ómnia, quæ mittam te, ibis : et univérsa, quæcúmque mandávero tibi, loquéris. Ne tímeas a fácie eórum : quia tecum ego sum, ut éruam te, dicit Dóminus. Et misit Dóminus manum suam, et tétigit os meum : et dixit Dóminus ad me : Ecce dedi verba mea in ore tuo : ecce constítui te hódie super gentes, et super regna, ut evéllas, et déstruas, et dispérdas, et díssipes, et ædífices, et plantes.

℟. Elísabeth Zacharíæ magnum virum génuit, Joánnem Baptístam, præcursórem Dómini : * Qui viam Dómino præparávit in erémo. ℣. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joánnes. — Qui.

Lectio iii Cap. 1, 17-19

TU ergo accínge lumbos tuos, et surge, et lóquere ad eos ómnia quæ ego præcípio tibi. Ne formídes a fácie eórum : nec enim timére te fáciam vultum eórum. Ego quippe dedi te hódie in civitátem munítam, et in colúmnam férream, et in murum æreum, super omnem terram, régibus Juda, princípibus ejus, et sacerdótibus, et pópulo terræ. Et bellábunt advérsum te, et non prævalébunt : quia ego tecum sum, ait Dóminus, ut líberem te.

℟. Priúsquam te formárem in útero, novi te : et ántequam exires de ventre, sanctificávi te, * Et Prophétam in géntibus dedi te. ℣. Vir diléctus a Deo, et homínibus honorátus est. — Et Prophétam in géntibus dedi te. Glória Patri. Et.

In II Nocturno

Ant. Misit Dóminus * manum suam, et tétigit os meum, et Prophétam in géntibus dedit me Dóminus.

Psalmus 4

CUM invocárem exaudívit me Deus justítiæ meæ : * in tribulatióne dilatásti mihi.

Miserére mei, * et exáudi oratiónem meam.

Fílii hóminum, úsquequo gravi corde? * ut quid dilígitis vanitátem, et quæritis mendácium?

Et scitóte quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum : * Dóminus exáudiet me cum clamávero ad eum.

Irascímini, et nolíte peccáre : * quæ dícitis in córdibus vestris, in cubílibus vestris compungímini.

Sacrificáte sacrifícium justítiæ, et speráte in Dómino. * Multi dicunt : Quis osténdit nobis bona?

Signátum est super nos lumen vultus tui, Dómine : * dedísti lætítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini, et ólei sui * multiplicáti sunt.

In pace in idípsum * dórmiam, et requiéscam;

Quóniam tu, Dómine, singulariter in spe * constituísti me.

Ant. Misit Dóminus manum suam, et tétigit os meum, et Prophétam in géntibus dedit me Dóminus.

Ant. Ecce dedi verba mea * in ore tuo : ecce constítui te super gentes et regna.

Psalmus 5

VErba mea áuribus pércipe, Dómine, * intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ, * Rex meus et Deus meus.

Quóniam ad te orábo : * Dómine, mane exáudies vocem meam.

Mane astábo tibi et vidébo : * quóniam non Deus volens uniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malígnus : * neque permanébunt injústi ante óculos tuos.

Odísti omnes, qui operántur iniquitátem : * perdes omnes, qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum et dolósum abominábitur Dóminus : * ego autem in multitúdine misericórdiæ tuæ.

Introíbo in domum tuam : * adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dómine, deduc me in justítia tua : * propter inimí-

cos meos dírige in conspéctu tuo viam meam.

Quóniam non est in ore eórum véritas : * cor eórum vanum est.

Sepúlcrum patens est guttur eórum, linguis suis dolóse agébant, * júdica illos, Deus.

Décidant a cogitatiónibus suis, secúndum multitúdinem impietátum eórum expélle os, * quóniam irritavérunt te, Dómine.

Et læténtur omnes, qui sperant in te, * in ætérnum exsultábunt : et habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes, qui díligunt nomen tuum, * quóniam tu benedíces justo.

Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ * coronásti nos.

Ant. Ecce dedi verba mea in ore tuo : ecce constítui te super gentes et regna.

Ant. Dóminus * ab útero vocávit me, de ventre matris meæ recordátus est nóminis mei.

Psalmus 8

DOmine, Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua, * super cælos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo cælos tuos, ópera digitórum tuórum : * lunam et stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulo minus ab Angelis, glória et honóre coronásti eum : * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves et boves univérsas : insuper et pécora campi.

Volúcres cæli, et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine, Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Ant. Dóminus ab útero vocávit me, de ventre matris meæ recordátus est nóminis mei.

℣. Inter natos mulíerum non surréxit major.

℟. Joánne Baptísta.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi

Sermo 20 de Sanctis

Lectio iv

IOst illum sacrosánctum Dómini natális diem, nullíus hóminum nativitátem légimus celebrári, nisi solíus beáti Joánnis Baptístæ. In áliis Sanctis et eléctis Dei nóvimus illum diem coli, quo illos, post consummatiónem labórum et devíctum triumphatúmque mundum, in perpétuas ætérnitátes præsens hæc vita partúriit. In áliis consummáta últimi diéi mérita celebrántur : in hoc étiam prima dies, et ipsa étiam hóminis inítia consecrántur; pro hac absque dúbio causa, quia per hunc Dóminus advéntum suum, ne súbito hómines insperátum non agnóscerent, vóluit esse testátum. Joánnes autem figúra fuit véteris Testaménti, et in se formam prætulit legis? et ídeo Joánnes prænuntiávit Salvatórem, sicut lex grátiam præcucúrrit.

℟. Descéndit Angelus Dómini ad Zachariam dicens : Accípe púerum in senectúte tua, * Et habébit nomen Joánnes Baptísta. ℣. Iste puer magnus coram Dómino : nam et manus ejus cum ipso est. — Et.

Lectio v

QUod autem nondum natus de secréto matérni úteri prophetávit, et expers lucis jam testis est veritátis; hoc est intelligéndum, quod latens sub velámine et carne lítteræ, et Redemptórem mundo spíritu prædicávit, et nobis Dóminum nostrum de quodam legis útero proclamávit. Ergo quia Judæi erravérunt a ventre, id est, a lege quæ a Christo grávida erat, erravérunt a ventre, locúti sunt falsa; ídeo hic venit in testimónium, ut testimónium perhibéret de lúmine.

℟. Hic est præcúrsor dilectus, et lucérna lucens ante Dóminum : * Ipse est enim Joánnes, qui viam Dómino præparávit in erémo; sed et Agnum Dei demonstrávit, et illuminávit mentes hóminum. ℣. Ipse præíbit ante illum in spíritu et virtúte Elíæ. — Ipse est.

Lectio vi

QUod autem Joánnes in cárcere constitútus ad Christum discípulos suos órdinat; lex ad Evangélium transmíttit. Quæ lex juxta typum Joánnis, quasi ignorántiæ clausa cárcere, in obscúro et in occúlto jacébat, et Judáica cæcitáte sensus intra lítteram tenebátur inclúsus. De hoc beátus Evangelísta prolóquitur : Ille erat lucérna ardens, id est, Spíritus Sancti igne succénsus, ut mundo ignorántiæ nocte possésso lumen salútis

osténderet, et quasi inter densissimas delictórum ténebras splendidíssimum justítiæ solem lucis suæ rádio demonstráret, et de seípso dicens : Ego vox clamántis in desérto.

℟. Innuébant patri ejus quem vellet vocári eum; et póstulans pugillárem, scripsit dicens : * Joánnes est nomen ejus. ℣. Apértum est os Zachariæ, et prophetávit dicens. — Joánnes. Glória Patri. Joánnes.

In III Nocturno

Ant. Posuit os meum * Dóminus quasi gládium acútum : sub umbra manus suæ protéxit me.

Psalmus 14

DOmine, quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula, * et operátur justítiam :

Qui lóquitur veritátem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua :

Nec fecit próximo suo malum, * et oppróbrium non accépit advérsus próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu ejus malígnus : * timéntes autem Dóminum glorificat :

Qui jurat próximo suo, et non décipit, * qui pecúniam suam non dedit ad usúram, et múnera super innocéntem non accépit.

Qui facit hæc, * non movébitur in ætérnum.

Ant. Posuit os meum Dóminus quasi gládium acútum : sub umbra manus suæ protéxit me.

Ant. Formans me * ex útero servum sibi Dóminus, dicit : Dedi te in lucem géntium, ut sis salus mea usque ad extrémum terræ.

Psalmus 20

DOmine, in virtúte tua lætábitur rex : * et super salutáre tuum exsultábit veheménter.

Desidérium cordis ejus tribuísti ei : * et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : * posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Vitam pétiit a te : * et tribuísti ei longitúdinem diérum in sæculum, et in sæculum sæculi.

Magna est glória ejus in salutári tuo : * glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Quóniam dabis eum in benedictiónem in sæculum sæculi : * lætificábis

eum in gáudio cum vultu tuo.

Quóniam rex sperat in Dómino : * et in misericórdia Altissimi non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis : * déxtera tua invéniat omnes, qui te odérunt.

Pones eos ut clíbanum ignis in témpore vultus tui : * Dóminus in ira tua conturbábit eos, et devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terra perdes : * et semen eórum a fíliis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mala : * cogitavérunt consília, quæ non potuérunt stabilíre.

Quóniam pones eos dorsum : * in reliquiis tuis præparábis vultum eórum.

Exaltáre, Dómine, in virtúte tua : * cantábimus et psallémus virtútes tuas.

Ant. Formans me ex útero servum sibi Dóminus, dicit : Dedi te in lucem géntium, ut sis salus mea usque ad extrémum terræ.

Ant. Reges vidébunt, * et consúrgent príncipes et adorábunt Dóminum Deum tuum, qui elégit te.

Psalmus 33

BEnedícam Dóminum in omni témpore : * semper laus ejus in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea : * áudiant mansuéti, et læténtur.

Magnificáte Dóminum mecum : * et exaltémus nomen ejus in idipsum.

Exquisívi Dóminum, et exaudívit me : * et ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

Accédite ad eum, et illuminámini : * et fácies vestræ non confundéntur.

Iste pauper clamávit, et Dóminus exaudívit eum : * et de ómnibus tribulatiónibus ejus salvávit eum.

Immíttet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum : * et erípiet eos.

Gustáte, et vidéte quóniam suávis est Dóminus : * beátus vir, qui sperat in eo.

Timéte Dóminum, omnes sancti ejus : * quóniam non est inópia timéntibus eum.

Dívites eguérunt et esuriérunt : * inquiréntes autem Dóminum non minuéntur omni bono.

Veníte, fílii, audíte me : * timórem Dómini docébo vos.

Quis est homo qui vult vitam : * díligit dies vidére bonos?

Próhibe linguam tuam a malo : * et lábia tua ne loquántur dolum.

Divérte a malo, et fac bonum : * inquíre pacem, et perséquere eam.

Oculi Dómini super justos : * et aures ejus in preces eórum.

Vultus autem Dómini super faciéntes mala : * ut perdat de terra memóriam eórum.

Clamavérunt justi, et Dóminus exaudívit eos : * et ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Juxta est Dóminus iis, qui tribuláto sunt corde : * et húmiles spíritu salvábit.

Multæ tribulatiónes justórum : * et de ómnibus his liberábit eos Dóminus.

Custódit Dóminus ómnia ossa eórum : * unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péssima : * et qui odérunt justum, delínquent.

Rédimet Dóminus ánimas servórum suórum : * et non delínquent omnes qui sperant in eo.

Ant. Reges vidébunt, et consúrgent príncipes et adorábunt Dóminum Deum tuum, qui elégit te.

℣. Elísabeth Zacharíæ magnum virum génuit. ℟. Joánnem Baptístam, præcursórem Dómini.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 1, 57-68

ELísabeth implétum est tempus pariéndi, et péperit fílium. Et audiérunt vicíni et cognáti ejus quia magnificávit Dóminus misericórdiam suam cum illa, et congratulabántur ei. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi

Liber 2 Comm. in Lucæ cap. 1, ante finem

EGeperit fílium Elísabeth, et congratulabántur vicíni. Habet Sanctórum edítio lætítiam plurimórum, quia commúne est bonum; justítia enim commúnis est virtus. Et ídeo in ortu justi futúræ vitæ insígne præmíttitur, et grátia secutúræ virtútis exsultatióne vicinórum præfiguránte signátur. Pulchre autem tempus, quo fuit in útero Prophéta, descríbitur, ne Maríæ præséntia taceátur; sed tempus silétur infántiæ, eo quia infántiæ impedimenta nescívit. Et ídeo in Evangélio nihil super eo légimus, nisi ortum ejus, et oráculum, exsultatiónem in útero, vocem in desérto.

℟. Præcúrsor Dómini venit, de quo ipse testátur : * Nullus major inter natos muliérum Joánne Baptísta. ℣. Hic est enim Prophéta, et plus quam Prophéta, de quo Salvátor ait. — Nullus major inter natos.

Lectio viii

NEque enim ullam infántiæ sensit ætátem, qui supra natúram, supra ætátem in útero pósitus matris, a mensúra cœpit ætátis plenitúdinis Christi. Mire sanctus Evangelísta præmitténdum putávit, quod plúrimi infántem patris nómine Zacharíam appellándum putáverint; ut advértas matri non nomen alicújus displicuísse degéneris, sed id Sancto infúsum Spíritu, quod ab Angelo ante Zacharíæ fúerat prænuntiátum. Et quidem ille mutus intimáre vocábulum fílii nequívit uxóri; sed per prophetíam Elísabeth dídicit, quod non didícerat a marito.

℟. Gábriel Angelus appáruit Zacharíæ dicens : Nascétur tibi fílius, nomen ejus Joánnes vocábitur : * Et multi in nativitáte ejus gaudébunt. ℣. Erit enim magnus coram Dómino, vinum et síceram non bibet. — Et. Glória. Et.

Lectio ix

JOánnes est, inquit, nomen ejus; hoc est, non nos ei nomen impónimus, qui jam a Deo nomen accépit. Habet vocábulum suum, quod agnóvimus, non quod elégimus. Habent hoc mérita Sanctórum, ut a Deo nomen accípiant. Sic Jacob Israël dícitur, quia Deum vidit. Sic Dóminus noster Jesus nominátus est, ántequam natus; cui non Angelus, sed Pater nomen impósuit. Vides Angelos quæ audíerint, non quæ usurpáverint, nuntiáre. Nec miréris, si nomen múlier, quod non audívit, asséruit; quando Spíritus ei Sanctus, qui Angelo mandáverat, revelávit.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

et per Horas, Añæ

1 Elísabeth Zacharíæ * magnum virum génuit, Joánnem Baptístam, præcursórem Dómini.

Psalmi de Dominica.

2 Innuébant patri ejus * quem vellet vocári eum : et scripsit dicens : Joánnes est nomen ejus.

3 Joánnes vocábitur * nomen ejus : et in nativitáte ejus multi gaudébunt.

4 Inter natos muliérum * non surréxit major Joánne Baptísta.

5 Tu, puer, * Prophéta Altíssimi vocáberis; præíbis ante Dóminum paráre vias ejus.

Capitulum Is. 49, 1

AUdíte, insulæ, et atténdite, pópuli de longe : Dóminus ab útero vocávit

me, de ventre matris meæ recordátus est nóminis mei.

Hymnus

O Nimis felix, meritíque celsi,
Nésciens labem nívei pudóris,
Præpotens Martyr, nemorúmque cultor,
Máxime Vatum.

Serta ter denis álios corónant
Aucta creméntis, duplicáta quosdam,
Trina te fructu cumuláta centum
Néxibus ornant.

Nunc potens nostri méritis opímis
Péctoris duros lápides revélle
Asperum planans iter, et refléxos
Dírige calles.

Ut pius mundi Sator et Redémptor
Méntibus culpæ sine labe puris
Rite dignétur véniens beátos
Pónere gressus.

Láudibus cives célebrent supérni
Te, Deus simplex paritérque trine,
Súpplices et nos véniam precámur :
Parce redémptis.
Amen.

℣. Iste puer magnus coram Dómino. ℟. Nam et manus ejus cum ipso est.

Ad Bened. Ant. Apértum est * os Zacharíæ, et prophetávit dicens : Benedíctus Deus Israël.

Oratio

DEus, qui præséntem diem honorábilem nobis in beáti Joánnis nativitáte fecísti : da pópulis tuis spirituálium grátiam gaudiórum; et ómnium fidélium mentes dírige in viam salútis ætérnæ. Per Dóminum.

Ad Horas Psalmi de Dominica, ad Primam tamen ut in Festis.

AD TERTIAM

Capitulum ut supra ad Laudes.

℟. br. Fuit homo * Missus a Deo. Fuit. ℣. Cui nomen erat Joánnes. Missus. Glória Patri. Fuit.

℣. Inter natos muliérum non surréxit major. ℟. Joánne Baptísta.

AD SEXTAM

Capitulum Is. 49, 5-6

ET nunc, hæc dicit Dóminus formans me ex útero servum sibi : Dedi te in lucem géntium, ut sis salus mea usque ad extrémum terræ.

℟. br. Inter natos muliérum * Non surréxit major. Inter. ℣. Joánne Baptista. Non. Glória Patri. Inter.

℣. Elísabeth Zacharíæ magnum virum génuit. ℟. Joánnem Baptistam, præcursórem Dómini.

AD NONAM

Ant. Tu, puer, * Prophéta Altíssimi vocáberis; præibis ante Dóminum paráre vias ejus.

Capitulum Is. 49, 7

REges vidébunt, et consúrgent príncipes et adorábunt Dóminum Deum tuum, et Sanctum Israël, qui elégit te.

℟. br. Elísabeth Zacharíæ * Magnum virum génuit. Elisabeth. ℣. Joánnem Baptístam, præcursórem Dómini. Magnum. Glória Patri. Elisabeth.

℣. Iste puer magnus coram Dómino. ℟. Nam et manus ejus cum ipso est.

IN II VESPERIS

Antiphonæ et Capit. de Laudibus 656; Psalmi ut in I Vesperis de Communi App. [3]

Hymnus

UT queant laxis resonáre fibris
Mira gestórum fámuli tuórum,
Solve pollúti lábii reátum,
Sancte Joánnes.

Núntius celso véniens Olýmpo,
Te patri magnum fore nascitúrum,
Nomen, et vitæ sériem geréndæ
Ordine promit.

Ille promíssi dúbius supérni,
Pérdidit promptæ módulos loquélæ;
Sed reformásti génitus perémptæ
Organa vocis.

Ventris obstrúso récubans cubili
Sénseras Regem thálamo manéntem;
Hinc parens nati méritis utérque
Abdita pandit.

Sit decus Patri, genitáque Proli,
Et tibi, compar utriúsque virtus,
Spiritus semper, Deus unus omni
Témporis ævo. Amen.

℣. Iste puer magnus coram Dómino. ℟. Nam et manus ejus cum ipso est.

Ad Magnif. Ant. Puer * qui natus est nobis, plus quam Prophéta est : hic est enim, de quo Salvátor ait : Inter natos muliérum non surréxit major Joánne Baptísta.

Oratio

DEus, qui præséntem diem honorábilem nobis in beáti Joánnis nativitáte fecísti : da pópulis tuis spirituálium grátiam gaudiórum; et ómnium fidélium mentes dírige in viam salútis ætérnæ. Per Dóminum.

Et fit Commem. sequentis. Completorium de Dominica.

Die 25 Junii

S. Gulielmi Abbatis [94]

Duplex

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram. ℣. Amávit eum Dóminus.

Oratio

DEus, qui infirmitáti nostræ ad teréndam salútis viam in Sanctis tuis exémplum et præsídium collocásti : da nobis, ita beáti Guliélmi Abbátis mérita venerári; ut ejúsdem excipiámus suffrágia, et vestígia prosequámur. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

GUliélmus, nobílibus paréntibus Vercéllis in Insúbria natus, vix quartum décimum ætátis annum expléverat, cum, miro quodam pietátis ardóre flagrans, Compostellánam peregrinatiónem ad celebérrimum sancti Jacóbi templum aggréssus est. Quod iter una amíctus túnica, ac dúplici férreo círculo præcínctus, nudísque pédibus prosecútus, aspérrima frígoris et æstus, famis et sitis summo cum vitæ discrímine perpéssus est incómmoda. Revérsus in Itáliam, novam ad sanctum Dómini sepúlcrum peregrinatiónem molítur; sed, quo minus propósitum exsequátur, vária atque gravíssima intercédunt impedimenta, divíno núnine ad altióra et sanctióra religiósam júvenis índolem retrahénte. Porro in solículo monte biénnium inter assíduas preces, vigílias, chaméunias et jejúnia commorátus, divína subnixus ope, cæco lumen restítuit. Cujus miráculi fama precrebrescénte, jam Guliélmus latére non póterat; quare íterum Jerosólymam cógitat, et álacris se itíneri committit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et.

Lectio v

DEI autem mónitu, qui eídem appáruit, a propósito revocátur, utílior

ac fructuósior tam apud Italos quam apud éxteras natiónes futúrus. Tum monastérium in Virgiliáni montis cacúmine, quod deínde Vírginis est appellátum, loco áspero et inaccésso miránda exædíficat celeritáte. Sócios deínde viros et religiósos ascíscit, eósque ad vivéndi normam, evangélicis præcéptis et consíliis summópere accommodátam, tum certis légibus ex beáti Benedícti institútis magna ex parte desúmptis, tum verbo et sanctíssimæ vitæ exémplis infórmat.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ induit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vi

ALiis deínde monastériis eréctis, clárior in dies Guliélmi facta sánctitas multos ad eum úndique viros perdúcit, sanctitátis odóre et miraculórum fama alléctos. Nam muti loquélam, surdi audítum, áridi vigórem, varióque et immedicábili morbo laborántes sanitátem, ipsíus intercessióne recepérunt. Aquam in vinum convértit, alíaque complúra mirabília patrávit; inter quæ illud non siléndum, quod, muliércula ad ejus castitátem tentándam missa, in ardéntibus prunis humi stratis illæsum se volutávit. De qua re cértior factus Rogérius, Neápolis rex, in summam viri Dei veneratiónem addúcitur. Demum, témpore sui óbitus regi aliísque prænuntiáto, innúmeris virtútibus et miráculis clarus obdormívit in Dómino, anno salútis millésimo centésimo quadragésimo secúndo.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Quia. Glória Patri. Quia.

Pro hoc Festo simplificato

Lectio ix

GUliélmus, nobílibus paréntibus Vercéllis natus, vix quartum décimum ætátis annum expléverat, cum Compostellánam peregrinatiónem miro spíritu pœniténtiæ ac pietátis ardóre perégit. Dein, nova peregrinatióne ad Christi Dómini sepúlcrum frustra tentáta, in solitário monte inter assíduas preces, vígilias et jejúnia per biénnium delítuit. Cum cæco lumen restituísset, hóminum existimatiónem fúgiens, monastérium in Virgiliáni montis, quod deínde Vírginis est appellátum, loco áspero et inaccésso exædíficat; ibi sócios ascíscit, eósque certis légibus, ex beáti Benedícti institútis magna ex parte desúmptis, verbo et sanctíssimæ vitæ exémplis infórmat. Aliis deínde monastériis eréctis, clárior in dies Guliélmi facta sánctitas multos ad eum úndique viros perdúcit, frequéntium étiam miraculórum fama alléctos. Demum, témpore sui óbitus prænuntiáto, obdormívit in Dómino, anno salútis millésimo centésimo quadragésimo secúndo.

Te Deum laudámus.

In III Nocturno Homilia in Evang. Ecce nos relíquimus, de Communi Abbatum 1 loco. [107]

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

Oratio

DEus, qui infirmitáti nostræ ad teréndam salútis viam in Sanctis tuis exémplum et præsídium collocásti : da nobis, ita beáti Guliélmi Abbátis mérita venerári; ut ejúsdem excipiámus suffrágia, et vestígia prosequámur. Per Dóminum.

Deinde fit Commemoratio Octavæ S. Joannis Baptistæ :

Ant. Apértum est os Zacharíæ, et prophetávit dicens : Benedíctus Deus Israël.

℣. Iste puer magnus coram Dómino. ℟. Nam et manus ejus cum ipso est.

Oratio

DEus, qui præséntem diem honorábilem nobis in beáti Joánnis nativitáte fecísti : da pópulis tuis spirituálium grátiam gaudiórum; et ómnium fidélium mentes dírige in viam salútis ætérnæ. Per Dóminum.

Vesperæ a Capitulo de seq., Commemoratio præcedentis et Oct. S. Joannis Baptistæ.

Die 26 Junii

Ss. Joannis et Pauli

Martyrum [49] Duplex

IN I VESPERIS

Quando dicendæ sint integræ, Antiphonæ de Laudibus

665; Psalmi ut in I Vesperis de Communi App. [3]

Capitulum Sap. 3, 1-3

JUstórum ánimæ in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum mortis. Visi sunt óculis insipiéntium mori; illi autem sunt in pace.

Hymnus

SAnctórum méritis inclyta gáudia
Pangámus, sócii, géstaque fórtia :
Gliscens fert ánimus prómere cántibus
Victórum genus óptimum.

Hi sunt, quos fátue mundus abhórruit;
Hunc fructu vácuum, flóribus áridum
Contempsére tui nóminis ásseclæ,
Jesu, Rex bone Cælitum.

Hi pro te fúrias atque minas truces
Calcárunt hóminum, sævaque vérbera :
His cessit lácerans fórtiter úngula,
Nec carpsit penetrália.

Cædúntur gládiis more bidéntium :
Non murmur résonat, non querimónia;
Sed corde impávido mens bene cónscia
Consérvat patiéntiam.

Quæ vox, quæ póterit lingua retéxere
Quæ tu Martýribus múnera præparas?
Rubri nam flúido sánguine, fúlgidis
Cingunt témpora láureis.

Te, summa o Déitas, únaque póscimus :
Ut culpas ábigas, nóxia súbtrahas,
Des pacem fámulis; ut tibi glóriam,
Annórum in sériem, canant.

Amen.

℣. Lætámini in Dómino et exsultáte, justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Ad Magnif. Ant. Astitérunt * justi ante Dóminum, et ab ínvicem non sunt separáti : cálicem Dómini bibérunt, et amíci Dei appellati sunt.

Oratio

QUæsumus, omnipotens Deus : ut nos geminata lætítia hodiérnæ festivitátis excípiat, quæ de beatórum Joánnis et Pauli glorificatióne procédit; quos éadem fides et pássio vere fecit esse germános. Per Dóminum.

Et fit Com. præcedentis :

Ant. Hic vir, despíciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit.

Oratio

DEus, qui infirmitáti nostræ ad teréndam salútis viam in Sanctis tuis exémplum et præsídium collocásti : da nobis, ita beáti Guliélmi Abbátis mérita venerári; ut ejúsdem excipiámus suffrágia, et vestígia prosequámur. Per Dóminum.

Deinde Commemor. Octavæ S. Joannis Baptistæ :

Ant. Puer, qui natus est nobis, plus quam Prophéta est : hic est enim, de quo Salvátor ait : Inter natos mulíerum non surréxit major Joánne Baptísta.

℣. Iste puer magnus coram Dómino. ℟. Nam et manus ejus cum ipso est.

Oratio

DEus, qui præséntem diem honorábilem nobis in beáti Joánnis nativitáte fecísti : da pópulis tuis spirituálium grátiam gaudiórum; et ómnium fidélium mentes dírige in viam salútis ætérnæ. Per Dóminum.

Completorium de Feria.

AD MATUTINUM

In I Nocturno, si sumendæ sint de Communi, Lectiones Fratres : Debitóres. [52]

In II Nocturno

Lectio iv

OAnnes et Paulus fratres Románi, cum facultátibus a Constántia Constantíni fília, cui pie fidelitérque servíerant, sibi relíctis, Christi páuperes álerent; a Juliáno Apóstata in número familiárium suórum invitáti, líbere negavérunt se apud eum esse velle, qui a Jesu Christo defecísset. Quibus ille ad deliberándum decem dies præfínit, ut nisi ad eam diem ei adhærére et Jovi sacrificáre constitúerint, sibi moriéndum esse certo sciant.

℟. Isti sunt duo viri misericórdiæ, qui assístunt ante Dóminum, * Dominatórem univérsæ terræ. ℣. Isti sunt duæ olívæ, et duo candelábra lucéntia ante Dóminum. — Dominatórem.

Lectio v

ILli intra id tempus réliqua sua bona distribuérunt paupéribus, quo expeditióres ad Dóminum migráre possent, et plures juvárent, a quibus in ætérna tabernácula reciperéntur. Die décima Terentiánus prætóriæ cohórtis præféctus, ad eos missus cum alláta Jovis effígie ut eam veneraréntur, imperatóris mandátum eis exponit, ut nisi Jovi cultum adhíbeant, moriántur. Qui, ut erant oántes, respondérunt, se pro Christi fide, quem Deum mente et ore venerabántur, non dubitánter mortem subitúros.

℟. Vidi conjúnctos viros, habéntes spléndidas vestes, et Angelus Dómini locútus est ad me, dicens : *Isti sunt viri sancti facti amíci Dei. ℣. Vidi Angelum Dei fortem, volántem per médium cælum, voce magna clamántem et dicéntem. — Isti.

Lectio vi

AT Terentiánus véritus, ne, si públice interficeréntur, pópulus commoverétur; domi, ubi tunc erant, abscíssis eórum capítibus, sexto Kaléndas Júlii secréto eos sepeliéndos curávit; rumorémque sparsit, Joánnem et Paulum in exsílium ejéctos esse. Verum eórum mors a spirítibus immúndis, qui multórum córpora vexábant, pervulgáta est; in quibus Terentiáni fílius, et ipse oppréssus a dæmone, ad sepúlcrum Mártyrum perdúctus, liberátus est. Quo miráculo et is in Christum crédidit, et ejus pater Terentiánus; a quo étiam horum beatórum Mártyrum vita scripta esse dícitur.

℟. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus, et quasi holocáusti hóstiam accépit illos; et in témpore erit respéctus illórum, * Quóniam donum et pax est eléctis Dei. ℣. Qui confídunt in illum, intélligent veritátem : et fidéles in dilectióne acquiéscent illi. — Quóniam. Glória Patri. Quóniam.

Pro hoc Festo simplificato

Lectio ix

JOánnes et Paulus, fratres Románi, cum facultátes a Constántia, Constantíni fília, cui pie fidelitérque servíerant, sibi relíctas, in Christi páuperes distribúerent, a Juliáno Apóstata in número familiárium suórum invitáti, líbere negavérunt se apud eum esse velle, qui a Jesu Christo defecísset. Quare præfinítum est eis spátium decem diérum, ut Jovi sacrificáre induceréntur; quod scelus patráre cum constantíssime recusássent, Terentiáno júdice, abscíssis domi capítibus, martýrii palmam meruérunt. Eórum gloriósus éxitus a spirítibus immúndis est pervulgátus, qui multórum vexábant córpora; in quibus Terentiáni fílius, et ipse oppréssus a dæmone, ad sepúlcrum Mártyrum liberátus est. Quo miráculo et is in Christum crédidit, ut ejus pater Terentiánus; a quo étiam horum beatórum Mártyrum vita scripta esse dícitur.

Te Deum laudámus.

In III Nocturno Homilia in Ev. Atténdite a ferménto, de Communi plurimorum Martyrum 3 loco. [67]

℟. viii Hæc est vera fratérnitas. [67]

AD LAUDES

Ant. 1 Paulus et Joánnes * dixérunt Juliáno : Nos unum Deum cólimus, qui fecit cælum et terram.

Psalmi de Dominica.

2 Paulus et Joánnes * dixérunt Terentiáno : Si tuus dóminus est Juliánus, habéto pacem cum illo : nobis álius non est, nisi Dóminus Jesus Christus.

3 Joánnes et Paulus, * agnoscéntes tyránnidem Juliáni, facultátes suas paupéribus erogáre cœpérunt.

4 Sancti spíritus * et ánimæ justórum, hymnum dícite Deo, allelúja.

5 Joánnes et Paulus * dixérunt ad Gallicánum : Fac votum Deo cæli, et eris victor mélius quam fuísti.

Capitulum Sap. 3, 1-3

JUstórum ánimæ in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum mortis. Visi sunt óculis insipiéntium mori; illi autem sunt in pace.

Hymnus

REX glorióse Mártyrum,
Coróna confiténtium,
Qui respuéntes térrea
Perdúcis ad cæléstia :

Aurem benígnam prótinus
Inténde nostris vócibus :
Trophæa sacra pángimus :
Ignósce quod delíquimus.

Tu vincis inter Mártyres
Parcísque Confessóribus :
Tu vince nostra crímina,
Largítor indulgéntiæ.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc, et per omne sæculum.
Amen.

℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Ad Bened. Ant. Isti sunt Sancti, * qui pro Christi amóre minas hóminum contempsérunt : sancti Mártyres in regno cælórum exsúltant cum Angelis. O quam pretiósa est mors Sanctórum, qui assídue assístunt ante Dóminum, et ab ínvicem non sunt separáti!

Oratio

QUæsumus omnípotens Deus : ut nos geminàta lætítia hodiérnæ festivitátis excípiat, quæ de beatórum Joánnis et Pauli glorificatióne procédit; quos éadem fides et pássio vere fecit esse germános. Per Dóminum.

Pro Commemoratione Octavæ S. Joannis Baptistæ :

Ant. Apértum est os Zacharíæ, et prophetávit dicens : Benedíctus Deus Israël.

℣. Iste puer magnus coram Dómino. ℟. Nam et manus ejus cum ipso est.

Oratio

DEus, qui præséntem diem honorábilem nobis in beáti Joánnis nativitáte fecísti : da pópulis tuis spirituálium grátiam gaudiórum; et ómnium fidélium mentes dírige in viam salútis ætérnæ. Per Dóminum.

Ad Horas Antiphona et Psalmi de Feria; ad Primam Lectio brevis Fulgébunt justi, et ad reliquas Horas Capitulum et ℟. br. de Communi.

Sicubi autem hoc Festum sub ritu duplici I vel II classis recolatur, Antiphonæ de Laudibus ut supra, cum Psalmis de Dominica ut in Festis.

IN II VESPERIS

Antiphonæ de Laudibus 665; Psalmi ut in I Vesperis de Communi App. [3], sed loco ultimi dicitur Psalmus 115 Crédidi. [18]

Capitulum Sap. 3, 1-3

JUstórum ánimæ in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum mortis. Visi sunt óculis insipiéntium mori; illi autem sunt in pace.

Hymnus

SAnctórum méritis ínclyta gáudia
Pangámus, sócii, géstaque fórtia :
Gliscens fert ánimus prómere cántibus
Victórum genus óptimum.

Hi sunt, quos fátue mundus abhóruit;
Hunc fructu vácuum, flóribus áridum
Contempsére tui nóminis ásseclæ,
Jesu, Rex bone Cælitum.

Hi pro te fúrias atque minas truces
Calcárunt hóminum, sævaque vérbera :
His cessit lácerans fórtiter úngula,
Nec carpsit penetrália.

Cædúntur gládiis more bidéntium :
Non murmur résonat, non querimónia;
Sed corde impávido mens bene cónscia
Consérvat patiéntiam.

Quæ vox, quæ póterit lingua retéxere
Quæ tu Martýribus múnera præparas?
Rubri nam flúido sánguine, fúlgidis
Cingunt témpora láureis.

Te, summa o Déitas, únaque póscimus :
Ut culpas ábigas, nóxia súbtrahas,
Des pacem fámulis; ut tibi glóriam,
Annórum in sériem, canant. Amen.

℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubilibus suis.

Ad Magnif. Ant. Isti sunt * duæ olivæ, et duo candelábra lucéntia ante Dóminum; habent potestátem cláudere cælum núbibus et aperire portas ejus, quia linguæ eórum claves cæli factæ sunt.

Oratio

QUæsumus, omnípotens Deus : ut nos geminàta lætítia hodiérnæ festivitátis excípiat, quæ de beatórum Joánnis et Pauli glorificatióne procédit; quos éadem fides et pássio vere fecit esse germános. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio seq. diei infra Oct. S. Joannis.

Completorium de Feria.

Die 27 Junii

De IV die infra Octavam

S. Joannis

Semiduplex

Ant. Ingrésso Zacharía templum Dómini, appáruit ei Gábriel Angelus stans a dextris altáris incénsi.

℣. Fuit homo missus a Deo. ℟. Cui nomen erat Joánnes.

¶ Si vero hac die faciendum non sit Officium de Octava, tunc dicitur

Ant. Puer qui natus est nobis, plus quam Prophéta est : hic est enim, de quo Salvátor ait : Inter natos mulíerum non surréxit major Joánne Baptista.

℣. Iste puer magnus coram Dómino. ℟. Nam et manus ejus cum ipso est.

Oratio Deus, qui præséntem. 666

Ad Matutinum et reliquas Horas Antiphonæ, Psalmi et Versus Nocturnorum de occurrenti hebdomadæ die, ut in Psalterio; reliqua ut in Festo 646, præter Lectiones, quæ in I Nocturno dicuntur de Scriptura occurrenti cum suis Responsoriis de Tempore, in II et III ut hic habentur.

In II Nocturno
Sermo sancti Basilii Magni
Homilia 2 in Psalm. 28

Lectio iv

VOX Dómini super aquas. Qualis vox? super quas aquas? Velut prophetíam accipiámus quod dictum est. Memíneris Joánnis, qui interrogátus a Judæis : Tu quis es? quod respónsum dábimus iis, qui misérunt nos? respóndit : Ego vox clamántis in desérto. Igitur vox Dómini est Joánnes, Angelus a Deo missus ante fáciem Dómini, ut paráret Dómino plebem perféctam. Hæc ígitur vox super aquas, erat super Jordánem, in quo baptizábat prædicans pœniténtiæ baptísmum; et non solum in Jordáne, sed étiam in Ænon prope Salim, quia aquæ multæ erant illic.

℟. Descéndit Angelus Dómini ad Zacharíam, dicens : Accipe púerum in senectúte tua : * Et habébit nomen Joánnes Baptísta. ℣. Iste puer magnus coram Dómino : nam et manus ejus cum ipso est. — Et.

Lectio v

IGitur vox Dómini super aquas, Joánnes est super baptísmum. Illic et Deus majestátis intónuit; venit enim vox de cælo, dicens : Hic est Fílius meus diléctus, in quo mihi complácui. Tunc étiam Dóminus super aquas multas dignátus est descéndere in baptísma Joánnis, ut compléret omnem justítiam quæ in lege est. Vox Dómini in virtúte. Auferet enim debilitátes pópuli per pœniténtiæ baptísmum, per ipsum baptízans in aqua ad pœniténtiam. In virtúte est vox, dicens : Pœniténtiam ágite, appropinquávit enim regnum cælórum; et : Fácite fructus dignos pœniténtiæ.

℟. Hic est præcúrsor diléctus, et lucérna lucens ante Dóminum : * Ipse est enim Joánnes, qui viam Dómino præparávit in erémo; sed et Agnum Dei demonstrávit, et illumináv it mentes hóminum. ℣. Ipse præíbit ante illum in spíritu et virtúte Elíæ. — Ipse.

Lectio vi

VOX Dómini confringéntis cedros. Potest dici quod, parans Dómino pópulum perféctum, elátas impietátes et contra cognitiónem Dei exaltátas confríngens ac cónterens, oblíqua faciébat recta. Qui enim omnem collem ac montem humíliat, hic erat qui confringébat cedros, et

Dómino viam adæquábat, per hoc quod ad pœniténtiam inducébat altum, et elátum, et supérbum cor. Unde ejus præparatiónem suscípiens Dóminus, suo advéntu confrégit oppósitas poténtias, cedros Líbani figuráte dictas. Opórtet enim Dóminum regnáre, donec ponat inimícos sub pedes suos, et cedros istas commínuat.

℟. Innuébant patri ejus quem vellet vocári eum : et póstulans pugillárem, scripsit dicens : * Joánnes est nomen ejus. ℣. Apértum est os Zacharíæ, et prophetávit dicens. — Joánnes. Glória Patri. Joánnes.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 1, 57-68

ELísabeth implétum est tempus pariéndi, et péperit fílium. Et audiérunt vicíni et cognáti ejus quia magnificávit Dóminus misericórdiam suam cum illa, et congratulabántur ei. Et réliqua.

De Homília sancti Ambrósii Epíscopi

Liber 2 in Luc. cap. 1, in fine

ET Zacharías pater ejus implétus est Spíritu Sancto, et prophetábat. Vide quam bonus Deus, et fácilis indulgére peccátis; non solum abláta restítuit, sed étiam insperáta concédit. Ille dudum mutus prophétat; hæc enim grátia Dei máxima, quod eum, qui negáverat, confitétur. Nemo ergo diffídat, nemo véterum cónscius delictórum prǽmia divína despéret. Novit Dóminus mutáre senténtiam, si tu nóveris emendáre delíctum.

℟. Præcúrsor Dómini venit, de quo ipse testátur : * Nullus major inter natos mulíerum Joánne Baptísta. ℣. Hic est enim prophéta, et plus quam prophéta, de quo Salvátor ait. — Nullus.

Lectio viii

ET tu, puer, prophéta Altíssimi vocáberis. Pulchre, cum de Dómino prophetáret, ad prophétam sua verba convértit, ut hoc quoque benefícium esse Dómini designáret; ne, cum públice enumeráret sua, quasi ingrátus tacuísse viderétur quæ agnoscébat in fílio. Sed fortásse áliqui quasi irrationábilem mentis excéssum putent, quod octo diérum allóquitur infántem. Verum, si teneámus, intelligémus profécto quod pótuit vocem patris natus

audíre, qui Maríæ salutatiónem, ántequam nascerétur, audívit.

℟. Gábriel Angelus appáruit Zacharíæ, dicens : Nascétur tibi fílius, nomen ejus Joánnes vocábitur : * Et multi in nativitáte ejus gaudébunt. ℣. Erit enim magnus coram Dómino, vinum et síceram non bibet. — Et. Glória Patri. Et.

¶ Si hodie fuerit Sabbatum, ix Lectio de Homilia Vigiliæ anticipatæ Ss. Petri et Pauli App., et ejus Commemoratio ad Laudes, ut die sequenti notatur; secus

Lectio ix

SCiébat profécto álias esse aures prophétæ, quæ Spíritu Dei, non córporis ætáte reserántur. Habébat intelligéndi sensum, qui exsultándi habébat affléctum. Simul illud advérte, quam paucis Elísabeth, quam multis Zacharías prophétet; et utérque Sancto replétus Spíritu loquebátur : sed disciplína servátur, ut múlier díscere magis quæ divína sunt stúdeat, quam docére.

Te Deum laudámus.

Vesperæ de sequenti, Commemoratio præcedentis.

Die 28 Junii

S. Irenæi

Episcopi et Martyris [29]

Duplex

℣. Glória et honóre.

Ad Magnif. Ant. Iste Sanctus * pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit; fundátus enim erat supra firmam petram.

Oratio

DEus, qui beáto Irenæo Mártyri tuo atque Pontífici tribuísti, ut et veritáte doctrínæ expugnáret hæreses, et pacem Ecclésiæ felíciter confirmáret : da, quǽsumus, plebi tuæ in sancta religióne constántiam; et pacem tuam nostris concéde tempóribus. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio præcedentis diei infra Octavam Nativitatis S. Joannis :

Ant. Puer qui natus est nobis, plus quam Prophéta est : hic est enim, de quo Salvátor ait : Inter natos mulíerum non surréxit major Joánne Baptísta.

℣. Iste puer magnus coram Dómino. ℟. Nam et manus ejus cum ipso est.

Oratio

DEus, qui præséntem diem honorábilem nobis in beáti Joánnis nativitáte fecísti : da pópulis tuis spirituálium grátiam gaudiórum; et ómnium fidélium mentes dírige in viam salútis ætérnæ. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

RENæus, non longe ab urbe Smyrna in Asia præconsulári natus, jam inde a púero sese Polycárpo, Joánnis Evangelístæ discípulo eidémque epíscopo Smyrnæórum, tradíderat in disciplínam. Hoc tam excellénti magístro, progréssus in doctrína præceptísque christiánæ religiónis insígnes fecit. Polycárpo in cælum martýrii glória subláto, etsi erat Irenæus in sacris lítteris egrégie versátus, quod tamen incredíbili stúdio flagráret discéndi quæ dógmata depósiti loco custodiénda céteri accepíssent, quos Apóstoli institúerant; horum quam pótuit plures convénit, quæque ab iísdem audívit, mémori mente ténuit, ea deínceps opportúne advérsus hæreses allatúrus, quas cum vidéret ingénti pópuli christiáni damno látius in dies manáre, diligénter copioséque reféllere cogitárat. In Gállias inde profectus, a Pothíno epíscopo présbyter est constitútus Ecclésiæ Lugdunénsis. Quod munus sic laborándo in verbo et doctrína gessit, ut (téstibus sanctis Martýribus, qui, Marco Aurélio imperatóre, strénue pro vera pietáte certárant) æmulatórem sese præstíterit testaménti Christi.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam : et in vínculis non derelíquit eum. — Et.

Lectio v

CUM Mártyres ipsi clerúsque Lugdunénsis de pace Ecclesiárum Asiæ, quam Montanistárum fáctio turbárat, sollíciti cum primis essent, Irenæum, cujus esse potíssimum habéndam ratiónem prædicábant, unum ómnium máxime delegérunt, quem Romam ad Eleuthérium Pontíficem mítterent rogátum, ut, novis sectáriis auctoritáte Sedis Apostólicæ reprobátis, discordiárum causa tollerétur. Jam Pothínus epíscopus martyr decésserat : huic Irenæus cum successísset, tam felíciter munus óbiit episcopátus, ut sapiéntia, oratióne exemplóque suo

non modo brevi cives Lugdunénses omnes, sed multos étiam aliárum Gálliæ úrbium íncolas superstitiónem atque errórem abjecísse, dedísseque christiánæ milítiæ nómina víderit. Intérea, cum de die celebrándi Páschatis orta esset conténtio, ac Victor, Románus Póntifex, Asiános epíscopos ab collégis réliquis fere ómnibus dissidéntes aut prohibuísset communióne sacrórum, aut prohibére minátus esset, eum Irenæus, sequéster pacis, decénter mónuit, exemplísque usus Pontíficum superiórum indúxit, ut ne tot Ecclésias ob ritum quem a majóribus accepísse se dícerent, avélli ab unitáte cathólica paterétur.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prevenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Et.

Lectio vi

MUlta scripsit, quæ Eusébius Cæsariénsis et sanctus Hierónymus mémorant, quorúmque pars magna intércidit injúria témporum. Exstant ejus advérsus hæréses libri quinque, anno círciter centésimo octogésimo perscripti, dum adhuc Eleuthérius rem christiánam públicam géreret. In tértio libro vir Dei, ab iis edóctus quos auditóres constat fuísse Apostolórum, grave in primis atque præclárum de Romána Ecclésia, deque illíus episcopórum successióne, divínæ traditiónis fidéli, perpétua, certíssima custóde, testimónium dixit. Atque ad hanc, dixit, Ecclésiam propter potiórem principalitátem necésse est omnem convenire Eclésiam, hoc est eos qui sunt úndique fidéles. Postrémo una cum áliis prope innumerabílibus, quos ipse ad veram fidem frugémque perdúxerat, martýrio coronátus migrávit in cælum, anno salútis ducentésimo secúndo, quo témpore Septimius Severus Augústus eos omnes, qui constánter in colénda christiána religióne perstáre voluíssent, in summum cruciátum dari atque intérfici imperáverat. Sancti Irenæi festum Benedictus décimus quintus Póntifex Máximus ad univérsam Ecclésiam exténdit.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus : * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus.

℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intellléctus : et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. — Et. Glória Patri. Et.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 10, 28-33

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Nolíte timére eos, qui occídunt corpus, ánimam autem non possunt occídere; sed pótius timéte eum qui potest et ánimam et corpus pérdere in gehénnam. Et réliqua.

Homília sancti Irenæi Epíscopi et Mártyris

Lib. 3 adversus Hæreses cap. 18, alias 20, num. 5-6

SCiébat Dóminus eos qui persecutiónem passúri essent; sciébat et eos qui flagellári et occídi habérent propter eum. Erat ergo sermo ejus, adhortántis étiam illos : Nolíte timére eos qui occídunt corpus, ánimam autem non possunt occídere. Timéte autem magis eum qui habet potestátem et corpus et ánimam míttere in gehénnam, et serváre eas quæ essent ad eum confessiónes. Etenim ipse confessúrum se promittébat coram patre suo eos, qui confiteréntur nomen suum coram homínibus; negatúrum autem eos, qui negárent eum et confusúrum, qui confunderéntur contra confessiónem ejus. Et, cum hæc ita se hábeant, ad tantam temeritátem progréssi sunt quidam, ut étiam Mártyres spernant, et vitúperent eos qui propter Dómini confessiónem occidúntur, et sústinent ómnia a Dómino prædícta, et secúndum hoc conántur vestígia ássequi passiónis Dómini, passíbilis Mártyres facti; quos et concédimus ipsis Martýribus. Cum enim inquirétur sanguis eórum, et glóriam consequéntur, tunc a Christo confundéntur omnes, qui inhonoravérunt eórum martýrium.

℟. Coróna áurea super caput ejus, * Expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.— Expréssa.

Lectio viii

HOC autem idem et illis occúrrit, qui dicunt eum putatíve passum. Si enim non vere passus est, nulla grátia ei, cum nulla fúerit pássio; et nos, cum incipiémus vere pati, sedúcens vidébitur, adhórtans nos vapuláre et álteram præbére maxillam, si ipse illud non prior in veritáte passus est. Et, quemádmodum illos sedúxit, ut viderétur eis ipse hoc quod non erat; et nos sedúcit, adhórtans perférre ea quæ ipse non pértulit. Erimus autem et super Magístrum, dum pátimur et sustinémus quæ neque passus est neque sustínuit Magíster. Sed, quóniam solus vere magíster Dóminus noster, et bonus vere Fílius Dei; et pátiens Verbum Dei Patris, fílius hóminis factus. Luctátus est enim et vicit; erat enim homo pro pátribus certans, et per obediéntiam inobediéntiam persólvens. Alligávit enim fortem, et solvit infírmos, et salútem donávit plásmati suo, déstruens peccátum. Igitur qui dicunt eum putatíve manifestátum, neque in carne natum, neque vere hóminem factum, adhuc sub véteri sunt damnatióne.

℟. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit : * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, sed ad cæléstia regna pervénit. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Qui minas. Glória Patri. Qui minas.

Pro Vigilia Ss. Petri et Pauli Apostolorum :

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem

Lectio ix Cap. 21, 15-19

IN illo témpore : Dixit Jesus Simóni Petro : Simon Joánnis, díligis me plus his? Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi

Tract. 123 in Joann., num. 5

REdditur negatióni trinæ trina conféssio, ne minus amóri lingua sérviat quam timóri, et plus vocis elicuisse videátur mors imminens quam vita præsens. Sit amóris offícium páscere Domínicum gregem, si fuit timóris indícium negáre Pastórem. Qui hoc ánimo pascunt oves Christi, ut suas velint esse non Christi, se convincúntur amáre non Christum; vel gloriándi, vel dominándi, vel acquiréndi cupiditáte, non obediéndi, et subveniéndi, et Deo placéndi caritáte.

Te Deum laudámus.

¶ Sicubi autem ix Lectio alicujus Officii commem. non fuerit dicenda, erit sequens

Lectio ix

Cap. 25, alias 46 num. 7

NOS autem precámur non perseveráre eos in fóvea quam ipsi fodérunt,

sed legítime eos generári convérsos ad Ecclésiam Dei, et formári Christum in eis, et cognóscere eos fabricatórem et factórem hujus universitátis solum verum Deum et Dóminum ómnium. Hæc precámur de illis, utílius eos diligéntes quam ipsi semetípsos putant dilígere. Quæ enim est a nobis diléctio, cum sit vera, salutáris est eis, si quidem eam recípiant. Est enim austéro medicámini símilis, absúmens improbiórem ac supérfluam vúlneris carnem; elatiónem enim illórum et inflatiónem evácuat. Quaprópter tentántes omni virtúte manum porrígere eis, non tædébit nos.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Justus ut palma.

Ad Bened. Ant. Qui odit * ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

Oratio

DEus, qui beáto Irenæo Mártyri tuo atque Pontífici tribuísti, ut et veritáte doctrínæ expugnáret hæréses, et pacem Ecclésiæ felíciter confírmáret : da, quæsumus, plebi tuæ in sancta religióne constántiam; et pacem tuam nostris concéde tempóribus. Per Dóminum.

Deinde fit Commemoratio Octavæ S. Joannis :

Ant. Apértum est os Zacharíæ, et prophetávit dicens : Benedíctus Deus Israël.

℣. Iste puer magnus coram Dómino. ℟. Nam et manus ejus cum ipso est.

Oratio

DEus, qui præséntem diem honorábilem nobis in beáti Joánnis natívitáte fecísti : da pópulis tuis spirituálium grátiam gaudiórum; et ómnium fidélium mentes dírige in viam salútis ætérnæ. (Per Dóminum.)

Deinde Commemoratio Vigiliæ Ss. Petri et Pauli App. :

Antiphona et Versus de Feria occurrenti, ut in Psalterio.

Oratio

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus : ut nullis nos permíttas perturbatiónibus cóncuti; quos in apostólicæ confessiónis petra solidásti. Per Dóminum.

Vesperæ de sequenti sine ulla Commemoratione.

DIE 29 JUNII

Ss. Apostolorum Petri et Pauli

DUPLEX I CLASSIS CUM OCTAVA COMMUNI

Omnia de Communi Apostolorum [3], præter ea quæ hic habentur propria.

IN I VESPERIS

Ant. 1 Petrus et Joánnes * ascendébant in templum ad horam oratiónis nonam.

2 Argéntum et aurum * non est mihi : quod autem hábeo, hoc tibi do.

3 Dixit Angelus ad Petrum : * Circúmda tibi vestiméntum tuum, et séquere me.

4 Misit Dóminus * Angelum suum, et liberávit me de manu Heródis, allelúja.

5 Tu es Petrus, * et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam.

Capitulum Act. 12, 1-3

MIsit Heródes rex manus ut afflígeret quosdam de Ecclésia. Occídit autem Jacóbum fratrem Joánnis gládio. Videns autem quia placéret Judæis, appósuit ut apprehénderet et Petrum.

Hymnus

DEcóra lux ætérnitátis, áuream
Diem beátis irrigávit ignibus,
Apostolórum quæ corónat Príncipes,
Reisque in astra líberam pandit viam.

Mundi Magíster atque cæli Jánitor,
Romæ paréntes arbitrique géntium,
Per ensis ille, hic per crucis victor necem
Vitæ senátum laureáti póssident.

O Roma felix, quæ duórum Príncipum
Es consecráta glorióso sánguine!
Horum cruóre purpuráta céteras
Excéllis orbis una pulchritúdines.

Sit Trinitáti sempitérna glória,
Honor, potéstas atque jubilátio,
In unitáte, quæ gubérnat ómnia,
Per univérsa sæculórum sæcula. Amen.

℣. In omnem terram exivit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Ad Magnif. Ant. Tu es pastor óvium, * Princeps Apostolórum : tibi tráditæ sunt claves regni cælórum.

Oratio

DEus, qui hodiérnam diem Apostolórum tuórum Petri et Pauli martýrio consecrásti : da Ecclésiæ tuæ, eórum in ómnibus sequi præcéptum; per quos religiónis sumpsit exórdium. Per Dóminum.

Et non fit Commemoratio S. Pauli.

AD MATUTINUM

In I Nocturno

De Actibus Apostolórum

Lectio i Cap. 3, 1-16

PEtrus autem et Joánnes ascendébant in templum ad horam oratiónis nonam. Et quidam vir, qui erat claudus ex útero matris suæ, bajulabátur; quem ponébant quotídie ad portam templi, quæ dícitur Speciósa, ut péteret eleemósynam ab introeúntibus in templum. Is, cum vidísset Petrum et Joánnem incipiéntes introíre in templum, rogábat ut eleemósynam accíperet. Intuens autem in eum Petrus cum Joánne, dixit : Réspice in nos. At ille intendébat in eos, sperans se áliquid acceptúrum ab eis.

℟. Simon Petre, ántequam de navi vocárem te, novi te, et super plebem meam príncipem te constítui : * Et claves regni cælórum trádidi tibi. ℣. Quodcúmque ligáveris super terram, erit ligátum et in cælis; et quodcúmque sólveris super terram, erit solútum et in cælis. — Et.

Lectio ii

PEtrus autem dixit : Argéntum et aurum non est mihi : quod autem hábeo, hoc tibi do : In nómine Jesu Christi Nazaréni surge, et ámbula. Et, apprehénsa manu ejus déxtera, allevávit eum, et prótinus consolidátæ sunt bases ejus, et plantæ. Et exsíliens stetit, et ambulábat; et intrávit cum illis in templum ámbulans, et exsíliens, et laudans Deum. Et vidit omnis pópulus eum ambulántem, et laudántem Deum. Cognoscébant autem illum, quod ipse erat, qui ad eleemósynam sedébat ad Speciósam portam templi : et impléti sunt stupóre et éxtasi in eo, quod contígerat illi.

℟. Si díligis me, Simon Petre, pasce oves meas. Dómine, tu nosti, quia amo te, * Et ánimam meam pono pro te. ℣. Si oportúerit me mori tecum, non te negábo. — Et ánimam.

Lectio iii

CUM tenéret autem Petrum et Joánnem, cucúrrit omnis pópulus ad eos ad pórticum, quæ appellátur Salomónis, stupéntes. Videns autem Petrus, respóndit ad pópulum : Viri Israëlítæ, quid mirámini in hoc, aut nos quid intuémini, quasi nostra virtúte aut potestáte fecérimus hunc ambuláre? Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, Deus patrum nostrórum glorificávit Fílium suum Jesum, quem vos quidem tradidístis et negástis ante fáciem Piláti, judicánte illo dimítti. Vos autem Sanctum et Justum negástis, et petístis virum homicídam donári vobis : Auctórem vero vitæ interfecístis, quem Deus suscitávit a mórtuis, cujus nos testes sumus. Et in fide nóminis ejus, hunc, quem vos vidístis et nostis, confirmávit nomen ejus : et fides, quæ per eum est, dedit íntegram sanitátem istam in conspéctu ómnium vestrum.

℟. Tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam, et portæ ínferi non prævalébunt advérsus eam : * Et tibi dabo claves regni cælórum. ℣. Quodcúmque ligáveris super terram, erit ligátum et in cælis; et quodcúmque sólveris super terram, erit solútum et in cælis. — Et. Glória Patri. Et.

In II Nocturno

Sermo sancti Leónis Papæ

Sermo 1 in natali App. Petri et Pauli

Lectio iv

OMnium quidem sanctárum solemnitátum, dilectíssimi, totus mundus est párticeps, et unius fídei pietas éxigit, ut quidquid pro salúte universórum gestum recólitur, commúnibus ubíque gáudiis celebrétur. Verúmtamen hodiérna festívitas, præter illam reveréntiam quam toto terrárum orbe proméruit, speciáli et própria nostræ Urbis exsultatióne veneranda est; ut, ubi præcipuórum Apostolórum glorificátus est éxitus, ibi in die martýrii eórum sit lætítiæ principátus. Isti enim sunt viri, per quos tibi Evangélium Christi, Roma, resplénduit; et, quæ eras magístra erróris, facta es discípula veritátis.

℟. Dómine, si tu es, jube me veníre ad te super aquas. * Et exténdens manum apprehéndit eum, et dixit Jesus : Módicæ fídei, quare dubitásti? ℣. Cumque vidísset ventum válidum veniéntem, tímuit; et, cum cœpísset mergi, clamávit dicens : Dómine, salvum me fac. — Et.

Lectio v

ISti sunt patres tui verique pastóres, qui te regnis cæléstibus inseréndam multo mélius multóque felícius condidérunt, quam illi quorum stúdio prima mœnium tuórum fundaménta locáta sunt; ex quibus is qui tibi nomen dedit, fratérna te cæde fœdávit. Isti sunt, qui te ad hanc glóriam provexérunt, ut gens sancta, pópulus eléctus, cívitas sacerdotális et régia, per sacram beáti Petri Sedem caput orbis effécta, látius præsidéres religióne divína quam dominatióne terréna. Quamvis enim, multis aucta victóriis, jus impérii tui terra maríque protúleris; minus tamen est quod tibi béllicus labor súbdidit, quam quod pax christiána subjécit.

℟. Surge, Petre, et índue te vestiméntis tuis, áccipe fortitúdinem ad salvándas gentes : * Quia cecidérunt caténæ de mánibus tuis. ℣. Angelus Dómini ástitit, et lumen refúlsit in habitáculo cárceris, percussóque látere Petri, excitávit eum, dicens : Surge velóciter. — Quia.

Lectio vi

DIspósito namque divínitus óperi máxime congruébat, ut multa regna uno confœderaréntur império, et cito pérvios habéret pópulos prædicátio generális, quos unius teneret régimen civitátis. Hæc autem cívitas ignórans suæ provectiónis auctórem, cum pene ómnibus dominarétur géntibus, ómnium géntium serviébat erróribus; et, magnam sibi videbátur assumpsísse religiónem, quia nullam respúerat falsitátem. Unde, quantum erat per diábolum tenácius illigáta, tantum per Christum est mirabílius absolúta.

℟. Tu es pastor óvium, Princeps Apostolórum, tibi trádidit Deus ómnia regna mundi : * Et ídeo tibi tráditæ sunt claves regni cælórum. ℣. Quodcúmque ligáveris super terram, erit ligátum et in cælis; et quodcúmque sólveris super terram, erit solútum et in cælis.— Et. Glória. Et.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 16, 13-19

IN illo témpore : Venit Jesus in partes Cæsaréæ Philippi, et interrogábat discípulos suos, dicens : Quem dicunt hómines esse Fílium hóminis? Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbýteri

Liber 3 Comment. in Matth. cap. 16

QUlchre intérrogat : Quem dicunt hómines esse Fílium hóminis? quia qui de fílio hóminis loquúntur, hómines sunt; qui vero divinitátem ejus intélligunt, non hómines, sed dii appellántur. At illi dixérunt : Alii Joánnem Baptístam, álii autem Elíam. Miror quosdam intérpretes causas errórum inquírere singulórum, et disputatiónem longíssimam téxere, quare Dóminum nostrum Jesum Christum álii Joánnem putáverint, álii Elíam, álii Jeremíam aut unum ex prophétis; cum sic potúerint erráre in Elía et Jeremía, quo modo Heródes errávit in Joánne, dicens : Quem ego decollávi Joánnem, ipse surréxit a mórtuis, et virtútes operántur in eo.

℟. Ego pro te rogávi, Petre, ut non defíciat fides tua : * Et tu aliquándo convérsus confírma fratres tuos. ℣. Caro et sanguis non revelávit tibi, sed Pater meus, qui est in cælis. — Et.

Lectio viii

VOS autem quem me esse dícitis? Prudens lector, atténde quod, ex consequéntibus textúque sermónis, Apóstoli nequáquam hómines, sed dii appellántur. Cum enim dixísset : Quem dicunt hómines esse Fílium hóminis? subjécit : Vos autem quem me esse dícitis? Illis, quia hómines sunt, humána opinántibus, vos qui estis dii, quem me esse existimátis? Petrus ex persóna ómnium Apostolórum profitétur : Tu es Christus Fílius Dei vivi. Deum vivum appéllat, ad distinctiónem eórum deórum, qui putántur dii, sed mórtui sunt.

℟. Quem dicunt hómines esse Fílium hóminis? dixit Jesus discípulis suis. Respóndens Petrus dixit : Tu es Christus Fílius Dei vivi. * Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam. ℣. Beátus es, Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelávit tibi, sed Pater meus, qui est in cælis. — Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix

RESpóndens autem Jesus, dixit ei : Beátus es, Simon Bar-Jona. Testimónio de se Apóstoli

reddit vicem. Petrus díxerat : Tu es Christus Filius Dei vivi; mercédem recépit vera conféssio : Beátus es, Simon Bar-Jona. Quare? Quia non revelávit tibi caro et sanguis, sed revelávit Pater. Quod caro et sanguis revelare non pótuit, Spíritus Sancti grátia revelátum est. Ergo ex confessióne sortítur vocábulum, quod revelatiónem ex Spíritu Sancto hábeat, cujus et fílius appellándus sit. Síquidem Bar-Jona in nostra lingua sonat Fílius colúmbæ.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

et per Horas, Añæ

1 Petrus et Joánnes * ascendébant in templum ad horam oratiónis nonam.

2 Argéntum et aurum * non est mihi : quod autem hábeo, hoc tibi do.

3 Dixit Angelus ad Petrum : * Circúmda tibi vestiméntum tuum, et séquere me.

4 Misit Dóminus * Angelum suum, et liberávit me de manu Heródis, allelúja.

5 Tu es Petrus, * et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam.

Capitulum Act. 12, 1-3

MIsit Heródes rex manus ut afflígeret quosdam de Ecclésia. Occídit autem Jacóbum fratrem Joánnis gládio. Videns autem quia placéret Judæis, appósuit ut apprehénderet et Petrum.

Hymnus

BEáte Pastor, Petre, clemens áccipe
Voces precántum, crimináque víncula
Verbo resólve, cui potéstas trádita
Aperíre terris cælum, apértum cláudere.

Egrégie Doctor, Paule, mores ínstrue,
Et nostra tecum péctora in cælum trahe;
Veláta dum meridiem cernat fides,
Et solis instar sola regnet cáritas.

Sit Trinitáti sempitérna glória,
Honor, potéstas atque jubilátio,
In unitáte, quæ gubérnat ómnia,
Per univérsa æternitátis sæcula. Amen.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

Ad Bened. Ant. Quodcúmque * ligáveris super terram, erit ligátum et in cælis; et quodcúmque sólveris super terram, erit solútum et in cælis : dicit Dóminus Simóni Petro.

Oratio

DEus, qui hodiérnam diem Apostolórum tuórum Petri et Pauli martýrio consecrásti : da Ecclésiæ tuæ, eórum in ómnibus sequi præcéptum; per quos religiónis sumpsit exórdium. Per Dóminum.

AD PRIMAM

Ant. Petrus et Joánnes * ascendébant in templum ad horam oratiónis nonam.

AD TERTIAM

Ant. Argéntum et aurum * non est mihi : quod autem hábeo, hoc tibi do.

Capitulum Act. 12, 1-3

MIsit Heródes rex manus ut afflígeret quosdam de Ecclésia. Occídit autem Jacóbum fratrem Joánnis gládio. Videns autem quia placéret Judæis, appósuit ut apprehénderet et Petrum.

℟. br. In omnem terram * Exívit sonus eórum. In. ℣. Et in fines orbis terræ verba eórum. Exívit. Glória Patri. In.

℣. Constítues eos príncipes super omnem terram. ℟. Mémores erunt nóminis tui, Dómine.

AD SEXTAM

Ant. Dixit Angelus ad Petrum : * Circúmda tibi vestiméntum tuum, et séquere me.

Capitulum Act. 12, 5

PEtrus quidem servabátur in cárcere; orátio autem fiébat sine intermissióne ab Ecclésia ad Deum pro eo.

℟. br. Constítues eos príncipes * Super omnem terram. Constítues. ℣. Mémores erunt nóminis tui, Dómine. Super. Glória Patri. Constítues. ℣. Nimis honoráti sunt amici tui, Deus. ℟. Nimis confortátus est principátus eórum.

AD NONAM

Ant. Tu es Petrus, * et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam.

Capitulum Act. 12, 11

ET Petrus ad se revérsus dixit : Nunc scio vere quia misit Dóminus Angelum suum, et erípuit me de manu Heródis et de omni exspectatióne plebis Judæórum.

℟. br. Nimis honoráti sunt * Amíci tui, Deus. Nimis. ℣. Nimis confortátus est principátus eórum. Amíci. Glória Patri. Nimis honoráti. ℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

IN II VESPERIS

Antiphonæ et Psalmi de Communi [18]; Capitulum

Misit, et Hymnus Decóra lux, ut in I Vesperis. 676

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

Ad Magnif. Ant. Hódie * Simon Petrus ascéndit crucis patíbulum, allelúja : hódie claviculárius regni gaudens migrávit ad Christum : hódie Paulus Apóstolus, lumen orbis terræ, inclináto cápite, pro Christi nómine martýrio coronátus est, allelúja.

Et non fit Com. S. Pauli.

Ubi vero fit Officium S. Pauli in ecclesia propria vel hoc Festum extra diem suam celebretur :

IN I VESPERIS

Antiphonæ et Capitulum de Laudibus 694; Psalmi ut in I Vesperis de Communi App. [3]

Hymnus Egrégie Doctor, ut infra.

℣. Tu es vas electiónis, sancte Paule Apóstole. ℟. Prædicátor veritátis in univérso mundo.

Ad Magnif. Ant. Sancte Paule Apóstole, * prædicátor veritátis et doctor géntium, intercéde pro nobis ad Deum, qui te elégit.

Oratio

DEus, qui multitúdinem géntium beáti Pauli Apóstoli prædicatióne docuísti : da nobis, quæsumus; ut, cujus natalítia cólimus; ejus apud te patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Petri Ap. tantum ut infra ad Laudes.

Completorium de Dominica.

Die 30 Junii

In Commemoratione S. Pauli Apostoli

Duplex majus

Omnia de Communi Apostolorum [3], præter ea, quæ hic habentur propria.

AD MATUTINUM

Invit. Regem Apostolórum Dóminum, * Veníte, adorémus. Ps. 94 Veníte, exsultémus.

Hymnus

GRégie Doctor, Paule, mores ínstrue,
Et nostra tecum péctora in cælum trahe;
Veláta dum meridiem cernat fides,
Et solis instar sola regnet cáritas.
Sit Trinitáti sempitérna glória,
Honor, potéstas atque jubilátio,
In unitáte, quæ gubérnat ómnia,
Per univérsa ætérnitátis sæcula. Amen.

In I Nocturno

Ant. Qui operátus est * Petro in apostolátum, operátus est et mihi inter gentes : et cognovérunt grátiam, quæ data est mihi a Christo Dómino.

Psalmus 18

Æli enárrant glóriam Dei, * et ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum, * et nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ, neque sermónes, * quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum : * et in fines orbis terræ verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum : * et ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo :

Exsultávit ut gigas ad curréndam viam, * a summo cælo egréssio ejus :

Et occúrsus ejus usque ad summum ejus : * nec est qui se abscóndat a calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta, convértens ánimas : * testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

Justitiæ Dómini rectæ, lætificántes corda : * præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in sæculum sæculi : * judícia Dómini vera, justificáta in semetípsa.

Desiderabília super aurum et lápidem pretiósum multum : * et dulcióra super mel et favum.

Etenim servus tuus custódit ea, * in custodiéndis illis retribútio multa.

Delicta quis intélligit? ab occúltis meis munda me : * et ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint dominnáti, tunc immaculátus ero : * et emundábor a delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei : * et meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Dómine, adjútor meus, * et redémptor meus.

Ant. Qui operátus est Petro in apostolátum, operátus est et mihi inter gentes : et cognovérunt grátiam, quæ data est mihi a Christo Dómino.

Ant. Scio cui crédidi, * et certus sum quia potens est depósitum meum serváre in illum diem justus judex.

Psalmus 33

BEnedícam Dóminum in omni témpore : * semper laus ejus in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea : * áudiant mansuéti, et læténtur.

Magnificáte Dóminum mecum : * et exaltémus nomen ejus in idipsum.

Exquisivi Dóminum, et exaudívit me : * et ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

Accédite ad eum, et illuminámini : * et fácies vestræ non confundéntur.

Iste pauper clamávit, et Dóminus exaudívit eum : * et de ómnibus tribulatiónibus ejus salvávit eum.

Immíttet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum : * et erípiet eos.

Gustáte, et vidéte quóniam suávis est Dóminus : * beátus vir, qui sperat in eo.

Timéte Dóminum, omnes sancti ejus : * quóniam non est inópia timéntibus eum.

Divites eguérunt et esuriérunt : * inquiréntes autem Dóminum non minuéntur omni bono.

Veníte, fílii, audíte me : * timórem Dómini docébo vos.

Quis est homo qui vult vitam : * diligit dies vidére bonos?

Próhibe linguam tuam a malo : * et lábia tua ne loquántur dolum.

Divérte a malo, et fac bonum : * inquíre pacem, et perséquere eam.

Oculi Dómini super justos : * et aures ejus in preces eórum.

Vultus autem Dómini super faciéntes mala : * ut perdat de terra memóriam eórum.

Clamavérunt justi, et Dóminus exaudívit eos : * et ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Juxta est Dóminus iis, qui tribuláto sunt corde : * et húmiles spíritu salvábit.

Multæ tribulatiónes justórum : * et de ómnibus his liberábit eos Dóminus.

Custódit Dóminus ómnia ossa eórum : * unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péssima : * et qui odérunt justum, delínquent.

Rédimet Dóminus ánimas servórum suórum : * et non delínquent omnes qui sperant in eo.

Ant. Scio cui crédidi, et certus sum quia potens est depósitum meum serváre in illum diem justus judex.

Ant. Mihi vívere Christus est, * et mori lucrum : gloriári me opórtet in cruce Dómini nostri Jesu Christi.

Psalmus 44

GRuctávit cor meum verbum bonum : * dico ego ópera mea Regi.

Lingua mea cálamus scribæ, * velóciter scribéntis.

Speciósus forma præ fíliis hóminum, diffúsa est

grátia in lábiis tuis : * proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum, * potentíssime.

Spécie tua et pulchritúdine tua * inténde, próspere procéde, et regna.

Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagíttæ tuæ acútæ, pópuli sub te cadent, * in corda inimicórum Regis.

Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi : * virga directiónis virga regni tui.

Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * propterea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha, et gutta, et cásia a vestiméntis tuis, a dómibus ebúrneis : * ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo.

Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto : * circúmdata varietáte.

Audi, fília, et vide, et inclína aurem tuam : * et oblivíscere pópulum tuum, et domum patris tui.

Et concupíscet Rex decórem tuum : * quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, et adorábunt eum.

Et fíliæ Tyri in munéribus * vultum tuum deprecabúntur : omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus fíliæ Regis ab intus, * in fímbriis áureis circumamícta varietátibus.

Adducéntur Regi vírgines post eam : * próximæ ejus afferéntur tibi.

Afferéntur in lætítia et exsultatióne : * adducéntur in templum Regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii : * constítues eos príncipes super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui : * in omni generatióne et generatiónem.

Proptérea pópuli confitebúntur tibi in ætérnum : * et in sæculum sæculi.

Ant. Mihi vívere Christus est, et mori lucrum : gloriári me opórtet in cruce Dómini nostri Jesu Christi.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

De Actibus Apostolórum

Lectio i Cap. 13, 1-13

ℑRant autem in Eclésia quæ erat Antiochíæ, prophétæ et doctóres, in quibus Bárnabas et Simon, qui vocabátur Niger, et Lúcius Cyrenénsis et Mánahem, qui erat Heródis Tetrárchæ collactáneus, et Saulus. Ministrántibus autem illis Dómino et jejunántibus, dixit illis Spíritus Sanctus : Segregáte mihi Saulum et Bárnabam, in opus ad quod assúmpsi eos. Tunc jejunántes et oránte imponentésque eis manus dimisérunt illos. Et ipsi quidem missi a Spíritu Sancto abiérunt Seleuciam et inde navigavérunt Cyprum.

℟. Qui operátus est Petro in apostolátum, operátus est et mihi inter Gentes : * Et cognovérunt grátiam Dei, quæ data est mihi. ℣. Grátia Dei in me vácua non fuit, sed grátia ejus semper in me manet. — Et.

Lectio ii

ℭT, cum veníssent Salamínam, prædicábant verbum Dei in synagógis Judæórum; habébant autem et Joánnem in ministério. Et, cum perambulássent univérsam ínsulam usque Paphum, invenérunt quemdam virum magum pseudoprophétam Judæum, cui nomen erat Barjésu, qui erat cum procónsule Sérgio Paulo, viro prudénte. Hic, accersítis Bárnaba et Saulo, desiderábat audíre verbum Dei. Resistébat autem illis Elymas magus (sic enim interpretátur nomen ejus) quærens avértere procónsulem a fide.

℟. Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi : * Ideóque repósita est mihi coróna justítiæ. ℣. Scio cui crédidi, et certus sum quia potens est depósitum meum serváre in illum diem. — Ideóque.

Lectio iii

ℑAulus autem, qui et Paulus, replétus Spíritu Sancto, íntuens in eum dixit : O plene omni dolo et omni fallácia, fili diáboli, inimíce omnis justítiæ, non désinis subvértere vias Dómini rectas? Et nunc, ecce manus Dómini super te, et eris cæcus non videns solem usque ad tempus. Et confestim cécidit in eum calígo et ténebræ, et circúiens quærébat qui ei manum daret. Tunc procónsul, cum vidísset factum, crédidit admírans super doctrina Dómini. Et, cum a Papho navigássent, Paulus et qui cum eo erant venérunt Pergen Pamphýliæ; Joánnes autem discédens ab eis revérsus est Jerosólymam.

℟. Repósita est mihi coróna justítiæ, * Quam reddet mihi Dóminus in illum diem justus judex. ℣. Scio cui crédidi, et certus sum quia potens est depósitum meum serváre in illum diem. — Quam reddet mihi Dóminus in illum diem justus judex. Glória Patri. Quam.

In II Nocturno

Ant. Tu es vas electiónis, * sancte Paule Apóstole, prædicátor veritátis in univérso mundo.

Psalmus 46

ℑMnes Gentes, pláudite mánibus : * jubiláte Deo in voce exsultatiónis.

Quóniam Dóminus excélsus, terríbilis : * Rex magnus super omnem terram.

Subjécit pópulos nobis : * et gentes sub pédibus nostris.

Elégit nobis hereditátem suam : * spéciem Jacob, quam diléxit.

Ascéndit Deus in júbilo : * et Dóminus in voce tubæ.

Psállite Deo nostro, psállite : * psállite Regi nostro, psállite.

Quóniam Rex omnis terræ Deus : * psállite sapiénter.

Regnábit Deus super gentes : * Deus sedet super sedem sanctam suam.

Príncipes populórum congregáti sunt cum Deo Abraham : * quóniam dii fortes terræ veheménter eleváti sunt.

Ant. Tu es vas electiónis, sancte Paule Apóstole, prædicátor veritátis in univérso mundo.

Ant. Magnus sanctus Paulus * vas electiónis, vere digne est glorificándus, qui et méruit thronum duodécimum possidére.

Psalmus 60

ℭXáudi, Deus, deprecatiónem meam : * inténde oratióni meæ.

A fínibus terræ ad te clamávi : * dum anxiarétur cor meum, in petra exaltásti me.

Deduxísti me, quia factus es spes mea : * turris fortitúdinis a fácie inimíci.

Inhabitábo in tabernáculo tuo in sæcula : * protégar in velaménto alárum tuárum.

Quóniam tu, Deus meus, exaudísti oratiónem meam : * dedísti hereditátem timéntibus nomen tuum.

Dies super dies regis adjícies : * annos ejus usque in diem generatiónis et generatiónis.

Pérmanet in ætérnum in conspéctu Dei : * misericórdiam et veritátem ejus quis requíret?

Sic psalmum dicam nómini tuo in sæculum sæ-

culi : * ut reddam vota mea de die in diem.

Ant. Magnus sanctus Paulus, vas electiónis, vere digne est glorificándus, qui et méruit thronum duodécimum possidére.

Ant. Bonum certámen * certávi, cursum consummávi, fidem servávi.

Psalmus 63

EXáudi, Deus, oratiónem meam cum déprecor : * a timóre inimíci éripe ánimam meam.

Protexísti me a convéntu malignántium : * a multitúdine operántium iniquitátem.

Quia exacuérunt ut gládium linguas suas : * intendérunt arcum rem amáram, ut sagíttent in occúltis immaculátum.

Súbito sagittábunt eum, et non timébunt : * firmavérunt sibi sermónem nequam.

Narravérunt ut abscónderent láqueos : * dixérunt : Quis vidébit eos?

Scrutáti sunt iniquitátes : * defecérunt scrutántes scrutínio.

Accédet homo ad cor altum : * et exaltábitur Deus.

Sagíttæ parvulórum factæ sunt plagæ eórum : * et infirmátæ sunt contra eos linguæ eórum.

Conturbáti sunt omnes qui vidébant eos : * et tímuit omnis homo.

Et annuntiavérunt ópera Dei, * et facta ejus intellexérunt.

Lætábitur justus in Dómino, et sperábit in eo, * et laudabúntur omnes recti corde.

Ant. Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi.

℣. Constítues eos príncipes super omnem terram.
℟. Mémores erunt nóminis tui, Dómine.

¶ Pro hoc Festo simplificato Lectio iv dicitur ut ix.

Ex libro sancti Augustíni Epíscopi de grátia et líbero arbítrio

Lectio iv Cap. 6-7

PÓstolus Paulus, quem certe invénimus sine ullis méritis bonis, immo cum multis méritis malis, Dei grátiam consecútum, redditis bona pro malis, videámus quid dicat, sua jam propinquánte passióne, scribens ad Timótheum : Ego enim jam immolor, inquit, et tempus resolutiónis meæ instat. Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi. Ista útique jam mérita sua bona commémorat; ut post bona mérita consequátur co-

rónam, qui post mérita mala consecútus est grátiam. Dénique atténdite quid sequátur : Súperest, inquit, mihi coróna justítiæ, quam reddet mihi Dóminus in illa die justus judex. Cui rédderet corónam justus judex, si non donásset grátiam miséricors Pater? Et quómodo esset ista coróna justítiæ, nisi præcessísset grátia, quæ justíficat impium? Quómodo ista débita rederétur nisi prius illa gratuita donarétur?

℟. Tu es vas electiónis, sancte Paule Apóstole, prædicátor veritátis in univérso mundo : * Per quem omnes Gentes cognovérunt grátiam Dei. ℣. Intercéde pro nobis ad Deum, qui te elégit. — Per.

Lectio v

PRoínde considerémus ipsa mérita Apóstoli Pauli, quibus dixit corónam redditúrum júdicem justum, et videámus utrum mérita ipsíus, tamquam ipsíus, id est, ex ipso ei comparáta, an dona sint Dei. Bonum, inquit, certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi. Primo ista bona ópera, si non ea præcessíssent cogitatiónes bonæ, nulla essent. Atténdite ítaque quid de ipsis cogitatiónibus dicat; ait enim scribens ad Corínthios : Non quia idónei sumus cogitáre áliquid a nobis, tamquam a nobismetípsis; sed sufficiéntia nostra ex Deo est. Deínde síngula inspiciámus.

℟. Grátia Dei sum id quod sum : * Et grátia ejus in me vácua non fuit, sed semper in me manet. ℣. Qui operátus est Petro in apostolátum, operátus est et mihi inter Gentes. — Et.

Lectio vi

BOnum, inquit, certámen certávi. Quæro qua virtúte certáverit, utrum quæ illi ex semetípso fúerit, an quæ désuper data sit? Sed absit ut tantus doctor ignoráverit legem Dei, cujus vox est in Deuteronómio : Ne dicas in corde tuo : Fortitúdo mea et poténtia manus meæ fecit mihi virtútem magnam hanc; sed memoráberis Dómini, Dei tui, quia ipse tibi dat fortitúdinem fácere virtútem. Quid autem prodest bonum certámen, nisi sequátur victória? Et quis dat victóriam, nisi ille, de quo dicit ipse : Grátias Deo, qui dat nobis victóriam per Dóminum nostrum Jesum Christum?

℟. Saulus, qui et Paulus, magnus prædicátor, * A Deo confortátus convalescébat, et confundébat Judæos. ℣. Osténdens quia hic est Christus, Fílius Dei. — A Deo. Glória Patri. A Deo.

In III Nocturno

Ant. Saulus, qui et Paulus, * magnus prædicátor, a Deo confortátus convalescébat, et confundébat Judæos.

Psalmus 74

COnfitébimur tibi, Deus : * confitébimur, et invocábimus nomen tuum.

Narrábimus mirabília tua : * cum accépero tempus, ego justítias judicábo.

Liquefácta est terra, et omnes qui hábitant in ea : * ego confirmávi colúmnas ejus.

Dixi iníquis : Nolíte iníque ágere : * et delinquéntibus : Nolíte exaltáre cornu :

Nolíte extóllere in altum cornu vestrum : * nolíte loqui advérsus Deum iniquitátem.

Quia neque ab Oriénte, neque ab Occidénte, neque a desértis móntibus : * quóniam Deus judex est.

Hunc humiliat, et hunc exáltat : * quia calix in manu Dómini vini meri plenus misto.

Et inclinávit ex hoc in hoc : verúmtamen fæx ejus non est exinaníta : * bibent omnes peccatóres terræ.

Ego autem annuntiábo in sæculum : * cantábo Deo Jacob.

Et ómnia córnua peccatórum confríngam : * et exaltabúntur córnua justi.

Ant. Saulus, qui et Paulus, magnus prædicátor, a Deo confortátus convalescébat, et confundébat Judæos.

Ant. Ne magnitúdo * revelatiónum extóllat me, datus est mihi stímulus carnis meæ, ángelus sátanæ, qui me colaphízet; propter quod ter Dóminum rogávi ut auferrétur a me, et dixit mihi Dóminus : Súfficit tibi, Paule, grátia mea.

Psalmus 96

DOminus regnávit, exsúltet terra : * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes, et calígo in circúitu ejus : * justítia, et judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet, * et inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ : * vidit, et commóta est terra.

Montes, sicut cera fluxérunt a fácie Dómini : *

a fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cæli justítiam ejus : * et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes, qui adórant sculptília : * et qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum, omnes Angeli ejus : * audívit, et lætáta est Sion.

Et exsultavérunt fíliæ Judæ, propter judícia tua, Dómine :

Quóniam tu Dóminus Altíssimus super omnem terram : * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui diligitis Dóminum, odite malum : * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde lætítia.

Lætámini, justi, in Dómino : * et confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

Ant. Ne magnitúdo revelatiónum extóllat me, datus est mihi stímulus carnis meæ, ángelus sátanæ, qui me colaphízet; propter quod ter Dóminum rogávi ut auferrétur a me, et dixit mihi Dóminus : Súfficit tibi, Paule, grátia mea.

Ant. Repósita est mihi * coróna justítiæ, quam reddet mihi Dóminus in illa die justus judex.

Psalmus 98

DOminus regnávit, irascántur pópuli : * qui sedet super Chérubim, moveátur terra.

Dóminus in Sion magnus : * et excélsus super omnes pópulos.

Confiteántur nómini tuo magno : quóniam terríbile, et sanctum est : * et honor regis judícium díligit.

Tu parásti directiónes : * judícium et justítiam in Jacob tu fecísti.

Exaltáte Dóminum, Deum nostrum, et adoráte scabéllum pedum ejus : * quóniam sanctum est.

Móyses et Aaron in sacerdótibus ejus : * et Sámuel inter eos, qui invocant nomen ejus.

Invocábant Dóminum, et ipse exaudiébat eos : * in colúmna nubis loquebátur ad eos.

Custodiébant testimónia ejus, * et præcéptum quod dedit illis.

Dómine, Deus noster, tu exaudiébas eos : * Deus, tu propítius fuísti eis, et ulcíscens in omnes adinventiónes eórum.

Exaltáte Dóminum Deum nostrum, et adoráte in monte sancto ejus : * quóniam sanctus Dóminus, Deus noster.

Ant. Repósita est mihi coróna justítiæ, quam reddet mihi Dóminus in illa die justus judex.

℣. Nimis honoráti sunt amíci tui, Deus. ℟. Nimis confortátus est principátus eórum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 10, 16-22

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum. Et réliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi

Homilia 34 in Matth., longe post initium

SIC dícere vidétur : Nolíte turbári, si, cum vos inter lupos mitto, tamquam oves et colúmbas esse júbeo. Nam, etsi possum contrárium quoque præstáre, et non permíttere ut grave áliquid patiámini, nec lupis tamquam oves subjécti sitis, sed effícere ut leónibus terribilióres evadátis; tamen sic éxpedit fíeri : hoc et vos quoque illustrióres fáciet, et meam declarábit virtútem. Sic enim póstea dixit Paulo : Súfficit tibi grátia mea, nam virtus mea in infirmitáte perfícitur. Ipse ígitur vos ut tales essétis feci.

℟. Sancte Paule Apóstole, prædicátor veritátis et doctor géntium, * Intercéde pro nobis ad Deum, qui te elégit, ut digni efficiámur grátia Dei. ℣. Tu es vas electiónis, sancte Paule Apóstole, prædicátor veritátis. — Intercéde.

Lectio viii

SED inspiciámus quam prudéntiam éxigit : serpéntis certe. Nam, quemádmodum serpens totum seípsum tradit, nec mínimum curat si ipsum quoque corpus incídi necésse sit, dúmmodo caput suum íntegrum servet; eódem tu quoque modo, præter fidem cétera pérdere non cures, sive pecúnias, sive corpus, sive étiam vitam ipsam profúndere necésse sit. Fides enim caput est et radix; qua serváta, etiámsi ómnia perdas, ómnia tamen rursus majóre cum glória recuperábis. Idcírco nec símplices solum jussit esse, nec prudéntes solum; sed ambo hæc in unum míscuit, ut ea in virtútem convertántur.

℟. Damásci, præpósitus gentis Arétæ regis vóluit me compreléndere : * Et a frátribus per murum demíssus sum in sporta, * Et sic evási manus ejus in nómine Dómini. ℣. Deus et Pater Dómini nostri Jesu Christi scit quia non méntior. — Et a frátribus per murum demíssus sum in sporta. Glória Patri. Et sic evási manus ejus in nómine Dómini.

Lectio ix

QUod si rebus ipsis id ita fíeri vidére desíderas, lege Actuum Apostolórum librum; perspícies profécto, cum sæpe Judæórum pópulus in Apóstolos insurréxerit ac dentes exacúerit, illos, colúmbæ simplicitátem imitándo et cum decénti modéstia respondéndo, iram ipsórum superásse, furórem exstinxísse, ímpetum retardásse. Nam, cum illi dícerent : Nonne præcipiéndo præcépimus vobis, ne docerétis in nómine isto? quamvis innúmera possent édere miracula, nihil tamen ásperum neque dixérunt neque fecérunt; sed summa cum mansuetúdine respondéntes dicébant : Si justum est vos audíre magis quam Deum, judicáte. Perspexísti simplicitátem colúmbæ, vide nunc serpéntis prudéntiam : Non enim póssumus, ínquiunt, nos quæ vídimus et audívimus, non loqui. Te Deum.

AD LAUDES

et per Horas, Añæ

1 Ego plantávi, * Apóllo rigávit, Deus autem increméntum dedit, allelúja.

2 Libénter gloriábor * in infirmitátibus meis, ut inhábitet in me virtus Christi.

3 Grátia Dei * in me vácua non fuit, sed grátia ejus semper in me manet.

4 Damásci, præpósitus * gentis Arétæ regis vóluit me compreléndere : a frátribus per murum demíssus sum in sporta, et sic evási manus ejus in nómine Dómini.

5 Ter virgis cæsus sum, * semel lapidátus sum, ter naufrágium pértuli pro Christi nómine.

Capitulum 2 Tim. 4, 7-8

BOnum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi. In réliquo repósita est mihi coróna justítiæ, quam reddet mihi Dóminus in illa die justus judex.

Hymnus

EXsúltet orbis gáudiis,
Cælum resúltet láudibus :
Apostolórum glóriam
Tellus et astra cóncinunt.

Vos, sæculórum júdices,
Et vera mundi lúmina,
Votis precámur córdium :
Audíte voces súpplicum.

Qui templa cæli cláuditis
Serásque verbo sólvitis,
Nos a reátu nóxios
Solvi jubéte, quæsumus.

Præcépta quorum prótinus
Languor salúsque séntiunt,
Sanáte mentes lánguidas,
Augéte nos virtútibus :

Ut, cum redíbit árbiter
In fine Christus sæculi,
Nos sempitérni gáudii
Concédat esse cómpotes.

* Patri, simúlque Fílio,
Tibíque, Sancte Spíritus,
Sicut fuit, sit júgiter
Sæclum per omne glória.
Amen.

℣. Tu es vas electiónis, sancte Paule Apóstole. ℟. Prædicátor veritátis in univérso mundo.

Ad Bened. Ant. Vos qui secúti estis me, * sedébitis super sedes, judicántes duódecim tribus Israël, dicit Dóminus.

Oratio

DEus, qui multitúdinem géntium beáti Pauli Apóstoli prædicatióne docuísti : da nobis, quæsumus; ut, cujus natalítia cólimus, ejus apud te patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Petri Ap. ante omnes alias Commemorationes :

Ant. Tu es pastor óvium, Princeps Apostolórum, tibi tráditæ sunt claves regni cælórum.

℣. Tu es Petrus. ℟. Et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam.

Oratio

DEus, qui beáto Petro Apóstolo tuo, collátis clávibus regni cæléstis, ligándi atque solvéndi pontifícium tradidísti : concéde; ut intercessiónis ejus auxílio, a peccatórum nostrórum néxibus liberémur. (Qui vivis et regnas.)

Deinde Commem. Octavæ S. Joannis :

Ant. Apértum est os Zachariæ, et prophetávit dicens : Benedíctus Deus Israël.

℣. Iste puer magnus coram Dómino. ℟. Nam et manus ejus cum ipso est.

Oratio

DEus, qui præséntem diem honorábilem nobis in beáti Joánnis nativitáte fecísti : da pópulis tuis spirituálium grátiam gaudiórum; et ómnium fidélium mentes dírige in viam salútis ætérnæ. Per Dóminum.

AD TERTIAM

Capit. Bonum certámen. 694

℟. br. In omnem terram * Exívit sonus eórum. In. ℣. Et in fines orbis terræ verba eórum. Exívit. Glória Patri. In.

℣. Constitues eos príncipes super omnem terram. ℟. Mémores erunt nóminis tui, Dómine.

Oratio

DEus, qui multitúdinem géntium beáti Pauli Apóstoli prædicatióne docuísti : da nobis, quæsumus; ut, cujus natalítia cólimus, ejus apud te patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

AD SEXTAM

Ant. Grátia Dei * in me vácua non fuit, sed grátia ejus semper in me manet.

Capit. 2 Cor. 12, 7-9

NE magnitúdo revelatiónum extóllat me, datus est mihi stímulus carnis meæ, ángelus sátanæ, qui me colaphízet : propter quod ter Dóminum rogávi ut discéderet a me, et dixit mihi : Súfficit tibi grátia mea.

℟. br. Constitues eos príncipes * Super omnem terram. Constítues. ℣. Mémores erunt nóminis tui, Dómine. Super. Glória Patri. Constitues.

℣. Nimis honoráti sunt amíci tui, Deus. ℟. Nimis confortátus est principátus eórum.

AD NONAM

Ant. Ter virgis cæsus sum, * semel lapidátus sum, ter naufrágium pértuli pro Christi nómine.

Capit. 1 Cor. 15, 9-10

EGO enim sum minimus Apostolórum, qui non sum dignus vocári Apóstolus, quóniam persecútus sum Ecclésiam Dei. Grátia autem Dei sum id quod sum, et grátia ejus in me vácua non fuit.

℟. br. Nimis honoráti sunt * Amici tui, Deus. Nimis. ℣. Nimis confortátus est principátus eórum. Amici. Glória Patri. Nimis honoráti.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

Vesperæ de sequenti, sine ulla Commemoratione.

¶ Sicubi tamen II Vesperæ S. Pauli dicendæ sint integræ, Antiphonæ et Psalmi sumuntur de Communi App. [18]; Capitulum, Hymnus, Versus, Ant. ad Magnificat et Commemoratio S. Petri ut in I Vesperis. 683

Et Completorium dicitur de Dominica.

Infra Octavam Ss. Petri et Pauli App.

Antiphonæ et Psalmi ad omnes Horas et Versus Nocturnorum de occurrenti hebdomadæ die, ut in Psalterio; reliqua de Communi præter Lectiones, quæ in I Nocturno dicuntur de Scriptura occurrenti cum suis Responsoriis de Tempore, in II et III ut suo loco assignantur, et Versus ad Laudes et Vesperas necnon Antiphonas ad Benedictus et Magnificat, quæ etiam pro Octavæ Commemoratione quotidie adhibentur, ut sequitur :

IN UTRISQUE VESPERIS

℣. Constítues eos príncipes super omnem terram. ℟. Mémores erunt nóminis tui, Dómine.

Ad Magnif. Ant. Petrus Apóstolus * et Paulus Doctor géntium, ipsi nos docuérunt legem tuam, Dómine.

Oratio

DEus, qui hodiérnam diem Apostolórum tuórum Petri et Pauli martýrio consecrásti : da Ecclésiæ tuæ, eórum in ómnibus sequi præcéptum; per quos religiónis sumpsit exórdium. Per Dóminum.

AD LAUDES

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Ad Bened. Ant. Gloriósi Príncipes terræ, * quómodo in vita sua dilexérunt se, ita et in morte non sunt separáti.

FESTA JULII

DIE 1 JULII

Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C.

DUPLEX I CLASSIS

IN I VESPERIS

Ant. 1 Quis est iste * qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? iste formósus in stola sua.

Psalmi de Dominica 57, sed loco ultimi Ps. 116 Laudáte Dóminum, omnes gentes. 74

2 Ego * qui loquor justítiam et propugnátor sum ad salvándum.

3 Vestítus erat * veste aspérsa sánguine, et vocátur nomen ejus Verbum Dei.

4 Quare ergo * rubrum est induméntum tuum, et vestiménta tua sicut calcántium in torculári?

5 Tórcular * calcávi solus, et de géntibus non est vir mecum.

In II Vesperis

Psalmus 147

LAuda, Jerúsalem, Dóminum : * lauda Deum tuum, Sion.

Quóniam confortávit seras portárum tuárum : * benedíxit fíliis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pacem : * et ádipe fruménti sátiat te.

Qui emíttit elóquium suum terræ : * velóciter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam : * nébulam sicut cínerem spargit.

Mittit crystállum suam sicut buccéllas : * ante fáciem frígoris ejus quis sustinébit?

Emíttet verbum suum, et liquefáciet ea : * flabit spíritus ejus, et fluent aquæ.

Qui annúntiat verbum suum Jacob : * justítias, et judícia sua Israël.

Non fecit táliter omni natióni : * et judícia sua non manifestávit eis.

Ant. Tórcular calcávi solus, et de géntibus non est vir mecum.

Capit. Hebr. 9, 11-12

FRatres : Christus assístens Póntifex futurórum bonórum, per ámplius et perféctius tabernáculum non manufáctum, id est, non hujus creatiónis : neque per sánguinem hircórum aut vitulórum, sed per próprium sánguinem introívit semel in Sancta, ætérna redemptióne invénta.

Hymnus

FEstívis résonant cómpita vócibus,
Cives lætítiam fróntibus éxplicent,
Tædis flammíferis órdine pródeant
Instrúcti púeri et senes.

Quem dura móriens Christus in árbore
Fudit multíplici vúlnere sánguinem,
Nos facti mémores dum cólimus, decet
Saltem fúndere lácrimas.

Humáno géneri pernícies gravis
Adámi véteris crímine cóntigit :
Adámi intégritas et pietas novi
Vitam réddidit ómnibus.

Clamórem válidum summus ab æthere
Languéntis Géniti si Pater áudiit,
Placári pótius sánguine débuit,
Et nobis véniam dare.

Hoc quicúmque stolam sánguine próluit,
Abstérgit máculas; et róseum decus,
Quo fiat símilis prótinus Angelis
Et Regi pláceat, capit.

A recto instábilis trámite póstmodum
Se nullus rétrahat, meta sed última
Tangátur; tríbuet nóbile prǽmium,
Qui cursum Deus ádjuvat.

Nobis propítius sis, Génitor potens,
Ut, quos unígenæ sánguine Fílii
Emísti, et plácido Flámine récreas,
Cæli ad cúlmina tránsferas. Amen.

℣. Redemísti nos, Dómine, in sánguine suo. ℟. Et fecísti nos Deo nostro regnum.

Ad Magnif. Ant. Accessístis * ad Sion montem, et civitátem Dei vivéntis, Jerúsalem cæléstem, et Testaménti novi mediatórem Jesum, et sánguinis aspersiónem mélius loquéntem quam Abel.

In II Vesperis

℣. Te ergo quæsumus, tuis fámulis súbveni. ℟. Quos pretióso sánguine redemísti.

Ad Magnif. Ant. Habébitis autem * hunc diem in monuméntum : et celebrábitis eum solémnem Dómino in generatiónibus vestris cultu sempitérno.

Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, qui unigénitum Fílium tuum mundi Redemptórem constituísti, ac ejus Sánguine placári voluísti: concéde, quæsumus, salútis nostræ prétium solémni cultu ita venerári, atque a præséntis vitæ malis ejus virtúte defendi in terris; ut fructu perpétuo lætémur in cælis. Per eúmdem Dóminum.

Completorium de Dominica.

AD MATUTINUM

Invit. Christum Dei Fílium, qui suo nos redémit sánguine, * Veníte, adorémus. Ps. 94 Veníte, exsultémus.

Hymnus

IRA justa Conditóris,
Imbre aquárum víndice,
Criminósum mersit orbem
Noë in arca sóspite :
Mira tandem vis amóris
Lavit orbem sánguine.

Tam salúbri terra felix
Irrigáta plúvia,
Ante spinas quæ scatébat,
Germinávit flósculos;
Inque néctaris sapórem
Transiére absínthia.

Triste prótinus venénum
Dirus anguis pósuit,
Et cruénta belluárum
Désiit ferócia :
Mitis Agni vulneráti
Hæc fuit victória.

O sciéntiæ supérnæ
Altitúdo impérvia!
O suávitas benígni
Prædicánda péctoris!
Servus erat morte dignus,
Rex luit pœnam óptimus.

Quando culpis provocámus
Ultiónem Júdicis,
Tunc loquéntis protegámur
Sánguinis præséntia;
Ingruéntium malórum
Tunc recédant ágmina.

Te redémptus laudet orbis
Grata servans múnera,
O salútis sempitérnæ
Dux et Auctor ínclyte,
Qui tenes beáta regna
Cum Parénte et Spíritu.
Amen.

In I Nocturno

Ant. Postquam consummáti sunt * dies octo, ut circumciderétur Puer, vocátum est nomen ejus Jesus.

Psalmus 2

Uare fremuérunt gentes, * et pópuli meditáti sunt inánia?

Astitérunt reges terræ, et príncipes convenérunt in unum * advérsus Dóminum, et advérsus Christum ejus.

Dirumpámus vincula eórum : * et projiciámus a nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in cælis, irridébit eos : * et Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua, * et in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * prædicans præcéptum ejus.

Dóminus dixit ad me : * Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Póstula a me, et dabo tibi gentes hereditátem tuam, * et possessiónem tuam términos terræ.

Reges eos in virga férrea, * et tamquam vas fíguli confrínges eos.

Et nunc, reges, intellígite : * erudímini, qui judicátis terram.

Servíte Dómino in timóre : * et exsultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplínam, nequándo irascátur Dóminus, * et pereátis de via justa.

Cum exárserit in brevi ira ejus, * beáti omnes qui confídunt in eo.

Ant. Postquam consummáti sunt dies octo, ut circumciderétur Puer, vocátum est nomen ejus Jesus.

Ant. Factus in agonía * prolíxius orábat, et factus est sudor ejus sicut guttæ sánguinis decurréntis in terram.

Psalmus 3

DOmine, quid multiplicáti sunt qui tribulant me? * multi insúrgunt advérsum me.

Multi dicunt ánimæ meæ : * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem, Dómine, suscéptor meus es, * glória mea, et exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum clamávi : * et exaudívit me de monte sancto suo.

Ego dormivi, et soporátus sum : * et exsurréxi, quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me : * exsúrge, Dómine, salvum me fac, Deus meus.

Quóniam tu percussísti omnes adversántes mihi sine causa : * dentes peccatórum contrivísti.

Dómini est salus : * et super pópulum tuum benedíctio tua.

Ant. Factus in agonía prolíxius orábat, et factus est sudor ejus sicut guttæ sánguinis decurréntis in terram.

Ant. Judas, qui eum trádidit, * pœniténtia ductus rétulit trigínta argénteos, dicens : Peccávi tradens sánguinem justum.

Psalmus 15

COnsérva me, Dómine, quóniam sperávi in te. * Dixi Dómino : Deus meus es tu, quóniam bonórum meórum non eges.

Sanctis, qui sunt in terra ejus, * mirificávit omnes voluntátes meas in eis.

Multiplicátæ sunt infirmitátes eórum : * póstea acceleravérunt.

Non congregábo conventícula eórum de sanguínibus, * nec memor ero nóminum eórum per lábia mea.

Dóminus pars hereditátis meæ, et cálicis mei : * tu es, qui restítues hereditátem meam mihi.

Funes cecidérunt mihi in præcláris : * étenim heréditas mea præclára est mihi.

Benedícam Dóminum, qui tríbuit mihi intelléctum : * ínsuper et usque ad noctem increpuérunt me renes mei.

Providébam Dóminum in conspéctu meo semper : * quóniam a dextris est mihi, ne commóvear.

Propter hoc lætátum est cor meum, et exsultávit lingua mea : * ínsuper et caro mea requiéscet in spe.

Quóniam non derelínques ánimam meam in inférno : * nec dabis sanctum tuum vidére corruptiónem.

Notas mihi fecísti vias vitæ, adimplébis me lætitia cum vultu tuo : * delectatiónes in déxtera tua usque in finem.

Ant. Judas, qui eum trádidit, pœniténtia ductus rétulit trigínta argénteos, dicens : Peccávi tradens sánguinem justum.

℣. Redemísti nos, Dómine. ℟. In sánguine tuo.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos

Lectio i Cap. 9, 11-22

CHristus assístens Póntifex futurórum bonórum, per ámplius et perféctius tabernáculum non manufáctum, id est, non hujus creatiónis : neque per sánguinem hircórum aut vitulórum, sed per próprium sánguinem introívit semel in Sancta, ætérna redemptióne invénta. Si enim sanguis hircórum, et taurórum, et cinis vítulæ aspérsus inquinátos sanctíficat ad emundatiónem carnis : quanto magis sanguis Christi, qui per Spíritum Sanctum semetípsum óbtulit immaculátum Deo, emundábit consciéntiam nostram ab opéribus mórtuis, ad serviéndum Deo vivénti? Et ídeo novi testaménti mediátor est : ut, morte intercedénte, in redemptiónem eárum prævaricatiónum, quæ erant sub prióri testaménto, repromissiónem accípiant, qui vocáti sunt ætérnæ hereditátis.

℟. Jesus, ut sanctificáret per suum sánguinem pópulum, extra portam passus est : * Exeámus ígitur ad eum extra castra, impropérium ejus portántes. ℣. Nondum enim usque ad sánguinem restitístis advérsus peccátum repugnántes. — Exeámus.

Lectio ii

UBI enim testaméntum est : mors necésse est intercédat testatóris. Testaméntum enim in mórtuis confirmátum est : alióquin nondum valet, dum vivit qui testátus est. Unde nec primum quidem sine sánguine dedicátum est. Lecto enim omni mandáto legis a Móyse univérso pópulo : accípiens sánguinem vitulórum, et hircórum cum aqua et lana coccínea, et hyssópo : ipsum quoque librum, et omnem pópulum aspérsit, dicens : Hic sanguis testaménti, quod mandávit ad vos Deus. Etiam tabernáculum, et ómnia vasa ministérii sánguine simíliter aspérgit : et ómnia pene in sánguine secúndum legem mundántur : et sine sánguinis effusióne non fit remíssio.

℟. Móyses sumptum sánguinem respérsit in pópulum, * Et ait : Hic est sanguis fœderis, quod pépigit Dóminus vobíscum. ℣. Fide celebrávit Pascha et sánguinis effusióne, ne qui vastábat primitíva, tángeret eos. — Et.

Lectio iii Cap. 10, 19-24

HAbéntes itaque, fratres, fidúciam in intróitu sanctórum in sánguine Christi, quam initiávit nobis viam novam et vivéntem per velámen, id est, carnem suam, et sacerdótem magnum super domum Dei; accedámus cum vero corde in plenitúdine fídei aspérsi corda a consciéntia mala et ablúti corpus aqua munda; teneámus spei nostræ confessiónem indeclinábilem (fidélis enim est qui repromísit) et considerémus ínvicem in provocatiónem caritátis et bonórum óperum.

℟. Vos, qui aliquándo erátis longe, facti estis prope in sánguine Christi : * Ipse enim est pax nostra, qui fecit útraque unum. ℣. Complácuit per eum reconciliáre ómnia in ipsum, pacíficans per sánguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt. — Ipse enim. Glória Patri. Ipse enim.

In II Nocturno

Ant. Pilátus, * volens pópulo satisfácere, trádidit illis Jesum flagéllis cæsum.

Psalmus 22

DOminus regit me, et nihil mihi déerit : * in loco páscuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me : * ánimam meam convértit.

Dedúxit me super sémitas justítiæ, * propter nomen suum.

Nam, et si ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala : * quóniam tu mecum es.

Virga tua, et báculus tuus : * ipsa me consoláta sunt.

Parásti in conspéctu meo mensam, * advérsus eos, qui tríbulant me.

Impinguásti in óleo caput meum : * et calix meus inébrians quam præclárus est!

Et miséricórdia tua subsequétur me * ómnibus diébus vitæ meæ :

Et ut inhábitem in domo Dómini, * in longitúdinem diérum.

Ant. Pilátus, volens pópulo satisfácere, trádidit illis Jesum flagéllis cæsum.

Ant. Videns autem * quia nihil proficeret, accépta

aqua, lavit manus coram pópulo dicens : Innocens ego sum a sánguine Justi hujus.

Psalmus 29

EXaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me : * nec delectásti inimícos meos super me.

Dómine, Deus meus, clamávi ad te, * et sanásti me.

Dómine, eduxísti ab inférno ánimam meam : * salvásti me a descendéntibus in lacum.

Psállite Dómino, sancti ejus : * et confitémini memóriæ sanctitátis ejus.

Quóniam ira in indignatióne ejus : * et vita in voluntáte ejus.

Ad vésperum demorábitur fletus : * et ad matutínum lætítia.

Ego autem dixi in abundántia mea : * Non movébor in ætérnum.

Dómine, in voluntáte tua, * præstitísti decóri meo virtútem.

Avertísti fáciem tuam a me, * et factus sum conturbátus.

Ad te, Dómine, clamábo : * et ad Deum meum deprecábor.

Quæ utílitas in sánguine meo, * dum descéndo in corruptiónem?

Numquid confitébitur tibi pulvis, * aut annuntiábit veritátem tuam?

Audívit Dóminus, et misértus est mei : * Dóminus factus est adjútor meus.

Convertísti planctum meum in gáudium mihi : * conscidísti saccum meum, et circumdedísti me lætítia :

Ut cantet tibi glória mea, et non compúngar : * Dómine, Deus meus, in ætérnum confitébor tibi.

Ant. Videns autem, quia nihil proficeret, accépta aqua, lavit manus coram pópulo dicens : Innocens ego sum a sánguine Justi hujus.

Ant. Et respóndens * univérsus pópulus dixit : Sanguis ejus super nos et super fílios nostros.

Psalmus 63

EXáudi, Deus, oratiónem meam cum déprecor : * a timóre inimici éripe ánimam meam.

Protexísti me a convéntu malignántium : * a multitúdine operántium iniquitátem.

Quia exacuérunt ut gládium linguas suas : * intendérunt arcum rem amáram, ut sagíttent in occúltis immaculátum.

Súbito sagittábunt eum, et non timébunt : * firmavérunt sibi sermónem nequam.

Narravérunt ut abscónderent láqueos : * dixérunt : Quis vidébit eos?

Scrutáti sunt iniquitátes : * defecérunt scrutántes scrutínio.

Accédet homo ad cor altum : * et exaltábitur Deus.

Sagíttæ parvulórum factæ sunt plagæ eórum : * et infirmátæ sunt contra eos linguæ eórum.

Conturbáti sunt omnes qui vidébant eos : * et tímuit omnis homo.

Et annuntiavérunt ópera Dei, * et facta ejus intellexérunt.

Lætábitur justus in Dómino, et sperábit in eo, * et laudabúntur omnes recti corde.

Ant. Et respóndens univérsus pópulus dixit : Sanguis ejus super nos et super fílios nostros.

℣. Sanguis Jesu Christi Fílii Dei. ℟. Emúndat nos ab omni peccáto.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi
Homilia ad Neophytos

Lectio iv

QUIS sánguinis Christi audíre virtútem? Redeámus ad ejus exémplum, et priórem typum recordémur, et pristinam Scriptúram narrémus. In Ægypto, nocte média, Ægýptiis Deus plagam décimam minabátur, ut eórum primogénita deperírent, quia primogénitum ejus pópulum detinébant. Sed, ne amáta plebs Judæórum una cum illis periclitarétur, quia unus locus continébat univérsos, remédium discretiónis invéntum est. Proinde exémplum mirábile, ut discas in veritáte virtútem. Ira divinæ indignatiónis sperabátur, et domos síngulas mórtifer circuíbat. Quid ígitur Móyses? Occídite, inquit, agnum anniculum, et sánguine ejus liníte jánuas. Quid ais, Móyses? Sanguis ovis rationálem hóminem liberáre consuévit? Valde, inquit; non eo quod sanguis est, sed quia Domínici sánguinis per eum demonstrátur exémplum.

℟. In timóre incolátus vestri témpore conversámini * Sciéntes quod non corruptibilibus auro vel argénto redémpti estis. ℣. Sed pretióso sánguine quasi agni immaculáti Christi. — Sciéntes.

Lectio v

NAM, sicut regnántium státuæ, quæ sine causa sunt et sermóne, nonnúmquam ad se confugiéntibus homínibus, ánima et ratióne decorátis, subveníre consuevérunt, non quia

sunt ære conféctæ, sed quia rétinent imáginem principálem : ita et sanguis ille, qui irrationális fuit, ánimas habéntes hómines liberávit, non quia sanguis fuit, sed quia hujus sánguinis ostendébat advéntum. Et tunc Angelus ille vastátor, cum liníos postes atque áditus pervidéret, transjécit gressus et non est ausus intráre. Nunc ergo si víderit inimícus, non póstibus impósitum sánguinem typi, sed fidélium ore lucéntem sánguinem veritátis Christi, templi póstibus dedicátum, multo magis se súbtrahet. Si enim Angelus cessit exémplo, quanto magis terrébitur inimícus, si ipsam perspéxerit veritátem? Vis et áliam hujus sánguinis scrutári virtútem? Volo unde primum cucúrrit, inspícias, et de quo fonte manávit. De ipsa primum cruce procéssit : latus illud Domínicum inítium fuit. Latus miles apéruit, et templi sancti paríetem patefécit; et ego thesáurum præclárum invéni, et fulgéntes divítias me grátulor reperíre.

℟. Empti estis prétio magno : * Glorificáte et portáte Deum in córpore vestro. ℣. Prétio empti estis : nolíte fíeri servi hóminum. — Glorificáte.

Lectio vi

SIC et de illo agno factum est : Judæi ovem occidérunt, et ego fructum de sacraménto cognóvi. De látere sanguis et aqua. Nolo tam fácile, audítor, tránseas tanti secréta mystérii; restat enim mihi mýstica atque secretális orátio. Dixi baptísmatis sýmbolum et mysteriórum, aquam illam et sánguinem demonstráre. Ex his enim sancta fundáta est Ecclésia per lavácri regeneratiónem, et renovatiónem Spíritus Sancti. Per baptísma, inquam, et mystéria, quæ ex látere vidéntur esse proláta. Ex látere ígitur suo Christus ædificávit Ecclésiam, sicut de látere Adam ejus conjux Eva proláta est. Nam hac de causa Paulus testátur dicens : De córpore ejus et de óssibus ejus sumus; latus vidélicet illud significans. Nam, sicut de illo látere Deus fecit féminam procreári, sic et de suo látere Christus aquam nobis et sánguinem dedit, unde repararétur Ecclésia. — Recurrénte autem anno ab humáni géneris redemptióne undevícies centenário, quem ad tam ineffábile benefícium recoléndum solémni præ ómnibus sacro

Jubiléo Summus Póntifex Pius undécimus celebrátum vóluit; ut pretiósi Sánguinis, quo redémpti sumus, Agni immaculáti Christi uberióres dimanárent in hómines fructus, ejúsque memória fidélibus vivídius commendarétur, idem Summus Póntifex Pretiosíssimi Sánguinis Dómini Nostri Jesu Christi festum, quotánnis ab univérsa Ecclésia peragéndum, ad ritum dúplicem primæ classis evéxit.

℟. Comméndat caritátem suam Deus in nobis : * Quóniam cum adhuc peccatóres essémus, secúndum tempus Christus pro nobis mórtuus est. ℣. Multo ígitur magis nunc justificáti in sánguine ipsíus, salvi érimus ab ira per ipsum. — Quóniam. Glória Patri. Quóniam.

In III Nocturno

Ant. Exívit ergo Jesus * portans corónam spíneam et purpúreum vestiméntum. Et dixit eis : Ecce homo.

Psalmus 73

UT quid, Deus, repulísti in finem : * irátus est furor tuus super oves páscuæ tuæ?

Memor esto congregatiónis tuæ, * quam possedísti ab inítio.

Redemísti virgam hereditátis tuæ : * mons, Sion, in quo habitásti in eo.

Leva manus tuas in supérbias eórum in finem : * quanta malignátus est inimícus in sancto!

Et gloriáti sunt qui odérunt te : * in médio solemnitátis tuæ.

Posuérunt signa sua, signa : * et non cognovérunt sicut in éxitu super summum.

Quasi in silva lignórum secúribus excidérunt jánuas ejus in idípsum : * in secúri et áscia dejecérunt eam.

Incendérunt igni Sanctuárium tuum : * in terra polluérunt tabernáculum nóminis tui.

Dixérunt in corde suo cognátio eórum simul : * Quiéscere faciámus omnes dies festos Dei a terra.

Signa nostra non vídimus, jam non est prophéta : * et nos non cognóscet ámplius.

Usquequo, Deus, improperábit inimicus : * irrítat adversárius nomen tuum in finem?

Ut quid avértis manum tuam, et déxteram tuam, * de médio sinu tuo in finem?

Deus autem Rex noster ante sæcula : * operátus est salútem in médio terræ.

Tu confirmásti in virtúte tua mare : * contribulásti cápita dracónum in aquis.

Tu confregísti cápita dracónis : * dedísti eum escam pópulis Æthiopum.

Tu dirupísti fontes, et torréntes : * tu siccásti flúvios Ethan.

Tuus est dies, et tua est nox : * tu fabricátus es auróram et solem.

Tu fecísti omnes términos terræ : æstátem et ver tu plasmásti ea.

Memor esto hujus, inimícus improperávit Dómino : * et pópulus insípiens incitávit nomen tuum.

Ne tradas béstiis ánimas confiténtes tibi, * et ánimas páuperum tuórum ne obliviscáris in finem.

Réspice in testaméntum tuum : * quia repléti sunt, qui obscuráti sunt terræ dómibus iniquitátum.

Ne avertátur húmilis factus confúsus : * pauper et inops laudábunt nomen tuum.

Exsúrge, Deus, júdica causam tuam : * memor esto improperiórum tuórum, eórum quæ ab insipiénte sunt tota die.

Ne obliviscáris voces inimicórum tuórum : * supérbia eórum, qui te odérunt, ascéndit semper.

Ant. Exívit ergo Jesus portans corónam spíneam et purpúreum vestiméntum. Et dixit eis : Ecce homo.

Ant. Et bájulans sibi crucem, * exívit in eum, qui dicitur Calváriæ, locum, ubi crucifixérunt eum.

Psalmus 87

DOmine, Deus salútis meæ : * in die clamávi, et nocte coram te.

Intret in conspéctu tuo orátio mea : * inclína autem tuam ad precem meam :

Quia repléta est malis ánima mea : * et vita mea inférno appropinquávit.

Æstimátus sum cum descendéntibus in lacum : * factus sum sicut homo sine adjutório, inter mórtuos liber.

Sicut vulnerati dormiéntes in sepúlcris, quorum non es memor ámplius : * et ipsi de manu tua repúlsi sunt.

Posuérunt me in lacu inferióri : * in tenebrósis, et in umbra mortis.

Super me confirmátus est furor tuus : * et omnes fluctus tuos induxísti super me.

Longe fecísti notos meos a me : * posuérunt me abominatiónem sibi.

Tráditus sum, et non egrediébar : * óculi mei languérunt præ inópia.

Clamávi ad te, Dómine, tota die : * expándi ad te manus meas.

Numquid mórtuis fácies mirabília : * aut médici suscitábunt, et confitebúntur tibi?

Numquid narrábit áliquis in sepúlcro misericórdiam tuam, * et veritátem tuam in perditióne?

Numquid cognoscéntur in ténebris mirabília tua, * et justitia tua in terra obliviónis?

Et ego ad te, Dómine, clamávi : * et mane orátio mea prævéniet te.

Ut quid, Dómine, repéllis oratiónem meam : * avértis fáciem tuam a me?

Pauper sum ego, et in labóribus a juventúte mea : * exaltátus autem, humiliátus sum et conturbátus.

In me transiérunt iræ tuæ : * et terróres tui conturbavérunt me.

Circumdedérunt me sicut aqua tota die : * circumdedérunt me simul.

Elongásti a me amícum et próximum : * et notos meos a miséria.

Ant. Et bájulans sibi crucem, exívit in eum, qui dicitur Calváriæ, locum, ubi crucifixérunt eum.

Ant. Ut vidérunt eum jam mórtuum, * non fregérunt ejus crura, sed unus mílitum láncea latus ejus apéruit, et contínuo exívit sanguis et aqua.

Psalmus 93

DEus ultiónum Dóminus : * Deus ultiónum líbere egit.

Exaltáre, qui júdicas terram : * redde retributiónem supérbis.

Usquequo peccatóres, Dómine, * úsquequo peccatóres gloriabúntur :

Effabúntur, et loquéntur iniquitátem : * loquéntur omnes, qui operántur injustítiam?

Pópulum tuum, Dómine, humiliavérunt : * et hereditátem tuam vexavérunt.

Víduam, et ádvenam interfecérunt : * et pupíllos occidérunt.

Et dixérunt : Non vidébit Dóminus, * nec intélliget Deus Jacob.

Intellígite, insipiéntes in pópulo : * et stulti, aliquándo sápite.

Qui plantávit aurem, non áudiet? * aut qui finxit óculum, non considerat?

Qui córripit gentes, non árguet : * qui docet hóminem sciéntiam?

Dóminus scit cogitatiónes hóminum, * quóniam vanæ sunt.

Beátus homo, quem tu erudíeris, Dómine : * et de lege tua docúeris eum.

Ut mítiges ei a diébus malis : * donec fodiátur peccatóri fóvea.

Quia non repéllet Dóminus plebem suam : * et hereditátem suam non derelínquet.

Quoadúsque justítia convertátur in judícium : * et qui juxta illam omnes qui recto sunt corde.

Quis consúrget mihi advérsus malignántes? * aut quis stabit mecum advérsus operántes iniquitátem?

Nisi quia Dóminus adjúvit me : * paulo minus habitásset in inférno ánima mea.

Si dicébam : Motus est pes meus : * misericórdia tua, Dómine, adjuvábat me.

Secúndum multitúdinem dolórum meórum in corde meo : * consolatiónes tuæ lætificavérunt ánimam meam.

Numquid adhæret tibi sedes iniquitátis : * qui fingis labórem in præcépto?

Captábunt in ánimam justi : * et sánguinem innocéntem condemnábunt.

Et factus est mihi Dóminus in refúgium : * et Deus meus in adjutórium spei meæ.

Et reddet illis iniquitátem ipsórum : et in malítia eórum dispérdet eos : * dispérdet illos Dóminus Deus noster.

Ant. Ut vidérunt eum jam mórtuum, non fregérunt ejus crura, sed unus mílitum láncea latus ejus apéruit, et contínuo exívit sanguis et aqua.

℣. Christus diléxit nos. ℟. Et lavit nos a peccátis nostris in sánguine suo.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem

Lectio vii Cap. 19, 30-35

In illo témpore : Cum accepísset Jesus acétum, dixit : Consummátum est. Et, inclináto cápite, trádidit spíritum. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi

Tractatus 120 in Joannem

Igilánti verbo Evangelísta usus est, ut non díceret : Latus ejus percússit, aut vulnerávit, aut quid áliud, sed Apéruit; ut illic quodámmodo vitæ óstium panderétur, unde sacraménta Ecclésiæ manavérunt, sine quibus ad vitam, quæ vera vita est, non intrátur. Ille sanguis qui fusus est, in remissiónem fusus est peccatórum. Aqua illa salutáre témperat póculum; hæc et lavácrum præstat et potum.

Hoc prænuntiábat quod Noë in látere arcæ óstium fácere jussus est, quo intrárent animália quæ non erant dilúvio peritúra, quibus præfigurabátur Ecclésia. Propter hoc prima múlier facta est de látere viri dormiéntis, et appelláta est vita matérque vivórum. Magnum quippe significávit bonum, ante magnum prævaricatiónis malum. Hic secúndus Adam, inclináto cápite, in cruce dormívit, ut inde formarétur ei conjux, quæ de látere dormiéntis efflúxit. O mors, unde mórtui reviviscunt! Quid isto sánguine múndius? Quid vúlnere isto salúbrius?

℟. Hic est, qui venit per aquam et sánguinem, Jesus Christus : * Non in aqua solum, sed in aqua et sánguine. ℣. In die illa erit fons patens dómui David et habitántibus Jerúsalem in ablutiónem peccatóris. — Non.

Bened. Divínum auxílium.

Lectio viii

Enarrat. in Psalm. 95, n. 5

Tenebántur hómines captívi sub diábolo, et dæmónibus serviébant; sed redémpti sunt a captivitáte. Véndere enim se potuérunt, sed redímere non potuérunt. Venit Redémptor, et dedit prétium; fudit sánguinem suum, et emit orbem terrárum. Quæritis quid émerit? Vidéte quid déderit, et inveniétis quid émerit. Sanguis Christi prétium est. Tanti quid valet? quid, nisi totus orbis? quid, nisi omnes gentes? Valde ingráti sunt prétio suo, aut multum supérbi sunt, qui dicunt, aut illud tam parum esse, ut solos Afros émerit, aut se tam magnos esse pro quibus solis illud sit datum. Non ergo exsúltent, non supérbiant. Pro toto dedit, quantum dedit.

℟. Prædestinávit nos Deus in adoptiónem filiórum per Jesum Christum, * In quo habémus redemptiónem per sánguinem ejus. ℣. Remissiónem peccatórum secúndum divítias grátiæ ejus, quæ superabundávit in nobis. — In. Glória Patri. In.

Lectio ix

Sermo 31, alias 344

Habuit ille sánguinem, unde nos redímeret; et ad hoc accépit sánguinem, ut esset quem pro nobis rediméndis effúnderet. Sanguis Dómini tui, si vis, datus est pro te; si nolúeris esse, non est datus pro te. Forte enim dicis : Hábuit sánguinem Deus meus, quo me redímeret, sed jam, cum passus est, totum dedit; quid illi remánsit, quod det et pro me? Hoc est magnum, quia semel dedit, et pro ómnibus dedit. Sanguis Christi volénti est salus, nolénti supplícium. Quid ergo dúbitas, qui mori non vis, a secúnda pótius morte liberári? Qua liberáris, si vis tóllere crucem tuam, et sequi Dóminum; quia ille tulit suam, et quæsívit servum.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

et per Horas, Añæ

1 Hi qui amícti sunt * stolis albis, qui sunt, et unde venérunt?

Psalmi de Dominica.

2 Hi sunt * qui venérunt de tribulatióne magna et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

3 Ideo sunt * ante thronum Dei et sérviunt ei die ac nocte.

4 Et ipsi vicérunt * dracónem propter sánguinem Agni et propter testamentum Verbi sui.

5 Beáti * qui lavant stolas suas in sánguine Agni.

Capit. Hebr. 9, 11-12

Fratres : Christus assístens Póntifex futurórum bonórum, perámplius et perféctius tabernáculum non manufáctum, id est, non hujus creatiónis : neque per sánguinem hircórum aut vitulórum, sed per próprium sánguinem introívit semel in Sancta, ætérna redemptióne invénta.

Hymnus

Salvéte, Christi vúlnera,
Imménsi amóris pignora,
Quibus perénnes rívuli
Manant rubéntis sánguinis.

Nitóre stellas víncitis,
Rosas odóre et bálsama,
Prétio lapíllos Indicos,
Mellis favos dulcédine.

Per vos patet gratíssimum
Nostris asylum méntibus;
Non huc furor minántium
Umquam penétrat hóstium.

Quot Jesus in prætório
Flagélla nudus éxcipit!
Quot scissa pellis úndique
Stillat cruóris gúttulas!

Frontem venústam, proh dolor!
Coróna pungit spínea,
Clavi retúsa cúspide
Pedes manúsque pérforant.

Postquam sed ille trádidit
Amans volénsque spíritum,
Pectus ferítur láncea,
Geminúsque liquor éxsilit.

Ut plena sit redémptio,
Sub torculári stríngitur;
Suíque Jesus ímmemor,
Sibi nil reservat sánguinis.

Veníte, quotquot críminum
Funésta labes ínficit :
In hoc salútis bálneo
Qui se lavat, mundábitur.

¶ Sequens Conclusio numquam mutatur.

Summi ad Paréntis déxteram
Sedénti habénda est grátia,
Qui nos redémit sánguine,
Sanctóque firmat Spíritu.
Amen.

℣. Justificáti in sánguine Christi. ℟. Salvi érimus ab ira per ipsum.

Ad Bened. Ant. Erit sanguis Agni * vobis in signum, dicit Dóminus; et vidébo sánguinem, et transíbo vos nec erit in vobis plaga dispérdens.

Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, qui unigénitum Fílium tuum mundi Redemptórem constituísti, ac ejus Sánguine placári voluísti : concéde, quæsumus, salútis nostræ prétium solémni cultu ita venerári, atque a præséntis vitæ malis ejus virtúte defendi in terris; ut fructu perpétuo lætémur in cælis. Per eúmdem Dóminum.

Ad Laudes tantum fit Com. diei Octavæ S. Joannis :

Ant. Apértum est os Zacharíæ, et prophetávit dicens : Benedíctus Deus Israël.

℣. Iste puer magnus coram Dómino. ℟. Nam et manus ejus cum ipso est.

Oratio

DEus, qui præséntem diem honorábilem nobis in beáti Joánnis nativitáte fecísti : da pópulis tuis spirituálium grátiam gaudiórum; et ómnium fidélium mentes dírige in viam salútis ætérnæ. Per Dóminum.

Ad Horas Psalmi de Dominica, ad Primam tamen ut in Festis; et ad eam in ℟. br. ℣. Qui tuo nos sánguine redemísti.

AD TERTIAM

Capitulum Fratres : ut ad Laudes.

℟. br. Redemísti nos, Dómine, * In sánguine tuo. Redemísti. ℣. Ex omni tribu, et lingua, et pópulo, et natióne. In sánguine tuo. Glória Patri. Redemísti.

℣. Sanguis Jesu Christi Fílii Dei. ℟. Emúndat nos ab omni peccáto.

AD SEXTAM

Capit. Hebr. 9, 13-14

SI sanguis hircórum, et taurórum, et cinis vítulæ aspérsus inquinátos

sanctíficat ad emundatiónem carnis : quanto magis sanguis Christi, qui per Spíritum Sanctum semetípsum óbtulit immaculátum Deo, emundábit consciéntiam nostram ab opéribus mórtuis, ad serviéndum Deo vivénti?

℟. br. Sanguis Jesu Christi Fílii Dei, * Emúndat nos. Sanguis. ℣. Ab omni peccáto. Emúndat nos. Glória Patri. Sanguis.

℣. Christus diléxit nos. ℟. Et lavit nos in sánguine suo.

Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, qui unigénitum Fílium tuum mundi Redemptórem constituísti, ac ejus Sánguine placári voluísti : concéde, quæsumus, salútis nostræ prétium solémni cultu ita venerári, atque a præséntis vitæ malis ejus virtúte defendi in terris; ut fructu perpétuo lætémur in cælis. Per eúmdem Dóminum.

AD NONAM

Ant. Beáti * qui lavant stolas suas in sánguine Agni.

Capit. Hebr. 9, 19-20

ACcípiens Móyses sánguinem vitulórum, et hircórum cum aqua et lana coccínea et hyssópo : ipsum quoque librum, et omnem pópulum aspérsit, dicens : Hic sanguis testaménti, quod mandávit ad vos Deus.

℟. br. Christus diléxit nos, et lavit nos * In sánguine suo. Christus. ℣. Et fecit nos regnum, et sacerdótes Deo, et Patri. In sánguine suo. Glória Patri. Christus.

℣. Justificáti in sánguine Christi. ℟. Salvi érimus ab ira per ipsum.

IN II VESPERIS

Omnia ut in I Vesperis, sed loco ultimi Psalmi dicitur Ps. 147 Lauda Jerúsalem Dóminum, ut ibidem. 698

℣. Te ergo quæsumus, tuis fámulis súbveni. ℟. Quos pretióso sánguine redemísti.

Ad Magnif. Ant. Habébitis autem hunc diem in monuméntum : et celebrábitis eum solémnem Dómino in generatiónibus vestris cultu sempitérno.

Et fit Commemoratio tantam sequentis, ut infra.

Completorium de Dominica et conclusio Hymni ut in Communi Festorum B. Mariæ Virginis.

In Visitatione Beatæ Mariæ Virginis

DUPLEX II CLASSIS

Omnia de Communi Festorum B. Mariæ Virginis [174], præter ea quæ hic habentur propria.

IN I VESPERIS

Quando dicendæ sint integræ : Añæ de Laudibus, Versus et reliqua, ut infra.

Ant. Beáta es, * Maria, quæ credidísti : perficiéntur in te quæ dicta sunt tibi a Dómino, allelúja.

℣. Benedícta tu in muliéribus. ℟. Et benedíctus fructus ventris tui.

Oratio

FAmulis tuis, quæsumus, Dómine, cæléstis grátiæ munus impertíre : ut, quibus beátæ Vírginis partus éxstitit salútis exórdium; Visitatiónis ejus votiva solémnitas, pacis tríbuat incremén-tum. Per Dóminum.

AD MATUTINUM

Invit. Visitatiónem Vírginis Maríæ celebrémus : * Christum ejus Fílium adorémus Dóminum. Ps. 94 Veníte, exsultémus.

In I Nocturno
De Cánticis canticórum

Lectio i Cap. 2, 1-17

EGO flos campi et lilium convállium. Sicut lílium inter spinas, sic amica mea inter fílias. Sicut malus inter ligna silvárum, sic diléctus meus inter fílios. Sub umbra illíus quem desideráveram sedi, et fructus ejus dulcis gútturi meo. Introdúxit me in cellam vináriam, ordinávit in me caritátem. Fulcíte me flóribus, stipáte me malis, quia amóre lángueo. Læva ejus sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me. Adjúro vos, fíliæ Jerúsalem, per cápreas cervósque campórum, ne suscitétis neque evigiláre faciétis diléctam, quoadúsque ipsa velit.

℟. Surge, própera, amíca mea, formósa mea, et veni : jam enim hiems tránsiit, imber ábiit et recéssit; * Vox túrturis audita est in terra nostra. ℣. Intrávit Maria in domum Zacharíæ et salutávit Elísabeth. — Vox.

Lectio ii

VOX dilécti mei; ecce iste venit sáliens in móntibus, transíliens colles. Símilis est diléctus meus cápreæ hinnulóque cervórum. En ipse stat post paríetem nostrum, respíciens per fenéstras, prospíciens per cancéllos. En diléctus meus lóquitur

mihi : Surge, própera, amica mea, colúmba mea, formósa mea, et veni. Jam enim hiems tránsiit, imber ábiit et recéssit, flores apparuérunt in terra nostra, tempus putatiónis advénit, vox túrturis audíta est in terra nostra, ficus prótulit grossos suos, vineæ floréntes dedérunt odórem suum.

℟. Quæ est ista quæ procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam filiæ Sion, et beátam dixérunt, et regínæ laudavérunt eam. ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum et lília convállium. — Vidérunt.

Lectio iii

SUrge, amica mea, speciósa mea, et veni, colúmba mea, in foramínibus petræ, in cavérna macériæ, osténde mihi fáciem tuam, sonet vox tua in áuribus meis : vox enim tua dulcis, et fácies tua decóra. Cápite nobis vulpes párvulas, quæ demoliúntur víneas; nam vínea nostra flóruit. Diléctus meus mihi, et ego illi, qui páscitur inter lília, donec aspíret dies, et inclinéntur umbræ. Revértere; símilis esto, dilécte mi, cápreæ hinnulóque cervórum super montes Bether.

℟. Repléta est Spíritu Sancto Elísabeth et exclamávit : Benedícta tu inter mulíeres, et benedictus fructus ventris tui : * Et unde hoc mihi, ut véniat mater Dómini mei ad me? ℣. Ecce enim, ut facta est vox salutatiónis tuæ in áuribus meis, exsultávit in gáudio infans in útero meo. — Et. Glória. Et.

In II Nocturno
Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi
Apud Metaphr. mense Julio

QUM ad nos advenísset Redémptor nostri géneris, venit prótinus ad suum amícum Joánnem, dum adhuc esset in ventre matris. Quem cum ex útero in útero aspexísset Joánnes, términos natúræ concútiens, exclámat : Vídeo Dóminum, qui natúræ impósuit términos, et non exspécto tempus nascéndi. Novem ménsium tempus mihi non est hic necessárium; in me est enim, qui est ætérnus. Egrédiar ex hoc tenebróso tabernáculo, rerum admirabilium compendiósam prædicábo cognitiónem. Sum signum : significábo Christi advéntum. Sum tuba : próferam Fílii Dei in carne dispensatiónem. Tuba canam; eo ipso patérnæ linguæ benedicam, et eam traham, ut loquátur. Tuba canam, et úterum matérnum vivificábo.

℟. Ecce iste venit sáliens in móntibus, transíliens colles : * Símilis est diléctus meus cápreæ hinnulóque cervórum. ℣. Exsultávit ut gigas ad curréndam víam, a summo cælo egréssio ejus. — Símilis.

Lectio v

VIdes, o dilécte, quam sit novum et admirábile mystérium. Nondum náscitur, et sáltibus lóquitur; nondum appáret, et minas inténtat; nondum ei permíttitur clamáre, et per facta audítur; nondum dúcit vitam, et Deum prædicat; nondum áspicit lucem; et solem indicat; nondum páritur, et próperat præcúrrere. Non fert enim, præsénte Dómino, continéri; non sústinet natúræ exspectáre términos; sed conténdit rúmpere cárcerem ventris, et studet præsignificáre veniéntem Salvatórem. Accéssit, inquit, qui solvit víncula; et quid ego sédeo vinctus, et retíneor ut máneam? Venit Verbum, ut ómnia constítuat; et ego adhuc máneo deténtus? Exíbo, præcúrram, et prædicábo ómnibus : Ecce Agnus Dei, qui tollit peccátum mundi.

℟. Congratulámini mihi, omnes qui dilígitis Dóminum : quia cum essem párvula, plácui Altíssimo, * Et de meis viscéribus génui Deum et hóminem. ℣. Beátam me dicent omnes generatiónes, quia ancíllam húmilem respéxit Deus. — Et.

Lectio vi

SED dic nobis, Joánnes, cum adhuc in tenebróso matris útero contineáris, quómodo intuéris et audis? quómodo res divínas contempláris? quómodo éxsilis et exsúltas? Magnum est, inquit, quod perágitur mystérium, et actus ab humána remótus comprehensióne. Mérito ínnovo natúram propter eum, qui est innovatúrus ea quæ sunt supra natúram. Vídeo, etsi adhuc in útero sim; quóniam in útero gestári vídeo solem justítiæ. Auribus percípio, quóniam nascor vox magni Verbi. Exclámo, quóniam Fílium Patris unigénitum consídero carne indútum. Exsúlto, quóniam univérsi Effectórem vídeo formam hóminis suscípere. Exsílio quóniam mundi Redemptórem cógito incorporátum. Præcúrro advéntum ejus, et quodámmodo vobis præeo confessióne.

℟. Beáta quæ credidísti, quóniam perficiéntur in te quæ dicta sunt tibi a Dómino. Et ait María : * Magníficat ánima mea Dóminum. ℣. Veníte, et audíte. et narrábo quanta fecit Deus ánimæ meæ. — Magníficat. Glória Patri. Magníficat.

In III Nocturno
Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam
Lectio vii Cap. 1, 39-47

IN illo témpore : Exsúrgens María ábiit in montána cum festinatióne in civitátem Juda; et intrávit in domum Zacharíæ, et salutávit Elísabeth. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi
Liber 2 Comment. in Luc. cap. 1, post initium

CONtuéndum est, quia supérior venit ad inferiórem, ut inférior adjuvétur : María ad Elisabeth, Christus ad Joánnem. Dénique étiam póstea, ut sanctificáret baptísmum Joánnis, Dóminus venit ad baptísmum. Cito quoque advéntus Maríæ et præséntiæ divínæ benefícia declarántur. Vide distinctiónem singulorúmque verbórum proprietátem. Vocem prior Elísabeth audívit, sed Joánnes prior grátiam sensit. Illa natúræ órdine audívit, iste exsultávit ratióne mystérii. Illa Maríæ, iste Dómini sensit advéntum. Istæ grátiam loquúntur, illi intus operántur pietatísque mystérium matérnis adoriúntur profféctibus; duplicíque miráculo prophétant matres spíritu parvulórum. Exsultávit infans, repléta est mater. Non prius mater repléta, quam fílius; sed, cum fílius esset replétus Spíritu Sancto, replévit et matrem.

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes : * Quia fecit mihi Dóminus magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. ℣. Et misericórdia ejus a progénie in progénies timéntibus eum. — Quia.

Si ix Lectio alicujus Officii commemorati dicenda non sit, tunc ex viii Lectione fiunt duæ, quarum prior desinit ad signum ¶.

Bened. Cujus festum cólimus, ipsa Virgo vírginum.

Lectio viii

ET unde hoc mihi, ut véniat Mater Dómini mei ad me? Hoc est, Quo tantum bonum mihi áccidit, ut Mater Dómini mei véniat ad me? Miráculum séntio, agnósco mystérium : Mater Dómini Verbo fœta, Deo plena est. Mansit autem María cum illa ménsibus tribus,

et revérsa est in domum suam. Bene indúcitur sancta María et exhibuísse offícium, et mýsticum númerum custodísse. ¶ Non enim sola familiaritátis est causa quod diu mansit, sed étiam tanti vatis profféctus. Nam, si primo ingréssu tantus profféctus éxstitit, ut ad salutatiónem Maríæ exsultáret infans in útero, replerétur Spíritu Sancto mater infántis; quantum putámus usu tanti témporis sanctæ Maríæ addidísse præséntiam? Ungebátur itaque, et quasi bonus athléta exercebátur in útero matris Prophéta; amplíssimo enim virtus ejus certámini parabátur.

℟. Felix namque es, sacra Virgo María, et omni laude dignissima : * Quia ex te ortus est sol justítiæ, * Christus, Deus noster. ℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu : séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam Visitatiónem. — Quia. Glória Patri. Christus.

Pro Ss. Processo et Martiniano Martyribus :

Lectio ix

QUO témpore Petrus et Paulus tenebántur sub custódia Mamertíni in monte Tarpéjo, duo custódes, Procéssus et Martiniánus, cum áliis quadragínta, Apostolórum prædicatióne miraculísque commóti, se ad Jesu Christi fidem convertérunt; et, cum repénte fons e saxo ortus esset, baptizáti sunt. Qui permisérunt Apóstolis, ut, si vellent, abírent. Sed Paulínus mílitum præféctus, re cógnita, Procéssum et Martiniánum a suscépto consílio revocáre conátur. Qui, cum frustra tempus contéreret, ipsórum ora saxo contúndi dentésque comminui jubet. Mox ad Jovis státuam addúctos, cum eádem constántia veneratúros se idóla negárent, ímperat equúleo torquéri, candéntibus láminis ad eórum corpus admótis, ac cædi fústibus; quibus in cruciátibus una hæc illórum vox audiebátur : Sit nomen Dómini benedíctum. Dénique conjécti in cárcerem, paulo post extra Urbem via Aurélia secúri feriúntur. Quorum córpora Lucína in prædio suo sepelívit, sexto Nonas Júlii; quæ póstea, in Urbem transláta, in basílica Príncipis Apostolórum cóndita sunt.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

et per Horas, Añæ

1 Exsúrgens María * ábiit in montána cum festinatióne, in civitátem Juda.

2 Intrávit María * in domum Zacharíæ, et salutávit Elísabeth.

3 Ut audívit * salutatiónem Maríæ Elísabeth, exsultávit ínfans in útero ejus, et repléta est Spíritu Sancto, allelúja.

4 Benedícta * tu inter mulíeres, et benedíctus fructus ventris tui.

5 Ex quo facta est * vox salutatiónis tuæ in áuribus meis, exsultávit infans in útero meo, allelúja.

Capitulum Eccli. 24, 14

AB inítio et ante sæcula creáta sum, et usque ad futúrum sæculum non désinam, et in habitatióne sancta coram ipso minístrávi.

Hymnus

O Gloriósa vírginum,
Sublímis inter sídera,
Qui te creávit, párvulum
Lacténte nutris úbere.

Quod Heva tristis ábstulit,
Tu reddis almo gérmine :
Intrent ut astra flébiles,
Cæli reclúdis cárdines.

Tu regis alti jánua
Et aula lucís fúlgida :
Vitam datam per Vírginem,
Gentes redémptæ, pláudite.

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Benedícta tu in mulíeribus. ℟. Et benedíctus fructus ventris tui.

Ad Bened. Ant. Cum audísset * salutatiónem Maríæ Elísabeth, exclamávit voce magna et dixit : Unde hoc mihi, ut véniat Mater Dómini mei ad me? allelúja.

Oratio

FAmulis tuis, quæsumus, Dómine, cæléstis grátiæ munus impertíre : ut, quibus beátæ Vírginis partus éxstitit salútis exórdium; Visitatiónis ejus votíva solémnitas, pacis tríbuat increméntum. Per Dóminum.

Ad Laudes tantum fit Commemoratio Ss. Processi et Martiniani Mm. :

Ant. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt : nolite timére : multis passéribus melióres estis vos. ℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suís.

Oratio

DEus, qui nos sanctórum Mártyrum tuórum Procéssi et Martiniáni gloriósis confessiónibus circúmdas et prótegis : da nobis et eórum imitatióne profícere, et intercessióne gaudére. Per Dóminum.

AD TERTIAM

Capit. Ab inítio, ut supra. 720

℟. br. Spécie tua * Et pulchritúdine tua. Spécie. ℣. Inténde, próspere procéde, et regna. Et. Glória Patri. Spécie. ℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

AD SEXTAM

Capit. Eccli. 24, 15-16

ET sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei heréditas illíus, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea.

℟. br. Adjuvábit eam * Deus vultu suo. Adjuvábit. ℣. Deus in médio ejus, non commovébitur. Deus vultu suo. Glória Patri. Adjuvábit. ℣. Elégit eam Deus, præelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

AD NONAM

Capit. Eccli. 24, 19-20

IN platéis sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans odórem dedi : quasi myrrha elécta, dedi suavitátem odóris.

℟. br. Elégit eam Deus, * Et præelégit eam. Elégit. ℣. In tabernáculo suo habitáre facit eam. Et. Glória Patri. Elégit.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

IN II VESPERIS

Añæ de Laudibus, ut supra, p. 720. Capitulum et Hymnus de Communi.

℣. Benedícta tu in mulíeribus. ℟. Et benedíctus fructus ventris tui.

Ad Magnif. Ant. Beátam me dicent * omnes generatiónes, quia ancíllam húmilem respéxit Deus, allelúja.

Et fit Commemoratio sequentis tantum.

Die 3 Julii

S. Leonis II

Papæ et Confessoris [69]

Semiduplex

Ant. Sacérdos et Póntifex, et virtútum ópifex,

pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

℣. Amávit eum Dóminus.

Oratio

GRegem tuum, Pastor ætérne, placátus inténde : et per beátum Leónem Summum Pontíficem, perpétua protectióne custódi; quem totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastórem. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

LEO secúndus, Póntifex máximus, Sículus, humánis et divínis lítteris Græce et Latíne doctus, músicis étiam erudítus fuit; ipse enim sacros Hymnos et Psalmos in Ecclésia ad concéntum meliórem redúxit. Probávit acta sextæ sýnodi, quæ Constantinópoli celebráta est, præsidéntibus legátis apostólicæ Sedis, præsénte quoque Constantíno imperatóre, et duóbus patriárchis, Constantinopolitáno et Antiochéno, ac centum septuagínta epíscopis; quam et in Latínum tránstulit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. — Manus.

Lectio v

IN eo concílio Cyrus, Sérgius et Pyrrhus condemnáti sunt, unam tantúmmodo voluntátem et operatiónem in Christo prædicántes. Hic fregit supérbiam antístitum Ravennátum, qui, exarchórum freti poténtia, Sedi apostólicæ non obtemperábant. Quam ob rem decrévit ut eléctio cleri Ravennátis írrita esset, nisi Románi Pontíficis auctoritáte comprobarétur.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Lectio vi

VEre pater páuperum fuit; non enim pecúnia solum, sed ópera, labóre et consíliis egéntium viduárum et pupillórum inópiam ac solitúdinem sublevábat. Qui, dum síngulos non magis prædicatióne quam vita ad pie sanctéque vivéndum adhortarétur, obdormívit in Dómino mense sui pontificátus undécimo, quinto Nonas Júlii, anno sexcentésimo octogésimo tértio,

sepultúsque est in basílica sancti Petri. Ordinatióne una, mense Júnio, creávit presbýteros novem, diáconos tres, epíscopos divérsis in locis vigínti tres.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Ipse. Glória. Ipse.

Pro hoc Festo simplificato

Lectio ix

LEO secúndus, Sículus, humánis et divínis lítteris Græce et Latíne doctus, músicis étiam erudítus fuit; ipse enim sacros Hymnos et Psalmos in Ecclésia ad concéntum meliórem redúxit. Probávit acta sextæ sýnodi, quæ, præsidéntibus legátis apostólicæ Sedis, Constantinópoli celebráta est; quam et in Latínum tránstulit. In eo concílio Cyrus, Sérgius et Pyrrhus condemnáti sunt, unam tantúmmodo voluntátem et operatiónem in Christo prædicántes. Vere pater páuperum fuit; non enim pecúnia solum, sed ópera, labóre et consíliis egéntium viduárum et pupillórum inópiam et solitúdinem sublevábat. Obdormívit in Dómino mense sui pontificátus undécimo, quinto Nonas Júlii, anno sexcentésimo octogésimo tértio, sepultúsque est in basílica sancti Petri.

Te Deum laudámus.

In III Nocturno Homília in Ev. Venit Jesus, de Communi unius aut plurium Summorum Pontificum [28¹]

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constituam, dicit Dóminus.

Oratio Gregem tuum, ut supra. 722

Et fit Commemoratio Octavæ Ss. Petri et Pauli App. :

Ant. Gloriósi príncipes terræ, quómodo in vita dilexérunt se, ita et in morte non sunt separáti.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Oratio

DEus, qui hodiérnam diem Apostolórum tuórum Petri et Pauli martýrio consecrásti : da Ecclésiæ tuæ, eórum in ómnibus sequi præcéptum; per quos religiónis sumpsit exórdium. Per Dóminum.

IN II VESPERIS

℣. Justum dedúxit.

Ad Magnif. Ant. Dum esset summus Póntifex, * terréna non métuit, sed ad cæléstia regna gloriosus migrávit.

Oratio

GRegem tuum, Pastor ætérne, placátus inténde : et per beátum Leónem Summum Pontíficem, perpétua protectióne custódi; quem totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastórem. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commemoratio sequentis diei infra Octavam.

Die 4 Julii

De VI die infra Octav. Ss. Petri et Pauli App.

Semiduplex [6]

Ant. Petrus Apóstolus et Paulus Doctor géntium, ipsi nos docuérunt legem tuam, Dómine.

℣. Constítues eos príncipes super omnem terram. ℟. Mémores erunt nóminis tui, Dómine.

Oratio

DEus, qui hodiérnam diem Apostolórum tuórum Petri et Pauli martýrio consecrásti : da Ecclésiæ tuæ, eórum in ómnibus sequi præcéptum; per quos religiónis sumpsit exórdium. Per Dóminum.

In II Nocturno

De Expositióne sancti Joánnis Chrysóstomi in Epístolam ad Romános

Sermo 32 in morali exhortatione

Lectio iv

QUM Paulus Apóstolus grátiam Dómini nostri Jesu Christi, matrem ómnium bonórum, nobis precétur; réliquum est, ut nos tali patrocínio dignos exhibeámus, ut non hic solum vocem Pauli audiámus, sed et postquam illuc migravérimus, athlétam Christi vidére mereámur. Immo, si hic audivérimus, et illic ipsum omníno vidébimus, licet non e propinquo stantes; vidébimus tamen prope regálem thronum splendéntem, ubi Chérubim Deum glorificant, ubi Séraphim volant. Illic Paulum vidébimus cum Petro Sanctórum chori príncipem ac ducem, et ejus germána caritáte fruémur.

℟. Vidi conjúnctos viros, habéntes spléndidas vestes, et Angelus Dómini

locútus est ad me, dicens : * Isti sunt viri sancti facti amíci Dei. ℣. Vidi Angelum Dei fortem, volántem per médium cælum, voce magna clamántem et dicéntem. — Isti.

Lectio v

SI enim, cum hic esset, usque ádeo diligébat hómines, ut, cum dissólvi et cum Christo esse cúperet, elégerit tamen hic esse; multo magis illic ferventiórem caritátem osténdet. Ego et Romam propterea díligo, tamétsi aliúnde illam laudáre queam, nempe a magnitúdine, ab antiquitáte, a pulchritúdine, a multitúdine, ab império, a divítiis, et a rebus in bello fórtiter gestis. Sed, his ómnibus omíssis, ob id illam beátam prædico, quod erga illos Paulus, dum víveret, ádeo fuit benévolus, ádeo illos amávit, et coram dissériut, et postrémo vitam apud eos finívit. Cujus sanctum corpus ipsi póssident. Et propterea cívitas illa hinc facta est insígnis magis quam ab áliis rebus ómnibus; et tamquam corpus magnum ac válidum duos habet óculos fulgéntes, Sanctórum vidélicet horum córpora.

℟. Beáti estis, cum maledíxerint vobis hómines, et persecúti vos fúerint, et díxerint omne malum advérsum vos, mentiéntes, propter me : * Gaudéte et exsultáte, quóniam merces vestra copiósa est in cælis. ℣. Cum vos óderint hómines, et cum separáverint vos, et exprobráverint, et ejécerint nomen vestrum tamquam malum, propter Fílium hóminis. — Gaudéte.

Lectio vi

NON ita cælum splendéscit quando rádios sol demíttit, quemádmodum Romanórum urbs duos istos fulgóres ubíque terrárum emíttens. Hinc rapiétur Paulus, hinc Petrus. Consideráte et horréte, quale spectáculum visúra sit Roma; Paulum vidélicet, repénte ex theca illa cum Petro resurgéntem, in occúrsum Dómini sursum ferri. Qualem rosam Christo mittet Roma! quálibus corónis duábus ornátur urbs ista! quálibus caténis áureis cincta est! quales habet fontes! Proptérea admíror hanc urbem, non propter cópiam auri, non propter colúmnas, neque propter áliam quamcúmque rerum spéciem, sed propter colúmnas illas Ecclésiæ. Quis mihi nunc dabit circumvólvi córpori Pauli, affigi

sepúlcro, vidére púlverem córporis illíus, quæ adhuc in Christo déerant adimpléntis, stígmata illíus gestántis, prædicatiónem Evangélii ubíque seminántis?

℟. Isti sunt triumphatóres et amíci Dei, qui contemnéntes jussa príncipum, meruérunt prǽmia ætérna : * Modo coronántur, et accípiunt palmam. ℣. Isti sunt qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni. — Modo. Glória Patri. Modo.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 19, 27-29

IN illo témpore : Dixit Petrus ad Jesum : Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te : quid ergo erit nobis? Et réliqua.

De Homilía sancti Bedæ Venerábilis Presbýteri

Homilia in Natali S. Benedicti Ep.

QUO sunt órdines electórum in judício futúri : unus judicántium cum Dómino, de quibus hoc loco mémorat, qui reliquérunt ómnia et secúti sunt illum. Alius judicandórum a Dómino, qui non quidem ómnia sua páriter reliquérunt, sed de his tamen quæ habébant, quotidiánas dare eleemósynas Christi paupéribus curábant; unde et auditúri sunt in judício : Veníte, benedícti Patris mei, possidéte præparátum vobis regnum a constitutióne mundi; esurívi enim, et dedístis mihi manducáre; sitívi, et dedístis mihi bíbere.

℟. Isti sunt qui vivéntes in carne, plantavérunt Ecclésiam sánguine suo : * Cálicem Dómini bibérunt, et amíci Dei facti sunt. ℣. In omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum. — Cálicem.

Lectio viii

SED et reprobórum duos sibi futúros órdines, Dómino narránte, comperímus : unum eórum, qui, fídei christiánæ mystériis initiáti, ópera fídei exercére contémnunt; quibus in judício testátur : Discédite a me, maledícti, in ignem ætérnum, qui præparátus est diábolo et ángelis ejus; esurívi enim, et non dedístis mihi manducáre. Alterum eórum, qui fidem et mystéria Christi vel numquam suscepére, vel suscéptam per apostásiam deseruére; de quibus

dicit : Qui autem non credit, jam judicátus est, quia non credit in nómine unigéniti Fílii Dei.

℟. Isti sunt viri sancti, quos elégit Dóminus in caritáte non ficta, et dedit illis glóriam sempitérnam : * Quorum doctrína fulget Ecclésia, ut sole luna. ℣. Sancti per fidem vicérunt regna : operáti sunt justítiam. — Quorum. Glória Patri. Quorum.

Lectio ix

VErum, his cum timóre et pavóre débito paulísper commemorátis, ad lætíssima pótius Dómini et Salvatóris nostri promíssa convertámus audítum. Videámus quæ tantæ grátia pietátis : non ætérnæ tantúmmodo vitæ prǽmia suis sequácibus, sed et præséntis múnera pollicétur exímia. Et omnis, inquit, qui relíquerit domum, vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut fílios, aut agros propter nomen meum, céntuplum accípiet, et vitam ætérnam possidébit. Qui enim terrénis afféctibus sive possessiónibus pro Christi discipulátu renuntiáverit; quo plus in ejus amórem profécerit, eo plures invéniet, qui se intérno suscípere afféctu et suis gáudeant sustentáre substántiis.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Ad Bened. Ant. Gloriósi Príncipes terræ, * quómodo in vita sua dilexérunt se, ita et in morte non sunt separáti.

Oratio

DEus, qui hodiérnam diem Apostolórum tuórum Petri et Pauli martýrio consecrásti : da Ecclésiæ tuæ, eórum in ómnibus sequi præcéptum; per quos religiónis sumpsit exórdium. Per Dóminum.

Vesperæ de sequenti, Commemoratio præcedentis.

Die 5 Julii

S. Antonii Mariæ Zaccaria

Confessoris [94] Duplex

℣. Amávit eum Dóminus.

Ad Magnif. Ant. Similábo eum * viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

Oratio

FAC nos, Dómine Deus, supereminéntem Jesu Christi sciéntiam, spíritu Pauli Apóstoli ediscere; qua beátus Antónius María mirabíliter erudítus, novas in Ecclésia tua clericórum et vírginum famílias congregávit. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Com. præc. diei infra Oct. Ss Petri et Pauli App. :

Ant. Petrus Apóstolus et Paulus Doctor géntium, ipsi nos docuérunt legem tuam, Dómine.

℣. Constítues eos príncipes super omnem terram. ℟. Mémores erunt nóminis tui, Dómine.

Oratio

DEus, qui hodiérnam diem Apostolórum tuórum Petri et Pauli martýrio consecrásti : da Ecclésiæ tuæ, eórum in ómnibus sequi præcéptum; per quos religiónis sumpsit exórdium. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

ANtónius María Zaccaría, Cremónæ in Insúbria nóbili génere natus, jam a púero qua futúrus esset sanctitáte porténdere visus est. Eximiárum enim in eo virtútum significatiónes matúre eluxérunt, pietátis in Deum ac beátam Vírginem; insígnis præsértim in páuperes misericórdiæ; quorum inópiæ sublevándæ, vel pretiósa veste sibi detrácta, haud semel præsto fuit. Humanióribus lítteris in pátria excúltus, Ticíni philosophíæ, Patávii medicínæ addiscéndæ óperam dedit; utque ómnibus vitæ integritáte, ita et æquálibus acúmine ingénii fácile antecélluit. Láuream adéptus ac domum revérsus, ubi intelléxit se Dei mónitu ad animórum magis quam córporum morbis medéndum vocári, in sacras disciplínas percipiéndas sédulo incúbuit. Intérea ægrótos vísere, púeros christiána doctrína informáre, júvenum cœtus pietáte excólere, ætáte étiam provéctos ad mores emendándos frequénter hortári non déstitit. Sacris initiátus, cum primo litáret, cælésti obórto lúmine, Angelórum coróna circúmdatus stupénti pópulo apparuísse tráditur. Exínde animárum salúti impénsius consúlere, depravátis móribus summa ope obsístere curæ fuit. Ad hæc ádvenas, egénos, afflíctos patérno compléxus afféctu, piis allóquiis atque subsídiis recreátos ita solári, ut

ejus domus miserórum perfúgium haberétur, ipseque pater pátriæ atque ángelus merúerit a suis cívibus appellári.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et.

Lectio v

MEdioláni, cum secum agitáret uberióres in rem christiánam manáre posse fructus, si in vínea Dómini sibi labórum sócios ascísceret, re communicáta cum Bartholomæo Ferrário et Jacóbo Morígia, nobilíssimis et sanctíssimis viris, sodalitátis Clericórum regulárium fundaménta jecit; quam, ob suum in Géntium Apóstolum amórem, a sancto Paulo nuncupávit. Quæ, Cleménte séptimo Pontífice Máximo approbánte et Paulo tértio confirmánte, brevi per complúres regiónes propagáta est. Sanctimoniálium quoque Angelicárum societas ipsum Antónium Maríam paréntem et auctórem hábuit. Qui tamen ádeo de se submísse sentiébat, ut nullo pacto præésse suo órdini umquam volúerit. Tanta vero fuit patiéntia, ut formidolosíssimas tempestátes in suos commótas constánti ánimo perférret; tanta caritáte, ut piis adhortatiónibus religiósos viros ad Dei amórem inflammáre, sacerdótes ad apostólicam vivéndi normam revocáre, patrúmque famílias sodalítia ad bonam frugem institúere numquam intermíserit. Immo, intérdum prælata cruce per cómpita plateásque cum suis progréssus, férvida ac veheménti oratióne aberrántes improbósque hómines ad salútem redúceret.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vi

ILlud étiam memorándum, quod, in Jesum crucifíxum amóre flagrans, crucis mystérium ab ómnibus, ad statum æris campáni indícium, sexta quaque féria sub vésperas, recoléndum curávit. Sanctíssimum Christi nomen in suis scriptis passim usurpábat et in ore semper habébat; ejusdémque cruciátus, vere Pauli

discípulus, in córpore suo præ se ferébat. In sacram Eucharistiam singulári caritáte ferebátur; cujus et frequénter percipiéndæ consuetúdinem instaurávit, et morem e sublimi throno públice in triduum adorándæ invexísse perhibétur. Pudicítiam ádeo cóluit, ut étiam in exsángui córpore, revivíscere visus, ejus amórem testarétur. Accessére cæléstia dona éxtasis, lacrimárum, futurórum eventuum cognitiónis, scrutatiónis córdium, virtútis in humáni géneris hostem. Tandem, magnis labóribus ubique exantlátis, Guastállæ, quo pacis sequéster accítus fúerat, gravi morbo corréptus est. Cremónam addúctus, ínter suórum fletus et compléxus piissimæ matris, quam próxime obitúram prædíxit, supérna Apostolórum visióne recreátus, sodalitátis suæ increménta prænúntians, tértio Nonas Júlii anno millésimo quingentésimo trigésimo nono, sanctíssime óbiit, annos natus sex supra trigínta. Cultum tanto viro, ob exímiam ejus sanctitátem et signórum cópiam a christiáno pópulo statim exhibitum, Leo décimus tértius Póntifex máximus ratum hábuit et confirmávit; eumdémque anno millésimo octingentésimo nonagésimo séptimo, in festo Ascensiónis Dominicæ, solémni ritu Sanctórum fastis adscrípsit.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Quia. Glória Patri. Quia.

Pro hoc Festo simplificato

Lectio ix

ANtónius María Zaccaría, Cremónæ nóbili génere natus, jam a púero morum pudicítia et misericórdia in páuperes elúxit. Humánis lítteris, philosophíæ ac medicinæ vacans, integritáte vitæ et ingénii acúmine æquálibus antecélluit. Dei mónitu, sacras disciplinas sédulo excóluit; mox, sacerdótio auctus, talem se præbuit, ut pater pátriæ atque ángelus merúerit a suis cívibus appellári. Medioláni, cum Bartholomæo Ferrário et Jacóbo Morigia, sanctíssimis viris, sodalitátem Clericórum regulárium, a sancto Paulo nuncupátam, et Sanctimoniálium Ange-

licárum societátem instítuit. Sacræ Eucharístiæ cultor assíduus, públicam sanctíssimi Sacraménti expositiónem mirífice promóvit. Cæléstibus donis a Deo ditátus, magnisque labóribus oppréssus, gravem morbum cum nactus esset, Cremónæ, tértio Nonas Júlii, anno millésimo quingentésimo trigésimo nono, sanctíssime óbiit. Leo Papa décimus tértius cultum ei exhíbitum, ratum hábuit et confirmávit, eúmque Sanctórum catálogo adscrípsit.

Te Deum laudámus.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum

Lectio vii Cap. 10, 15-21

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Quisquis non recéperit regnum Dei velut párvulus, non intrábit in illud. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi

Sermo 47 de diversis

QUrum vidétur et grave quod Dóminus imperávit, ut, si quis eum vult sequi, ábneget seípsum; sed non est durum nec grave quod ille ímperat, qui ádjuvat ut fiat quod imperat. Nam illud verum est quod ei dicitur in Psalmo : Propter verba labiórum tuórum ego custodivi vias duras. Quidquid enim durum est in præcéptis, ut sit lene, cáritas facit. Nóvimus quanta ipse amor facit. Quid autem est, Neget se? Non præsúmat de se, séntiat se hóminem, et respíciat dictum prophéticum : Maledictus omnis qui spem suam ponit in hómine : subdúcat se sibi sed non deórsum versus : subdúcat se sibi, ut hæreat Deo.

℟. Ipse est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. — Ipse.

Lectio viii

QUO sequéndus est Dóminus? Quo iit, nóvimus; resurréxit enim et ascéndit in cælum : illo sequéndus est. Plane desperándum non est, quia ipse promisit, non quia homo áliquid potest. Jam quare desperémus, si membra illius cápitis sumus? Bonum est illo eum sequi;

sed vidéndum est, qua. Etenim verba ista Dóminus Jesus non tunc dicébat quando a mórtuis jam resurréxerat; nondum erat passus, ventúrus erat ad crucem, ventúrus ad exhonoratiónem, ad contumélias, ad flagélla, ad spinas, ad vúlnera, ad insultatiónes, oppróbria, mortem. Quasi exasperáta est via : pigrum te facis, non vis sequi : Séquere. Nam quis non velit ire ad exaltatiónem? omnes deléctat celsitúdo, sed humílitas gradus est.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. — Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix Epist. 38

TOlle crucem tuam, et séquere Dóminum. Crux enim nostra, quam Dóminus portári a nobis jubet, ut eum expeditíssimi sequámur, quid áliud quam mortalitátem carnis hujus significat? Ipsa enim nos crúciat, donec absorbeátur mors in victóriam. Crux ergo hæc ipsa crucifigénda est, et transfigénda est clavis timóris Dei, ne solútis et líberis membris reluctántem portáre non possis; sequi enim Dóminum, nisi eam portans, omníno non vales. Nam quómodo eum sequéris, si non es ejus? Qui autem Jesu Christi sunt, ait Apóstolus, carnem suam crucifixérunt cum passiónibus et desidériis.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

Oratio

FAC nos, Dómine Deus, supereminéntem Jesu Christi sciéntiam, spíritu Pauli Apóstoli ediscere; qua beátus Antónius María mirabíliter erudítus, novas in Ecclésia tua clericórum et vírginum famílias congregávit. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Commemoratio Oct. Ss. Petri et Pauli App.

Ant. Gloriósi príncipes terræ, quómodo in vita sua dilexérunt se, ita et in morte non sunt separáti.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Oratio

DEus, qui hodiérnam diem Apostolórum tuórum Petri et Pauli martýrio consecrásti : da Ecclésiæ tuæ, eórum in ómnibus sequi præcéptum; per quos religiónis sumpsit exórdium. Per Dóminum.

Vesperæ de sequenti, Commemoratio præcedentis.

Die 6 Julii

In Octava
Ss. Petri et Pauli App.

Duplex majus

Antiphonæ et Psalmi ad omnes Horas et Versus Nocturnorum de occurrenti Hebdomadæ die, ut in Psalterio; reliqua de Communi [6], præter ea quæ hic habentur propria.

IN I VESPERIS

Capit. Ephes. 2, 19-20

FRatres : Jam non estis hóspites et ádvenæ; sed estis cives sanctórum, et doméstici Dei, superædificáti super fundaméntum Apostolórum et Prophetárum, ipso summo angulári lápide Christo Jesu.

Hymnus

GXsúltet orbis gáudiis, Cælum resúltet láudibus :
Apostolórum glóriam
Tellus et astra cóncinunt.

Vos, sæculórum júdices
Et vera mundi lúmina,
Votis precámur córdium :
Audíte voces súpplicum.

Qui templa cæli cláuditis
Serásque verbo sólvitis,
Nos a reátu nóxios
Solvi jubéte, quæsumus.

Præcépta quorum prótinus
Languor salúsque séntiunt,
Sanáte mentes lánguidas,
Augéte nos virtútibus :

Ut, cum redíbit árbiter
In fine Christus sæculi,
Nos sempitérni gáudii
Concédat esse cómpotes.

* Patri, simúlque Fílio,
Tibíque, Sancte Spíritus,
Sicut fuit, sit júgiter
Sæclum per omne glória.
Amen.

℣. Constítues eos príncipes super omnem terram. ℟. Mémores erunt nóminis tui, Dómine.

Ad Magnif. Ant. Petrus Apóstolus * et Paulus Doctor géntium, ipsi nos docuérunt legem tuam, Dómine.

Oratio

DEus, cujus déxtera beátum Petrum ambulántem in flúctibus, ne mergerétur, eréxit, et coapóstolum ejus Paulum, tértio naufragántem, de profúndo pélagi liberávit : exáudi nos propitius, et concéde; ut, ambórum méritis, ætérnitátis glóriam consequámur : Qui vivis.

Et fit Com. præcedentis :

Ant. Hic vir, despíciens mundum et terréna, triúmphans, divitias cælo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit.

Oratio

FAC nos, Dómine Deus, supereminéntem Jesu Christi sciéntiam, spíritu Pauli Apóstoli edíscere; qua beátus Antónius Maria mirabiliter erudítus, novas in Ecclésia tua clericórum et vírginum famílias congregávit. Per eúmdem Dóminum.

AD MATUTINUM

In I Nocturno Lectiones de Scriptura occurrenti, cum suis Responsoriis de Tempore.

In II Nocturno

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi

Apud Metaphrasten

Lectio iv

Uasnam vobis, o beáti Apóstoli, referémus grátias, qui tantum pro nobis laborástis? Mémini tui, Petre, et obstupésco : recórdor tui, Paule, et excédens mente ópprimor lácrimis. Quid enim dicam, aut quid loquar, vestras contémplans afflictiónes, néscio. Quot cárceres sanctificástis! quot caténas decorástis : quot torménta sustinuístis! quot maledicta tolerástis! quómodo Christum portástis! quómodo prædicatióne ecclésias lætificástis! Sunt benedícta vestræ linguæ instruménta : sánguine conspérsa sunt membra vestra propter Ecclésiam. Vos Christum imitáti estis in ómnibus. In omnem terram éxiit vester sonus, et verba vestra in fines orbis terræ.

℟. Vidi conjúnctos viros, habéntes spléndidas vestes, et Angelus Dómini locútus est ad me, dicens : * Isti sunt viri sancti facti amíci Dei. ℣. Vidi Angelum Dei fortem, volántem per médium cælum, voce magna clamántem et dicéntem. — Isti.

Lectio v

GAudeas, Petre, cui datum est, ut ligno crucis Christi frueréris. Et ad Magístri quidem similitúdinem voluisti crucifígi, non recta quidem figúra, ut Christus Dóminus; sed

cápite in terram verso, tamquam qui a terra in cælum iter fáceres. Beáti clavi, qui sancta illa membra penetrárunt. Tu cum omni fidúcia in manus Dómini ánimam tradidísti, qui assídue ei et ejus sponsæ Ecclésiæ servísti, qui fervénti spíritu Dóminum dilexísti, ómnium Apostolórum fidelíssimus.

℟. Beáti estis, cum maledíxerint vobis hómines, et persecúti vos fúerint, et díxerint omne malum advérsum vos, mentiéntes, propter me : * Gaudéte et exsultáte, quóniam merces vestra copiósa est in cælis. ℣. Cum vos óderint hómines, et cum separáverint vos, et exprobráverint, et ejécerint nomen vestrum tamquam malum propter Fílium hóminis. — Gaudéte.

Lectio vi

GAudeas et tu, beáte Paule, cui caput fuit gládio amputátum, cujus virtútes nullis verbis explicári possunt. Quisnam gládius sanctum guttur tuum pervásit, Domínicum, inquam, instruméntum, quod a cælo habétur in admiratióne, et quod terra reverétur? Quisnam locus tuum sánguinem excépit, lactis spécie in ejus qui te percússit, túnica apparéntem? qui ánimam illíus bárbari supra modum dulciórem reddens, fidélem effécit cum sóciis. Sit mihi gládius ille pro coróna, et clavi Petri pro gemmis infíxis in diadémate.

℟. Isti sunt triumphatóres et amíci Dei, qui, contemnéntes jussa príncipum, meruérunt prædmia ætérna : * Modo coronántur, et accípiunt palmam. ℣. Isti sunt qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni. — Modo. Glória Patri. Modo.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 14, 22-23

IN illo témpore : Cómpulit Jesus discípulos ascéndere in navículam et præcédere eum trans fretum, donec dimítteret turbas. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbýteri

Lib. 2 Comment. in cap. 14 Matth.



Discípulis Dóminus præcépit transfretáre, et cómpulit ut ascénderent navículam. Quo sermóne osténditur, invítos eos a Dómino recessísse, dum amóre Præceptóris ne punctum qui-

dem témporis ab eo volunt separári. Et, dimíssa turba, ascéndit in montem solus oráre. Si fuíssent cum eo discípuli Petrus et Jacóbus et Joánnes, qui víderant glóriam transformáti, fórsitan ascendíssent in montem cum eo; sed turba ad sublímia sequi non potest, nisi docúerit eam juxta mare in líttore et alúerit in desérto.

℟. Isti sunt qui vivéntes in carne, plantavérunt Ecclésiam sánguine suo : * Cálicem Dómini bibérunt, et amíci Dei facti sunt. ℣. In omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum. — Cálicem.

Lectio viii

QUod autem ascéndit solus oráre, non ad eum réferas, qui de quinque pánibus quinque míllia saturávit hóminum, excéptis párvulis et muliéribus; sed ad eum, qui, audíta morte Joánnis, secéssit in solitúdinem : non quod persónam Dómini separémus, sed quod ópera ejus inter Deum hominémque divísa sint. Navícula autem in médio mari jactabátur flúctibus. Recte quasi invíti et retractántes Apóstoli a Dómino recésserant, ne, illo absénte, naufrágia sustinérent.

℟. Isti sunt viri sancti, quos elégit Dóminus in caritáte non ficta, et dedit illis glóriam sempitérnam : * Quorum doctrína fulget Ecclésia, ut sole luna. ℣. Sancti per fidem vicérunt regna : operáti sunt justítiam. — Quórum. Glória Patri. Quorum.

Lectio ix

DEnique, Dómino in montis cacúmine commoránte, statim ventus contrárius óritur, et turbat mare, et periclitántur Apóstoli; et támdiu imminens naufrágium persevérat, quámdiu Jesus véniat. Quarta autem vigília noctis venit ad eos ámbulans supra mare. Statiónes et vigíliæ militáres in terna horárum spátia dividúntur. Quando ergo dicit, quarta vigília noctis venísse ad eos Dóminum, osténdit tota nocte periclitátos; et extrémo noctis, atque in consummatióne mundi, eis auxílium præbitúrum.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

Capitulum Fratres, et Hymnus Exsúltet, ut supra in I Vesperis. 733

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Ad Bened. Ant. Gloriósi principes terræ, * quómodo in vita sua dilexérunt se, ita et in morte non sunt separáti.

Oratio

DEus, cujus déxtera beátum Petrum, ambulántem in flúctibus, ne mergerétur, eréxit, et coapóstolum ejus Paulum, tértio naufragántem, de profúndo pélagi liberávit : exáudi nos propítius, et concéde; ut, ambórum méritis, ætérnitátis glóriam consequámur : Qui vivis.

IN II VESPERIS

Omnia ut in I Vesperis.

Et fit Com. sequentis, ut infra.

Die 7 Julii

Ss. Cyrilli et Methodii

Epp. et Cc. [69] Duplex

IN I VESPERIS

Quando dicendæ sint integræ, Cæpit. Ecce sacérdos, et Hymnus Sédibus cæli, ut infra in II Vesperis. 742

Ant. O quam speciósi pedes evangelizántium pacem, evangelizántium bona, dicéntium Sion : Regnábit Deus tuus.

℣. Sacerdótes tui induántur justitiam. ℟. Et Sancti tui exsúltent.

Oratio

OMnipotens sempitérne Deus, qui Slavóniæ gentes per beátos Confessóres tuos atque Pontífices Cyríllum et Methódium ad agnitiónem tui nóminis veníre tribuísti : præsta; ut, quorum festivitáte gloriámur, eórum consórtio copulémur. Per Dóminum.

AD MATUTINUM

Invitat. Regem Confessórum Dóminum, * Veníte, adorémus. Ps. 94 Veníte, exsultémus.

Hymnus

SEdibus cæli nitidis recéptos
Dicite athlétas géminos, fidéles;
Slávicæ duplex cólumen decúsque
Dícite gentis.

Hos amor fratres sociávit unus,
Unaque abdúxit píetas erémo,
Ferre quo multis célerent beátæ
Pignora vitæ.

Luce, quæ templis súperis renídet,
Búlgaros complent, Móravos, Bohémos;
Mox feras turmas numerósa Petro
Agmina ducunt.

Débitam cincti méritis corónam,

Pérgite o flecti lácrimis precántum;
Prisca vos Slavis opus est datóres
Dona tuéri.

Quæque vos clamat generósa tellus
Servet ætérnæ fídei nitórem :
Quæ dedit princeps, dabit ipsa semper
Roma salútem.

Gentis humánæ Sator et Redémptor,
Qui bonus nobis bona cuncta præbes,
Sint tibi grates, tibi sit per omne
Glória sæclum.
Amen.

In I Nocturno, si sumendæ sint de Communi, Lectiones Laudémus viros, 2 loco. [83]

In II Nocturno

Lectio iv

Litteræ Encyclicæ Leonis Papæ XIII

CYrillus et Methódius fratres germáni, Thessalonícæ amplíssimo loco nati, Constantinópolim matúre concessérunt, ut in ipsa urbe Oriéntis príncipe humanitátis artes addíscerent. Utérque plúrimum brevi profecérunt; sed máxime Cyríllus, qui tantam scientiárum laudem adéptus est, ut singuláris honóris causa Philósophus appellarétur. Deinde mónachum ágere Methódius cœpit; Cyríllus autem dignus est hábitus, cui Theodóra imperátrix, auctóre Ignátio patriárcha, negótium daret erudiéndi ad fidem christiánam Cházaros, trans Chersonésum incoléntes, quos, præcéptis suis edóctos et Dei númine instínctos, multíplici superstitióne deléta, ad Jesum Christum adjúnxit. Recénti Christianórum communitáte óptime constitúta, Constantinópolim rédiit álacer, atque in monastérium Polychrónis, quo se jam Methódius recéperat, Cyríllus ipse secéssit. Interim cum res trans Chersonésum próspere gestas ad Rastiláum Moráviæ príncipem fama detulísset, is de áliquot operáriis evangélicis Constantinópoli arcesséndis cum imperatóre Michaéle tértio egit. Igitur Cyrillus et Methódius illi expeditióni destináti, et in Moráviam célebri lætítia excépti, ánimos christiánis institutiónibus tanta vi tamque operósa indústria excoléndos aggrediúntur, ut non longo intervállo ea gens nomen Jesu Christo libentíssime déderit. Ad eam rem non parum sciéntia váluit dictiónis Slavónicæ, quam Cyríllus ante

percéperat, multúmque potuérunt sacræ utriúsque Testaménti lítteræ, quas próprio pópuli sermóne reddíderat; nam Cyríllus et Methódius príncipes inveniéndi fuérunt ipsas lítteras, quibus est sermo ipsórum Slavórum signátus et expréssus, eáque de causa ejúsdem sermónis auctóres non immérito habéntur.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. — Manus.

Lectio v

CUM rerum gestárum glóriam secúndus rumor Romam nuntiásset, sanctus Nicoláus primus Póntifex máximus fratres óptimos Romam conténdere jussit. Illi Románum iter ingréssi, relíquias sancti Cleméntis primi Pontíficis máximi, quas Cyríllus Chersónæ repérerat, secum ádvehunt. Quo núntio, Hadriánus secúndus, qui Nicoláo demórtuo fúerat suffféctus, clero populóque comitánte, óbviam eis magna cum honóris significatióne progréditur. Deínde Cyríllus et Methódius de múnere apostólico in quo essent sancte laborioséque versáti, ad Pontíficem máximum, assidénte clero, réferunt. Cum autem eo nómine ab ínvidis accusaréntur, quod sermónem Slavónicum in perfunctióne múnerum sacrórum usurpavíssent, causam dixére ratiónibus tam certis tamque illústribus, ut Póntifex et clerus et laudárint hómines et probárint. Tum ambo, juráti se in fide beáti Petri et Pontíficum Romanórum permansúros, episcopi ab Hadriáno consecráti sunt. Sed erat provísum divínitus, ut Cyríllus vitæ cursum Romæ cónderet, virtúte magis quam ætáte matúrus. Itaque defúncti corpus, elátum fúnere público, in ipso sepúlcro, quod sibi Hadriánus exstrúxerat, compósitum fuit; tum ad sancti Cleméntis dedúctum, et hujus prope cíneres cónditum. Cumque veherétur per Urbem inter festos Psalmórum cantus, non tam fúneris quam triúmphi pompa, visus est pópulus Románus libaménta honórum cæléstium viro sanctíssimo detulísse. Methódius vero in Moráviam regréssus, ibíque factus forma gregis ex ánimo, rei cathólicæ inservíre majóre in dies stúdio ínstitit.

Quin étiam Pannónios, Búlgaros, Dálmatas in fide christiáni nóminis confirmávit; in Carínthiis autem ad unius veri Dei cultum traducéndis plúrimum elaborávit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Lectio vi

APud Joánnem octávum, qui Hadriáno succésserat, íterum de suspécta fide violatóque more majórum accusátus, ac Romam veníre jussus, coram Joánne et epíscopis áliquot cleróque urbáno, fácile vicit cathólicam prorsus fidem et se retinuísse constánter, et céteros diligénter edocuísse : quod vero ad linguam Slavónicam in sacris peragéndis usurpátam, se certis de causis ex vénia Hadriáni Pontíficis, nec sacris Lítteris repugnántibus, jure fecísse. Quaprópter in re præsénti compléxus Methódium Póntifex, potestátem ejus archiepiscopálem expeditionémque Slavónicam, datis étiam lítteris, ratam esse jussit. Quare Methódius in Moráviam revérsus assignátum sibi munus explére vigilántius perseverávit, pro quo et exsílium libénter passus est. Bohemórum príncipem ejúsque uxórem ad fidem perdúxit, et in ea gente christiánum nomen longe latéque vulgávit. Evangélii lumen in Polóniam invéxit, et, ut nonnúlli scriptóres tradunt, sede episcopáli Leópoli fundáta, in Moscóviam próprii nóminis digréssus, thronum pontificálem Kiowénsem constítuit. Demum in Moráviam revérsus est ad suos; jamque sese ábripi ad humánum éxitum séntiens, ípsemet sibi successórem designávit, clerúmque et pópulum suprémis præcéptis ad virtútem cohortátus, ea vita, quæ sibi via in cælum fuit, placidíssime defúnctus est. Uti Cyríllum Roma, sic Methódium Morávia decedéntem summo honóre prosecúta est. Illórum vero festum, quod apud Slavóniæ pópulos jámdiu celebrári consuéverat, Leo décimus tértius Póntifex máximus cum Offício ac Missa própria in univérsa Ecclésia quotánnis agi præcépit.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse.

Pro hoc Festo simplificato

Lectio ix

CYríllus et Methódius, fratres germáni, Thessalonícæ amplíssimo loco nati, ab imperatóre Michaéle tértio destináti in Moráviam, brevi eam gentem ad fidem Christi adduxérunt. Cum rerum gestárum glóriam secúndus rumor Romam nuntiásset, sanctus Nicoláus primus Póntifex máximus fratres óptimos Romam conténdere jussit; ubi ab Hadriáno, Nicolái successóre, epíscopi sunt consecráti. Sed, cum brevi Cyríllus Romæ piíssime obiísset, Methódius in Moráviam regréssus, rei cathólicæ inservíre impénsius ínstitit. Quin étiam Bohémos, Pannónios, Búlgaros, Dálmatas in fide christiána confirmávit; in Carínthiis autem ad unius veri Dei cultum traducéndis valde elaborávit. Item Evangélii lumen in Polóniam invéxit, et, ut nonnúlli scriptóres tradunt, sede episcopáli Leópoli fundáta, in Moscóviam próprii nóminis digréssus, thronum pontificálem Kiowénsem constítuit. Demum in Moráviam revérsus, clerum et pópulum suprémis præcéptis ad virtútem cohortátus, placidíssime defúnctus est. Cyrílli et Methódii festum, apud Slavóniæ pópulos jámdiu celebrátum, Leo décimus tértius ad univérsam Ecclésiam exténdit.

Te Deum laudámus.

In III Nocturno Homilia in Ev. Designávit Dóminus, ut in Comm. Evang., cum ℟℟. de Comm. Conf. Pont. ibidem notatis. [27]

AD LAUDES

Capit. Eccli. 44, 16-17

ECce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo, et invéntus est justus : et in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio.

Hymnus

LUX o decóra pátriæ
Slavísque amíca géntibus,
Salvéte, fratres : ánnuo
Vos efferémus cántico.

Quos Roma plaudens éxcipit,
Compléxa mater fílios,
Auget coróna præsulum
Novóque firmat róbore.

Terras ad usque bárbaras
Inférre Christum pérgitis;
Quot vanus error lúserat,
Álmo replétis lúmine.

Noxis solúta péctora
Ardor supérnus ábripit;
Mutátur horror véprium
In sanctitátis flósculos.

Et nunc seréna cælitum
Locáti in aula, súpplici
Adéste voto : Slávicas
Serváte gentes Númini.

Erróre mersos únicum
Ovíle Christi cóngreget;
Factis avítis æmula
Fides viréscat púlchrior.

¶ Sequens Conclusio numquam mutatur.

Tu nos, beáta Trínitas,
Cæléstis amóre cóncita,
Patrúmque natos ínclyta
Da pérsequi vestígia.
Amen.

℣. Sapiéntiam Sanctórum narrent pópuli. ℟. Et laudem eórum núntiet Eccléisia.

Ad Bened. Ant. In sanctitáte * et justítia serviérunt Dómino ómnibus diébus suis : ídeo stolam glóriæ índuit illos Dóminus, Deus Israël.

Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, qui Slavóniæ gentes per beátos Confessóres tuos atque Pontífices Cyríllum et Methódium ad agnitiónem tui nóminis veníre tribuísti : præsta; ut, quorum festivitáte gloriámur, eórum consórtio copulémur. Per Dóminum.

IN II VESPERIS

Capit. Eccli. 44, 16-17

ECce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo, et invéntus est justus : et in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio.

Hymnus

SEdibus cæli nítidis recéptos
Dícite athlétas géminos, fidéles;
Slávicæ duplex cólumen decúsque
Dícite gentis.

Hos amor fratres sociávit unus,
Unaque abdúxit píetas erémo,
Ferre quo multis célerent beátæ
Pignora vitæ.

Luce, quæ templis súperis renídet,
Búlgaros complent, Móravos, Bohémos;
Mox feras turmas numerósa Petro
Agmina ducunt.

Débitam cincti méritis corónam,
Pérgite o flecti lácrimis precántum;

Prisca vos Slavis opus est datóres
Dona tuéri.
Quæque vos clamat generósa tellus
Servet ætérnæ fídei nitórem :
Quæ dedit princeps, dabit ipsa semper
Roma salútem.
Gentis humánæ Sator et Redémptor,
Qui bonus nobis bona cuncta præbes,
Sint tibi grates, tibi sit per omne
Glória sæclum. Amen.

℣. Sacerdótes tui induántur justítiam. ℟. Et Sancti tui exsúltent.

Ad Magnif. Ant. Isti sunt * viri sancti facti amíci Dei, divínæ veritátis præcónio gloriósi : linguæ eórum claves cæli factæ sunt.

Et fit Commem. sequentis.

Die 8 Julii

S. Elisabeth

Reginæ, Viduæ [130]

Semiduplex

IN I VESPERIS

Quando Vesperæ dicendæ sint saltem a Capitulo, Hymnus Domáre, ut infra ad Matutinum.

Ant. Et nunc, reges, intellígite, erudímini, qui judicátis terram.

℣. Ora pro nobis, beáta Elísabeth. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Oratio

CLementíssime Deus, qui beátam Elísabeth reginam, inter céteras egrégias dotes, béllici furóris sedándi prærogatíva decorásti : da nobis, ejus intercessióne; post mortális vitæ, quam supplíciter pétimus, pacem, ad ætérna gáudia pervenire. Per Dóminum.

AD MATUTINUM

Invit. Laudémus Deum nostrum * In sanctis opéribus beátæ Elísabeth. Ps. 94 Veníte, exsultémus.

Hymnus

DOmáre cordis ímpetus Elísabeth
Fortis, inópsque Deo
Servíre, regno prætulit.
En fúlgidis recépta cæli sédibus,
Sidereæque domus
Ditáta sanctis gáudiis,
Nunc regnat inter cælites beátior,
Et premit astra, docens
Quæ vera sint regni bona.
Patri potéstas, Filióque glória,
Perpetuúmque decus
Tibi sit, alme Spíritus.
Amen.

In II Nocturno

Lectio iv

Lísabeth Aragóniæ régibusortam, Christi anno millésimo ducentésimo septuagésimo primo, in præságium futúræ sanctimóniæ, paréntes, præter morem relícto matris aviæque nómine, a magna ejus matértera, Thuríngiæ dómina, sancta Elísabeth, in baptísmo nominátam voluére. Ubi nata est, statim pátuit, quam felix regum regnorúmque esset futúra pacátrix; natalítia enim ejus lætítia perniciósas avi patrísque dissensiónes in concórdiam convértit. Pater vero, crescéntis póstea fíliæ admirátus índolem, affírmábat fore, ut una Elísabeth réliquas Aragoniórum regum sánguine creátas féminas virtúte longe superáret. Sic cæléstem ipsíus vitam in contemnéndo córporis ornátu, in fugiéndis voluptátibus, in jejúniis frequentándis, in divínis précibus assídue recitándis, in caritátis opéribus exercéndis, venerátus, rerum suárum regníque felicitátem unius fíliæ méritis referébat accéptam. Tandem, ubíque nota et a multis princípibus exoptáta, Dionýsio Lusitániæ regi christiánis cæremóniis rite est in matrimónium collocáta.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. — Et dedúcet.

Lectio v

JUncta conjúgio, non minórem excoléndis virtútibus quam líberis educándis óperam dabat, viro placére studens, sed magis Deo. Médiam fere anni partem solo pane tolerábat et aqua; quæ in quodam ipsíus morbo divínitus versa est in vinum, cum id a médicis præscríptum bíbere recusásset. Páuperis féminæ ulcus horréndum exosculáta, derepénte sanávit. Pecúnias paupéribus distribuéndas, ut regem latérent, hibérno témpore in rosas convértit. Vírginem cæcam a nativitáte illumináv it; multos álios solo crucis signo a gravíssimis morbis liberávit; plúrima id genus mirácula patrávit. Monastéria, collégia et templa non modo exstrúxit, sed étiam magnífice dotávit. In regum discórdiis componéndis admirábilis fuit; in privátis publicísque mortálium

sublevándis calamitátibus indeféssa.

℟. Dilexísti justitiam et odísti iniquitátem : * Propterea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea.

Lectio vi

DEfúncto rege Dionýsio, sicut virgínibus in prima ætáte, in matrimónio conjúgibus, ita víduis in solitúdine fuit ómnium virtútum exémplar. Illico enim religiósis sanctæ Claræ véstibus indúta, régio fúneri constánter intérfuit, ac paulo post, Compostéllam proficíscens, multa ex holosérico, argénto, auro, gemmísque donária pro regis ánima óbtulit. Inde revérsa domum, quidquid sibi carum aut pretiósum supérerat, in sacros ac pios usus convértit; absolvendóque suo vere régio Conimbricénsi vírginum cœnóbio, et aléndis paupéribus, et protegéndis víduis, defendéndis pupíllis, míseris ómnibus juvándis inténta, non sibi, sed Deo, et mortálium ómnium cómmodis vivébat. Reges duos, fílium et génerum, pacificatúra, Stremótium nóbile óppidum véniens, morbo ex itínere contrácto, ibídem a Vírgine Deípara visitáta, sanctíssime óbiit, anno millésimo trecentésimo trigésimo sexto die quarta Júlii. Post mortem multis miráculis cláruit, præsértim suavíssimo córporis jam per annos fere trecéntos incorrúpti odóre : semper étiam regínæ sanctæ cognoménto célebris. Tandem anno jubilæi, et nostræ salútis millésimo sexcentésimo vigésimo quinto, totíus christiáni orbis concúrsu et appláusu, ab Urbáno octávo rite inter Sanctos adscripta est.

℟. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo : * Múlier timens Deum, ipsa laudábitur. ℣. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus. — Múlier. Glória Patri. Múlier.

Pro hoc Festo simplificato

Lectio ix

CLísabeth Aragóniæ régibus orta est anno Christi millésimo ducentésimo septuagésimo primo. Natális ejus lætítia perniciósas avi patrísque dissensiónes in concórdiam convértit, ex quo statim pátuit, quam felix regum regnorúmque esset futúra pacátrix. In castigándo

córpore, in précibus assídue recitándis, in caritátis opéribus exercéndis admirábilis fuit. Dionýsio Lusitániæ regi in matrimónium trádita, non minórem excoléndis virtútibus quam líberis educándis óperam dabat, viro placére studens, sed magis Deo. Monastéria, collégia et templa non modo extrúxit, sed étiam magnífice dotávit. In regum discórdiis componéndis admirábilis fuit, in privátis publicísque mortálium sublevándis calamitátibus indefessa et miráculis clara. Defúncto rege Dionýsio, cum hábitum Seráphici órdinis induísset, quidquid sibi carum aut pretiósum supérerat, pro regis ánima templo Compostelláno óbtulit, et in sacros ac pios usus convértit. Dénique reges duos, fílium et génerum, pacificatúra, morbo ex itínere contrácto, a Vírgine Deípara visitáta, sanctíssime óbiit. Eam, miráculis claram, Urbánus octávus inter Sanctos adscrípsit.

Te Deum laudámus.

In III Nocturno Homilia in Ev. Símile est regnum cælórum, de Communi non Virginum 1 loco. [134]

AD LAUDES

Capit. Prov. 31, 10-11

MUlíerem fortem quis invéniet? Procul et de últimis fínibus prétium ejus. Confídit in ea cor virí sui, et spóliis non indigébit.

Hymnus

OPes decúsque régium
relíqueras,
Elísabeth, Dei dicáta númini :
Recépta nunc beáris inter
Angelos;
Libens ab hóstium tuére
non dolis.

Præi, viámque, dux salútis, índica :
Sequémur. O sit una mens
fidélium,
Odor bonus sit omnis
áctio, tuis
Id ínnuit rosis opérta cáritas.

Beáta cáritas, in arce síderum
Potens locáre nos per omne sæculum :
Patríque, Filióque summa
glória,
Tibíque laus perénnis,
alme Spíritus.
Amen.

℣. Méritis et précibus beátæ Elísabeth. ℟. Propítius esto, Dómine, pópulo tuo.

Ad Bened. Ant. Tu glória Jerúsalem, * tu lætítia Israël, tu honorificéntia pópuli tui.

Oratio

CLementíssime Deus, qui beátam Elísabeth regínam, inter céteras egrégias dotes, béllici furóris sedándi prærogatíva decorásti : da nobis, ejus intercessióne; post mortális vitæ, quam supplíciter pétimus, pacem, ad ætérna gáudia pervenire. Per Dóminum.

IN II VESPERIS

Capit. Mulierem, ut supra. 746

Hymnus

DOmáre cordis ímpetus
Elísabeth
Fortis, inópsque Deo
Servíre, regno prætulit.

En fúlgidis recépta cæli
sédibus,
Sidereæque domus
Ditáta sanctis gáudiis,

Nunc regnat inter cælites
beátior,
Et premit astra, docens
Quæ vera sint regni bona.

Patri potéstas, Filióque
glória,
Perpetuúmque decus
Tibi sit, alme Spíritus.
Amen.

℣. Ora pro nobis, beáta Elísabeth. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnif. Ant. Elísabeth, * pacis et pátriæ mater, in cælo triúmphans, dona nobis pacem.

Die 10 Julii

Ss. Septem Fratrum Martyrum ac Rufinæ et Secundæ Virg. et Mart. [49]

Semiduplex

℣. Lætámini in Dómino.

Ad Magnif. Ant. Istórum est enim * regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad prǽmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

Oratio

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus : ut, qui gloriósos Mártyres fortes in sua confessióne cognóvimus, pios apud te in nostra intercessióne sentiámus. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

SEptem fratres, fílii sanctæ Felicitátis, Romæ in persecutióne Marci Aurélii Antoníni a Públio præfécto primum blandítiis, deínde terróribus tentáti, ut, Christo renuntiántes, deos venerarétur; et, sua virtúte, et matre hortánte, in fídei confessióne perseverántes, várie necáti sunt. Januárius plumbátis cæsus; Felix et Philíppus fústibus contúsi; Silvánus ex altíssimo loco præceps dejéctus est; Alexánder, Vitális et Martiális cápite plectúntur. Mater eórum quarto post mense eámdem martýrii palmam consecúta est : illi sexto Idus Júlii spíritum Dómino reddidérunt.

℟. Sancti tui, Dómine, mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis : * Terra appáruit árida, et in Mari Rubro via sine impedimento. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, et torrentes inundavérunt. — Terra.

Lectio v

RUfina et Secúnda soróres, vírgines Románæ, rejécto connúbio Armentárii et Veríni, quibus a paréntibus despónsæ fúerant, quod Jesu Christo virginitátem vovíssent, Valeriáno et Galliéno imperatóribus, comprehendúntur. Quas cum nec promissis nec terróre Június præféctus a propósito posset abdúcere, Rufínam primum virgis cædi jubet; in cujus verbéribus Secúnda júdicem sic interpéllat : Quid est, quod sorórem meam honóre, me áfficis ignomínia? Jube ambas simul cædi, quæ simul Christum Deum confitémur. Quibus verbis incénsus judex ímperat utrámque detrúdi in tenebricósum et fœtidum cárcerem. Quo loco statim claríssima luce et suavíssimo odóre compléto, in ardénte bálnei sólio includúntur. Et cum inde étiam íntegræ evasíssent, mox saxo ad collum alligáto in Tíberim projéctæ sunt; unde ab Angelo liberátæ, extra Urbem via Aurélia milliário décimo, cápite plectúntur. Quarum córpora, a Plautílla matróna in ejus prædio sepúlta, ac póstea in Urbem translata, in basílica Constantiniána prope baptistérium cóndita sunt.

℟. Vérbera carnificum non timuérunt Sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine : * Ut herédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplicia. — Ut.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi

Sermo 110 de diversis

Lectio vi

MAgnum spectáculum, fratres, pósitum est ante óculos fídei nostræ.

Aure audívimus, corde vídimus optántem matrem ante se finíre istam vitam fílios suos, longe contráriis votis consuetúdini humánæ. Omnes enim hómines fílios suos, ex hac vita migrándo, præcédere volunt, non sequi; illa autem optávit postérior mori. Non enim amittébat fílios, sed præmittébat; nec intuebátur quam vitam finírent, sed quam inchoárent. Desinébant enim vívere, ubi quandóque fúerant moritúri; et incipiébant vívere, sine fine victúri. Parum est fuísse spectatrícem; miráti sumus pótius hortatrícem. Fœcúndior virtútibus quam fœtibus : videns certántes, in quibus ómnibus ipsa certábat, et in ómnibus vincéntibus ipsa vincébat.

℟. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus, et quasi holocáusti hóstiam accépit illos; et in témpore erit respéctus illórum : * Quóniam donum et pax est eléctis Dei. ℣. Qui confídunt in illum, intélligent veritátem : et fidéles in dilectióne acquiéscent illi. — Quóniam. Glória Patri. Quóniam.

Pro hoc Festo simplificato

Lectio ix

SEptem Fratres, fílii sanctæ Felicitátis, Romæ in persecutióne Marci Aurélii Antoníni a Públio præfécto frustra tentáti, ut idóla veneraréntur, sexto Idus Júlii, ipsa fortíssima matre eos ad martýrium hortánte, várie necáti sunt. Januárius plumbátis cæsus; Felix et Philíppus fústibus contúsi; Silvánus ex altíssimo loco præceps dejéctus est; Alexánder, Vitális et Martiális cápite plectúntur. Mater dénique, quarto post mense, eámdem martýrii palmam consecúta est. Rufína et Secúnda soróres, vírgines Románæ, rejécto connúbio Armentárii et Veríni, quod virginitátem Christo vovíssent, Valeriáno et Galliéno imperatóribus, comprehénsæ, Júnii præfécti blandítiis et minis a propósito mínime abdúctæ, vário tormentórum génere afflíctæ sunt. Cum vero, ab Angelis custodítæ, in sancto propósito perseverárent, via Aurélia, milliário décimo, cápite plectúntur. Quarum córpora, a Plautílla matróna in ejus prædio extra Urbem sepúlta, póstea in basílica Constantiniána prope baptistérium cóndita sunt.

Te Deum laudámus.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 12, 46-50

IN illo témpore : Loquénte Jesu ad turbas, ecce Mater ejus et fratres stabant foris quæréntes loqui ei. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ

Homilia 3 in Evangelia

SAncti Evangélii, fratres caríssimi, brevis est léctio recitáta, sed magnis mysteriórum pondéribus grávida. Jesus étenim, cónditor et redémptor noster, Matrem se nosse dissímulat, et quæ ei mater sit et qui propínqui, non per cognatiónem carnis, sed per conjunctiónem spíritus designat, dicens : Quæ est mater mea, et qui sunt fratres mei? Quicúmque enim fécerit voluntátem Patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, et soror, et mater est. Quibus nobis verbis quid áliud ínnuit, nisi quod obsequéntes jussiónibus suis multos ex gentilitáte cólligit; et Judæam, ex cujus carne est génitus, non agnóscit?

℟. Propter testaméntum Dómini et leges patérnas, Sancti Dei perstitérunt in amóre fraternitátis : * Quia unus fuit semper spíritus in eis, et una fides. ℣. Ecce quam bonum et quam jucúndum habitáre fratres in unum! — Quia.

¶ Si dicenda sit ix Lectio alicujus Officii commemorati, ex viii et ix Lectione fit una.

Lectio viii

SED cum is, qui voluntátem Patris fécerit, soror et frater Dómini dícitur, propter utrúmque sexum qui ad fidem collígitur, mirum non est; mirándum vero valde est, quómodo étiam mater dicátur. Fidéles enim discípulos fratres vocáre dignátus est, dicens : Ite, nuntiáte frátribus meis. Qui ergo frater Dómini fíeri ad fidem veniéndo potúerit, quæréndum est, quómodo étiam et mater esse possit.

℟. Hæc est vera fratérnitas, quæ numquam pótuit violári certámine : qui effúso sánguine secúti sunt Dóminum : * Contemnéntes aulam régiam, pervenérunt ad regna cæléstia. ℣. Ecce quam bonum et quam jucúndum habitáre fratres in unum! — Contemnéntes. Glória Patri. Contemnéntes.

Lectio ix

SED sciéndum nobis est quia qui Christi soror et frater est credéndo, mater effícitur prædicándo. Quasi enim parit Dóminum, quem cordi audiéntis infúderit; et mater ejus prædicándo effícitur, si per ejus vocem amor Dómini in próximi mente generátur. Ad quam rem nobis idónee confirmándam adest beáta Felícitas, cujus hódie natalítia celebrámus, quæ credéndo éxstitit ancílla Christi, et prædicándo facta est mater Christi. Septem quippe fílios, sícut in gestis ejus emendatióribus légitur, sic post se tímuit vivos in carne relínquere, sicut carnáles paréntes solent metuére ne mórtuos præmíttant. Te Deum.

AD LAUDES

℣. Exsultábunt Sancti.

Ad Bened. Ant. Vestri capílli cápitis * omnes numeráti sunt : nolíte timére : multis passéribus melióres estis vos.

Oratio

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus : ut, qui gloriósos Mártyres fortes in sua confessióne cognóvimus, pios apud te in nostra intercessióne sentiámus. Per Dóminum.

IN II VESPERIS

℣. Exsultábunt Sancti.

Ad Magnif. Ant. Gaudent in cælis * ánimæ Sanctórum, qui Christi vestígia sunt secúti : et quia pro ejus amóre sánguinem suum fudérunt, ideo cum Christo exsúltant sine fine.

Et fit Commem. sequentis.

Die 11 Julii

S. Pii I

Papæ et Martyris [29]

Simplex

Ant. Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit; fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória et honóre.

Oratio

GRegem tuum, Pastor ætérne, placátus inténde : et per beátum Pium Mártyrem tuum atque Summum Pontíficem, perpétua protectióne custódi; quem totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastórem. Per Dóminum.

Lectio iii

PIus, hujus nóminis primus, Aquilejénsis, Ruffíni fílius, ex presbýtero sanctæ Románæ Ecclésiæ summus Póntifex creátus est, Antoníno Pio et Marco Aurélio imperatóribus

augústis. Quinque ordinatiónibus, mense Decémbri, epíscopos duódecim, octódecim presbýteros creávit. Exstant nonnúlla ab eo præcláre instituta, præsértim ut Resurréctio Dómini nónnisi die Domínico celebrarétur. Pudéntis domum in eccléstam mutávit, eámque ob præstántiam supra céteros títulos, útpote Románi Pontíficis mansiónem, título Pastóris dicávit; et in qua sæpe rem sacram fecit, et multos ad fidem convérsos baptizávit ac in fidélium númerum adscrípsit. Dum vero boni pastóris munus obíret, fuso pro suis óvibus et summo pastóre Christo sánguine, martýrio coronátus est quinto Idus Júlii, ac sepúltus in Vaticáno. Te Deum.

℣. Justus ut palma.

Ad Bened. Ant. Qui odit * ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

Oratio

GRegem tuum, Pastor ætérne, placátus inténde : et per beátum Pium Mártyrem tuum atque Summum Pontíficem, perpétua protectióne custódi; quem totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastórem. Per Dóminum.

Vesperæ de sequenti, Com. Ss. Naboris et Felicis Mm.

Die 12 Julii

S. Joannis Gualberti

Abbatis [94] Duplex

℣. Amávit eum Dóminus.

Ad Magnif. Ant. Similábo eum * viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

Oratio C 4

INtercéssio nos, quæsumus, Dómine, beáti Joánnis Abbátis comméndet : ut, quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Ss. Naboris et Felicis Mm. :

Ant. Istórum est enim regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad prémia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Lætámini in Dómino.

Oratio

PRæsta quæsumus, Dómine : ut, sicut nos sanctórum Mártyrum tuórum Náboris et Felícis natalítia celebránda non déserunt; ita júgiter suffrágiis comiténtur. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

OÁnnes Gualbértus, Floréntiæ nóbili génere ortus, dum patri óbsequens rem militárem séquitur, Ugo, únicus ejus frater, occíditur a consanguíneo. Quem cum solum et inérmem sancto Parascéves die Joánnes, armis ac milítibus stipátus, óbvium habéret, ubi neuter álterum póterat declináre, ob sanctæ crucis reveréntiam, quam homicída supplex, mortem jamjam subitúrus, bráchiis signábat, vitam ei cleménter indúlget. Hoste in fratrem recépto, próximum sancti Miniátis templum oratúrus ingréditur, ubi adorátam Crucifíxi imáginem caput sibi fléctere cónspicit. Quo mirábili facto permótus Joánnes, Deo exínde, étiam invíto patre, militáre decérnit, atque ibídem própriis sibi mánibus comam totóndit, ac monásticum hábitum índuit : adeóque piis ac religiósis virtútibus brevi corúscat, ut multis se perfectiónis spécimen ac normam præbéret; ita ut, ejúsdem loci abbáte defúncto, commúni ómnium voto in superiórem eligerétur. At Dei fámulus, cúpiens subésse pótius quam præésse, ad majóra divína voluntáte servátus, ad Camaldulénsis erémi íncolam Romuáldum proficíscitur, a quo cælícum sui institúti vaticínium áccipit; tum suum

órdinem sub régula sancti Benedícti apud Umbrósam vallem instítuit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et.

Lectio v

DEínde, plúrimis ad eum ob ejus sanctitátis famam úndique convolántibus, una cum iis in sócios adscítis, ad hæréticam et simoníacam pravitátem exstirpándam et apostólicam fidem propagándam sédulo incúmbit, innúmera proptérea in se et suis incómmoda expértus. Nam, ut eum ejúsque sócios adversárii perdant, noctu sancti Sálvii cœnóbium repénte aggrediúntur, templum incéndunt, ædes demoliúntur, et mónachos omnes letháli vúlnere sáuciant; quos vir Dei único crucis signo incólumes prótinus reddit, et, Petro ejus mónacho per imménsum ardentissimúmque ignem illæso mirabíliter transeúnte, optátam sibi et suis tranquillitátem óbtinet. Inde simoníacam labem ab Etrúria éxpulit, ac in tota Itália fidem

prístinæ integritáti restítuit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vi

MUlta fúnditus eréxit monastéria, eadémque etália ædifíciis ac regulári observántia instauráta, sanctis légibus communívit. Ad egénos aléndos sacram supelléctilem véndidit : ad ímprobos coërcéndos eleménta sibi famulári conspéxit; ad dæmones compriméndos crucem quasi ensem adhíbuit. Demum abstinéntiis, vigíliis, jejúniis, oratiónibus, carnis maceratiónibus ac sénio confectus, dum infírma valetúdine gravarétur, Davídica illa verba persæpe repetébat : Sitívit ánima mea ad Deum fortem vivum : quando véniam et appárebo ante fáciem Dei? Jamque morti próximus, convocátos discípulos ad fratérnam concórdiam cohortátur, et in brevículo, cui consepelíri vóluit, jussit hæc scribi : Ego Joánnes credo et confíteor fidem, quam sancti Apóstoli prædicavérunt, et sancti Patres in quátuor concíliis confirmavérunt. Tandem, triduáno Angelórum obséquio dignátus, septuagésimum octávum annum agens, apud Passiniánum, ubi summa veneratióne cólitur, migrávit ad Dóminum, anno salútis millésimo septuagésimo tértio, quarto Idus Júlii. Quem Cælestínus tértius, innúmeris miráculis clarum, in Sanctórum número rétulit.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Quia. Glória Patri. Quia.

Pro hoc Festo simplificato

Lectio ix

JOánnes Gualbértus, Florentiæ nóbili génere ortus, dum patri óbsequens rem militárem séquitur, Ugo, únicus ejus frater, occíditur a consanguíneo. Quem cum solum et inérmem sancto Parascéves die Joánnes, armis et milítibus stipátus, óbvium habéret, ubi neuter álterum póterat declináre, ob sanctæ crucis reveréntiam, quam homicída supplex, mortem jamjam subitúrus, bráchiis signábat, vitam ei cleménter indúlget, ipsúmque in fratrem récipit. Tum sancti Miniátis templum ingréditur, ubi adorátam Crucifíxi imáginem caput sibi fléctere cónspicit. Quo facto permótus, milítiam deséruit, et monásticum hábitum índuit, sancto Romuáldo, Camaldulénsis erémi íncola, suadénte. Póstea monásticum órdinem sub régula sancti Benedícti apud Umbrósam vallem instítuit, quo in primis usus est ad simoníacam labem exstirpándam et ad apostólicam fidem propagándam. Virtútibus ac méritis plenus, et Angelórum familiaritáte donátus, septuagésimum octávum annum agens, apud Passiniánum migrávit ad Dóminum, quarto Idus Júlii, anno millésimo septuagésimo tértio. Te Deum.

In III Nocturno
Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 5, 43-48

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Audístis quia dictum est : Díliges próximum tuum, et ódio habébis inimícum tuum. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbýteri

Liber I Comm. in cap. 5 Matth.

EGO autem dico vobis : Dilígite inimícos vestros; benefácite his qui odérunt vos. Multi præcépta Dei, imbecillitáte sua, non Sanctórum víribus æstimántes, putant esse impossibília quæ præcépta sunt : et dicunt sufficere virtútibus, non odísse inimícos : céterum dilígere, plus præcipi, quam humána natúra patiátur. Sciéndum est ergo, Christum non impossibília præcípere, sed perfécta. Quæ fecit David in Saul, et in Absalom : Stéphanus quoque Martyr pro inimícis lapidántibus deprecátus est : et Paulus anáthema cupit esse pro persecutóribus suis. Hæc autem Jesus et dócuit et fecit, dicens : Pater, ignósce illis : quod enim fáciunt, nésciunt.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. — Ipse.

Lectio viii

IN réliquis opéribus bonis intérdum potest áliquis qualemcúmque excusatiónem præténdere; ad habéndam vero dilectiónem nullus se póterit excusáre. Potest mihi áliquis dícere, Non possum jejunáre; numquid potest dícere, Non possum amáre? Potest áliquis dícere, Virginitátem non possum serváre, non possum res totas véndere et paupéribus erogáre; numquid potest dícere, Non possum dilígere inimícos?

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. — Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix

NON enim ibi aut pedes labórant curréndo, aures audiéndo, aut manus operándo laxántur, ut nos per ipsam excusatiónem liberáre conémur. Non nobis dícitur : Ite ad Oriéntem, et quærite caritátem; navigáte ad Occidéntem, et inveniétis dilectiónem. Intus in nostro corde est, ubi redíre jubémur, dicénte prophéta : Redíte, prævaricatóres, ad cor. Non enim in longínquis regiónibus invenítur quod a nobis pétitur.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

Oratio C 4

INtercéssio nos, quæsumus, Dómine, beáti Joánnis Abbátis commendet : ut, quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum.

Deinde fit Commemoratio Ss. Naboris et Felicis Mm. :

Ant. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt : nolíte timére : multis passéribus melióres estis vos. ℣. Exsultábunt Sancti.

Oratio

PRæsta, quæsumus, Dómine : ut, sicut nos sanctórum Mártyrum tuórum Náboris et Felícis natalítia celebránda non déserunt; ita júgiter suffrágiis comiténtur. Per Dóminum.

IN II VESPERIS

℣. Justum dedúxit.

Ad Magnif. Ant. Hic vir despíciens mundum * et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

Et fit Commem. sequentis.

Die 13 Julii
S. Anacleti
Papæ et Martyris [29]

Semiduplex

Ant. Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit; fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória et honóre.

Oratio

GRegem tuum, Pastor ætérne, placátus inténde : et per beátum Anaclétum Mártyrem tuum atque Summum Pontíficem, perpétua protectióne custódi; quem totíus Eccléstæ præstitísti esse pastórem. Per Dóminum.

In II Nocturno

¶ Pro hoc Festo simplificato dicitur ut ix sequens

Lectio iv

Naclétus Atheniénsis, Trajáno imperatóre rexit Eccléstam. Decrévit ut episcopus a tribus epíscopis, neque a paucióribus, consecrarétur; et clérici sacris ordínibus públice a próprio epíscopo initiaréntur; et ut in Missa, perácta consecratióne, omnes communicárent. Beáti Petri sepúlcrum ornávit, Pontificúmque sepultúræ locum attríbuit. Fecit ordinatiónes duas mense Decémbri, quibus creávit presbýteros quinque, diáconos tres, epíscopos sex. Sedit annos novem, menses tres, dies decem. Martýrio coronátus, sepúltus est in Vaticáno.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descenditque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit eum. — Et.

De Expositióne sancti Ambrósii Epíscopi in Psalmum centésimum décimum octávum

Lectio v Sermo 21

Príncipes persecúti sunt me gratis : et a verbis tuis trepidávit cor meum. Bene hoc Martyr dicit, quod injúste persecutiónum torménta sustíneat; qui nihil rapúerit, nullum violéntus opprésserit, nullíus sánguinem fúderit, nullíus torum putáverit esse violándum; qui nihil légibus débeat, et gravióra latrónum sustinére cogátur supplícia; qui loquátur juste, et non audiátur; qui loquátur plena salútis, et impugnétur, ut possit dícere : Cum loquébar illis, impugnábant me gratis. Gratis ígitur persecutiónem pátitur, qui impugnátur sine crímine; impugnátur ut nóxius, cum sit in tali confessióne laudábilis; impugnátur quasi venéficus, qui in nómine Dómini gloriátur, cum piétas virtútum ómnium fundaméntum sit.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Et.

Lectio vi

VEre frustra impugnátur, qui apud ímpios et infídos impietátis arcéssitur, cum fídei sit magíster. Verum, qui gratis impugnátur, fortis debet esse et constans; quómodo ergo subtéxuit : Et a verbis tuis trepidávit cor meum? Trepidáre infirmitátis est, timóris atque formídinis. Sed est étiam infírmitas ad salútem, est étiam timor sanctórum : Timéte Dóminum, omnes sancti ejus : et, Beátus vir, qui timet Dóminum. Qua ratióne beátus? Quia in mandátis ejus cupit nimis.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus : * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus : et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. — Et. Glória Patri. Et.

In III Nocturno Homilia in Ev. Venit Jesus, de Communi unius aut plurium Summorum Pontificum. [28]

AD LAUDES

℣. Justus ut palma.

Ad Bened. Ant. Qui odit * ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

Oratio

GRegem tuum, Pastor ætérne, placátus inténde : et per beátum Anaclétum Mártyrem tuum atque Summum Pontíficem, perpétua protectióne custódi; quem totíus Eccléstæ præstitísti esse pastórem. Per Dóminum.

Vesperæ de sequenti, Commemoratio præcedentis.

Die 14 Julii
S. Bonaventuræ
Episc., Conf. et Eccl. Doct. [69]

Duplex (m. t. v.)

℣. Amávit eum Dóminus.

Ad Magnif. Ant. O Doctor óptime, * Eccléstæ sanctæ lumen, beáte Bonaventúra, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

Oratio C 3

DEus, qui pópulo tuo ætérnæ salútis beátum Bonaventúram minístrum tribuísti : præsta, quæsumus; ut, quem Doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cælis. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commem. præced. :

Ant. Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

℣. Justus ut palma.

Oratio Gregem tuum, ut supra. 758

In I Nocturno, si sumendæ sint de Communi, Lectiones Sapiéntiam. [87]

Lectio iv

Bonaventúra, Balneorégii in Etrúria natus, a letháli morbo adhuc puer, beáti Francísci précibus, cujus religióni, si convaluísset, voto matris dicátus fúerat, evásit incólumis. Itaque adoléscens fratrum Minórum institútum amplécti vóluit, in quo ad eam doctrínæ præstántiam Alexándro de Ales magístro pervénit, ut séptimo post anno Parísiis magistérii láuream adéptus, libros Sententiárum públice summa cum laude sit interpretátus, quos étiam præcláris póstea commentáriis illustrávit. Nec sciéntiæ solum eruditióne, sed et morum integritáte vitæque innocéntia, humilitáte, mansuetúdine, terrenárum rerum contémptu et cæléstium desidério mirífice excélluit; dignus plane, qui tamquam perfectiónis exémplar haberétur, et a beáto Thoma Aquináte, cui summa caritáte conjúnctus erat, sanctus appellarétur. Is enim, cum sancti Francísci vitam illum scribéntem comperísset : Sinámus, ait, Sanctum pro Sancto laboráre.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. — Manus enim mea.

Lectio v

Divíni amóris flamma succénsus, erga Christi Dómini passiónem, quam júgiter meditabátur, ac Deíparam Vírginem, cui se totum devóverat, singulári ferebátur pietátis afféctu; quem in áliis étiam verbo et exémplo excitáre, scriptísque opúsculis augére summópere stúduit. Hinc illa morum suávitas, grátia sermónis et cáritas in omnes effúsa, qua singulórum ánimos sibi arctíssime devinciébat. Quam ob rem, vix quinque et trigínta annos natus, Romæ summo ómnium consénsu generális órdinis minister eléctus est; susceptúmque munus per duodevigínti annos admirábili prudéntia gessit ac laude sanctitátis. Plura constítuit regulári disciplínæ et amplificándo órdini utília; quem una cum áliis ordínibus mendicántibus advérsus obtrectatórum calúmnias felíciter propugnávit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus enim mea auxiliábitur ei.

Lectio vi

Ad Lugdunénse concílium a beáto Gregório décimo accersitus et cardinális episcopus Albanénsis creátus, árduis concílii rebus egrégiam navávit óperam; qua et schísmatis dissídia compósita sunt, et ecclesiástica dógmata vindicáta. Quibus in labóribus, anno ætátis suæ quinquagésimo tértio, salútis vero millésimo ducentésimo septuagésimo quarto, summo ómnium mæróre decéssit, ab univérso concílio, ipso præsénte Románo Pontífice, fúnere honestátus. Eum Xystus quartus, plúrimis maximísque clarum miráculis, in Sanctórum númerum rétulit. Multa scripsit, in quibus summam eruditiónem cum pietátis ardóre conjúngens, lectórem docéndo movet : quare a Xysto quinto Doctóris Seráphici nómine mérito est insignítus.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Ipse. Glória Patri. Ipse.

Pro hoc Festo simplificato

Lectio ix

Bonaventúra, Balneorégii in Etrúria natus, adoléscens religiónem sancti Francísci Assisiénsis suscépit; in qua stúdio litterárum déditus, Alexándro de Ales præceptóre tantum profécit, ut séptimo post anno Parísiis libros Sententiárum públice summa cum laude sit interpretátus. Vir summæ mansuetúdinis ac humilitátis, erga Christi Dómini passiónem piíssime afféctus, vix quinque et trigínta annos natus, creátus est totíus órdinis minister generális. Quod munus prudénter administrándo, præcláram est laudem consecútus non solum doctrínæ et sanctimóniæ, sed étiam ingénii et dexteritátis. Qua fama ductus Gregórius Papa décimus cardinálem ipsum et epíscopum Albanénsem creávit. Multa ópera doctíssime conscrípsit, in primis Commentária in quátuor libros Sententiárum. Obiit Lugdúni, duránte concílio, ætátis suæ anno quinquagésimo tértio, et a Xysto quarto inter Sanctos relátus est. Xystus vero quintus Doctóris Seráphici nómine eum insignívit.

Te Deum laudámus.

In III Nocturno Homilia in Ev. Vos estis sal terræ, de Comm. Doct. 3 loco. [93]

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Oratio C 3

Deus, qui pópulo tuo ætérnæ salútis beátum Bonaventúram minístrum tribuísti : præsta, quæsumus; ut, quem Doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cælis. Per Dóminum.

IN II VESPERIS

℣. Justum dedúxit.

Ad Magnif. Ant. O Doctor óptime, * Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Bonaventúra, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

Et fit Commem. sequentis.

Die 15 Julii

S. Henrici Imperatoris, Confessoris [94]

Semiduplex (m. t. v.)

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

℣. Amávit eum Dóminus.

Oratio

Deus, qui hodiérna die beátum Henrícum Confessórem tuum e terréni cúlmine impérii ad regnum ætérnum transtulísti : te súpplices exorámus; ut, sicut illum, grátiæ tuæ ubertáte prævéntum, illécebras sæculi superáre fecísti, ita nos fácias, ejus imitatióne, mundi hujus blandiménta vitáre, et ad te puris méntibus perveníre. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

Henrícus, cognoménto Pius, e duce Bavária rex Germániæ ac póstmodum Romanórum imperátor, temporális regni non conténtus angústiis, pro adipiscénda immortalitátis coróna sédulam ætérno Regi exhíbuit servitútem. Adépto enim império, religióni amplificándæ studióse incúmbens, ecclésias ab infidélibus destrúctas magnificéntius reparávit, plurimísque largitiónibus et prædiis locupletávit. Monastéria alíaque loca pia vel ipse ædificávit, vel assignátis redítibus auxit. Episcopátum Bambergénsem, hereditáriis ópibus fundátum, beáto Petro Romanóque Pontífici vectigálem fecit. Benedíctum octávum, a quo impérii corónam accéperat, prófugum excépit, suæque Sedi restítuit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et.

Lectio v

In Cassinénsi monastério, gravi deténtus infirmitáte, a sancto Benedícto, insígni miráculo, sanátus est. Románam Ecclésiam amplíssimo diplómate munerátus, eídem tuéndæ bellum advérsus Græcos suscépit, et Apúliam, diu ab illis possédsam, recuperávit. Nihil sine précibus ággredi sólitus, Angelum Dómini sanctósque Mártyres tutelares pro se pugnántes ante áciem intérdum vidit. Divína autem protéctus ope, bárbaras natiónes précibus magis quam armis expugnávit. Pannóniam adhuc infidélem, trádita Stéphano regi soróre sua in uxórem, eóque baptizáto, ad Christi fidem perdúxit. Virginitátem raro exémplo matrimónio

junxit, sanctámque Cunegúndam, cónjugem suam, propínquis ejus, morti próximus, illibátam restítuit.

℟. Amávit eum Dóminus et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vi

DEnique, rebus ómnibus, quæ ad impérii honórem et utilitátem pertinébant, summa prudéntia dispósitis, et illústribus per Gálliam, Itáliam et Germániam religiósæ munificéntiæ vestígiis passim relíctis; postquam heróicæ virtútis suavíssimum odórem longe latéque diffúderat, sanctitáte quam sceptro clárior, ad regni cæléstis prǽmia, consummátis vitæ labóribus, a Dómino vocátus est anno salútis millésimo vigésimo quarto. Cujus corpus in ecclésia beatórum Apostolórum Petri et Pauli Bambérgæ cónditum fuit; statímque ad ejus túmulum multa mirácula, Deo ipsum glorificánte, patráta sunt. Quibus póstea rite probátis. Eugénius tértius Sanctórum número illum adscrípsit.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Quia. Glória Patri. Quia.

Pro hoc Festo simplificato

Lectio ix

HEnrícus cognoménto Pius, e duce Bavárиæ rex Germániæ ac póstmodum Romanórum imperátor, religióni amplificándæ studióse incúbuit. Episcopátum Bambergénsem, hereditáriis ópibus fundátum, beáto Petro Romanóque Pontífici vectigálem fecit; Benedíctum octávum prófugum excépit suǽque Sedi restítuit et, Ecclésiæ Románæ tuéndæ causa bello advérsus Græcos suscépto, Apúliam, diu ab illis possédssam, recuperávit. Divína autem protéctus ope, bárbaras natiónes précibus magis quam armis expugnávit. Pannóniam adhuc infidélem, trádita Stéphano regi soróre sua in uxórem, eóque baptizáto, ad fidem perdúxit. Virginitátem matrimónio junxit, sanctámque Cunegúndam cónjugem suam propínquis ejus, morti próximus, illibátam restítuit. Sanctitáte dénique quam sceptro clárior, ad regni cæléstis prǽmia vocátus est anno millésimo vigésimo quarto, et ab Eugénio tértio Sanctórum número adscríptus.

Te Deum laudámus.

In III Nocturno Homilia in Ev. Sint lumbi, de Communi Conf. non Pont. 1 loco. [98]

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

Oratio

DEus, qui hodiérna die beátum Henrícum Confessórem tuum e terréni cúlmine impérii ad regnum ætérnum transtulísti : te súpplices exorámus; ut, sicut illum, grátiæ tuæ ubertáte prævéntum, illécebras sæculi superáre fecísti, ita nos fácias, ejus imitatióne, mundi hujus blandiménta vitáre, et ad te puris méntibus pervenire. Per Dóminum.

Vesperæ de sequenti, Commemoratio præcedentis.

Die 16 Julii

In Commemoratione B. Mariæ Virg. de Monte Carmelo

Duplex majus

Omnia de Communi Festorum B. Mariæ V. [174], præter ea quæ hic habentur propria.

℣. Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta. ℟. Da mihi virtútem contra hostes tuos.

Ad Magnif. Ant. Sancta María, * succúrre míseris, juva pusillánimes, réfove flébiles, ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu : séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam solémnem Commemoratiónem.

Oratio

DEus, qui beatíssimæ semper Vírginis et Genitrícis tuæ Maríæ singulári título Carméli órdinem decorásti : concéde propítius; ut, cujus hódie Commemoratiónem solémni celebrámus offício, ejus muníti præsídiis, ad gáudia sempitérna pervenire mereámur : Qui vivis.

Et fit Com. præcedentis :

Ant. Hic vir, despíciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit.

Oratio ut supra.

AD MATUTINUM

In I Nocturno Lectiones Ego sapiéntia. [179]

In II Nocturno

Lectio iv

QUM sacra Pentecóstes die Apóstoli, cælitus afflati, váriis linguis loqueréntur, et, invocáto augustíssimo Jesu nómine, mira multa patrárent; viri plúrimi (ut fertur), qui vestígiis sanctórum Prophetárum Elíæ ac Eliséi instíterant, et Joánnis Baptístæ præcónio ad Christi advéntum comparáti fúerant, rerum veritáte perspécta atque probáta, evangélicam fidem conféstim amplexáti sunt, ac peculiári quodam affféctu beatíssimam Vírginem (cujus collóquiis ac familiaritáte felíciter frui potuére) ádeo venerári cœpérunt, ut primi ómnium in eo montis Carméli loco, ubi Elías olim ascendéntem nébulam, Vírginis typo insígnem, conspéxerat, eídem puríssimæ Vírgini sacéllum constrúxerint.

℟. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, et sicut cypréssus in monte Sion : quasi myrrha elécta, * Dedi suavitátem odóris. ℣. Et sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans. — Dedi.

Lectio v

AD novum ergo sacéllum sæpe quotídie conveniéntes, rítibus piis, precatiónibus ac láudibus beatíssimam Vírginem, velut singulárem órdinis tutélam, colébant. Quam ob rem fratres beátæ Maríæ de Monte Carmélo passim ab ómnibus appellári cœpérunt; eúmque títulum summi Pontífices non modo confirmárunt, sed et indulgéntias peculiáres iis, qui eo título vel órdinem vel fratres síngulos nuncupárent, concessére. Nec vero nomenclatúram tantum magnificentíssima Virgo tríbuit et tutélam, verum et insígne sacri scapuláris; quod beáto Simóni Anglico præbuit, ut cælésti hac veste ordo ille sacer dignoscerétur, et a malis ingruéntibus protegerétur. Ac demum, cum olim in Európa ordo esset ignótus, et ob id apud Honórium tértium non pauci pro illíus exstinctióne instárent, ástitit Honório noctu piíssima Virgo María, planéque jussit, ut institútum et hómines benígne complecterétur.

℟. Quæ est ista quæ procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam fíliæ Sion, et beátam dixérunt, et regínæ laudavérunt eam. ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum et lília convállium. — Vidérunt.

Lectio vi

NON in hoc tantum sæculo órdinem sibi tam accéptum multis prærogatívis beatíssima Virgo insignívit; verum et in álio (cum ubíque et poténtia et misericórdia plúrimum váleat) fílios in scapuláris societátem relátos, qui abstinéntiam módicam precésque paucas eis præscríptas frequentárunt, ac pro sui status ratióne castitátem coluérunt, matérno plane affféctu, dum igne purgatórii expiántur, solári ac in cæléstem pátriam obténtu suo quantócius pie crédítur efférre. Tot ergo tantísque benefíciis ordo cumulátus, solémnem beatíssimæ Vírginis Commemoratiónem, ritu perpétuo ad ejúsdem Vírginis glóriam quotánnis celebrándam, instítuit.

℟. Ornátam monílibus fíliam Jerúsalem Dóminus concupívit : * Et vidéntes eam fíliæ Sion, beatíssimam prædicavérunt, dicéntes : * Unguéntum effúsum nomen tuum. ℣. Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte. — Et. Glória Patri. Unguéntum.

Pro hoc Festo simplificato

Lectio ix

CUM sacra Pentecóstes die viri plúrimi, ut fertur, qui vestígiis sanctórum Prophetárum Elíæ ac Eliséi instíterant, evangélicam fidem fuíssent amplexáti, in eo montis Carméli loco, ubi Elías olim ascendéntem nébulam, beátæ Maríæ Vírginis typo insígnem, conspéxerat, eídem puríssimæ Vírgini sacéllum construére cœpérunt; eamdémque, velut singulárem órdinis tutélam, veneráti sunt, fratrum beátæ Maríæ de monte Carmélo exínde nómine accépto. Eis numquam défuit speciális protéctio beatíssimæ Vírginis, quæ Honórium tértium ab órdine exstinguéndo per sómnium detérruit, et insígne sacri scapuláris órdini tríbuit, quod qui gestáverint et abstinéntiam módicam precésque paucas frequentáverint, igne purgatórii deténti, obténtu suo quantócius in cæléstem pátriam pie credúntur efférri. Tot ergo tantísque benefíciis ordo cumulátus, solémnem beatíssimæ Vírginis Commemoratiónem quotánnis celebrándam instítuit.

Te Deum laudámus.

In III Nocturno Homilia in Ev. Loquénte Jesu, ut in Communi. [186]

In ℟. vii Felix loco sanctam festivitátem dicitur solémnem Commemoratiónem, ut in Communi notatur. [186]

AD LAUDES

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Bened. Ant. Caput tuum * ut Carmélus, et comæ cápitis tui sicut púrpura Regis vincta canálibus, allelúja.

Oratio

DEus, qui beatíssimæ semper Vírginis et Genitrícis tuæ Maríæ singulári título Carméli órdinem decorásti : concéde propítius; ut, cujus hódie Commemoratiónem solémni celebrámus offício, ejus muníti præsídiis, ad gáudia sempitérna pervenire mereámur : Qui vivis.

IN II VESPERIS

℣. Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta. ℟. Da mihi virtútem contra hostes tuos.

Ad Magnif. Ant. Glória Líbani * data est ei, decor Carméli et Saron, allelúja.

Et fit Commem. sequentis.

Die 17 Julii

S. Alexii Conf. [94]

Semiduplex

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram. ℣. Amávit eum Dóminus.

Oratio C 1

DEus, qui nos beáti Alexii Confessóris tui ánnua solemnitáte lætíficas : concéde propítius; ut, cujus natalítia cólimus, étiam actiónes imitémur. Per Dóminum.

In II Nocturno

¶ Pro hoc Festo simplificato Lectio iv dicitur ut ix.

Lectio iv

LExius, Romanórum nobilíssimus, propter exímium Jesu Christi amórem prima nocte nuptiárum peculiári Dei mónitu relínquens intáctam sponsam, illústrium orbis terræ ecclesiárum peregrinatiónem suscépit. Quibus in itinéribus cum ignótus se-

ptémdecim annos fuisset, aliquándo apud Edéssam, Sýriæ urbem, per imáginem sanctíssimæ Maríæ Vírginis, ejus nómine divulgáto, inde navi discéssit. Ad portum Románum appúlsus, a patre suo tamquam aliénus pauper hospítio accípitur; apud quem, ómnibus incógnitus, cum decem et septem annos vixísset, relícto scripto sui nóminis, sánguinis, ac totíus vitæ cursus, migrávit in cælum, Innocéntio primo summo Pontífice.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et.

Ex libro Morálium sancti Gregórii Papæ

Liber 10, cap. 16, in c. 12 Job

Lectio v

DEridétur justi simplícitas. Hujus mundi sapiéntia est : cor machinatiónibus tégere, sensum verbis veláre : quæ falsa sunt, vera osténdere; quæ vera sunt, falsa demonstráre. Hæc nimírum prudéntia usu a juvénibus scitur, hæc a púeris prétio discitur : hanc qui sciunt, céteros despiciéndo supérbiunt : hanc qui nésciunt, subjécti et timidi in áliis mirántur; quia ab eis hæc éadem duplicitátis iníquitas, nómine palliáta, dilígitur, dum mentis pervérsitas urbánitas vocátur. Hæc sibi obsequéntibus præcipit honórum cúlmina quærere, adépta temporális glóriæ vanitáte gaudére, irrogáta ab áliis mala multiplícius réddere : cum vires súppetunt, nullis resisténtibus cédere; cum virtútis possibílitas deest, quidquid explére per malítiam non valent, hoc in pacífica bonitáte simuláre.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradisi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vi

AT contra, sapiéntia justórum est : nil per ostensiónem fíngere, sensum verbis aperire, vera ut sunt diligere, falsa devitáre; bona gratis exhibére, mala libéntius toleráre quam fácere; nullam injúriæ ultiónem quærere, pro veritáte contuméliam lucrum putáre. Sed hæc justórum simplícitas deridétur; quia ab hujus mundi sapiéntibus puritátis virtus fatúitas créditur. Omne enim quod innocénter ágitur, ab eis proculdúbio stultum putátur; et quidquid in ópere véritas ápprobat, carnáli sapiéntiæ fátuum sonat. Quid namque stúltius vidétur mundo quam mentem verbis osténdere, nil cállida machinatióne simuláre, nullas injúriis contumélias réddere, pro maledicéntibus oráre, paupertátem quærere, posséssa relínquere, rapiénti non resístere, percutiénti álteram maxíllam præbére?

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Quia. Glória Patri. Quia.

In III Nocturno Homilia in Ev. Ecce nos reliquimus, de Communi Abbatum I loco. [107]

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

Oratio C 1

DEus, qui nos beáti Aléxii Confessóris tui ánnua solemnitáte lætíficas : concéde propítius; ut, cujus natalítia cólimus, étiam actiónes imitémur. Per Dóminum.

Vesperæ de sequenti, Com. præc. ac Ss. Symphorosæ et septem Filiorum ejus Mm.

Die 18 Julii

S. Camilli de Lellis

Confessoris [94]

Duplex (m. t. v.)

℣. Amávit eum Dóminus.

Ad Magnif. Ant. Similábo eum * viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

Oratio

DEus, qui sanctum Camíllum, ad animárum in extrémo agóne luctántium subsídium, singulári caritátis prærogatíva decorásti : ejus, quæsumus, méritis spíritum nobis tuæ dilectiónis infúnde; ut in hora éxitus nostri hostem víncere, et ad cæléstem mereámur corónam pervenire. Per Dóminum.

Et fit Com. præcedentis :

Ant. Hic vir, despíciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit.

Oratio C 1

DEus, qui nos beáti Aléxii Confessóris tui ánnua solemnitáte lætíficas : concéde propítius; ut, cujus natalítia cólimus, étiam actiónes imitémur. Per Dóminum.

Deinde Commem. Ss. Symphorosæ et septem Filiorum ejus Martyrum :

Ant. Istórum est enim regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad prǽmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Lætámini in Dómino.

Oratio

DEus, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum Symphorósæ et filiórum ejus natalítia cólere : da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

Amíllus Bucclánici, Theatínæ diœcésis óppido, ex nóbili Lelliórum família natus est matre sexagenária, cui grávidæ visum est per quiétem, puérulum crucis signo in péctore munítum, et ágmini puerórum idem signum gestántium præeúntem, se peperísse. Adoléscens rem militárem secútus, sæculi vítiis aliquámdiu indúlsit; donec, vigésimum quintum agens ætátis annum, tanto supérnæ grátiæ lúmine divinǽque offénsæ dolóre corréptus fuit, ut ubérrimo lacrimárum imbre íllico perfúsus, anteáctæ vitæ sordes indesinénter abstérgere, novúmque indúere hóminem fírmiter decréverit. Quare ipso, quo id cóntigit, Purificatiónis beatíssimæ Vírginis festo die, ad fratres Minóres, quos Capuccínos vocant, cónvolans, ut eórum número adscriberétur summis précibus exorávit. Voti compos semel atque íterum factus est : sed, fœdo úlcere, quo aliquándo laboráverat, in ejus tíbia iteráto recrudescénte, divínæ providéntiæ majóra de eo disponéntis consílio humíliter se subjécit; suíque victor, illíus religiónis bis expetítum et suscéptum hábitum bis dimísit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et.

Lectio v

ROmam profféctus, in nosocomíum, quod Insanabilium dícitur, recéptus est; cujus étiam administratiónem, ob perspéctas ejus virtútes sibi demandátam, summa integritáte ac sollicitúdine vere patérna perégit. Omnium ægrórum servum se réputans, eórum stérnere léctulos, sordes térgere, ulcéribus medéri, agoníque extrémo piis précibus et cohortatiónibus opem ferre solémne hábuit; quibus in munéribus præclára præbuit admirábilis patiéntiæ, invíctæ fortitúdinis et heróicæ caritátis exémpla. Verum, cum animárum in extrémis periclitántium, quod únice intendébat, levámini subsídium litterárum plúrimum conférre intellígeret, trigínta duos annos natus in primis grammáticæ eleméntis tirocínium inter púeros íterum subíre non erúbuit. Sacerdótio póstea rite initiátus, nonnúllis sibi adjúnctis sóciis, prima jecit congregatiónis Clericórum regulárium inf rmis ministrántium fundaménta, írrito conátu obniténte humáni géneris hoste. Nam Camíllus, cæléstі voce e Christi crucifíxi, manus étiam de ligno avúlsas admirándo prodígio protendéntis, simulácro emíssa mirabíliter confirmátus, órdinem suum a Sede apostólica approbári obtínuit; sodálibus quarto obstrictis máxime árduo voto, infírmis, quos étiam pestis infécerit, ministrándi. Quod institútum, quam foret Deo accéptum et animárum salúti profícuum, sanctus Philíppus Nérius, qui Camíllo a sacris confessiónibus erat, comprobávit, dum ejus alúmnis decedéntium agóni opem feréntibus Angelos suggeréntes verba sæpius se vidísse testátus est.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vi

ARctióribus hisce víncu-lis ægrotántium ministério mancipátus, mirum est qua alacritáte, nullis fractus labóribus, nullis detérritus vitæ perículis, diu noctúque ad supré-mum usque spíritum, eórum cómmodis vigiláverit. Omnibus ómnia factus, vilíssima quæque offícia demissíssimo obséquio flexísque plerúmque génibus, véluti Christum

ipsum cérneret in infírmis, hílari promptóque ánimo arripiébat; utque ómnium indigéntiis præsto esset, generálem órdinis præfectúram, cælíque delícias quibus in contemplatióne defíxus affluébat, sponte dimísit. Patérnus vero illíus erga míseros amor tum máxime effúlsit, dum et Urbs contagióso morbo primum, deínde extréma annónæ laboráret inópia, et Nolæ in Campánia dira pestis grassarétur. Tanta dénique in Deum et próximum caritáte exársit, ut ángelus nuncupári, et Angelórum opem in vário itínerum discrímine experíri promererétur. Prophetíæ dono et grátia sanitátum præditus, arcána quoque córdium inspéxit; ejúsque précibus nunc cibária multiplicáta sunt, nunc aqua in vinum convérsa. Tandem vigíliis, jejúniis et assíduis attrítus labóribus, cum pelle tantum et óssibus constáre viderétur, quinque moléstis æque ac diútinis morbis, quos misericórdias Dómini appellábat, fórtiter tolerátis, sacraméntis munítus, Romæ, inter suavíssima Jesu et Maríæ nómina, ad ea verba : Mitis atque festívus Christi Jesu tibi aspéctus appáreat; qua prædixerat hora, obdormívit in Dómino, prídie Idus Júlii, anno salútis millésimo sexcentésimo décimo quarto, ætátis suæ sexagésimo quinto. Quem, plúribus illústrem miráculis, Benedíctus décimus quartus solémni ritu Sanctórum fastis adscrípsit; et Leo décimus tértius, ex Sacrórum cathólici orbis antístitum voto ac Rituum Congregatiónis consúlto, cæléstem ómnium hospitálium et infirmórum ubíque degéntium patrónum declarávit, ipsiúsque nomen in agonizántium litaníis invocári præcépit.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Quia. Glória Patri. Quia.

Pro hoc Festo simplificato

Lectio ix

CAmíllus Bucclánici, in Theatínæ diœcésis óppido, ex nóbili Lelliórum família natus, adoléscens rem militárem secútus, sæculi vítiis aliquámdiu indúlsit. Divínæ tamen offénsæ dolóre corréptus, ad fratres Minóres, quos Capuccínos vocant, cónvolans, ut eórum número adscriberétur, eníxe postulávit. Voti compos semel atque íterum factus, fœdo úlcere, quo aliquándo laboráverat, in ejus tíbia iteráto recrudescénte, superiórum plácitis humíliter se submíttens, illíus religiónis bis expetítum et suscéptum hábitum bis dimísit. Romam profféctus, et sacerdótio rite initiátus, prima jecit fundaménta congregatiónis Clericórum regulárium infírmis ministrántium, sodálibus quarto obstrictis máxime árduo voto, infírmis, quos étiam pestis infecísset, ministrándi. Iterátis jejúniis et assíduis fractus labóribus, quinque moléstis æque ac diútinis morbis, quos misericórdias Dómini appellábat, fórtiter tolerátis, óbiit in Dómino, prídie Idus Júlii, anno millésimo sexcentésimo décimo quarto, ætátis sexagésimo quinto. Eum Leo décimus tértius cæléstem ómnium hospitálium et infirmórum patrónum renuntiávit, ejúsque nomen in agonizántium litaníis invocári præcépit.

Te Deum laudámus.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem

Lectio vii Cap. 15, 12-16

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Hoc est præcéptum meum, ut diligátis ínvicem, sicut diléxi vos. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi

Tractatus 83 in Joannem

QUid putámus, fratres mei? numquídnam solum ejus de ista dilectióne mandátum est, qua dilígimus ínvicem? Nonne est et áliud majus, ut diligámus Deum? Aut vero de sola Deus nobis dilectióne mandávit, ut ália non requirámus? Tria certe comméndat Apóstolus, dicens : Manent autem fides, spes, cáritas, tria hæc, major autem horum cáritas. Et, si in caritáte, hoc est, in dilectióne concludúntur duo illa præcépta, major tamen dicta est esse, non sola. De fide ígitur nobis quam multa mandáta sunt, quam multa de spe! Quis potest cuncta collígere, quis enumerándo suffícere? Sed intueámur, quod ait idem Apóstolus : Plenitúdo legis cáritas.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes

operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. — Ipse.

Lectio viii

UBI ergo cáritas est, quid est, quod possit deésse? ubi autem non est, quid est quod possit prodésse? Dæmon credit, nec díligit : nemo díligit, qui non credit. Frustra quidem, sed tamen potest speráre véniam qui non díligit; nemo autem potest desperáre qui díligit. Itaque ubi diléctio est, ibi necessário fides et spes; et, ubi diléctio próximi, ibi necessário étiam diléctio Dei. Qui enim non díligit Deum, quómodo díligit próximum tamquam se ipsum? Quandóquidem non díligit et se ipsum. Est quippe ímpius et iníquus; qui autem díligit iniquitátem, non plane díligit, sed odit ánimam suam.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. — Et. Glória. Et.

Pro Ss. Symphorosa et septem Filiis ejus, Mm.

Lectio ix

SYmphorósa Tiburtína, Getúlii Mártyris uxor, ex eo septem fílios péperit, Crescéntium, Juliánum, Nemésium, Primitívum, Justínum, Stácteum et Eugénium; qui omnes propter christiánæ fídei professiónem una cum matre, Hadriáno imperatóre, comprehénsi sunt. Quorum píetas, multis variísque tentáta suppliciis, cum stábilis permanéret, mater, quæ fíliis fídei magístra fúerat, dux eísdem ad martýrium éxstitit. Nam, saxo ad collum alligáto, in profluéntem dejícitur : cujus corpus, conquisítum a fratre ejus Eugénio, sepelítur. Postrídie ejus diéi, qui fuit décimo quinto Kaléndas Augústi, septem fratres sínguli ad palum alligáti, várie sunt interfécti : Crescéntio guttur ferro transfígitur; Juliáno pectus confóditur; Nemésio cor transverberátur; Primitívo trajícitur umbílicus; Justínus membrátim secátur; Stácteus telis confígitur; Eugénius a péctore in duas partes dividitur. Ita octo héstiæ Deo gratíssimæ sunt immolátæ. Córpora in altíssimam fóveam projécta sunt via Tiburtína, nono ab Urbe lápide; quæ, póstea Romam transláta, cóndita sunt in ecclésia sancti Angeli in piscína.

Te Deum laudámus.

Si autem ix Lectio alicujus Officii commemorati non sit dicenda, erit sequens

Lectio ix

HOC ergo præcéptum Dómini teneámus, ut nos ínvicem diligámus, et quidquid áliud præcépit, faciémus; quóniam quidquid est áliud, hic habémus. Discérnitur quippe ista diléctio ab illa diléctióne, qua se ínvicem díligunt hómines; nam, ut discernerétur, adjúnctum est : Sicut diléxi vos. Ut quid enim díligit nos Christus, nisi ut regnáre possímus cum Christo? Ad hoc ergo et nos ínvicem diligámus, ut diléctiónem nostram discernámus a céteris, qui non ad hoc se ínvicem díligunt, quia nec díligunt. Qui autem se propter habéndum Deum díligunt, ipsi se díligunt. Ergo, ut se diligant, Deum díligunt. Non est hæc diléctio in ómnibus homínibus : pauci se proptérea díligunt, ut sit Deus ómnia in ómnibus. Te Deum.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam. intra in gáudium Dómini tui.

Oratio

DEus, qui sanctum Camíllum, ad animárum in extrémo agóne luctántium subsídium, singulári caritátis prærogatíva decorásti : ejus, quæsumus, méritis, spíritum nobis tuæ dilectiónis infúnde; ut in hora éxitus nostri hostem víncere, et ad cæléstem mereámur corónam pervenire. Per Dóminum.

Et fit Com. Ss. Symphorosæ et septem Filiorum ejus Mm. :

Ant. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt : nolíte timére : multis passéribus melióres estis vos.

℣. Exsultábunt Sancti.

Oratio

DEus, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum Symphorósæ et filiórum ejus natalítia cólere : da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum.

Vesperæ a Capitulo de seq., Commemoratio præcedentis.

Die 19 Julii

S. Vincentii a Paulo

Confessoris [94]

Duplex (m. t. v.)

Oratio

DEus, qui ad evangelizándum paupéribus et ecclesiástici órdinis decórem promovéndum, beátum Vincéntium apostólica virtúte roborásti : præsta, quæsumus; ut, cujus pia mérita venerámur, virtútum quoque instruámur exémplis. Per Dóminum.

Et fit Com. præcedentis :

Ant. Hic vir, despiciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit.

Oratio

DEus, qui sanctum Camíllum, ad animárum in extrémo agóne luctántium subsídium, singulári caritátis prærogatíva decorásti : ejus, quæsumus, méritis, spíritum nobis tuæ dilectiónis infúnde; ut in hora éxitus nostri hostem víncere, et ad cæléstem mereámur corónam pervenire. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

Incéntius a Paulo, natióne Gallus, Póidii non procul ab Aquis Tarbéllis in Aquitánia natus, jam tum a púero eximiam in páuperes caritátem præ se tulit. A custódia patérni gregis ad lítteras evocátus, humánas Aquis, divínas cum Tolósæ, tum Cæsaraugústæ dídicit. Sacerdótio initiátus ac theologíæ láurea insignítus, in Turcas íncidit, qui captívum in Africam abduxérunt. Sed in captivitáte pósitus herum ipsum Christo rursus lucrifécit. Cum eo ígitur ex bárbaris oris, opitulánte Deipara, sese proripiens, ad apostólica límina iter instítuit. Unde in Gálliam revérsus, Clippíaci primum, mox Castelliónis paræcias sanctíssime rexit. Renuntiátus a rege primárius Sacrórum minister in Gálliæ trirémibus, mirum quo zelo et ducum et rémigum salúti óperam posúerit. Moniálibus Visitatiónis a sancto Francisco Salésio præpósitus, tanta prudéntia per annos círciter quadragínta eam curam sustínuit, ut máxime comprobáverit judícium sanctíssimi præsulis, qui sacerdótem Vincéntio digniórem nullum se nosse fatebátur.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem

ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et.

Lectio v

EVangelizándis paupéribus, præsértim rurícolis, ad decrépitam usque ætátem indeféssus incúbuit, eíque apostólico óperi tum se, tum alúmnos congregatiónis, quam sub nómine Presbyterórum sæculárium Missiónis instítuit, perpétuo voto a sancta Sede confirmáto, speciátim obstrínxit. Quantum autem augéndæ cleri disciplínæ allaboráverit, testántur erécta majórum clericórum seminária, collatiónum de divínis inter sacerdótes frequéntia, et sacræ ordinatióni præmitténda exercítia; ad quæ, sicut et ad pios laicórum secéssus, institúti sui domicília libénter patére vóluit. Insuper, ad amplificándam fidem et pietátem, evangélicos misit operários, non in solas Gálliæ províncias, sed et in Itáliam, Polóniam, Scótiam, Hibérniam, atque ad bárbaros et Indos. Ipse vero, vita functo Ludovíco décimo tértio, cui moriénti hortátor ástitit, a regína Anna Austríaca, matre Ludovíci décimi quarti, in sánctius concílium accítus, studiosíssime egit, ut nónnisi dignióres ecclésiis ac monastériis præficeréntur; civíles discórdiæ, singulária certámina, serpéntes erróres, quos simul sensit et exhórruit, amputaréntur; debítaque judíciis apostólicis obediéntia præstarétur ab ómnibus.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vi

NUllum fuit calamitátis genus, cui patérne non occúrrerit. Fidéles sub Turcárum jugo geméntes, infántes expósitos, júvenes díscolos, vírgines periclitántes, moniáles dispérsas, mulíeres lapsas, ad trirémes damnátos, peregrinos infírmos, artífices inválidos, ipsósque mente captos, ac innúmeros mendícos subsídiis et hospítiis etiámnum superstítibus excépit ac pie fovit. Lotharíngiam, Campániam, Picárdiam, aliásque regiónes peste, fame, bellóque vastátas, prolíxe refécit. Plúrima ad perquiréndos et sublevándos míseros sodalítia fundávit, inter quæ célebris matro-

nárum cœtus, et late diffúsa sub nómine Caritátis puellárum socíetas. Puéllas quoque tum de Cruce, tum de Providéntia, ac sanctæ Genovéfæ ad sequióris sexus educatiónem erigéndas curávit. Hæc inter etália gravíssima negótia Deo júgiter inténtus, cunctis affábilis, ac sibi semper constans, simplex, rectus, húmilis, ab honóribus, divítiis ac delíciis semper abhórruit; audítus dícere, rem nullam sibi placére, prætérquam in Christo Jesu, quem in ómnibus studébat imitári. Córporis demum afflictatióne, labóribus senióque attrítus, die vigésima séptima Septémbris, anno salútis supra millésimum sexcentésimo sexagésimo, ætátis suæ octogésimo quinto, Parísiis, in domo sancti Lázari, quæ caput est congregatiónis Missiónis, plácide obdormívit; quem, virtútibus, méritis ac miráculis clarum, Clemens duodécimus inter Sanctos rétulit, ipsíus celebritáti die décima nona mensis Júlii quotánnis assignáta. Hunc autem divínæ caritátis exímium heróem, de unoquóque hóminum génere óptime méritum, Leo tértius décimus, instántibus plúribus Sacrórum antistítibus, ómnium societátum caritátis, in toto cathólico orbe exsisténtium et ab eo quomodocúmque promanántium, peculiárem apud Deum patrónum declarávit et constítuit.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Quia. Glória Patri. Quia.

Pro hoc Festo simplificato

Lectio ix

VIncéntius a Paulo, Pódii in Aquitánia natus, jam a púero exímiam in páuperes caritátem præ se tulit. A custódia patérni gregis ad lítteras evocátus, et dein sacerdótio initiátus, in Turcas incidit, qui captívum in Africam abduxérunt; unde cum hero, ad fidem Christi redúcto, se erípuit et in Gálliam revérsus est. In parœciis sibi commíssis et dein in trirémibus animárum salúti sédulo incúbuit. Moniálibus Visitatiónis per annos círciter quadragínta máxima prudéntia præfuit. Evangelizándis paupéribus, præ-

sértim rurícolis, ad decrépitam usque ætátem indeféssus incúbuit, eíque apostólico óperi tum se, tum alúmnos congregatiónis, quam sub nómine Presbyterórum sæculárium Missiónis instítuit, perpétuo voto a sancta Sede confirmáto obstrínxit. Plúrima ad perquiréndos et sublevándos míseros et ad sequióris sexus educatiónem sodalítia fundávit. Córporis demum afflictatióne, labóribus senióque attrítus, anno salútis millésimo sexcentésimo sexagésimo plácide obdormívit in Dómino. Eum miráculis clarum Clemens duodécimus inter Sanctos rétulit, et Leo décimus tértius ómnium societátum caritátis, in toto cathólico orbe exsisténtium et ab eo quomodocúmque promanántium, peculiárem apud Deum patrónum declarávit et constítuit.

Te Deum laudámus.

In III Nocturno Homilia in Ev. Designávit Dóminus, ut in Communi Evang. cum ℟℟. de Communi Conf. non Pont. ibidem notatis. [27]

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

Oratio

DEus, qui ad evangelizándum paupéribus et ecclesiástici órdinis decórem promovéndum, beátum Vincéntium apostólica virtúte roborásti : præsta, quæsumus; ut, cujus pia mérita venerámur, virtútum quoque instruámur exémplis. Per Dóminum.

Vesperæ a Capitulo de seq., Commemoratio præcedentis ac S. Margaritæ Virg. et Mart.

Die 20 Julii

S. Hieronymi Æmiliani

Confessoris [94]

Duplex (m. t. v.)

℣. Amávit eum Dóminus.

Ad Magnif. Ant. Similábo eum * viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

Oratio

DEus, misericordiárum pater, per mérita et intercessiónem beáti Hierónymi, quem órphanis adjutórem et patrem esse voluísti : concéde; ut spíritum adoptiónis, quo fílii tui nominámur et sumus, fidéliter custodiámus. Per Dóminum.

Et fit Com. præcedentis :

Ant. Hic vir, despíciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit.

Oratio

DEus, qui ad evangelizándum paupéribus et ecclesiástici órdinis decórem promovéndum, beátum Vincéntium apostólica virtúte roborásti : præsta, quæsumus; ut, cujus pia mérita venerámur, virtútum quoque instruámur exémplis. Per Dóminum.

Deinde Commem. S. Margaritæ Virg. et Mart. :

Ant. Veni, Sponsa Christi, * áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

℣. Spécie tua et.

Oratio

INdulgéntiam nobis, quǽsumus, Dómine, beáta Margaríta Virgo et Martyr implóret : quæ tibi grata semper éxstitit, et mérito castitátis, et tuæ professióne virtútis. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

HIerónymus, e gente patrícia Æmiliána Venétiis ortus, a prima adolescéntia milítiæ addíctus, difficíllimis reipúblicæ tempóribus Castro novo ad Quarum in móntibus Tarvisínis præfícitur. Arce ab hóstibus capta, ipse in tetérrimum cárcerem detrúditur, mánibus ac pédibus vinctus; cui omni humána ope destitúto beatíssima Virgo, ejus précibus exoráta, clemens adest, víncula solvit, et per médios hostes, qui vias omnes obséderant, in Tarvísii conspéctum incólumem ducit. Urbem ingréssus, ad Deíparæ aram, cui se vóverat, mánicas, cómpedes, caténas, quas secum detúlerat, in accépti beneficii testimónium suspéndit. Revérsus Venétias, cœpit pietátis stúdia impénsius cólere, in páuperes mire effúsus, sed puerórum præsértim misértus, qui paréntibus orbáti, egéni et sórdidi per urbem vagabántur; quos in ædes a se condúctas recépit de suo aléndos, et christiánis móribus imbuéndos.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit illi claritátem.

Lectio v

PER eos dies Venétias appúlerant beátus Cajetánus et Petrus Caráfa (póstmodum Paulus quartus), qui, Hierónymi spíritu novóque institúto colligéndi órphanos probáto, illum in Incurabílium hospitále adduxérunt, in quo órphanos simul educáret, atque ægrótis pari caritáte inservíret. Mox eorúmdem hortátu in próximam continéntem profectus, Brixiæ primum, deínde Bérgomi atque Novocómi orphanotrophía eréxit : Bérgomi præsértim, ubi præter duo, pro púeris unum et pro puéllis álterum, domum excipiéndis, novo in illis regiónibus exémplo, muliéribus a turpi vita ad pœniténtiam convérsis, apéruit. Somáschæ demum subsistens, in húmili pago agri Bergoménsis ad Vénetæ ditiónis fines, sibi ac suis ibi sedem constítuit, formámque indúxit congregatiónis, cui proptérea a Somáscha nomen factum; quam subínde auctam et propagátam, nedum orphanórum regimini et ecclesiárum cúltui, sed ad majórem christiánæ reipúblicæ utilitátem, adolescéntium in lítteris et bonis móribus institutióni in collégiis, academíis et seminários addíctam, sanctus Pius quintus inter religiósos órdines adscrípsit, ceteríque Pontífices privilégiis ornárunt.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vi

ORphanis colligéndis inténtus, Mediolánum proficiscitur atque Ticínum; et utrobíque collectis agmínibus puerórum, tectum, victum, vestem, magístros, nobílibus viris favéntibus, próvide constítuit. Inde Somáscham redux, ómnibus ómnia factus, a nullo abhorrébat ópere, quod in próximi bonum cédere prævidéret. Agrícolis immíxtus per agros sparsis, dum se illis adjutórem in meténdis frúgibus præbet, mystéria fídei explicábat; puerórum cápita porrígine fœda abstérgens, et patiénter tractans curábat; pútridis rusticórum vulnéribus medebátur eo succéssu, ut grátia curatiónum donátus censerétur. In monte, qui Somáschæ ímminet, repérta specu, in illam se ábdidit; ubi, se flagéllis cædens, dies íntegros jejú-

nus tránsigens, oratióne in plúrimam noctem protrácta, super nudo saxo brevem somnum carpens, sui aliorúmque noxárum pœnas luébat. In hujus specus interióri recéssu ex árido sílice exstíllat aqua, précibus servi Dei, ut constans tradítio est, impetráta, quæ usque in hodiérnam diem júgiter manans, et in várias regiónes deláta, ægris sanitátem plerúmque concíliat. Tandem, ex contagióne, quæ per omnem vallem serpébat, dum agrotántibus insérvit, et vita functos própriis húmeris ad sepultúram defert, contrácto morbo, annos natus sex et quinquagínta, quam paulo ante prædíxerat, pretiósam mortem óbiit anno millésimo quingentésimo trigésimo séptimo. Quem plúribus in vita et post mortem miráculis illústrem, Benedíctus décimus quartus Beatórum, Clemens vero décimus tértius Sanctórum fastis solémniter adscrípsit.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Quia. Glória Patri. Quia.

Pro hoc Festo simplificato

Lectio ix

HIerónymus, e gente patrícia Æmiliána Venétiis ortus, a prima adolescéntia milítiæ addíctus, difficíllimis reipúblicæ tempóribus Castro novo ad Quarum in móntibus Tarvisínis præfícitur. Arce ab hóstibus capta, ipse in tetérrimum cárcerem detrúditur, a quo beatissimæ Vírginis ope liberátur. Venétiis cœpit pietátis stúdia impénsius cólere, puerórum præsértim misértus, qui, paréntibus orbáti, per urbem vagabántur, quos in ædes a se condúctas recépit de suo aléndos et christiánis móribus imbuéndos. Per eos dies Venétias appúlerant beátus Cajetánus et Petrus Caráfa (póstmodum Paulus quartus), qui, Hierónymi spíritu probáto, illum in Incurabílium hospitále adduxérunt, in quo órphanos simul educáret et ægrótis inservíret. Mox, eorúmdem hortátu, in próximam continéntem profectus, Brixiæ primum, deínde Bérgomi atque Novocómi orphanotrophía aliaque pia institúta eréxit. Somáschæ demum

subsístens, in húmili pago agri Bergoménsis, sedem constítuit novæ congregatiónis, cui proptérea a Somáscha nomen factum, quam sanctus Pius quintus approbávit. Tandem contagióne, dum ægrotántibus inserviret, contrácto morbo, annos natus sex et quinquagínta, pro frátribus ánimam pósuit, anno millésimo quingentésimo trigésimo séptimo.

Te Deum laudámus.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 19, 13-21

IN illo témpore : Oblàti sunt Jesu párvuli, ut manus eis impóneret, et oráret. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi

Homilia 62 in Matthæum

QUR discípuli púeros abigébant? Dignitátis causa. Quid ergo ille? Ut dóceat illos modéste sápere, fastúmque mundánum conculcáre, et súscipit, et ulnis compléctitur, talibúsque regnum cælórum pollicétur; id quod étiam dixit supérius. Et nos ígitur, si vólumus herédes esse cælórum, hanc virtútem cum diligéntia magna sectémur. Hoc est enim philosophíæ culmen, símplicem esse cum prudéntia; hæc vita est angélica. Anima enim puéruli ómnibus ánimi morbis vácua est; non memóriam rétinet injuriárum, sed eas inferéntes adit ut amícos, ac si nihil factum esset. Et quamvis a matre verbéribus cædátur, eam semper quærit, et ómnibus antepónit.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. — Ipse.

Lectio viii

SI regínam ipsi osténdas diadémate ornátam, non præfert eam matri pannis detrítis vestítæ, mallétque illam incúltam vidére, quam regínam mirífice amíctam. Nam, quod suum, quod aliénum est, non ex paupertáte vel divítiis, sed ex amóre exístimáre solet; et nihil plus requirit quam necessária, atque ut lacte replétus est, statim a mamma abscédit. Non eísdem, quibus nos,

ærúmnis prémitur, nec pecuniárum jactúra, rebúsque simílibus; nec iisdem, quibus nos, fluxis rebus lætátur, neque córporum pulchritúdinem mirátur. Ideo dicébat : Tálium est enim regnum cælórum; ut ex propósito voluntátis illa operémur, quæ natúra sua púeri fáciunt.

℟. Sint lumbi vestri præcincti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos similes homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescitis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. — Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix

QUia enim pharisæi non aliúnde quam a nequítia et arrogántia ad agéndum ferebántur, ídeo ubíque discípulos suos símplices esse jubet, illósque subíndicat, dum hos instítuit. Nihil enim ita supérbiam parit, ut principátus et primi conséssus. Quóniam ígitur discípuli per totum terrárum orbem multum honóris consecutúri erant, ipsórum ánimos prævenit, nec sinit eos humánum quid pati, nec honórem a vulgo expétere, vel ante álios sese efférre. Nam, etiámsi hæc parva vidéntur esse, at malis ingéntibus causam præbent. Sic enim institúti pharisæi in malórum culmen ascendérunt, salutatiónes, primos conséssus et médios requiréntes; hinc in ardéntem glóriæ cupiditátem, inde vero in impietátem lapsi sunt.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

Oratio

DEus, misericordiárum pater, per mérita et intercessiónem beáti Hierónymi, quem órphanis adjutórem et patrem esse voluísti : concéde; ut spíritum adoptiónis, quo fílii tui nominámur et sumus, fidéliter custodiámus. Per Dóminum.

Et fit Commem. S. Margaritæ Virg. et Mart. :

Ant. Simile est regnum cælórum hómini negotiatóri quæránti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

℣. Diffúsa est grátia.

Oratio

INdúlgéntiam nobis quæsumus, Dómine, beáta Margarita Virgo et Martyr implóret : quæ tibi grata semper éxstitit et mérito castitátis et tuæ professióne virtútis. Per Dóminum.

IN II VESPERIS

℣. Justum dedúxit.

Ad Magnif. Ant. Hic vir despíciens mundum * et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

Et fit Commem. sequentis.

Die 21 Julii

S. Praxedis Virg. [III]

Simplex

Ant. Veni, Sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

℣. Spécie tua et.

Oratio C 3

EXáudi nos, Deus, salutáris noster : ut, sicut de beátæ Praxédis Vírginis tuæ festivitáte gaudémus; ita piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per Dóminum.

Lectio iii

PRaxédes, virgo Romána, Pudentiánæ vírginis soror, Marco Antoníno imperatóre Christiános persequénte, eos facultátibus, ópera, consolatióne, et omni caritátis officio prosequebátur. Nam álios domi occultábat; álios ad fídei constántiam hortabátur : aliórum córpora sepeliébat; iis, qui in cárcere inclúsi erant, qui in ergástulis exercebántur, nulla re déerat. Quæ, cum tantam Christianórum stragem jam ferre non posset, Deum precáta est, ut, si mori expedíret, se e tantis malis eríperet. Itaque duodécimo Kaléndas Augústi ad pietátis prǽmia vocátur in cælum. Cujus corpus a Pastóre presbýtero in patris et soróris Pudentiánæ sepúlcrum illátum est, quod erat in cœmetério Priscíllæ, via Salária.

Te Deum laudámus.

℣. Diffúsa est grátia.

Ad Bened. Ant. Símile est regnum cælórum * hómini negotiatóri quæránti bonas margaritas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

Oratio Exáudi nos, ut supra.

Vesperæ de sequenti.

Die 22 Julii

S. Mariæ Magdalenæ

Pœnitentis [130]

Duplex

IN I VESPERIS

Capit. Prov. 31, 10-11

Mulíerem fortem quis invéniet? Procul et de últimis fínibus prétium ejus. Confídit in ea cor viri sui, et spóliis non indigébit.

Si sequens Hymnus neque in I neque in II Vesperis poni potuerit, dicitur ad Matutinum, omisso Hymno María castis, ibidem assignato.

Hymnus

Pater supérni lúminis,
Cum Magdalénam réspicis,
Flammas amóris éxcitas,
Gelúque solvis péctoris.

Amóre currit sáucia
Pedes beátos úngere,
Laváre fletu, térgere
Comis, et ore lámbere.

Astáre non timet cruci,
Sepúlcro inhæret ánxia,
Truces nec horret mílites :
Pellit timórem cáritas.

O vera, Christe, cáritas,
Tu nostra purga crímina,
Tu corda reple grátia,
Tu redde cæli prǽmia.

* Patri, simúlque Fílio,
Tibíque, Sancte Spíritus,
Sicut fuit, sit júgiter
Sæclum per omne glória.
Amen.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Magnif. Ant. Múlier * quæ erat in civitáte peccátrix, ut cognóvit quod Jesus accúbuit in domo Simónis leprósi, áttulit alabástrum unguénti, et stans retro secus pedes Jesu, lácrimis cœpit rigáre pedes ejus, et capíllis cápitis sui tergébat, et osculabátur pedes ejus, et unguénto ungébat.

Oratio

Beátæ Maríæ Magdalénæ, quæsumus, Dómine, suffrágiis adjuvémur : cujus précibus exorátus, quatriduánum fratrem Lázarum vivum ab ínferis resuscitásti : Qui vivis.

AD MATUTINUM

Invitat. Laudémus Deum nostrum * In conversióne Maríæ Magdalénæ. Ps. 94 Veníte, exsultémus.

Hymnus

María castis ósculis
Lambit Dei vestígia,
Fletu rigat, tergit comis,
Detérsa nardo pérlinit.

* Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc et per omne sæculum.
Amen.

In I Nocturno

De Cánticis canticórum

Lectio i Cap. 3, 1-4

In léctulo meo per noctes quæsívi quem díligit ánima mea; quæsívi illum et non invéni. Surgam et circuíbo civitátem per vicos et platéas, quæram quem díligit ánima mea : quæsívi illum et non invéni. Invenérunt me vígiles qui custódiunt civitátem. Num quem díligit ánima mea vidístis? Páululum cum pertransíssem eos, invéni quem díligit ánima mea, ténui eum, nec dimíttam, donec introdúcam illum in domum matris meæ et in cubículum genitrícis meæ.

℟. María Magdaléne, et áltera María ibant dilúculo ad monuméntum. * Jesum quem quéritis, non est hic, surréxit, sicut locútus est, præcédet vos in Galilǽam, ibi eum vidébitis. ℣. Et valde mane una sabbatórum véniunt ad monuméntum, orto jam sole : et introeúntes vidérunt júvenem sedéntem in dextris, qui dixit illis. — Jesum.

Lectio ii Cap. 8, 1-7

Quis mihi det te fratrem meum sugéntem úbera matris meæ, ut invéniam te foris et deósculer te, et jam me nemo despíciat? Apprehéndam te et ducam in domum matris meæ; ibi me docébis et dabo tibi póculum ex vino condíto et mustum malórum granatórum meórum. Læva ejus sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me. Adjúro vos, fíliæ Jerúsalem, ne suscitétis neque evigiláre faciátis diléctam, donec ipsa velit.

℟. Congratulámini mihi, omnes qui dilígitis Dóminum, quia quem quærébam, appáruit mihi : * Et dum flerem ad monuméntum, vidi Dóminum meum, allelúja. ℣. Recedéntibus discípulis, non recedébam, et amóris ejus igne succénsa, ardébam desidério. — Et.

Lectio iii

Quæ est ista, quæ ascéndit de desérto, delíciis áffluens, innixa super diléctum suum? Sub árbore malo suscitávi te, ibi corrúpta est mater tua, ibi violáta est génitrix tua. Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum, quia fortis est ut mors diléctio, dura sicut inférnus æmulátio; lámpades ejus lámpades ignis atque flammárum. Aquæ multæ non potuérunt exstínguere caritátem, nec flúmina óbruent illam.

℟. Tulérunt Dóminum meum, et néscio ubi posuérunt eum. Dicunt ei Angeli : Múlier, quid ploras? surréxit sicut dixit : * Præcédet vos in Galilǽam : ibi eum vidébitis. ℣. Cum ergo fleret, inclinávit se, et prospéxit in monuméntum : et vidit duos Angelos in albis, sedéntes, qui dicunt ei. — Præcédet. Glória Patri. Præcédet.

In II Nocturno

¶ Pro hoc Festo simplificato, dicitur Lectio iv ut ix.

Sermo sancti Gregórii Papæ

Homilia 25 in Evangelia

Lectio iv

María Magdaléne, quæ fúerat in civitáte peccátrix, amándo verítátem, lavit lácrimis máculas críminis : et vox Veritátis implétur, qua dícitur : Dimíssa sunt ei peccáta multa, quia dilexit multum. Quæ enim prius frígida peccándo remánserat, póstmodum amándo fórtiter ardébat. Quæ a monuménto Dómini, étiam discípulis recedéntibus, non recedébat. Exquirébat quem non invénerat; flebat inquiréndo, et amóris sui igne succénsa, ejus, quem ablátum crédidit, ardébat desidério. Unde cóntigit, ut eum sola tunc vidéret, quæ remánserat ut quæreret : quia nimírum virtus boni óperis perseverántia est.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. — Et.

Lectio v

Quæsívit ergo prius, et mínime invénit; perseverávit ut quæreret, unde et cóntigit ut inveníret; actúmque est, ut desidéria diláta créscerent, et crescéntia cáperent quod inveníssent. Hinc est enim quod de eódem sponsa Ecclésia in Cánticis canticórum dicit : In léctulo meo per noctes quæsívi quem díligit ánima mea. Diléctum namque in léctulo quærimus, quando, in præséntis vitæ aliquántula réquie, Redemptóris nostri desidério suspirámus. Per noctem quærimus : quia etsi jam in illo mens vígilat, tamen adhuc óculus calígat.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et

mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea.

Lectio vi

SED, qui diléctum suum non invénit, restat ut surgat, civitátem circúmeat, id est, sanctam electórum Ecclésiam mente et inquisitióne percúrrat; per vicos eum et platéas quærat, id est, per angústa et lata gradiéntes aspíciat, ut, si qua invenire in eis váleat, ejus vestígia exquírat : quia sunt nonnúlli étiam vitæ sæculáris, qui imitándum áliquid hábeant de actióne virtútis. Quæréntes autem nos vígiles invéniunt, qui custódiunt civitátem : quia sancti Patres, qui Ecclésiæ statum custódiunt, bonis nostris stúdiis occúrrunt, ut suo vel verbo vel scripto nos dóceant. Quos cum páululum pertransímus, invenímus quem dilígimus : quia Redémptor noster, etsi humilitáte homo inter hómines, divinitáte tamen super hómines fuit.

℟. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo : * Múlier timens Deum, ipsa laudábitur. ℣. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus. — Múlier timens. Glória Patri. Múlier timens.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 7, 36-50

IN illo témpore : Rogábat Jesum quidam de pharisæis ut manducáret cum illo. Et ingréssus domum pharisæi discúbuit. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Episcopi

Liber 50, Homilia 23, tom. 10

Vangélium cum legerétur, attentíssime audístis; et res gesta narráta atque versáta est ante óculos cordis vestri. Vidístis enim, non carne, sed mente, Dóminum Jesum Christum in domo pharisæi recumbéntem, et ab illo invitátum non fastidiéntem. Vidístis étiam in civitáte mulíerem famósam, mala útique fama, quæ erat peccátrix, non invitátam irruísse convívio ubi suus médicus recumbébat, et quæsísse pia impudéntia sanitátem; írruens, quasi importúna convívio, opportúna benefício. Nóverat enim quanto morbo laboráret; et illum ad sanándum esse idóneum, ad quem vénerat, sciébat.

℟. Os suum apéruit sapiéntiæ, et lex clementiæ

in lingua ejus : considerávit sémitas domus suæ, * Et panem otiósa non comédit. ℣. Gustávit et vidit quia bona est negotiátio ejus : non exstinguétur in nocte lucérna ejus. — Et.

Lectio viii

ACcéssit ergo non ad caput Dómini, sed ad pedes. Et quæ diu male ambuláverat, vestígia recta quærébat. Prius fudit lácrimas cordis, et lavit Dómini pedes obséquio confessiónis, capíllis suis tersit, osculáta est, unxit; tácita loquebátur, non sermónem promébat, sed devotiónem ostendébat. Quia ergo tétigit Dóminum rigándo, osculándo, tergéndo, ungéndo pedes ejus; pharisæus, qui invitáverat Dóminum Jesum Christum, quia ex illo génere erat hóminum superbórum, de quibus Isaías Prophéta dicit : Qui dicunt, Recéde longe a me, noli me tángere, quóniam mundus sum; putávit Dóminum nescísse mulíerem.

℟. Regnum mundi et omnem ornátum sæculi contémpsi, propter amórem Dómini mei Jesu Christi : * Quem vidi, quem amávi, in quem crédidi, quem diléxi. ℣. Eructávit cor meum verbum bonum : dico ego ópera mea Regi. — Quem. Glória Patri. Quem.

Lectio ix

O Pharisæe invitátor et irrísor Dómini, Dóminum pascis, et a quo pascéndus sis, non intélligis? Unde scis Dóminum nescísse, quæ fúerit illa múlier, nisi quia permíssa est accédere, nisi quia, illo patiénte, osculáta est pedes ejus, nisi quia tersit, nisi quia unxit? Hæc enim non débuit permítti fácere in pédibus mundis múlier immúnda? Ad illíus ergo pharisæi pedes si talis múlier accessísset, dictúrus erat, quod Isaías de tálibus dicit : Recéde a me, noli me tángere, quóniam mundus sum. Accéssit autem ad Dóminum immúnda, ut redíret munda; accéssit ægra, ut redíret sana; accéssit conféssa, ut redíret profétsa.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

Capit. Prov. 31, 10-11

MUlierem fortem quis invéniet? Procul et de últimis fínibus prétium ejus. Confídit in ea cor viri sui, et spóliis non indigébit.

Hymnus

SUmmi Paréntis Unice,
Vultu pio nos réspice,
Vocans ad arcem glóriæ
Cor Magdalénæ pœnitens.

Amíssa drachma régio
Recóndita est arário,
Et gemma, detérso luto,
Nitóre vincit sídera.

Jesu, medéla súlnerum,
Spes una pœniténtium,
Per Magdalénæ lácrimas
Peccáta nostra díluas.

Dei Parens piíssima,
Hevæ nepótes flébiles
De mille vitæ flúctibus
Salútis in portum vehas.

¶ Sequens Conclusio numquam mutatur.

Uni Deo sit glória,
Pro multifórmi grátia,
Peccántium qui crímina
Remíttit, et dat prǽmia.
Amen.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

Ad Bened. Ant. María * unxit pedes Jesu et extérsit capíllis suis, et domus impléta est ex odóre unguénti.

Oratio

BEátæ Maríæ Magdalénæ, quæsumus, Dómine, suffrágiis adjuvémur : cujus précibus exorátus, quatriduánum fratrem Lázarum vivum ab ínferis resuscitásti : Qui vivis.

Vesperæ a Capitulo de sequenti, Commemoratio præcedentis ac S. Liborii Ep. et Conf.

¶ Si vero dici contigerit II Vesperas S. Mariæ Magdalenæ integras, tunc Hymnus sumitur ex I Vesperis, ut supra 786; ℣. Elégit eam, et Ant. ad Magnificat Múlier, ut infra.

Die 23 Julii

S. Apollinaris

Episcopi et Martyris [29]

Duplex

Oratio

DEus, fidélium remunerátor animárum, qui hunc diem beáti Apollináris Sacerdótis tui martýrio consecrásti : tríbue nobis, quæsumus, fámulis tuis; ut, cujus venerándam celebrámus festivitátem, précibus ejus indulgéntiam consequámur. Per Dóminum.

Et fit Commem. præcedentis :

Ant. Múlier quæ erat in civitáte peccátrix, áttulit alabástrum unguénti, et stans retro secus pedes Dómini, lácrimis cœpit rigáre pedes ejus, et capíllis cápitis sui tergébat.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

Oratio Beátæ Maríæ Magdalénæ, ut supra.

Deinde Commem. S. Liborii Ep. et Conf. :

Ant. Sacérdos et Póntifex, et virtútum ópifex,

pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.
℣. Amávit eum Dóminus.

Oratio

DA, quæsumus, omnípotens Deus : ut beáti Libórii Confessóris tui atque Pontíficis veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat et salútem. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

POllináris cum Príncipe Apostolórum Antiochía Romam venit; a quo, ordinátus epíscopus, Ravénnam ad Christi Dómini Evangélium prædicándum míttitur; ubi, cum ad Christi fidem plúrimos convérteret, captus ab idolórum sacerdótibus, gráviter cæsus est. Cumque ipso oránte Bonifátius nóbilis vir, qui diu mutus fúerat, loquerétur, ejúsque fília immúndo spíritu liberáta esset, íterum est in illum commóta sedítio. Itaque virgis cæsus, ardéntes carbónes nudis pédibus prémere cógitur; quem cum subjéctus ignis nihil læderet, ejícitur extra urbem.
℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit eum. — Et.

Lectio v

IS vero latens aliquámdiu cum quibúsdam Christiánis, inde proféctus est in Æmíliam, ubi Rufíni patrícii fíliam mórtuam ad vitam revocávit; ut proptérea tota Rufíni família in Jesum Christum créderet. Quare veheménter incénsus præféctus accérsit Apollinárem, et cum eo grávius agit, ut finem fáciat disseminándi in urbe Christi fidem. Cujus cum Apollináris jussa neglígeret, equúleo cruciátur; in cujus plagas aqua fervens infúnditur, saxóque os túnditur : mox férreis vínculis constrictus inclúditur in cárcere. Quarto die impósitus in navem, míttitur in exsílium; ac facto naufrágio venit in Mýsiam, inde ad ripam Danúbii, póstea in Thráciam.
℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Et.

Lectio vi

CUM autem in Serápidis templo dæmon se respónsa datúrum negáret, dum ibídem Petri Apóstoli discípulus morarétur; diu conquisítus, invéntus est Apollináris : qui íterum jubétur navigáre. Ita revérsus Ravénnam, ab iísdem illis idolórum sacerdótibus accusátus, centurióni custodiéndus tráditur; qui, cum occúlte Christum cóleret, noctu Apollinárem dimísit. Re cógnita, satéllites persequúntur, et plagis in itínere conféctum, quod mórtuum créderent, relínquunt. Quem cum inde Christiáni sustulíssent, séptimo die exhórtans illos ad fídei constántiam, martýrii glória clarus migrávit e vita. Cujus corpus prope murum urbis sepúltum est.
℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus : * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus : et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. — Et. Glória Patri. Et.

Pro hoc Festo simplificato

Lectio ix

APollináris cum Príncipe Apostolórum Antiochía Romam venit; a quo, ordinátus epíscopus, Ravénnam ad Christi Dómini Evangélium prædicándum mittitur; ubi, cum ad Christi fidem plúrimos convérteret, captus ab idolórum sacerdótibus, gráviter cæsus est. Cumque ipso oránte Bonifátius nóbilis vir, qui diu mutus fúerat, loquerétur, ejúsque fília immúndo spíritu liberáta esset, íterum est in illum commóta sedítio. Quare divérsas et multíplices pœnas perpéssus est. Póstea per Æmíliam Evangélium prædicans, plúrimos ab idolórum cultu revocávit. Ravénnam revérsus, exhórtans Christiános ad fídei constántiam, gloriósum martýrium consummávit. Ejus corpus prope murum urbis sepúltum est. Te Deum.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 22, 24-30

IN illo témpore : Facta est conténtio inter discípulos, quis eórum viderétur esse major. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi

Lib. 10 in Lucæ cap. 22 post initium

REgnum Dei non est de hoc mundo. Non ergo æqualitátis hómini ad Deum, sed similitúdinis æmulátio est. Solus enim Christus est plena imágo Dei, propter expréssam in se Patérnæ claritúdinis unitátem. Justus autem homo ad imáginem Dei est, si propter imitándam divínæ conversatiónis similitúdinem mundum hunc Dei cognitióne contémnat, voluptatésque terrénas verbi perceptióne despíciat, quo álimur in vitam : unde et corpus Christi édimus, ut vitæ ætérnæ possímus esse partícipes.

℟. Coróna áurea super caput ejus, * Expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Expréssa.

Lectio viii

NON enim victus et potus nobis prǽmii loco spondétur et honóris, sed communicátio grátiæ cæléstis et vitæ. Neque duódecim throni tamquam áliqua corporális sunt receptácula sessiónis. Sed, quia sicut secúndum divínam similitúdinem júdicat Christus cognitióne córdium, non interrogatióne factórum, virtútem remúnerans, impietatémque condémnans; ita et Apóstoli in judícium spíritále formántur remuneratióne fídei et exsecratióne perfídiæ, virtúte errórem redarguéntes, sacrílegos ódio persequéntes.
℟. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit : * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, sed ad cæléstia regna pervénit. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Qui. Glória Patri. Qui.

Si hodie fuerit Sabbatum, Lectio ix de Homilia Vigiliæ anticipatæ S. Jacobi, ut sequenti die notatur; secus

Lectio ix

CONvertámur ígitur et caveámus, ne in perditiónem áliqua inter nos de prælatióne possit esse conténtio. Si enim contendébant Apóstoli, non excusatióni obténditur, sed cautióni propónitur. Si Petrus aliquándo convértitur, qui ad primam Dómini secútus est vocem; quis potest dícere, cito se esse convérsum? Cave ergo jactántiam, cave sæculum. Ille enim confirmáre jubétur fratres suos, qui dixit : Omnia dimísimus, et secúti sumus te.
Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Justus ut palma.

Ad Bened. Ant. Qui odit * ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

Oratio

DEus fidélium remunerátor animárum, qui hunc diem beáti Apollináris sacerdótis tui martýrio consecrásti : tribue nobis quæsumus fámulis tuis; ut cujus venerándam celebrámus festivitátem, précibus ejus indulgéntiam consequámur. Per Dóminum.

In Sabbato fit Commemoratio Vigiliæ anticipatæ ut supra; et tunc pro S. Liborio sumitur Oratio Exáudi, ut infra, secus dicitur Oratio Da, quæsumus, ibidem.

Pro Commemoratione S. Liborii Ep. et Conf. :

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

℣. Justum dedúxit.

Oratio

DA, quæsumus, omnípotens Deus : ut beáti Libórii Confessóris tui atque Pontíficis veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat et salútem. Per Dóminum.

Sabbato vero dicitur sequens

Oratio

EXáudi, quæsumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti Libórii Confessóris tui atque Pontíficis solemnitáte deférimus : et, qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

IN II VESPERIS

℣. Justus ut palma.

Ad Magnif. Ant. Qui vult veníre post me, * ábneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

Et fit Commem. S. Christinæ Virg. et Mart. ut infra.

Die 24 Julii

Pro Commem. S. Christinæ Virg. et Mart. in II Vesperis præcedentis :

Ant. Veni, Sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

℣. Spécie tua et.

Oratio C 2

INdulgéntiam nobis, quæsumus, Dómine, beáta Christina Virgo et Martyr implóret : quæ tibi grata semper éxstitit, et mérito castitátis et tuæ professióne virtútis. Per Dóminum.

In Vigilia
S. Jacobi Apostoli

Omnia dicuntur ut pro Vigiliis App. in Communi. [1]

Et ad Laudes fit Commemoratio S. Christinæ Virg. et Mart. :

Ant. Símile est regnum cælórum hómini negotiatóri quærénti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

℣. Diffúsa est grátia.

Oratio C 2

INdulgéntiam nobis, quæsumus, Dómine, beáta Christína Virgo et Martyr implóret : quæ tibi grata semper éxstitit, et mérito castitátis et tuæ professióne virtútis. Per Dóminum.

Vesperæ de sequenti.

DIE 25 JULII

S. Jacobi Apostoli

DUPLEX II CLASSIS

Omnia de Communi Apostolorum [3], præter ea quæ hic habentur propria.

Oratio

ESto, Dómine, plebi tuæ sanctificátor et custos : ut, Apóstoli tui Jacóbi munita præsídiis, et conversatióne tibi pláceat, et secúra mente desérviat. Per Dóminum.

In I Nocturno Lectiones Sic nos exístimet, de eodem Communi. [9]

In II Nocturno

Lectio iv

JAcóbus, Zebedæi fílius, Joánnis Apóstoli germánus frater, Galilæus, inter primos Apóstolos vocátus cum fratre, relíctis patre ac rétibus, secútus est Dóminum, et ambo ab ipso Jesu Boanérges, id est, tonítrui fílii sunt appellati. Is unus fuit ex tribus Apóstolis, quos Salvátor máxime dilexit, et testes esse vóluit suæ transfiguratiónis, et interésse miráculo cum archisynagógi fíliam a mórtuis excitávit, et adésse cum secéssit in montem Olivéti, Patrem oratúrus, ántequam a Judæis comprehenderétur.

℟. Vidi conjúnctos viros, habéntes spléndidas vestes, et Angelus Dómini locútus est ad me, dicens : * Isti sunt viri sancti facti amici Dei. ℣. Vidi Angelum Dei fortem, volántem per médium cælum, voce magna clamántem et dicéntem. — Isti.

Lectio v

POst Jesu Christi ascénsum in cælum, in Judæa et Samaria ejus divinitátem prædicans, plúrimos ad christiánam fidem perdúxit. Mox in Hispániam profectus, ibi áliquos ad Christum convértit; ex quorum número septem póstea episcopi a beáto Petro ordináti in Hispániam primi dirécti sunt. Deínde Jerosólymam revérsus, cum inter álios Hermógenem magum fídei veritáte imbuisset, Heródes Agrippa Cláudio imperatóre ad regnum elátus, ut a Judæis grátiam iniret, Jacóbum libere Jesum Christum Deum confiténtem cápitis condemnávit. Quem cum is, qui eum dúxerat ad tribúnal, fórtiter martýrium subeúntem vidisset, statim se et ipse Christiánum esse profétsus est.

℟. Beáti estis, cum maledíxerint vobis hómines, et persecúti vos fúerint, et díxerint omne malum advérsum vos, mentiéntes, propter me : * Gaudéte et exsultáte, quóniam merces vestra copiósa est in cælis. ℣. Cum vos óderint hómines, et cum separáverint vos, et exprobáverint, et ejécerint nomen vestrum tamquam malum propter Filium hóminis. — Gaudéte.

Lectio vi

AD supplicium cum raperéntur, pétiit ille a Jacóbo véniam; quem Jacóbus osculátus, Pax, inquit, tibi sit. Itaque utérque est secúri percússus, cum paulo ante Jacóbus paralýticum sanásset. Corpus ejus póstea Compostéllam translátum est, ubi summa celebritáte cólitur, conveniéntibus eo religiónis et voti causa ex toto terrárum orbe peregrinis. Memória ipsius natális hodiérno die, qui translatiónis dies est, ab Ecclésia celebrátur, cum ipse circa festum Paschæ, primus Apostolórum, Jerosólymis profúso sánguine testimónium Jesu Christo déderit.

℟. Isti sunt triumphatóres et amíci Dei, qui contemnéntes jussa príncipum, meruérunt prémia ætérna : * Modo coronántur, et accipiunt palmam. ℣. Isti sunt qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni. — Modo. Glória Patri. Modo.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 20, 20-23

IN illo témpore : Accéssit ad Jesum mater filiórum Zebedæi cum fíliis suis, adórans et petens áliquid ab eo. Et réliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi

Homilia 66 in Matthæum

NON turbétur quisquam, si ádeo imperféctos dícimus Apóstolos fuísse; nondum enim mystérium crucis erat consummátum, nondum grátia Spíritus in corda ipsórum infúsa. Quod si virtútem ipsórum díscere cupis, quales post datam grátiam Spíritus fúerint, considera, et vidébis omnem ab illis pervérsam affectiónem fuísse superátam. Hac enim de causa eórum modo imperféctio revelátur, ut apérte percípere possis, quales súbito per grátiam effécti fuérunt. Quod ígitur nihil spirituále petébant nec de cæléstі regno quidquam cogitábant, perspícuum est. Sed tamen inspiciámus étiam, quómodo accédant et quid dicant. Vólumus, ínquiunt, ut quodcúmque petiérimus, fácias nobis. Ad quod Christus, Quid vultis? respóndit : non ignórans certe, sed ut eos respondére cogat et ulcus détegat, et ita medicaméntum appónat.

℟. Isti sunt qui vivéntes in carne, plantavérunt Eccléstam sánguine suo : * Cálicem Dómini bibérunt, et amíci Dei facti sunt. ℣. In omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum. — Cálicem.

Lectio viii

ILli vero, cum erubéscerent et verecúndia prohiberéntur, quóniam humáno affectu eo devénerant, seórsum ab áliis discípulis Christum accipiéntes, interrogavérunt. Progréssi sunt enim, inquit, ne illis manifésti fierent; et ita demum ea, quæ volébant, dixérunt. Volébant autem, ut ego conjício, quóniam super duódecim sedes sessúros discípulos audiérunt, primátum hujus conséssus impetráre : et præpóni quidem se céteris sciébant; Petrum vero sibi præférri formidántes, dícere ausi sunt : Dic ut unus a dextris, alter a sinístris sédeat. Et urgent dicéntes : Dic. Quid ígitur ipse? Ut significáret eos nihil pétere spirituále, sed

nec scire quidem quid póstulent, non enim pétere audérent, si scirent, Nescítis, ait, quid petátis : nescítis quam magnum hoc sit, quam mirábile ac ipsas superióres excédens virtútes.

℟. Isti sunt viri sancti, quos elégit Dóminus in caritáte non ficta, et dedit illis glóriam sempitérnam : * Quorum doctrína fulget Ecclésia, ut sole luna. ℣. Sancti per fidem vicérunt regna : operáti sunt justítiam. — Quorum. Glória Patri. Quorum.

Lectio ix

ET adjécit : Potéstis bíbere cálicem, quem ego bibitúrus sum; et baptísmo, quo ego baptízor, baptizári? Perpéndis quómodo statim ab hac opinióne ipsos removit, contrária eis dísserens. Nam vos, inquit, de honóribus et de corónis mecum ágitis; ego vero de luctámine atque sudóre dissero. Non præmiórum hoc tempus est, nec illa glória mea modo apparébit; sed cædis ac periculórum tempus præsens est. Pérspice autem quáliter ipso interrogatiónis modo et hortátur et állicit. Non enim dixit : Potestísne cædem subíre, potestísne vestrum effúndere sánguinem? sed, Quonam pacto potéstis bíbere cálicem? Deínde allíciens, inquit, Quem ego bibitúrus sum; ut ipsa cum eo communicatióne labórum promptióres redderéntur.

Te Deum laudámus.

Oratio

GSto, Dómine, plebi tuæ sanctificátor et custos: ut, Apóstoli tui Jacóbi munita præsídiis, et conversatióne tibi pláceat, et secúra mente desérviat. Per Dóminum.

Ad Laudes tantum fit Commemoratio S. Christophori Martyris :

Ant. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

℣. Justus ut palma.

Oratio

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus : ut, qui beáti Christóphori Mártyris tui natalítia cólimus, intercessióne ejus in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum.

In Vesperis Commemoratio sequentis, ut infra.

DIE 26 JULII

S. Annæ Matris B. Mariæ Virginis

DUPLEX II CLASSIS

Omnia de Communi non Virginum [130], præter ea quæ hic habentur propria.

Ant. Símile est regnum cælórum hómini negotiatóri quærénti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Oratio

DEus, qui beátæ Annæ grátiam conférre dignátus es, ut Genitrícis unigéniti Fílii tui mater éffici mererétur : concéde propítius; ut, cujus solémnia celebrámus, ejus apud te patrocíniis adjuvémur. Per eúmdem Dóminum.

In I Nocturno Lectiones Mulíerem fortem, de eodem Communi. [132]

In II Nocturno

Sermo sancti Joánnis Damascéni

Oratio 2 de Nativitate B. Mariæ, prope finem

Lectio iv

PRopónitur nobis Annæ thálamus, conjugális vitæ simul et virginitátis formam réferens, illam matris, hanc filiæ : quarum áltera recens sterilitáte liberáta est, áltera autem aliquánto post, Christi partum, ad nostræ natúræ conditiónem divíno opifício formátum, supra natúram est editúra. Mérito ígitur Anna, divino Spíritu plena, læto hilaríque ánimo pérsonat : Congaudéte mecum, quæ promissiónis germen ex stérili ventre péperi, ac benedictiónis fructum ubéribus meis, ut optáveram, nútrio. Sterilitátis mæstítiam éxui, ac lætam fœcunditátis vestem índui. Congáudeat mecum hódie Anna illa, Phenénnæ adversária, et novum hoc atque inopinátum miráculum, quod in me gestum est, suo exémplo concélebret.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. — Et.

Lectio v

EXsúltet Sara, seníli gáudio géstiens, meúmque ab sterilitáte con-

céptum præfigúrans. Cóncinant simul stériles et infœcúndæ visitatiónem meam, admirábili modo cælitus factam. Dicant item matres omnes hac fœcunditáte prædítæ : Benedíctus, qui orántibus id quod optábant, largítus est, et fœcunditátem stérili dedit, ac felicíssimum illud germen Vírginis concéssit, quæ Mater Dei secúndum carnem fuit, cujus venter cælum est, in qua habitávit is, qui nullo loco capi potest. Cónsonam his nos quoque ipsi, quæ vocabátur stérilis nunc autem virgínei thálami mater éxstitit, laudem offerámus. Dicámus ad eam cum Scriptúra : Quam beáta domus David, ex qua prodiísti, et venter, in quo Deus sanctificatiónis arcam, hoc est, eam a qua ipse sine sémine concéptus est, fabricávit.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxít te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea.

Lectio vi

VEre beáta es, ac ter beáta, quæ beatitúdine donátam a Deo infántem, hoc est, Maríam, nómine quoque ipso magnópere venerándam, peperísti; ex qua Christus vitæ flos éxstitit, cujus Vírginis et gloriósus fuit ortus, et partus mundo sublímior. Nos quoque, o beatíssima fémina, tibi gratulámur; étenim nostrum ómnium spem divínitus concéssam, hoc est, promissiónis fœtum peperísti. Beáta revéra es, et beátus fructus ventris tui. Piórum autem lingua germen tuum magnífícat, ac sermo omnis lætus partum tuum prædicat. Dignum sane quidem, ac máxime dignum est eam laudáre, quæ divína benignitáte oráculum accépit, ac talem et tantum nobis fructum édidit, ex quo dulcis Jesus pródiit.

℟. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo : * Múlier timens Deum, ipsa laudábitur. ℣. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus. — Múlier. Glória Patri. Múlier.

In III Nocturno Homilia in Ev. Símile est regnum cælórum thesáuro. de eodem Communi. [134]

Oratio Deus qui beátæ Annæ, ut supra. 800

In Vesperis non fit Commemoratio sequentis.

Die 27 Julii

S. Pantaleonis

Mart. [29] Simplex

Lectio iii

PAntáleon Nicomediénsis, nóbilis médicus, ab Hermoláo presbýtero in Jesu Christi fide erudítus, baptizátus est. Qui mox patri Eustórgio persuásit, ut Christiánus fíeret. Quare, cum Nicomedíæ póstea Christi Dómini fidem líbere prædicáret, et ad ejus doctrínam, omnes cohortarétur, Diocletiáno imperatóre, equúleo tortus, et, admótis ad ejus corpus láminis candéntibus, cruciátus est. Quam tormentórum vim æquo et forti ánimo ferens, ad extrémum gládio percússus, martýrii corónam adéptus est.

Te Deum laudámus.

℣. Justus ut palma.

Ad Bened. Ant. Qui odit * ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

Oratio C 4

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus : ut, intercedénte beáto Pantaleóne Mártyre tuo, et a cunctis adversitátibus liberémur in córpore, et a pravis cogitatiónibus mundémur in mente. Per Dóminum.

Vesperæ de sequenti.

Die 28 Julii

Ss. Nazarii et Celsi Mm., Victoris I Papæ et Mart. ac Innocentii I Papæ et Confessoris

Semiduplex

Capitulum et reliqua, quæ de Psalterio Feriæ non sunt sumenda, dicuntur de Communi plurimorum Martyrum [49], præter sequentia :

℣. Lætámini in Dómino.

Ad Magnif. Ant. Istórum est enim * regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad prǽmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

Oratio

SAnctórum tuórum nos, Dómine, Nazárii, Celsi, Victóris et Innocéntii conféssio beáta commúniat : et fragilitáti nostræ subsídium dignánter exóret. Per Dóminum.

In I Nocturno, si sumendæ sint de Communi, Lectiones Fratres : Debitóres. [52]

In II Nocturno

Lectio iv

AZárius, a beáto Lino Papa baptizátus, cum in Gálliam profectus esset, ibi Celsum púerum, a se christiánis præcéptis prius instrúctum, baptizávit. Qui una Trévirim cúntes, Nerónis

persecutióne, in mare utérque dejícitur, unde mirabíliter evasérunt. Póstea Mediolánum veniéntes, cum ibi Christi fidem disseminárent, ab Anolíno præfécto, constantíssime Christum Deum confiténtes, cápite plectúntur; quorum córpora extra portam Románam sepúlta sunt. Quæ cum diu latuíssent, Dei mónitu a beáto Ambrósio conspérsa recénti sánguine sunt invénta, tamquam si paulo ante martýrium passi essent; unde, in urbem transláta, honorífico sepúlcro contécta sunt.

℟. Sancti tui, Dómine, mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis : * Terra appáruit árida, et in Mari Rubro via sine impedimento. ℣. Quóniam percússit petram, et flúxérunt aquæ, et torréntes inundavérunt. — Terra.

Lectio v

VIctor in Africa natus, Severo imperatóre rexit Ecclésiam. Confirmávit decrétum Pii primi, ut sacrum Pascha die Domínico celebrarétur : qui ritus ut póstea in mores indúcerétur, hábita sunt multis in locis concília; et in Nicæna dénique prima sýnodo sancítum est, ut Paschæ dies festus post quartam décimam lunam agerétur, ne Christiáni Judæos imitári viderén-tur. Státuit ut quavis aqua, modo naturáli, si necéssitas cógeret, quicúmque baptizári posset. Theódotum coriárium Byzantínum, docéntem Christum tantúmmodo hóminem fuísse, ejécit ex Ecclésia. Scripsit de quæstióne Paschæ etália quædam opúscula. Creávit duábus ordinatiónibus, mense Decémbri, presbýteros quátuor, diáconos septem, epíscopos per divérsa loca duódecim. Martýrio coronátus, sepelítur in Vaticáno, quinto Kaléndas Augústi. Sedit annos novem, mensem unum, dies vigínti octo.

℟. Vérbera carnificum non timuérunt Sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine : * Ut herédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. — Et.

Lectio vi

INnocéntius Albanénsis, sancti Hierónymi et Augustíni ætáte flóruit. De quo ille ad Demetríadem vírginem : Sancti Innocéntii, qui apostólicæ cáthedræ et beátæ memóriæ

Anastásii succéssor et fílius est, téneas fidem, nec peregrínam, quamvis tibi prudens callídaque videáris, doctrínam recípias. Eum, tamquam justum Lot subtráctum Dei providéntia, ad Ravénnam servátum fuísse, scribit Orósius, ne Románi pópuli vidéret excídium. Is, Pelágio et Cæléstio damnátis, contra eórum hæresim decrétum fecit, ut párvuli, ex christiána étiam mulíere nati, per baptísmum renásci debérent; ut in eis regeratióne mundétur, quod generatióne contraxérunt. Probávit étiam, ut Sábbato, ob memóriam Christi Dómini sepultúræ jejúnium servarétur. Sedit annos quíndecim, mensem unum, dies decem. Quátuor ordinatiónibus, mense Decémbri, creávit presbýteros trigínta, diáconos quíndecim, episcopos per divérsa loca quinquagínta quátuor. Sepúltus est in cœmetério ad Ursum pileátum.

℟. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus, et quasi holocáusti hóstiam accépit illos; et in témpore erit respéctus illórum, * Quóniam donum et pax est eléctis Dei. ℣. Qui confídunt in illum, intélligent veritátem : et fidéles in dilectióne acquiéscent illi. — Quóniam. Glória Patri. Quóniam.

Pro hoc Festo simplificato

Lectio ix

NAzárius, a beáto Lino Papa baptizátus, cum in Gálliam proféctus esset, ibi Celsum púerum, a se christiánis præcéptis prius instrúctum, baptizávit. Póstea Mediolánum ambo veniéntes, cum ibi Christi fidem disseminárent, ab Anolíno præfécto, constantíssime Christum Deum confiténtes, cápite plectúntur; quorum córpora a beáto Ambrósio invénta sunt. In eúmdem diem incidit memória sancti Victóris Papæ, qui Sevéro imperatóre rexit Ecclésiam, Theódotum coriárium confutávit, scripsítque de quæstióne Paschæ. Martýrio coronátus, sepúltus est in Vaticáno quinto Kaléndas Augústi. Eódem étiam die recólitur sanctus Innocéntius Papa, qui, Pelágio et Cæléstio damnátis, contra eórum hæresim decrétum fecit. Cujus corpus sepúltum est in cœmetério ad Ursum pileátum.

Te Deum laudámus.

In III Nocturno Homilia in Evangelium Cum audiéritis, de eodem Communi I loco. [60]

AD LAUDES

℣. Exsultábunt Sancti.

Ad Bened. Ant. Vestri capílli cápitis * omnes numeráti sunt : nolíte timére : multis passéribus melióres estis vos.

Oratio

SAnctórum tuórum nos, Dómine, Nazárii, Celsi, Victóris et Innocéntii conféssio beáta commúniat; et fragilitáti nostræ subsídium dignánter exóret. Per Dóminum.

Vesperæ a Capitulo de seq., Commemoratio præcedentis ac Ss. Felicis II Papæ, Simplicii, Faustini et Beatricis Mm.

Die 29 Julii

S. Marthæ Virg. [111]

Semiduplex

℣. Spécie tua et.

Ad Magnif. Ant. Veni, Sponsa Christi, * áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

Oratio C 3

EXáudi nos, Deus, salutáris noster : ut, sicut de beátæ Marthæ Vírginis tuæ festivitáte gaudémus; ita piæ devotiónis erudiámur affectu. Per Dóminum.

Et fit Com. præcedentis :

Ant. Gaudent in cælis ánimæ Sanctórum, qui Christi vestigia sunt secúti; et, quia pro ejus amóre sánguinem suum fudérunt ídeo cum Christo exsúltant sine fine.

℣. Exsultábunt Sancti.

Oratio Sanctórum, ut supra.

Deinde Commem. Ss. Felicis II Papæ, Simplicii, Faustini et Beatricis Mm. :

Ant. Istórum est enim regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad præmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Lætámini in Dómino.

Oratio

PRæsta, quæsumus, Dómine, ut, sicut pópulus christiánus Mártyrum tuórum Felícis, Simplícii, Faustíni et Beatrícis temporáli solemnitáte congáudet, ita perfruátur ætérna; et, quod votis célebrat, comprehéndat efféctu. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

MArtha, nobílibus et copiósis paréntibus nata, sed Christi Dómini hospítio clárior, post ejus ascénsum in cælum, cum fratre, soróre, et Marcélla pedíssequa, ac Maximino, uno ex septuagínta duóbus discípulis Christi Dómini, qui totam illam domum baptizáverat, multisque áliis Christiánis, comprehénsa a Judæis, in navem sine velo ac remígio impónitur, vastissimóque mari ad certum naufrágium committitur. Sed navis, Deo gubernánte, salvis ómnibus, Massíliam appúlsa est.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. — Et.

Lectio v

EO miráculo et horum prædicatióne primum Massiliénses, mox Aquénses ac finítimæ gentes in Christum credidérunt; Lazarúsque Massiliénsium et Maximínus Aquénsium epíscopus creátur. Magdaléna vero, assuéta oratióni et pédibus Dómini, ut óptima parte contemplándæ cæléstis beatitúdinis, quam elégerat, fruerétur, in vastam altíssimi montis spelúncam se cóntulit; ubi trigínta annos vixit, ab omni hóminum consuetúdine disjúncta, quotidiéque per id tempus ad audiéndas Cæléstium laudes in altum ab Angelis eláta.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Propterea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætitiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea.

Lectio vi

MArtha autem, mirábili vitæ sanctitáte et caritáte, ómnium Massiliénsium ánimis in sui amórem et admiratiónem addúctis, in locum a viris remótum cum áliquot honestíssimis féminis se recépit; ubi summa cum laude pietátis et prudéntiæ diu vixit, ac demum, morte sua multo ante prædícta, miráculis clara migrávit ad Dóminum, quarto Kaléndas Augústi. Cujus corpus apud Taráscum magnam habet veneratiónem.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus * Afferéntur tibi in lætitia et exsultatióne. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. — Afferéntur tibi. Glória Patri. Afferéntur tibi.

Pro hoc Festo simplificato

Lectio ix

MArtha, nobílibus et copiósis paréntibus nata, sed Christi Dómini hospítio clárior, post ejus ascénsum in cælum, cum fratre, soróre multísque áliis Christiánis comprehénsa a Judæis et in navem sine velo ac remígio impósita. Massíliam appulísse tráditur. Eo miráculo et horum prædicatióne Massiliénses et finítimæ gentes in Christum credidérunt. Martha autem, mirábili vitæ sanctitáte et caritáte ómnium Massiliénsium ánimis in sui amórem et admiratiónem addúctis, in locum a viris remótum cum áliquot honestíssimis féminis se recépit; ubi summa cum laude pietátis et prudéntiæ diu vixit, ac demum, morte sua multo ante prædícta, miráculis clara migrávit ad Dóminum.

Te Deum laudámus.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 10, 38-42

IN illo témpore : Intrávit Jesus in quoddam castéllum; et múlier quædam, Martha nómine, excépit illum in domum suam. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi

Sermo 26 de verbis Domini

VErba Dómini nostri Jesu Christi, quæ modo ex Evangélio recitáta sunt, ádmonent nos, esse unum áliquid quo tendámus, quando in hujus sæculi multitúdine laborámus. Téndimus autem adhuc peregrinántes, nondum manéntes, adhuc in via, nondum in pátria; adhuc desiderándo, nondum fruéndo. Tamen tendámus, et sine pigrítia et sine intermissióne tendámus, ut aliquándo pervenire valeámus. Martha et María duæ soróres erant, ambæ non solum carne, sed étiam religióne germánæ; ambæ Dómino cohæsérunt, ambæ Dómino in carne præsénti concórditer serviérunt.

℟. Hæc est Virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit, quæ accéptis lampádibus sumpsit secum óleum : * Et veniénte Dómino, introívit cum eo ad núptias. ℣. Média nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. — Et.

Lectio viii

SUscépit eum Martha, sicut solent súscipi peregríni; sed tamen suscépit fámula Dóminum, ægra Salvatórem, creatúra Creatórem. Suscépit autem spíritu pascénda, in carne pascéndum. Vóluit enim Dóminus formam servi accípere, et, accépta forma servi, in illa pasci a servis, dignatióne, non conditióne. Nam et ista dignátio fuit, se præbére pascéndum. Habébat carnem, in qua esuíret quidem et sitíret; sed nescítis, quia in erémo esuiénti Angeli ministrábant? Ergo quod pasci vóluit, pascénti præstitit. Quid autem mirum, si et de sancto Elía præstitit víduæ, quem prius, corvo ministránte, pascébat? Numquid pascéndo defécerat, quando ad víduam mittébat? Nequáquam, sed religiósam víduam, per obséquium exhíbitum servo suo, benedícere disponébat.

℟. Média nocte clamor factus est : * Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. ℣. Prudéntes vírgines, aptáte vestras lámpades. — Ecce. Glória Patri. Ecce.

Lectio ix

SIC ergo suscéptus est Dóminus, tamquam hospes, qui in sua própria venit, et sui eum non recepérunt; sed quotquot recepérunt eum, dedit eis potestátem fílios Dei fieri, adóptans servos et líberos fáciens, rédimens captívos et fáciens coherédes. Ne quis tamen vestrum fórsitan dicat : O beáti, qui Christum suscípere in domum própriam meruérunt! Noli dolére, noli murmuráre quia tempóribus natus es, quando jam Dóminum non vides in carne. Non tibi ábstulit istam dignatiónem. Cum uni, inquit, ex mínimis meis fecístis, mihi fecístis. Hæc de Dómino pascéndo in carne, sed pascénte in spíritu, pauca pro témpore dixérimus.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Diffúsa est grátia.

Ad Bened. Ant. Símile est regnum cælórum * hómini negotiatóri quæ-rénti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

Oratio C 3

GXáudi nos, Deus, salutáris noster : ut, sicut de beátæ Marthæ Vírginis tuæ festivitáte gaudémus, ita piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per Dóminum.

Et fit Commem. Ss. Felicis II Papæ, Simplicii, Faustini et Beatricis Mm. :

Ant. Vestri capilli cápitis omnes numeráti sunt : nolite timére : multis passéribus melióres estis vos. ℣. Exsultábunt Sancti.

Oratio

PRæsta, quæsumus, Dómine : ut, sicut pópulus christiánus Mártyrum tuórum Felicis, Simplicii, Faustini et Beatrícis temporáli solemnitáte congáudet, ita perfruátur ætérna; et, quod votis célebrat, comprehéndat efféctu. Per Dóminum.

IN II VESPERIS

℣. Diffúsa est grátia.

Ad Magnif. Ant. Veni, Sponsa Christi, * áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

Et fit Commem. sequentis.

Die 30 Julii

Ss. Abdon et Sennen

Mart. [49] Simplex

Ant. Istórum est enim regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad prǽmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni. ℣. Lætámini in Dómino.

Oratio

DEus, qui sanctis tuis Abdon et Sennen ad hanc glóriam veniéndi copiósum munus grátiæ contulisti : da fámulis tuis suórum véniam peccatórum; ut, Sanctórum tuórum intercedéntibus méritis, ab ómnibus mereántur adversitátibus liberári. Per Dóminum.

Lectio iii

ABdon et Sennen Persæ, Décio imperatóre, accusáti, quod córpora Christianórum, quæ inhumáta projiciebántur, in suo prædio sepelissent, jussu imperatóris comprehendúntur, et diis jubéntur sacrificáre. Quod cum fácere negligerent, et Jesum Christum Deum constantissime prædicárent, tráditos in arctam custódiam, Romam póstea rédiens Décius vinctos duxit in triúmpho. Qui cum in Urbe ad simulácra attrácti essent, ea detestáti conspuérunt. Quam ob rem ursis ac leónibus objécti sunt; quos feræ non audébant attingere. Demum, gládiis trucidáti, colligátis pédibus tracti sunt ante solis simulácrum. Quorum córpora, clam inde asportáta, Quirínus diáconus sepelívit in suis ædibus.

Te Deum laudámus.

℣. Exsultábunt Sancti.

Ad Bened. Ant. Vestri capílli cápitis * omnes numeráti sunt : nolíte timére : multis passéribus melióres estis vos.

Vesperæ de sequenti.

Die 31 Julii

S. Ignatii Conf. [94]

Duplex majus

℣. Amávit eum Dóminus.

Ad Magnif. Ant. Similábo eum * viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

Oratio

DEus, qui ad majórem tui nóminis glóriam propagándam, novo per beátum Ignátium subsídio militántem Ecclésiam roborásti : concéde; ut, ejus auxílio et imitatióne certántes in terris, coronári cum ipso mereámur in cælis. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

IGnátius, natióne Hispánus, nóbili génere Loyólæ in Cantábria natus, primo cathólici regis aulam, deínde militíam secútus est. In propugnatióne Pampelonénsi accépto vúlnere gráviter decúmbens, ex fortuíta piórum librórum lectióne, ad Christi Sanctorúmque sectánda vestígia mirabíliter exársit. Ad montem Serrátum profectus, ante aram beátæ Vírginis suspénsis armis, noctem éxcubans, sacræ milítiæ tirocínium pósuit. Inde, ut erat indútus sacco, tráditis ántea mendíco pretiósis véstibus, Manrésam secéssit; ubi, emendicáto pane et aqua víctitans, exceptísque diébus Domínicis, jejúnans, áspera caténa cilicióque carnem domans, humi cubans, et férreis se flagéllis cruéntans, per annum commorátus est, claris ádeo illustratiónibus a Deo recreátus, ut póstea dícere sólitus sit : Si sacræ Lítteræ non exstárent, se tamen pro fide mori parátum ex iis solum, quæ sibi Manrésæ patefécerat Dóminus. Quo témpore, homo litterárum plane rudis, admirábilem illum compósuit exercitiórum librum, Sedis apostólicæ judício et ómnium utilitáte comprobátum.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et.

Lectio v

UT vero se ad animárum lucra rite formáret, subsídium litterárum, a grammática inter púeros exórsus, adhibére státuit. Cumque nihil interím omítteret de stúdio aliénæ salútis, mirum est quas ubíque locórum ærúmnas ac ludíbria devoráverit, aspérrima quæque, et víncula et vérbera pene ad mortem usque perpéssus : quibus tamen longe plura pro Dómini sui glória semper expetébat. Lutétiæ Parisiórum adjúnctis sibi ex illa academía variárum natiónum sóciis novem, qui omnes ártium magistériis et theológiæ grádibus insígnes erant, ibídem in monte Mártyrum prima órdinis fundaménta jecit, quem póstea Romæ instítuens, ad tria consuéta quarto áddito de Missiónibus voto, Sedi apostólicæ árctius adstrínxit; et Paulus tértius primo recépit confirmavítque, mox álii Pontífices ac Tridentína sýnodus probavére. Ipse autem, misso ad prædicándum Indis Evangélium sancto Francísco Xavério, aliísque in álias mundi plagas ad religiónem propagándam disseminátis, éthnicæ superstitióni hæresíque bellum indíxit; eo succéssu continuátum, ut constans fúerit ómnium sensus, étiam pontifício confirmátus oráculo, Deum, sicut álios áliis tempóribus sanctos viros, ita Luthéro ejusdémque témporis hæréticis Ignátium et institútam ab eo Societátem objecísse.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fidei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vi

SED in primis inter Cathólicos instauráre pietátem curæ fuit. Templórum nitor, catechísmi tradítio, conciónum ac sacramentórum frequéntia ab ipso incremèntum accepére. Ipse, apértis ubíque locórum ad juventútem erudiéndam in lítteris ac pietáte gymnásiis, eréctis Romæ Germanórum collégio, male nuptárum et periclitántium puellárum cœnóbiis, utriúsque sexus tam orphanórum quam catechumenórum dómibus, aliísque pietátis opéribus, indefessus lucrándis Deo ánimis instábat; audítus aliquándo dícere, si óptio darétur, malle se beatitúdinis incértum vívere, et ínterim Deo

inservíre et proximórum salúti, quam certum ejúsdem glóriæ statim mori. In dæmones mirum exércuit impérium. Vultum ejus cælésti luce radiántem sanctus Philíppus Nérius aliíque conspexére. Déinque, ætátis anno sexagésimo quinto, ad Dómini sui ampléxum, cujus majórem glóriam in ore semper habúerat, semper in ómnibus quæsíerat, emigrávit. Quem Gregórius décimus quintus, magnis in Ecclésiam méritis et miráculis illústrem, Sanctórum fastis adscrípsit, et Pius undécimus, Sacrórum Antístitum votis obsecúndans, ómnium Exercitiórum spirituálium patrónum cæléstem constítuit ac declarávit.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Quia. Glória Patri. Quia.

Pro hoc Festo simplificato

Lectio ix

IGnátius, natióne Hispánus, Loyólæ in Cantábria natus, primo cathólici regis aulam, deínde militíam secútus est. In propugnatióne Pampelonénsi accépto vúlnere gráviter decúmbens, ex fortuíta piórum librórum lectióne ad Christi et Sanctórum vestígia sectánda mirabíliter exársit. Ad montem Serrátum profectus, ante aram beátæ Vírginis suspénsis armis, noctem éxcubans, sacræ milítiæ tirocínium pósuit. Singuláris fuit ejus vitæ austéritas. Litterárum plane rudis, sed claris a Deo illustratiónibus recreátus, mirábilem illum compósuit exercitiórum librum, Sedis apostólicæ judício et ómnium utilitáte comprobátum. Lutétiæ Parisiórum, adjúnctis sibi ex illa academía variárum natiónum sóciis novem, in monte Mártyrum prima Societátis Jesu fundaménta jecit; quam póstea Romæ perfécit, ad tria consuéta quarto áddito de Missiónibus voto, ad nutum apostólicæ Sedis excoléndis. Templórum nitor, catechísmi tradítio, conciónum ac sacramentórum frequéntia ab ipso incremèntum accepére. Cathólicæ religiónis ubíque dilatándæ fuit studiosíssimus, et in dæmones mirum exércuit impérium. Ætátis anno sexagésimo

quinto, ad ampléxum migrávit Dómini sui, cujus majórem glóriam in omnibus quæsíverat. Eum Pius undécimus ómnium Exercitiórum spirituálium patrónum cæléstem constítuit ac declarávit.

Te Deum laudámus.

In III Nocturno Homilia in Ev. Designávit Dóminus, ut in Communi Evang., cum ℟℟. de Communi Conf. non Pont, ibidem notatis. [27]

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constituam, intra in gáudium Dómini tui.

Oratio

DEus, qui ad majórem tui nóminis glóriam propagándam, novo per beátum Ignátium subsídio militántem Ecclésiam roborásti : concéde, ut ejus auxílio et imitatióne certántes in terris, coronári cum ipso mereámur in cælis. Per Dóminum.

Vesperæ de sequenti, Commemoratio S. Pauli Ap., præcedentis, ac Ss. Machabæorum Mm.

FESTA AUGUSTI

Die 1 Augusti

S. Petri Ap. ad Vincula

Duplex majus

Omnia de Communi Apostolorum [3], præter ea quæ hic habentur propria.

IN I VESPERIS

Ant. 1 Heródes rex * appósuit ut apprehénderet et Petrum; quem, cum apprehendísset, misit in cárcerem, volens post Pascha prodúcere eum pópulo.

2 Petrus quidem * servabátur in cárcere; orátio autem fiébat sine intermissióne ab Ecclésia ad Deum pro eo.

3 Dixit Angelus * ad Petrum : Circúmda tibi vestiméntum tuum, et séquere me.

4 Misit Dóminus * Angelum suum, et liberávit me de manu Heródis, allelúja.

5 Tu es Petrus, * et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam.

Capitulum Act. 12, 1-3

MIsit Heródes rex manus ut afflígeret quosdam de Ecclésia. Occídit autem Jacóbum, fratrem Joánnis, gládio. Videns autem quia placéret Judæis, appósuit ut apprehénderet et Petrum.

Hymnus

MIris modis repénte liber, férrea,
Christo jubénte, vincla Petrus éxuit :
Ovílis ille Pastor et Rector gregis,
Vitæ reclúdit páscua et fontes sacros,
Ovésque servat créditas, arcet lupos.
Patri perénne sit per ævum glória;
Tibique laudes concinámus ínclytas,
Ætérne Nate; sit, supérne Spíritus,
Honor tibi decúsque : sancta júgiter
Laudétur omne Trínitas per sæculum. Amen.

℣. Tu es Petrus. ℟. Et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam.

Ad Magnif. Ant. Tu es pastor óvium, * Princeps Apostolórum, tibi tráditæ sunt claves regni cælórum.

In II Vesperis

Ad Magnif. Ant. Solve, * jubénte Deo, terrárum, Petre, caténas, qui facis ut páteant cæléstia regna beátis.

Oratio

DEus, qui beátum Petrum Apóstolum, a vínculis absolútum, illæsum abire fecísti : nostrórum, quæsumus, absólve vincula peccatórum; et ómnia mala a nobis propitiátus exclúde. Per Dóminum.

Et fit Commem. S. Pauli Ap. ante omnes alias Commemorationes :

Ant. Sancte Paule Apóstole, prædicátor veritátis et Doctor géntium, intercéde pro nobis ad Deum, qui te elégit.

℣. Tu es vas electiónis, sancte Paule Apóstole. ℟. Prædicátor veritátis in univérso mundo.

Oratio

DEus, qui multitúdinem géntium beáti Pauli Apóstoli prædicatióne docuísti : da nobis, quæsumus; ut, cujus commemoratiónem cólimus, ejus apud te patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Deinde Com. præced. :

Ant. Hic vir, despíciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit.

Oratio

DEus, qui ad majórem tui nóminis glóriam propagándam, novo per beátum Ignátium subsídio militántem Ecclésiam roborásti : concéde; ut, ejus auxílio et imitatióne certántes in terris, coronári cum ipso mereámur in cælis. Per Dóminum.

Postea Commem. Ss. Machabæorum Martyrum :

Ant. Istórum est enim regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad prǽmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Lætámini in Dómino.

Oratio

FRatérna nos, Dómine, Mártyrum tuórum coróna lætíficet : quæ et fídei nostræ præbeat increménta virtútum; et multíplici nos suffrágio consolétur. Per Dóminum.

AD MATUTINUM

Invit. Regem Apostolórum Dóminum, * Veníte, adorémus. Ps. 94 Veníte, exsultémus.

Hymnus

QUodcúmque in orbe nexibus revínxeris,
Erit revínctum, Petre, in arce síderum :
Et quod resólvit hic poténstas trádita, [vértice :
Erit solútum cæli in alto
In fine mundi judicábis sæculum.
Patri perénne sit per ævum glória;
Tibique laudes concinámus ínclytas,
Ætérne Nate; sit, supérne Spíritus, [cta júgiter
Honor tibi decúsque : sanLaudétur omne Trínitas per sæculum. Amen.

In I Nocturno

De Actibus Apostolórum

Lectio i Cap. 12, 1-11

MIsit Heródes rex manus ut afflígeret quosdam de Ecclésia. Occídit autem Jacóbum, fratrem Joánnis, gládio. Videns autem quia placéret Judæis, appósuit ut apprehénderet et Petrum. Erant autem dies azymórum. Quem, cum apprehendísset, misit in cárcerem, tradens quátuor quaterniónibus mílitum custodiéndum, volens post Pascha prodúcere eum pópulo. Et Petrus quidem servabátur in cárcere; orátio autem fiébat sine intermissióne ab Ecclésia ad Deum pro eo.

℟. Simon Petre, ántequam de navi vocárem te, novi te et super plebem meam príncipem te constítui, * Et claves regni cælórum trádidi tibi. ℣. Quodcúmque ligáveris super terram, erit ligátum et in cælis; et quodcúmque sólveris super terram, erit solútum et in cælis. -- Et.

Lectio ii

CUM autem productúrus eum esset Heródes, in ipsa nocte erat Petrus dórmiens inter duos míli-tes vinctus caténis duábus, et custódes ante

óstium custodiébant cárcerem. Et ecce Angelus Dómini ástitit, et lumen refúlsit in habitáculo, percussóque látere Petri, excitávit eum, dicens : Surge velóciter. Et cecidérunt caténæ de mánibus ejus. Dixit autem Angelus ad eum : Præcíngere, et cálcea te cáligas tuas. Et fecit sic. Et dixit illi : Circúmda tibi vestiméntum tuum, et séquere me.

℟. Si díligis me, Simon Petre, pasce oves meas. Dómine, tu nosti, quia amo te, * Et ánimam meam pono pro te. ℣. Si oportúerit me mori tecum, non te negábo. — Et.

Lectio iii

ET éxiens sequebátur eum, et nesciébat quia verum est quod fiébat per Angelum; existimábat autem se visum vidére. Transeúntes autem primam et secúndam custódiam venérunt ad portam férream, quæ ducit ad civitátem, quæ ultro apérta est eis; et exeúntes processérunt vicum unum, et contínuo discéssit Angelus ab eo. Et Petrus ad se revérsus dixit : Nunc scio vere quia misit Dóminus Angelum suum, et erípuit me de manu Heródis et de omni exspectatióne plebis Judæórum.

℟. Tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam, et portæ ínferi non prævalébunt advérsus eam : * Et tibi dabo claves regni cælórum. ℣. Quodcúmque ligáveris super terram, erit ligátum et in cælis; et quodcúmque sólveris super terram, erit solútum et in cælis. — Et. Glória Patri. Et.

In II Nocturno

Lectio iv

HEodósio junióre imperánte, cum Eudócia ejus uxor Jerosólymam solvéndi voti causa venísset, ibi multis est affécta munéribus. Præ céteris insígne donum accépit férreæ caténæ, auro gemmísque ornátæ, quam illam esse affirmábant, qua Petrus Apóstolus ab Heróde vinctus fúerat. Eudócia, caténam pie veneráta, eam póstea Romam ad fíliam Eudóxiam misit; quæ illam Pontífici Máximo détulit. Isque vicíssim illi monstrávit álteram caténam, qua, Neróne imperatóre, idem Apóstolus constrictus fúerat.

℟. Dómine, si tu es, jube me veníre ad te super aquas. * Et exténdens manum apprehéndit eum, et dixit Jesus : Módicæ fídei, quare dubitásti? ℣. Cumque vidísset ventum válidum veniéntem, timuit; et, cum cœpísset mergi, clamávit dicens : Dómine, salvum me fac. — Et.

Lectio v

CUM ígitur Póntifex Románam caténam cum ea, quæ Jerosólymis allata fúerat, contulísset, factum est ut illæ inter se sic connecteréntur, ut non duæ, sed una caténa ab eódem artífice confécta esse vidérétur. Quo miráculo tantus honor sacris illis vínculis habéri cœpit, ut proptérea hoc nómine sancti Petri ad víncula ecclésia, título Eudóxiæ, dedicáta sit in Exquíliis, ejúsque memóriæ dies festus institútus Kaléndis Augústi.

℟. Surge, Petre, et índue te vestiméntis tuis, áccipe fortitúdinem ad salvándas gentes : * Quia cecidérunt caténæ de mánibus tuis. ℣. Angelus Dómini ástitit, et lumen refúlsit in habitáculo cárceris, percussóque látere Petri, excitávit eum, dicens : Surge velóciter. — Quia.

Lectio vi

QUO ex témpore honos, qui eo die profánis gentílium celebritátibus tríbui sólitus erat, Petri vínculis habéri cœpit, quæ tacta ægros sanáhant et dæmones ejiciébant. Quo in génere, anno salútis humánæ nongentésimo sexagésimo nono áccidit, ut quidam comes, Ottónis imperatóris familiáris, occupátus ab immúndo spíritu, seípsum déntibus dilaniáret. Quare is jussu imperatóris ad Joánnem Pontíficem dúcitur, qui ut sacra caténa cómitis collum áttigit, erúmpens nefárius spíritus hóminem líberum relíquit; ac deínceps in Urbe sanctórum vinculórum relígio propagáta est.

℟. Tu es Pastor óvium, Princeps Apostolórum : tibi trádidit Deus ómnia regna mundi : * Et ídeo tibi tráditæ sunt claves regni cælórum. ℣. Quodcúmque ligáveris super terram, erit ligátum et in cælis; et quodcúmque sólveris super terram, erit solútum et in cælis. — Et. Glória Patri. Et.

Pro hoc Festo simplificato

Lectio ix

THeodósio junióre imperánte, Eudócia ejus uxor Jerosólymæ insígne præ céteris donum accépit férreæ caténæ, quam illam esse affirmábant, qua Petrus Apóstolus ab Heróde vinctus fúerat. Eudócia caténam pie veneráta, Romam ad fíliam Eudóxiam misit, ubi a summo Pontífice compósita cum ea, qua Neróne imperatóre idem beátus Apóstolus constrictus fúerat, ambæ inter se sic connéxæ sunt, ut non duæ, sed una caténa ab uno artífice confécta esse vidérétur. Hinc, cum et ægrotórum salus et obsessórum liberátio, sacro horum vinculórum contáctu, sæpe obtinerétur, tantus honor sacris illis vínculis habéri cœpit, ut proptérea hoc nómine sancti Petri ad víncula ecclésia, título Eudóxiæ, dedicáta sit in Exquíliis, ejúsque memóriæ dies festus, profánis gentílium solemnitátibus abólitis, institútus fúerit Kaléndis Augústi.

Te Deum laudámus.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 16, 13-19

IN illo témpore : Venit Jesus in partes Cæsaréæ Philippi, et interrogábat discípulos suos, dicens : Quem dicunt hómines esse Fíliumhóminis? Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi

Sermo 29 de Sanctis, in medio

SOlus Petrus inter Apóstolos méruit audíre : Amen dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam; dignus certe, qui ædificándis in domo Dei pópulis lapis esset ad fundaméntum, colúmna ad sustentáculum, clavis ad regnum. De hoc ait sermo divínus : Et ponébant, inquit, infírmos suos, ut umbra saltem transeúntis Petri obumbráret eos. Si tunc opem ferre póterat umbra córporis, quanto magis nunc plenitúdo virtútis? si tunc supplicántibus próderat aura quædam pertranseúntis, quanto magis grátia nunc permanéntis? Mérito per omnes Christi ecclésias auro pretiósius habétur ferrum illud pœnálium vinculórum.

℟. Ego pro te rogávi, Petre, ut non defíciat fides tua : * Et tu aliquándo convérsus confírma fratres tuos. ℣. Caro et sanguis non revelávit tibi, sed Pater meus, qui est in cælis. — Et.

Si ix Lectio alicujus Officii commemorati dicenda non sit, tunc ex viii Lect. fiunt duæ quarum prior desinit ad signum ¶.

Lectio viii

SI tam medicábilis fuit obumbrátio visitántis, quanto magis caténa vinciéntis? Si inánis quædam spécies vácuæ imáginis

habére pótuit in se vim salútis, quanto plus de córpore meruérunt attráhere salubritátis, férreo póndere sacris impréssa membris, víncula passiónis? Si ad præsídia supplicántium tam potens fuit ante martýrium, quanto magis éfficax post triúmphum? Felíces illi nexus, qui, de mánicis et compédibus in corónam mutándi, Apóstolum contingéntes, Mártyrem reddidérunt! Felícia víncula, quæ reum suum usque ad Christi crucem, non tam condemnatúra quam consecratúra, miserunt!

℟. Quem dicunt hómines esse Fílium hóminis? dixit Jesus discípulis suis. Respóndens Petrus dixit : Tu es Christus Fílius Dei vivi. * Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam. ℣. Beátus es, Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelávit tibi, sed Pater meus, qui est in cælis. — Et ego. Glória Patri. Et ego.

Pro Ss. Machabæis Martyr. :

Lectio ix

Sermo sancti Gregórii Nazianzéni

Oratio 20 in Machabæos

QUidnam Machabæi? Horum enim nómine dies festus præsénti frequéntia celebrátur. Qui, etsi apud multos non sunt in honóre, quod illud certámen post Christum non suscepérunt; tamen digni sunt qui ab ómnibus honoréntur, quia pro pátriis légibus et institútis fortes constantésque se præbuérunt. Nam qui martýrium subiére ante Christi passiónem, quid factúri erant, si post Christum persecutiónem passi fuíssent, ejúsque mortem, nostræ salútis causa suscéptam, ad imitándum propósitam habuíssent? Quorum enim, nullo propósito exémplo, talis tántaque virtus fuit; an non ii, exémplum illud intuéntes, fórtius in certámen descendíssent? Quin étiam mýstica quædam et occúlta rátio, mihi quidem atque ómnibus Dei amatóribus valde probábilis, est, néminem eórum qui ante Christi advéntum martýrio consummáti sunt, id sine fide in Christum cónsequi potuísse.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

et per Horas, Añæ

1 Heródes rex * appósuit ut apprehénderet et Petrum; quem, cum apprehendísset, misit in cárcerem, volens post Pascha produ̇cere eum pópulo.

2 Petrus quidem * servabátur in cárcere; orátio autem fiébat sine intermissióne ab Ecclésia ad Deum pro eo.

3 Dixit Angelus * ad Petrum : Circúmda tibi vestiméntum tuum, et séquere me.

4 Misit Dóminus * Angelum suum, et liberávit me de manu Heródis, allelúja.

5 Tu es Petrus, * et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam.

Capitulum Act. 12, 1-3

MIsit Heródes rex manus ut afflígeret quosdam de Ecclésia. Occídit autem Jacóbum, fratrem Joánnis, gládio. Videns autem, quia placéret Judæis, appósuit ut apprehénderet et Petrum.

Hymnus

BEáte Pastor, Petre, clemens áccipe
Voces precántum, crimi-númque víncula
Verbo resólve, cui potéstas trádita
Aperíre terris cælum, apértum cláudere.

Sit Trinitáti sempitérna glória,
Honor, potéstas atque jubilátio,
In unitáte, quæ gubérnat ómnia,
Per univérsa ætérnitátis sæcula. Amen.

℣. Tu es Petrus. ℟. Et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam.

Ad Bened. Ant. Quodcúmque * ligáveris super terram, erit ligátum et in cælis; et quodcúmque sólveris super terram, erit solútum et in cælis : dicit Dóminus Simóni Petro.

Oratio

DEus, qui beátum Petrum Apóstolum, a vínculis absolútum, illæsum abíre fecísti : nostrórum, quæsumus, absólve víncula peccatórum; et ómnia mala a nobis propitiátus exclúde. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Pauli Ap. :

Ant. Sancte Paule Apóstole, prædicátor veritátis et Doctor géntium, intercéde pro nobis ad Deum, qui te elégit.

℣. Tu es vas electiónis, sancte Paule Apóstole. ℟. Prædicátor veritátis in univérso mundo.

Oratio

DEus, qui multitúdinem géntium beáti Pauli Apóstoli prædicatióne docuísti : da nobis, quæsumus; ut, cujus commemoratiónem cólimus, ejus apud te patrocínia sentiámus. (Per Dóminum.)

Deinde Commem. Ss. Machabæorum Martyrum :

Ant. Vestri capilli cápitis omnes numeráti sunt : nolíte timére : multis passéribus melióres estis vos. ℣. Exsultábunt Sancti.

Oratio

FRatérna nos, Dómine, Mártyrum tuórum coróna lætíficet : quæ et fídei nostræ præbeat increménta virtútum; et multíplici nos suffrágio consolétur. Per Dóminum.

AD PRIMAM

Ant. Heródes rex * appósuit ut apprehénderet et Petrum; quem, cum apprehendísset, misit in cárcerem, volens post Pascha produ̇cere eum pópulo.

AD TERTIAM

Ant. Petrus quidem, ut supra. 820

Capitulum Misit Heródes, ut ad Laudes.

℟. br. In omnem terram * Exívit sonus eórum. In omnem. ℣. Et in fines orbis terræ verba eórum. Exívit. Glória Patri. In omnem. ℣. Constítues eos príncipes super omnem terram. ℟. Mémores erunt nóminis tui, Dómine.

Oratio Deus, qui beátum, ut supra. 820

AD SEXTAM

Ant. Dixit Angelus, ut supra. 820

Capitulum Act. 12, 5

PEtrus quidem servabátur in cárcere; orátio autem fiébat sine intermissióne ab Ecclésia ad Deum pro eo.

℟. br. Constítues eos príncipes * Super omnem terram. Constítues. ℣. Mémores erunt nóminis tui, Dómine. Super. Glória Patri. Constítues. ℣. Nimis honoráti sunt amíci tui, Deus. ℟. Nimis confortátus est principátus eórum.

AD NONAM

Ant. Tu es Petrus, ut supra. 820

Capitulum Act. 12, 11

ET Petrus ad se revérsus dixit : Nunc scio vere quia misit Dóminus Angelum suum, et erípuit me de manu Heródis et de omni exspectatióne plebis Judæórum.

℟. br. Nimis honoráti sunt * Amíci tui, Deus. Nimis. ℣. Nimis confortátus est principátus eórum. Amíci. Glória Patri. Nimis honoráti. ℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

IN II VESPERIS

Antiphonæ, Capitulum et Hymnus ut in I Vesperis. 813

℣. Tu es Petrus. ℟. Et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam.

Ad Magnif. Ant. Solve, * jubénte Deo, terrárum, Petre, caténas, qui facis ut páteant cæléstia regna beátis.

Et fit Com. S. Pauli Ap., ut in I Vesp. 814, vel ut in Laud. 820

Deinde Commem. sequentis ac S. Stephani I Papæ et Mart.

Die 2 Augusti

S. Alfonsi Mariæ de Ligorio

Ep., Conf. et Eccl. Doct.

Duplex [69]

(m. t. v., nisi tamen alicubi primas Vesperas habeat, saltem a Capitulo.)

Ant. O Doctor óptime, Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Alfónse María, divinæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

℣. Amávit eum Dóminus.

Oratio

DEus, qui per beátum Alfónsum Maríam Confessórem tuum atque Pontíficem, animárum zelo succénsum, Ecclésiam tuam nova prole fœcundásti : quæsumus; ut, ejus salutáribus mónitis edócti et exémplis roboráti, ad te pervenire feliciter valeámus. Per Dóminum.

Deinde Commem. S. Stephani I Papæ et Mart. :

Ant. Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non timuit; fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória et honóre.

Oratio

GRegem tuum, Pastor ætérne, placátus intende : et per beátum Stéphanum Mártyrem tuum atque Summum Pontíficem, perpétua protectióne custódi; quem totíus Ecclésiæ præstitisti esse pastórem. Per Dóminum.

In I Nocturno, si sumendæ sint de Communi, Lectiones Sapiéntiam. [87]

In II Nocturno

Lectio iv

ALfónsus María de Ligório, Neápoli nobilibus paréntibus natus, ab ineúnte ætáte non obscúra præbuit sanctitátis indicia. Eum adhuc infántem cum paréntes obtulíssent sancto Francisco de Hierónymo e Societáte Jesu, is bene precátus edíxit eúmdem ad nonagésimum usque annum perventúrum, ad episcopálem dignitátem evéctum iri, maximóque Ecclésiæ bono futúrum. Jam tum a puerítia, a ludis abhórrens, nóbiles ephébos ad christiánam modéstiam verbo et exémplo componébat. Adoléscens, dato piis sodalitátibus nómine, in públicis nosocomíis ægrótis inservíre, jugi in templis oratióni vacáre ac sacra mystéria frequénter obíre in delíciis habébat. Pietátem litterárum stúdiis ádeo conjúnxit, ut séxdecim vix annos natus utriúsque juris láuream in pátria universitáte fúerit assecútus. Patri obtémperans, causárum patrocínia suscépit; in quo múnere obeúndo, etsi magnam sibi laudem comparásset, fori tamen perícula expértus, ejúsmodi vitæ institútum ultro dimísit. Spreto ígitur præcláro conjúgio sibi a patre propósito, avíta primogenitúra abdicáta, et ad aram Vírginis de Mercéde ense suspénso, divínis ministériis se mancipávit. Sacérdos factus, tanto zelo írruit in vítia, ut apostólico múnere fungens, huc illuc pérvolans, ingéntes perditórum hóminum conversiónes perágeret. Páuperum præsértim et ruricolárum miserátus, congregatiónem presbyterórum instítuit sanctíssimi Redemptóris, qui, ipsum Redemptórem secúti, per agros, pagos, et castélla paupéribus evangelizárent.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. — Manus.

Lectio v

NE autem a propósito umquam divérteret, perpétuo se voto obstrínxit nullam témporis jactúram faciéndi. Hinc animárum zelo succénsus, tum divíni verbi prædicatióne, tum scriptis sacra eruditióne et pietáte refértis, ánimas Christo lucrifácere et ad perfectiórem vitam addúcere stúduit. Mirum sane quot ódia exstínxerit, quot dévios ad rectum salútis iter revocáverit. Dei Genitrícis cultor exímius, de illíus láudibus librum édidit, ac de iis dum fervéntius conciónando dísserit, a Vírginis imágine in eum immísso miro splendóre, totus fácie coruscáre et in éxtasim rapi coram univérso pópulo non semel visus est. Dominicæ passiónis et sacræ Eucharístiæ contemplátor assíduus, ejus cultum mirífice propagávit. Dum vero ad ejus aram oráret vel Sacrum fáceret, quod numquam omísit, præ amóris veheméntia, vel seráphicis liquescébat ardóribus, vel insólitis quatiebátur mótibus, vel abstrahebátur a sénsibus. Miram vitæ innocéntiam, quam nulla umquam letháli labe fœdávit, pari cum pœniténtia sócians, corpus suum inédia, férreis caténulis, ciliciis cruentáque flagellatióne castigábat. Inter hæc prophetíæ, scrutatiónis córdium, bilocatiónis et miraculórum donis incláruit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Lectio vi

AB ecclesiásticis dignitátibus sibi oblátis constantíssime abhórruit; at, Cleméntis décimi tértii Pontifícis auctoritáte coáctus, sanctæ Agathæ Gothórum ecclésiam gubernándam suscépit. Episcopus, extérnum dumtáxat hábitum, non autem sevéram vivéndi ratiónem immutávit. Eadem frugálitas, summus christiánæ disciplínæ zelus, impénsum in vítiis coërcéndis arcendísque erróribus, et in réliquis pastorálibus munéribus obeúndis stúdium. Liberális in páuperes, omnes ecclésiæ proventus iisdem distribuébat, ac, urgénte annónæ caritáte, ipsam doméstic am supelléctilem in aléndis famélicis erogávit. Omnibus ómnia factus, sanctimoniáles ad perfectiórem vivéndi formam redégit, suæque congregatiónis moniálium monastérium constituéndum curávit. Episcopátu ob graves habitualésque morbos dimísso, ad alúmnos suos, a quibus pauper discésserat, revértitur pauper. Demum, quamvis sénio laboribúsque, diutúrna arthrítide aliísque gravíssimis morbis fractus córpore, spíritu tamen alácrior, de cæléstibus rebus disseréndi aut scribéndi finem numquam adhíbuit, donec nonagenárius, Kaléndis Augústi, anno millésimo septingentésimo octogésimo séptimo, Nucériæ Paganórum, inter suórum alumnórum lácrimas, placidíssime exspirávit. Eum, inde virtútibus et miráculis clarum, Pius séptimus Póntifex máximus anno millésimo octingentésimo décimo séx-

to Beatórum fastis; novísque fulgéntem signis, Gregórius décimus sextus in festo sanctíssimæ Trinitátis, anno millésimo octingentésimo trigésimo nono, solémni ritu, Sanctórum catálogo accénsuit; tandem Pius nonus Póntifex máximus, ex sacrórum Rítuum Congregatiónis consúlto, universális Ecclésiæ Doctórem declarávit.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Ipse. Glória Patri. Ipse.

Pro hoc Festo simplificato

Lectio ix

ALfónsus María de Ligório, Neápoli nobilibus paréntibus natus, vix ut adolévit, ægrótis in públicis nosocomíis inservíre ac jugi in templis oratióni vacáre in delíciis habébat. Patri obtémperans, causárum patrocínia suscépit; fori tamen perícula expértus, ejúsmodi vitæ institútum ultro dimísit. Avíta primogenitúra abdicáta, et sacerdótio initiátus, tanto zelo írruit in vítia, ut ingéntes perditórum hóminum conversiónes perágeret. Páuperum præsértim et ruricolárum miserátus, congregatiónem presbyterórum sanctíssimi Redemptóris ad eórum evangelizatiónem instítuit. Ne autem a propósito umquam divérteret, perpétuo se voto obstrínxit nullam témporis jactúram faciéndi. Domínicæ passiónis et sacræ Eucharístiæ contemplátor assíduus, atque Dei Genitrícis cultor exímius, non semel cæléstis ejus protectiónis signis est recreátus. Multa édidit sacra eruditióne ac pietáte referta, quibus ánimas Christo lucrifácere stúduit. Ab ecclesiásticis dignitátibus sibi oblátis constantíssime abhórruit; apostólica tamen auctoritáte coáctus, sanctæ Agathæ Gothórum ecclésiam gubernándam suscépit. Liberális in páuperes, ómnibus ómnia factus, sanctimoniáles ad perfectiórem vivéndi formam redégit. Episcopátu ob graves habitualésque morbos dimísso, ad suos revértitur. Tandem nonagenárius, innocéntia vitæ et pœniténtia fulgens, anno millésimo septingentésimo octogésimo séptimo placidíssime exspirávit. Eum Pius Papa nonus Ecclésiæ universális Doctórem declarávit.

Te Deum laudámus.

In III Nocturno Homilia in Ev. Designávit Dóminus, ut in Comm. Ev., cum ℟℟. de Comm. Doct. ibidem notatis. [27]

Pro S. Stephano I P. et M. :

Lectio ix

STéphanus Románus pontificátum gessit Valeriáno et Galliéno imperatóribus. Instítuit ut sacerdótes et diáconi nusquam sacris véstibus, nisi in ecclésia, uteréntur. Baptizátos ab hæréticis, iterum baptizári vétuit, rescríbens sancto Cypriáno verbis illis : Nihil innovétur, nisi quod tráditum est. Multos étiam ad Christum convértit, in iis Olýmpium tribúnum cum uxóre Exsupéria et fílio Theodúlo, item Nemésium tribúnum cum tota família, óculis Lucíllæ ejus fíliæ restitútis : qui omnes Jesu Christi Mártyres fuérunt. Sed, veheméntius jam ingravescénte persecutióne imperatórum, Stéphanus, convocáto clero, ad martýrium suos hortabátur, in cryptísque Mártyrum assídue Missas et concília celebrábat. Qui, cum aliquándo raptus esset ab infidélibus ad templum Martis ut ei sacrificáret, libere negávit se dæmónibus eum honórem velle tribúere, qui uni Deo deberétur. Quibus in verbis Martis státua terræmótu córcidit templúmque contrémuit. Quare ómnibus aufugiéntibus qui Stéphanum tenébant, Póntifex ad suos revértitur in cœmetérium Lucínæ; quos, divinis præcéptis ínstruens, sacraménto córporis Christi communicávit; ibíque, dum Misárum solémnia pérficit, adveniéntibus iterum imperatórum satellítibus, ei in sua sede caput abscinditur. Corpus, cum eádem sede conspérsa Mártyris sánguine, a cléricis sepúltum est in cœmetério Callisti, quarto Nonas Augústi. Vixit in pontificátu annos tres, menses tres, dies vigínti duos. Hábuit ordinatiónes duas mense Decémbri, quibus creávit presbýteros sex, diáconos quinque, epíscopos tres.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuisti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Oratio

DEus, qui per beátum Alfónsum Maríam Confessórem tuum atque Pontíficem animárum zelo succénsum, Ecclésiam tuam nova prole fœcundásti : quæsumus, ut ejus salutáribus mónitis edócti, et exémplis roboráti, ad te perveníre felíciter valeámus. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Stephani I Papæ et Mart. :

Ant. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

℣. Justus ut palma.

Oratio

GRegem tuum, Pastor ætérne, placátus inténde : et per beátum Stéphanum Mártyrem tuum atque Summum Pontíficem, perpétua protectióne custódi; quem totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastórem. Per Dóminum.

IN II VESPERIS

℣. Justum dedúxit.

Ad Magnif. Ant. O Doctor óptime, * Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Alfónse María, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

Et fit Commem. sequentis.

Die 3 Augusti

In Inventione S. Stephani Protomart.

Semiduplex

IN I VESPERIS

Sicubi dicendæ sint integræ, Añæ et Capitulum de Laudibus 832; Psalmi et Hymnus de Communi unius Mart. [29]

Ant. Stéphanus autem plenus grátia et fortitúdine, faciébat signa magna in pópulo.

℣. Glória et honóre.

Oratio

DA nobis, quæsumus, Dómine, imitári quod cólimus : ut discámus et inimícos dilígere; quia ejus Inventiónem celebrámus, qui novit étiam pro persecutóribus exoráre Dóminum nostrum Jesum Christum, Fílium tuum : Qui tecum vivit.

Completorium de Feria.

AD MATUTINUM

Invitatorium et Hymnus de Comm. unius Martyris [31]; Antiphonæ, Psalmi et Versus Nocturnorum de Feria.

In I Nocturno

De Actibus Apostolórum

Cap. 7, 51-60; 8, 1-2

Lectio i

URa cervíce et incircumcísis córdibus et áuribus, vos semper Spirítui Sancto re-

sístitis : sicut patres vestri, ita et vos. Quem Prophetárum non sunt persecúti patres vestri? Et occidérunt eos, qui prænuntiábant de advéntu Justi, cujus vos nunc proditóres et homicídæ fuístis, qui accepístis legem in dispositióne Angelórum et non custodístis. Audiéntes autem hæc, dissecabántur córdibus suis, et stridébant déntibus in eum.

℟. Stéphanus autem plenus grátia et fortitúdine, * Faciébat prodígia et signa magna in pópulo. ℣. Surrexérunt quidam de synagóga disputántes cum Stéphano : et non póterant resístere sapiéntiæ, et Spirítui qui loquebátur. — Faciébat.

Lectio ii

CUM autem esset plenus Spíritu Sancto, inténdens in cælum, vidit glóriam Dei, et Jesum stantem a dextris Dei. Et ait : Ecce vídeo cælos apértos, et Fílium hóminis stantem a dextris Dei. Exclamántes autem voce magna continuérunt aures suas, et ímpetum fecérunt unanímiter in eum. Et ejiciéntes eum extra civitátem lapidábant : et testes deposuérunt vestiménta sua secus pedes adolescéntis, qui vocabátur Saulus. Et lapidábant Stéphanum invocántem et dicéntem : Dómine Jesu, súscipe spíritum meum.

℟. Vidébant omnes Stéphanum, qui erant in concílio : * Et intuebántur vultum ejus tamquam vultum Angeli stantis inter illos. ℣. Plenus grátia et fortitúdine, faciébat prodigia et signa magna in pópulo. — Et.

Lectio iii

POsitis autem génibus, clamávit voce magna, dicens : Dómine, ne státuas illis hoc peccátum. Et cum hoc dixísset, obdormívit in Dómino. Saulus autem erat conséntiens neci ejus. Facta est autem in illa die persecútio magna in ecclésia quæ erat Jerosólymis; et omnes dispérsi sunt per regiónes Judææ et Samariæ, præter Apóstolos. Curavérunt autem Stéphanum viri timoráti, et fecérunt planctum magnum super eum.

℟. Intuens in cælum beátus Stéphanus, vidit glóriam Dei, et ait : * Ecce vídeo cælos apértos, et Fílium hóminis stantem a dextris virtútis Dei. ℣. Cum autem esset Stéphanus plenus Spíritu Sancto, inténdens in cælum, vidit glóriam Dei, et

ait. — Ecce. Glória Patri. Ecce.

In II Nocturno

Lectio iv

SAnctórum córpora Stéphani Protomártyris, Gamaliélis, Nicodémi et Abibónis, quæ diu in obscúro ac sórdido loco jacúerant, Honório imperatóre, Luciáno presbýtero divínitus admónito, invénta sunt prope Jerosólymam. Cui Gamáliel cum in somnis apparuísset, gravi quadam et præclára senis spécie, locum jacéntium córporum commonstrávit, ímperans ut Joánnem Jerosolymitánum antístitem adíret, agerétque cum eo ut honéstius illa córpora sepeliréntur.

℟. Lapidábant Stéphanum invocántem et dicéntem : * Dómine Jesu Christe, áccipe spíritum meum : et ne státuas illis hoc peccátum. ℣. Pósitis autem génibus clamávit voce magna, dicens. — Dómine.

Lectio v

QUibus audítis Jerosolymórum antístes, finitimárum úrbium episcopis presbyterísque convocátis, ad locum pergit; defóssos lóculos ínvenit, unde suavíssimus odor efflabátur. Cujus rei fama commóta, magna hóminum multitúdo eo convénit, multíque ex váriis morbis ægróti ac débiles, sani et íntegri domum rediérunt. Sacrum autem sancti Stéphani corpus, quod summa tunc celebritáte in sanctam ecclésiam Sion illátum est, sub Theodósio junióre Constantinópolim, inde Romam, Pelágio primo summo Pontífice, translátum, in agro Veráno in sepúlcro sancti Lauréntii Mártyris collocátum est.

℟. Impetum fecérunt unanímiter in eum, et ejecérunt eum extra civitátem, invocántem et dicéntem : * Dómine Jesu, áccipe spíritum meum. ℣. Et testes deposuérunt vestiménta sua secus pedes adolescéntis, qui vocabátur Saulus : et lapidábant Stéphanum invocántem et dicéntem. — Dómine.

Ex libro sancti Augustíni Epíscopi de Civitáte Dei

Liber 22, c. 8 circa medium

Lectio vi

AD aquas Tibilitánas, epíscopo afférente Projécto relíquias Mártyris gloriosíssimi Stéphani, ad ejus memóriam veniébat magnæ multitúdinis concúrsus et occúrsus. Ibi cæca múlier, ut ad epíscopum portántem pignora sacra

ducerétur, orávit : flores, quos ferébat, dedit; recépit, óculis admóvit, prótinus vidit. Stupéntibus qui áderant, præíbat exsúltans, viam carpens et viæ ducem ultérius non requírens. Memoráti memóriam Mártyris, quæ pósita est in castéllo Synicénsi, quod Hipponénsi colóniæ vicínum est, ejúsdem loci Lucíllus epíscopus, pópulo præcedénte atque sequénte, portábat; fístula, cujus moléstia jámdiu laboráverat, et familiaríssimi sui médici, qui eam secáret, opperiebátur manus, illius piæ sárcinæ vectatióne repénte sanáta est.

℟. Impii super justum jactúram fecérunt, ut eum morti tráderent : * At ille gaudens suscépit lápides, ut mererétur accípere corónam glóriæ. ℣. Continuérunt aures suas, et ímpetum fecérunt unanímiter in eum. — At. Glória Patri. At.

Pro hoc Festo simplificato

Lectio ix

SAnctórum córpora Stéphani Protomártyris, Gamaliélis, Nicodémi et Abibónis, suavíssimum odórem manántia, a Joánne Jerosolymitárum antístite invénta sunt prope Jerosólymam. Cujus rei fama commóta, magna hóminum multitúdo eo convénit, multíque ex váriis morbis ægróti ac débiles, sani et íntegri domum rediérunt. Sacrum autem sancti Stéphani corpus, quod summa tunc celebritáte in sanctam ecclésiam Sion illátum est, sub Theodósio junióre Constantinópolim, inde Romam, Pelágio primo summo Pontífice, translátum, in agro Veráno in sepúlcro sancti Lauréntii Mártyris collocátum est.

Te Deum laudámus.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 23, 34-39

IN illo témpore : Dicébat Jesus scribis et pharisæis : Ecce ego mitto ad vos prophétas, et sapiéntes, et scribas : et ex illis occidétis, et crucifigétis. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbýteri

Liber 4 Comment. in cap. 23 Matthæi

QUOC quod ántea dixerámus, Impléte mensúram patrum vestrórum; ad persónam Dómini pertinére, eo quod

occidéndus esset ab eis, potest et ad discípulos ejus referri, de quibus nunc dicit : Ecce ego mitto ad vos prophétas, et sapiéntes, et scribas. Simúlque obsérva, juxta Apóstolum scribéntem ad Corínthios, vária esse dona discipulórum Christi; álios prophétas, qui ventúra prædícent; álios sapiéntes, qui novérunt quando débeant proférre sermónem; álios scribas in lege doctíssimos, ex quibus lapidátus est Stéphanus, Paulus occísus, crucifíxus Petrus, flagelláti in Actibus Apostolórum discípuli.

℟. Stéphanus servus Dei, quem lapidábant Judæi, vidit cælos apértos : vidit, et introívit : * Beátus homo, cui cæli patébant. ℣. Cum ígitur saxórum crepitántium túrbine quaterétur, inter æthéreos aulæ cæléstis sinus divína ei cláritas fulsit. — Beátus.

Lectio viii

QUærimus, quis iste sit Zacharías fílius Barachíæ : quia multos légimus Zacharías. Et ne líbera nobis tribuerétur erróris facúltas, ádditum est : Quem occídistis inter templum et altáre. In divérsis divérsa legi : et débeo singulórum opiniónes pónere. Alii Zachariam fílium Barachíæ dicunt, qui in duódecim Prophétis undécimus est, patrísque in eo nomen conséntit : sed ubi occísus sit inter templum et altáre, Scríptura non lóquitur; máxime cum tempóribus ejus vix ruínæ templi fúerint. Alii Zachariam patrem Joánnis intélligi volunt, ex quibúsdam apocryphórum sómniis approbántes, quod proptérea occísus sit, quia Salvatóris prædicáverit advéntum.

℟. Patefáctæ sunt jánuæ cæli Christi Mártyri beáto Stéphano, qui in número Mártyrum invéntus est primus : * Et ídeo triúmphat in cælis coronátus. ℣. Mortem enim, quam Salvátor noster dignátus est pro nobis pati, hanc ille primus réddidit Salvatóri. — Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix

ALii istum volunt esse Zachariam, qui occísus est a Joas rege Judæ inter templum et altáre, sicut Regum narrat história. Sed observándum, quod ille Zacharías non sit filius Barachíæ, sed fílius Jójadæ sacerdótis : unde et Scriptúra refert : Non fuit recordátus Joas patris ejus Jójadæ, quia sibi fecísset bona. Cum ergo et Zachariam teneámus et occisiónis conséntiat locus : quærimus, quare Barachíæ dicátur fílius, et non Jójadæ? Barachía lingua nostra Benedíctus Dómini dícitur, et sacerdótis Jójadæ justítia Hebræo nómine demonstrátur. In Evangélio, quo utúntur Nazaréni, pro fílio Barachíæ, fílium Jójadæ reperímus scriptum.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

Ant. 1 Lapidavérunt Stéphanum, * et ipse invocábat Dóminum, dicens : Ne státuas illis hoc peccátum.

Psalmi de Dominica.

2 Lápides torréntis * illi dulces fuérunt : ipsum sequúntur omnes ánimæ justæ.

3 Adhæsit ánima mea * post te, quia caro mea lapidáta est pro te, Deus meus.

4 Stéphanus vidit * cælos apértos, vidit, et introívit : beátus homo, cui cæli patébant.

5 Ecce vídeo * cælos apértos, et Jesum stantem a dextris virtútis Dei.

Capitulum Act. 6, 8

STéphanus autem plenus grátia et fortitúdine faciébat prodígia et signa magna in pópulo.

Hymnus

INvícte Martyr, únicum
Patris secútus Fílium,
Victis triúmphas hóstibus,
Victor fruens cæléstibus.

Tui precátus múnere
Nostrum reátum dílue,
Arcens mali contágium,
Vitæ repéllens tædium.

Solúta sunt jam víncula
Tui sacráti córporis :
Nos solve vinclis sæculi
Dono supérni Núminis.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc, et per omne sæculum. Amen.

℣. Sepeliérunt Stéphanum viri timoráti. ℟. Et fecérunt planctum magnum super eum.

Ad Bened. Ant Stéphanus autem * plenus grátia et fortitúdine, faciébat signa magna in pópulo.

Oratio

DA nobis, quæsumus, Dómine, imitári quod cólimus : ut discámus et inimícos dilígere; quia ejus Inventiónem celebrámus, qui novit étiam pro persecutóribus exoráre Dóminum nostrum Jesum Christum, Fílium tuum : Qui tecum vivit et regnat.

Ad Horas Antiphona et Psalmi de Feria. Sicubi autem hoc Festum sub ritu duplici I vel II classis recolatur, Antiphonæ de Laudibus, cum Psalmis de Dominica ut in Festis.

AD TERTIAM

Capit. Stéphanus autem, ut supra.

℟. br. Glória et honóre * Coronásti eum, Dómine, Glória et. ℣. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum. Coronásti. Glória Patri. Glória et.

℣. Posuísti, Dómine, super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso.

AD SEXTAM

Capitulum Act. 6, 9-10

SUrrexérunt autem quidam de synagóga, quæ appellátur Libertinórum, et Cyrenénsium, et Alexandrinórum, et eórum qui erant a Cilícia, et Asia, disputántes cum Stéphano : et non póterant resístere sapiéntiæ, et Spirítui qui loquebátur.

℟. br. Posuísti, Dómine, * Super caput ejus. Posuísti. ℣. Corónam de lápide pretiósa. Super. Glória Patri. Posuísti.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

AD NONAM

Capitulum Act. 7, 60

POsitis autem génibus, clamávit voce magna, dicens : Dómine, ne státuas illis hoc peccátum. Et cum hoc dixísset, obdormívit in Dómino.

℟. br. Magna est glória ejus * In salutári tuo. Magna. ℣. Glóriam et magnum decórem impónes super eum. In. Glória Patri. Magna. ℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Vesperæ de sequenti, Commemoratio præcedentis.

Si II Vesperæ dicendæ sint integræ, Antiphonæ et Capitulum de Laudibus 832; Psalmi et Hymnus de Communi unius Martyris [29], Versus et Antiphona ad Magnificat, ut infra.

Die 4 Augusti

S. Dominici Conf. [94]

Duplex majus (m. t. v.)

℣. Amávit eum Dóminus.

Ad Magnif. Ant. Similábo eum * viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

Oratio

DEus, qui Ecclésiam tuam beáti Domínici Confessóris tui illumináre dignátus es méritis et doctrínis : concéde; ut ejus intercessióne temporálibus non destituátur auxíliis, et spirituálibus semper proíciat increméntis. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio præcedentis :

Ant. Sepeliérunt Stéphanum viri timoráti, et fecérunt planctum magnum super eum.

℣. Stéphanus vidit cælos apértos. ℟. Vidit, et introívit : beátus homo, cui cæli patébant.

Oratio

DA nobis, quæsumus, Dómine, imitári quod cólimus : ut discámus et inimícos dilígere; quia ejus Inventiónem celebrámus, qui novit étiam pro persecutóribus exoráre Dóminum nostrum Jesum Christum, Fílium tuum : Qui tecum vivit.

In II Nocturno

Lectio iv

OMínicus, Calarógæ in Hispánia ex nóbili Gusmanórum família natus, Paléntiæ liberálibus disciplínis et theologíæ óperam dedit; quo in stúdio cum plúrimum profecísset, prius Oxoménsis ecclésiæ canónicus reguláris, deínde órdinis fratrum Prædicatórum auctor fuit. Hujus mater grávida sibi visa est, in quiéte, continére in alvo cátulum ore præferéntem facem, qua, éditus in lucem, orbem terrárum incénderet. Quo sómnio significabátur fore ut, splendóre sanctitátis ac doctrinæ, gentes ad christiánam pietátem infiammaréntur. Veritátem éxitus comprobávit; id enim et præstitit per se, et per sui órdinis sócios deínceps est consecútus.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et.

Lectio v

HUjus autem ingénium ac virtus máxime enítuit in everténdis hæréticis, qui perniciósis erróribus Tolosátes pervértere conabántur; quo in negótio septem consúmpsit annos. Póstea Romam venit ad Lateranénse concílium cum epíscopo Tolosáno, ut ordo, quem institúerat, ab Innocéntio tértio confirmarétur. Quæ res dum in deliberatióne versátur, Domínicus hórtátu Pontíficis ad suos revértitur, ut sibi réguiam delígeret. Romam rédiens, ab Honório tértio, qui próximus Innocéntio succésserat, confirmatiónem órdinis Prædicatórum ímpetrat. Romæ autem duo instítuit monastéria, álterum virórum, mulíerum álterum. Tres étiam mórtuos ad vitam revocávit, múltaque ália édidit mirácula, quibus ordo Prædicatórum mirífice propagári cœpit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fidei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vi

VErum, cum ejus ópera ubíque terrárum monastéria jam ædificaréntur, innumerabilésque hómines religiósam ac piam vitam institúerent, Bonóniæ anno Christi ducentésimo vigésimo primo supra millésimum in febrem íncidit. Ex qua cum se moritúrum intellígeret, convocátis frátribus et alúmnis suæ disciplínæ, eos ad innocéntiam et integritátem cohortátus est. Postrémo caritátem, humilitátem, paupertátem, tamquam certum patrimónium eis testaménto relíquit; fratribúsque oránti-bus, in illis verbis, Subveníte, Sancti Dei, occúrrite, Angeli, obdormívit in Dómino, octávo Idus Augúsi. Quem póstea Gregórius nonus Póntifex rétulit in Sanctórum número.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Quia. Glória Patri. Quia.

Pro hoc Festo simplificato

Lectio ix

DOmínicus, Calarógæ in Hispánia ex nóbili Gusmanórum família natus, et Paléntiæ liberálibus disciplínis et theología erudítus, prius Oxoménsis ecclésiæ canónicus factus, dein órdinis Prædicatórum auctor fuit. Ejus ingénium et virtus máxime enituérunt in converténdis hæréticis, qui Tolosátes pervértere conabántur. Romam véniens, ab Innocéntio tértio Pontífice máximo sui órdinis approbatiónem confirmationémque pétiit, quam ab ejus succéssóre Honório tértio impetrávit. Cum vero ejus ópera innumerábiles hómines religiósam ac piam vitam institúerent, Bonóniæ, anno ducentésimo vigésimo primo supra millésimum, alúmnis caritátem, humilitátem et paupertátem tamquam certum patrimónium relínquens, in illis verbis : Subveníte, Sancti Dei, occúrrite, Angeli, obdormívit in Dómino, octávo Idus Augúsi. Eum Gregórius Papa nonus in Sanctórum número rétulit.

Te Deum laudámus.

In III Nocturno Homilia in Ev. Sint lumbi, de Communi Conf. non Pont. 1 loco. [98]

Oratio

DEus, qui Ecclésiam tuam beáti Domínici Confessóris tui illumináre dignátus es méritis et doctrínis : concéde, ut ejus intercessióne temporálibus non destituátur auxíliis, et spirituálibus semper proficiat increméntis. Per Dóminum.

Vesperæ de sequenti, Commemoratio præcedentis.

Die 5 Augusti

In Dedicatione S. Mariæ ad Nives

Duplex majus

Omnia de Communi Festorum B. Mariæ Virginis [174], præter Lectiones II Nocturni, ut infra.

℣. Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta. ℟. Da mihi virtútem contra hostes tuos.

Ad Magnif. Ant. Sancta María, * succúrre míseris, juva pusillánimes, réfove flébiles, ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu : séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam festivitátem.

Oratio C

COncéde nos fámulos tuos, quæsumus, Dómine Deus, perpétua mentis et córporis sanitáte gaudére : et gloriósa beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, a præsénti liberári tristítia, et ætérna pérfrui lætítia. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio præcedentis :

Ant. Hic vir, despíciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit.

Oratio Deus, qui Ecclésiam, ut supra.

In II Nocturno

Lectio iv

IBério summo Pontífice, Joánnes patrícius Románus et uxor pari nobilitáte, cum líberos non suscepíssent, quos bonórum herédes relínquerent, suam hereditátem sanctíssimæ Vírgini Dei Matri vovérunt, ab ea summis précibus assídue

peténtes, ut in quod pium opus eam pecúniam potíssimum erogári vellet, áliquo modo significáret. Quorum preces et vota, ex ánimo facta, beáta Virgo María, benígne áudiens, miráculo comprobávit.

℟. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, et sicut cypréssus in monte Sion : quasi myrrha elécta, * Dedi suavitátem odóris. ℣. Et sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans. — Dedi.

Lectio v

NOnis ígitur Augústi, quo témpore in Urbe máximi calóres esse solent, noctu nix partem collis Exquilíni contéxit. Qua nocte Dei Mater separátim Joánnem et cónjugem in somnis admónuit ut quem locum nive conspérsum vidérent, in eo ecclésiam ædificárent, quæ Maríæ Vírginis nómine dedicarétur; se enim ita velle ab ipsis herédem instítui. Quod Joánnes ad Libérium Pontíficem détulit, qui idem per sómnium sibi contigísse affírmávit.

℟. Quæ est ista quæ procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam fíliæ Sion, et beátam dixérunt, et regínæ laudavérunt eam. ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum et lília convállium. — Vidérunt.

Lectio vi

QUare solémni sacerdótum et pópuli supplicatióne ad collem venit nive coopértum, et in eo locum ecclésiæ designávit, quæ Joánnis et uxóris pecúnia exstrúcta est, póstea a Xysto tértio restitúta. Váriis nomínibus primum est appellata, basílica Libérii, sancta María ad Præsépe; sed, cum multæ jam essent in Urbe ecclésiæ sub nómine sanctæ Maríæ Vírginis, ut quæ basílica novitáte miráculi ac dignitáte céteris ejúsdem nóminis basílicis præstáret, vocábuli étiam excelléntia significarétur, ecclésia sanctæ Maríæ majóris dicta est. Cujus dedicatiónis memória ex nive, quæ hac die mirabíliter cécidit, anniversária celebritáte cólitur.

℟. Ornátam monílibus fíliam Jerúsalem Dóminus concupívit : * Et vidéntes eam fíliæ Sion, beatíssimam prædicavérunt, dicéntes : * Unguéntum effúsum nomen tuum. ℣. Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte. — Et. Glória Patri. Unguéntum.

Pro hoc Festo simplificato

Lectio ix

LIbério summo Pontífice, Joánnes patrícius Románus et uxor pari nobilitáte, cum líberos non suscepíssent, suam hereditátem sanctíssimæ Vírgini Dei Matri vovérunt. Quorum preces et vota beáta Virgo benígne áudiens, miráculo comprobávit. Nonis ígitur Augústi, quo témpore in Urbe máximi calóres esse solent, noctu nix partem collis Exquilini contéxit. Qua nocte Dei Mater separátim Joánnem et cónjugem in somnis admónuit, ut in eo loco ecclésiam ædificárent. Quod Joánnes ad Libérium Pontíficem détulit, qui idem per sómnium sibi contigísse affírmávit. Quare ad collem venit nive coopértum, et in eo locum ecclésiæ designávit, quæ Joánnis et uxóris pecúnia exstrúcta est, póstea a Xysto tértio restitúta. Váriis nomínibus appellata, ut vocábuli étiam excellentia significarétur, ecclésia sanctæ Maríæ majóris dicta est. Te Deum.

AD LAUDES

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Bened. Ant. Beáta es, * María, quæ credidísti : perficiéntur in te, quæ dicta sunt tibi a Dómino, allelúja.

Oratio C

GOncéde nos fámulos tuos, quæsumus, Dómine Deus, perpétua mentis et córporis sanitáte gaudére : et gloriósa beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, a præsénti liberári tristítia, et ætérna pérfrui lætítia. Per Dóminum.

Vesperæ de sequenti, Commemoratio tantum præcedentis.

DIE 6 AUGUSTI

In Transfiguratione D. N. J. C.

DUPLEX II CLASSIS

IN I VESPERIS

Ant. 1 Assúmpsit Jesus * Petrum, et Jacóbum, et Joánnem fratrem ejus, et duxit eos in montem excélsum seórsum, et transfigurátus est ante eos.

Psalmi de Dominica 57, sed loco ultimi Ps. 116 Laudáte Dóminum, omnes gentes. 78

2 Resplénduit * fácies ejus sicut sol, vestiménta autem ejus facta sunt alba sicut nix, allelúja.

3 Et ecce * apparuérunt eis Móyses et Elías loquéntes cum Jesu.

4 Respóndens autem Petrus * dixit ad Jesum : Dómine, bonum est nos hic esse.

5 Adhuc eo loquénte, * ecce nubes lúcida obumbrávit eos.

Capit. Philipp. 3. 20-21

SAlvatórem exspectámus Dóminum nostrum Jesum Christum, qui reformábit corpus humilitátis nostræ configurátum córpori claritátis suæ.

Hymnus

QUicúmque Christum quæritis,
Oculos in altum tóllite :
Illic licébit vísere
Signum perénnis glóriæ.

Illústre quiddam cérnimus,
Quod nésciat finem pati,
Sublíme, celsum, intérminum,
Antíquius cælo et chao.

Hic ille Rex est géntium
Populíque Rex judáici,
Promíssus Abrahæ patri
Ejúsque in ævum sémini.

Hunc, et prophétis téstibus
Iisdémque signatóribus,
Testátor et Pater jubet
Audíre nos et crédere.

Jesu, tibi sit glória,
Qui te revélas párvulis,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

Sic terminantur Hymni per omnes Horas.

℣. Gloriósus apparuísti in conspéctu Dómini. ℟. Proptérea decórem índuit te Dóminus.

Ad Magnif. Ant. Christus Jesus, * splendor Patris et figúra substántiæ ejus, portans ómnia verbo virtútis suæ, purgatiónem peccatórum fáciens, in monte excélso gloriósus apparére hódie dignátus est.

Oratio

DEus, qui fídei sacraménta in Unigéniti tui gloriósa Transfiguratióne patrum testimónio roborásti, et adoptiónem filiórum perféctam, voce delápsa in nube lúcida, mirabíliter præsignásti : concéde propítius; ut ipsíus Regis glóriæ nos coherédes effícias, et ejúsdem glóriæ tríbuas esse consórtes. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Commemoratio tantum præcedentis :

Ant. Beátam me dicent omnes generatiónes, quia ancíllam húmilem respéxit Deus.

℣. Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta. ℟. Da mihi virtútem contra hostes tuos.

Oratio

GOncéde nos fámulos tuos, quæsumus, Dómine Deus, perpétua mentis et córporis sanitáte gaudére : et gloriósa beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, a præsénti liberári tristítia, et ætérna pérfrui lætítia. Per Dóminum.

Completorium de Dominica.

AD MATUTINUM

Invitat. Summum Regem glóriæ, * Christum adorémus. Ps. 94 Veníte, exsultémus. 3

Hymnus Quicúmque, ut supra. 839

In I Nocturno

Ant. Paulo minus * ab Angelis minorátus, glória et honóre coronátus est, et constitútus super ópera mánuum Dei.

Psalmus 8

DOmine, Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua * super cælos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo cælos tuos, ópera digitórum tuórum : * lunam et stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulo minus ab Angelis, glória et honóre coronásti eum : * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves et boves univérsas : ínsuper et pécora campi.

Volúcres cæli, et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine, Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Ant. Paulo minus ab Angelis minorátus, glória et honóre coronátus est, et constitútus super ópera mánuum Dei.

Ant. Revelávit Dóminus * condénsa, et in templo ejus omnes dicent glóriam.

Psalmus 28

AFférte Dómino, fílii Dei : * afférte Dómino fílios aríetum.

Afférte Dómino glóriam et honórem, afférte Dómino glóriam nómini ejus : * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Vox Dómini super aquas, Deus majestátis intónuit : * Dóminus super aquas multas.

Vox Dómini in virtúte : * vox Dómini in magnificéntia.

Vox Dómini confringéntis cedros : * et confrínget Dóminus cedros Líbani :

Et commínuet eas tamquam vítulum Líbani : * et diléctus quemádmodum fílius unicórnium.

Vox Dómini intercidéntis flammam ignis : * vox Dómini concutiéntis desértum : et commovébit Dóminus desértum Cades.

Vox Dómini præparántis cervos, et revelábit condénsa : * et in templo ejus omnes dicent glóriam.

Dóminus dilúvium inhabitáre facit : * et sedébit Dóminus Rex in ætérnum.

Dóminus virtútem pópulo suo dabit : * Dóminus benedícet pópulo suo in pace.

Ant. Revelávit Dóminus condénsa, et in templo ejus omnes dicent glóriam.

Ant. Speciósus forma * præ fíliis hóminum, diffúsa est grátia in lábiis tuis.

Psalmus 44

GRuctávit cor meum verbum bonum : * dico ego ópera mea Regi.

Lingua mea cálamus scribæ, * velóciter scribéntis.

Speciósus forma præ fíliis hóminum, diffúsa est grátia in lábiis tuis : * propterea benedíxit te Deus in ætérnum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum, * potentíssime,

Spécie tua et pulchritúdine tua * inténde, próspere procéde, et regna.

Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagíttæ tuæ acútæ, pópuli sub te cadent, * in corda inimicórum Regis.

Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi : * virga directiónis virga regni tui.

Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * propterea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha, et gutta, et cásia a vestiméntis tuis, a dómibus ebúrneis : * ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo.

Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto : * circúmdata varietáte.

Audi, fília, et vide, et inclína aurem tuam : * et oblivíscere pópulum tuum, et domum patris tui.

Et concupíscet Rex decórem tuum : * quóniam ipse est Dóminus, Deus tuus, et adorábunt eum.

Et fíliæ Tyri in munéribus * vultum tuum deprecabúntur : omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus fíliæ Regis ab intus, * in fímbriis áureis circumamícta varietátibus.

Adducéntur Regi vírgines post eam : * próximæ ejus afferéntur tibi.

Afferéntur in lætítia et exsultatióne : * adducéntur in templum Regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii : * constítues eos príncipes super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui : * in omni generatióne et generatiónem.

Proptérea pópuli confitebúntur tibi in ætérnum : * et in sæculum sæculi.

Ant. Speciósus forma præ fíliis hóminum, diffúsa est grátia in lábiis tuis.

℣. Glorióus apparuísti in conspéctu Dómini. ℟. Proptérea decórem índuit te Dóminus.

De Epístola secúnda beáti Petri Apóstoli

Lectio i Cap. 1, 10-21

FRatres : Magis satágite, ut per bona ópera certam vestram vocatiónem et electiónem faciátis : hæc enim faciéntes, non peccábitis aliquándo. Sic enim abundánter ministrábitur vobis introítus in ætérnum regnum Dómini nostri, et Salvátoris Jesu Christi. Propter quod incípiam vos semper commonére de his : et quidem sciéntes et confirmátos vos in præsénti veritáte. Justum autem árbitror quámdiu sum in hoc tabernáculo, suscitáre vos in commonitióne : certus quod velox est depositio tabernáculi mei secúndum quod et Dóminus noster Jesus Christus significávit mihi.

℟. Surge, illumináre, Jerúsalem, quia venit lumen tuum, * Et glória Dómini super te orta est. ℣. Et ambulábunt gentes in lúmine tuo, et reges in splendóre ortus tui. — Et glória.

Lectio ii

DAbo autem óperam et frequénter habére vos post óbitum meum, ut horum memóriam faciátis. Non enim doctas fábulas

secúti notam fécimus vobis Dómini nostri Jesu Christi virtútem et præséntiam, sed speculatóres facti illíus magnitúdinis. Accípiens enim a Deo Patre honórem et glóriam, voce delápsa ad eum hujuscémodi a magnífica glória : Hic est Fílius meus diléctus, in quo mihi complácui; ipsum audíte. ℟. In splendénti nube SpíritusSanctus visus est, Patérna vox audíta est : * Hic est Fílius meus diléctus, in quo mihi bene complácui; ipsum audíte. ℣. Appáruit nubes obúmbrans, et vox Patris intónuit. — Hic.

Lectio iii

ET hanc vocem nos audívimus de cælo allátam, cum essémus cum ipso in monte sancto. Et habémus firmiórem prophéticum sermónem, cui bene fácitis attendéntes quasi lucérnæ lucénti in caliginóso loco, donec dies elucéscat et lúcifer oriátur in córdibus vestris, hoc primum intelligéntes quod omnis prophetía Scriptúræ própria interpretatióne non fit. Non enim voluntáte humána alláta est aliquándo prophetía; sed Spíritu Sancto inspiráti locúti sunt sancti Dei hómines.

℟. Vidéte qualem caritátem dedit nobis Deus Pater, * Ut fílii Dei nominémur et simus. ℣. Scimus quóniam, cum apparúerit, símiles ei érimus, quóniam vidébimus eum sícuti est. — Ut. Glória Patri. Ut.

In II Nocturno

Ant. Illúminans * tu mirabiliter a móntibus ætérnis : turbáti sunt omnes insipiéntes corde.

Psalmus 75

NOtus in Judæa Deus : * in Israël magnum nomen ejus.

Et factus est in pace locus ejus : * et habitátio ejus in Sion.

Ibi confrégit poténtias árcuum, * scutum, gládium, et bellum.

Illúminans tu mirabíliter a móntibus ætérnis : * turbáti sunt omnes insipiéntes corde.

Dormiérunt somnum suum : * et nihil invenérunt omnes viri divitiárum in mánibus suis.

Ab increpatióne tua, Deus Jacob, * dormitavérunt qui ascendérunt equos.

Tu terríbilis es, et quis resístet tibi? * ex tunc ira tua.

De cælo audítum fecísti judícium : * terra trémuit et quiévit.

Cum exsúrgeret in judícium Deus, * ut salvos fáceret omnes mansuétos terræ.

Quóniam cogitátio hóminis confitébitur tibi : * et relíquiæ cogitatiónis diem festum agent tibi.

Vovéte, et réddite Dómino Deo vestro : * omnes, qui in circúitu ejus affértis múnera.

Terríbili et ei qui aufert spíritum príncipum, * terríbili apud reges terræ.

Ant. Illúminans tu mirabíliter a móntibus ætérnis : turbáti sunt omnes insipiéntes corde.

Ant. Mélior est * dies una in átriis tuis, super míllia.

Psalmus 83

QUam dilécta tabernácula tua, Dómine virtútum : * concupíscit, et déficit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum, et caro mea * exsultavérunt in Deum vivum.

Etenim passer invénit sibi domum : * et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altária tua, Dómine virtútum : * Rex meus, et Deus meus.

Beáti, qui hábitant in domo tua, Dómine : * in sæcula sæculórum laudábunt te.

Beátus vir, cujus est auxílium abs te : * ascensiónes in corde suo dispósuit, in valle lacrimárum in loco, quem pósuit.

Etenim benedictiónem dabit legislátor, ibunt de virtúte in virtútem : * vidébitur Deus deórum in Sion.

Dómine, Deus virtútum, exáudi oratiónem meam : * áuribus pércipe, Deus Jacob.

Protéctor noster, áspice, Deus : * et réspice in fáciem Christi tui :

Quia mélior est dies una in átriis tuis, * super míllia.

Elégi abjéctus esse in domo Dei mei : * magis quam habitáre in tabernáculis peccatórum.

Quia misericórdiam, et veritátem díligit Deus : * grátiam et glóriam dabit Dóminus.

Non privábit bonis eos, qui ámbulant in innocéntia : * Dómine virtútum, beátus homo, qui sperat in te.

Ant. Mélior est dies una in átriis tuis, super míllia.

Ant. Gloriósa * dicta sunt de te, cívitas Dei.

Psalmus 86

FUndaménta ejus ín móntibus sanctis : * díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob.

Gloriósa dicta sunt de te, * cívitas Dei.

Memor ero Rahab, et Babylónis * sciéntium me.

Ecce alienígenæ, et Tyrus, et pópulus Æthiópum, * hi fuérunt illic.

Numquid Sion dicet : Homo, et homo natus est in ea : * et ipse fundávit eam Altíssimus?

Dóminus narrábit in scriptúris populórum, et príncipum : * horum, qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium ómnium * habitátio est in te.

Ant. Gloriósa dicta sunt de te, cívitas Dei.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Sermo sancti Leónis Papæ

Sermo de Transfiguratione ante medium

Lectio iv

PErit Dóminus coram eléctis téstibus glóriam suam, et commúnem illam cum céteris córporis formam tanto splendóre clarificat, ut et fácies ejus solis fulgóri símilis, et vestítus candóri nívium esset æquális. In qua transfiguratióne illud quidem principáliter agebátur, ut de córdibus discipulórum crucis scándalum tollerétur; nec conturbáret eórum fidem voluntáriæ humílitas passiónis, quibus reveláta esset abscónditæ excelléntia dignitátis. Sed non minóre providéntia spes sanctæ Ecclésiæ fundabátur, ut totum Christi corpus agnósceret quali esset commutatióne donándum, ut ejus sibi honóris consórtium membra promítterent, qui in cápite præfúlsisset.

℟. Inebriáti sunt ab ubertáte domus tuæ : * Et torrénte voluptátis tuæ potásti eos. ℣. Quóniam apud te est fons vitæ, et in lúmine tuo vidébimus lumen. — Et.

Lectio v

CONfirmándis vero Apóstolis et ad omnem sciéntiam proveléndis, ália quoque in illo miráculo accéssit instrúctio. Móyses enim et Elias, lex scílicet et prophétæ, apparuérunt cum Dómino loquéntes; ut veríssime in illa quinque virórum præséntia complerétur quod dictum est : In duóbus vel tribus téstibus stat omne verbum. Quid hoc stabílius, quid fírmius verbo, in cujus prædicatióne véteris et novi Testaménti cóncinit tuba, et cum evangélica doctrína, antiquárum protestatiónum instrumenta concúrrunt?

Astipulántur enim sibi ínvicem utriúsque Fœderis páginæ; et, quem sub velámine mysteriórum præcedéntia signa promíserant, maniféstum atque perspícuum præséntis glóriæ splendor osténdit.

℟. Præcéptor, bonum est nos hic esse : * Faciámus hic tría tabernácula; tibi unum, Móysi unum et Eliæ unum. ℣. Non enim sciébat quid díceret. — Faciámus.

Lectio vi

HIS ergo sacramentórum revelatiónibus Petrus Apóstolus incitátus, mundána spernens et terréna fastídiens, in ætérnórum desidérium quodam mentis rapiebátur excéssu; et, gáudio totíus visiónis implétus, ibi cum Jesu optábat habitáre, ubi manifésta ejus glória lætabátur. Unde et ait : Dómine, bonum est nos hic esse : si vis, faciámus hic tria tabernácula; tibi unum, Móysi unum et Eliæ unum. Sed huic suggestióni Dóminus non respóndit, significans, non quidem ímprobum, sed inordinátum esse quod cúperet; cum salvári mundus, nisi Christi morte, non posset, et exémplo Dómini in hoc vocarétur credéntium fides, ut licet non oportéret de beatitúdinis promissiónibus dubitári, intelligerémus tamen inter tentatiónes hujus vitæ prius nobis tolerántiam postulándam esse quam glóriam.

℟. Si ministrátio mortis, lítteris deformáta in lapídibus, fuit in glória, ita ut non possent inténdere fílii Israël in fáciem Móysi propter glóriam vultus ejus, quæ evacuátur; * Multo magis ministrátio spíritus, quæ manet, erit in glória. ℣. Amplióris enim glóriæ Christus præ Móyse dignus est hábitus, quanto ampliórem honórem habet domo, qui fabricávit eam. — Multo. Glória Patri. Multo.

In III Nocturno

Ant. Thabor et Hermon * in nómine tuo exsultábunt : tuum bráchium cum poténtia.

Psalmus 88

MIsericórdias Dómini * in ætérnum cantábo.

In generatiónem et generatiónem * annuntiábo veritátem tuam in ore meo.

Quóniam dixísti : In ætérnum misericórdia ædificábitur in cælis : * præparábitur véritas tua in eis.

Dispósui testaméntum eléctis meis, jurávi David, servo meo : * Usque in ætérnum præparábo semen tuum.

Et ædificábo in generatiónem et generatiónem * sedem tuam.

Confitebúntur cæli mirabília tua, Dómine : * étenim veritátem tuam in ecclésia sanctórum.

Quóniam quis in núbibus æquábitur Dómino : * símilis erit Deo in fíliis Dei?

Deus, qui glorificátur in consílio sanctórum : * magnus et terríbilis super omnes qui in circúitu ejus sunt.

Dómine, Deus virtútum, quis símilis tibi? * potens es, Dómine, et véritas tua in circúitu tuo.

Tu domináris potestáti maris : * motum autem flúctuum ejus tu mítigas.

Tu humiliásti sicut vulnerátum, supérbum : * in bráchio virtútis tuæ dispersísti inimícos tuos.

Tui sunt cæli, et tua est terra, orbem terræ et plenitúdinem ejus tu fundásti : * aquilónem, et mare tu creásti.

Thabor et Hermon in nómine tuo exsultábunt : * tuum bráchium cum poténtia.

Firmétur manus tua, et exaltétur déxtera tua : * justítia et judícium præparátio sedis tuæ.

Misericórdia et véritas præcédent fáciem tuam : * beátus pópulus, qui scit jubilatiónem.

Dómine, in lúmine vultus tui ambulábunt, et in nómine tuo exsultábunt tota die : * et in justítia tua exaltabúntur.

Quóniam glória virtútis eórum tu es : * et in beneplácito tuo exaltábitur cornu nostrum.

Quia Dómini est assúmptio nostra, * et Sancti Israël, regis nostri.

Tunc locútus es in visióne sanctis tuis, et dixísti : * Pósui adjutórium in poténte : et exaltávi eléctum de plebe mea.

Invéni David, servum meum : * óleo sancto meo unxi eum.

Manus enim mea auxiliábitur ei : * et bráchium meum confortábit eum.

Nihil profíciet inimícus in eo, * et fílius iniquitátis non appónet nocére ei.

Et concídam a fácie ipsíus inimícos ejus : * et odiéntes eum in fugam convértam.

Et véritas mea, et misericórdia mea cum ipso : * et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Et ponam in mari manum ejus : * et in flumínibus déxteram ejus.

Ipse invocábit me : Pater meus es tu : * Deus meus, et suscéptor salútis meæ.

Et ego primogénitum ponam illum * excélsum præ régibus terræ.

In ætérnum servábo illi misericórdiam meam : * et testaméntum meum fidéle ipsi.

Et ponam in sæculum sæculi semen ejus : * et thronum ejus sicut dies cæli.

Si autem derelíquerint fílii ejus legem meam : * et in judíciis meis non ambuláverint :

Si justítias meas profanáverint : * et mándata mea non custodíerint :

Visitábo in virga iniquitátes eórum : * et in verbéribus peccáta eórum.

Misericórdiam autem meam non dispérgam ab eo : * neque nocébo in veritáte mea :

Neque profanábo testaméntum meum : * et quæ procédunt de lábiis meis, non fáciam írrita.

Semel jurávi in sancto meo : Si David méntiar : * semen ejus in ætérnum manébit.

Et thronus ejus sicut sol in conspéctu meo, * et sicut luna perfécta in ætérnum : et testis in cælo fidélis.

Tu vero repulísti et despexísti : * distulísti Christum tuum.

Evertísti testaméntum servi tui : * profanásti in terra Sanctuárium ejus.

Destruxísti omnes sepes ejus : * posuísti firmaméntum ejus formídinem.

Diripuérunt eum omnes transeúntes viam : * factus est oppróbrium vicínis suis.

Exaltásti déxteram depriméntium eum : * lætificásti omnes inimícos ejus.

Avertísti adjutórium gládii ejus : * et non es auxiliátus ei in bello.

Destruxísti eum ab emundatióne : * et sedem ejus in terram collisísti.

Minorásti dies témporis ejus : * perfudísti eum confusióne.

Usquequo, Dómine, avértis in finem : * exardéscet sicut ignis ira tua?

Memoráre quæ mea substántia : * numquid enim vane constituísti omnes fílios hóminum?

Quis est homo, qui vivet, et non vidébit mortem : * éruet ánimam suam de manu ínferi?

Ubi sunt misericórdiæ tuæ antíquæ, Dómine, * sicut jurásti David in veritáte tua?

Memor esto, Dómine, oppróbrii servórum tuórum * (quod contínui in sinu meo) multárum géntium.

Quod exprobravérunt inimíci tui, Dómine, * quod

exprobravérunt commutatiónem Christi tui.

Benedíctus Dóminus in ætérnum : * fiat, fiat.

Ant. Thabor et Hermon in nómine tuo exsultábunt : tuum bráchium cum poténtia.

Ant. Lux orta est * justo, et rectis corde lætítia.

Psalmus 96

DOminus regnávit, exsúltet terra : * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes, et calígo in circúitu ejus : * justítia, et judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet, * et inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ : * vidit, et commóta est terra.

Montes, sicut cera fluxérunt a fácie Dómini : * a fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cæli justítiam ejus : * et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes, qui adórant sculptília : * et qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum, omnes Angeli ejus : * audívit, et lætáta est Sion.

Et exsultavérunt fíliæ Judæ, * propter judícia tua, Dómine :

Quóniam tu Dóminus Altíssimus super omnem terram : * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum : * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde lætítia.

Lætámini, justi, in Dómino : * et confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

Ant. Lux orta est justo, et rectis corde lætítia.

Ant. Confessiónem * et decórem índuit, amíctus lúmine sicut vestiménto.

Psalmus 103

BEnedic, ánima mea, Dómino : * Dómine, Deus meus, magnificátus es veheménter.

Confessiónem, et decórem induísti : * amíctus lúmine sicut vestiménto :

Exténdens cælum sicut pellem : * qui tegis aquis superióra ejus.

Qui ponis nubem ascénsum tuum : * qui ámbulas super pennas ventórum.

Qui facis ángelos tuos, spíritus : * et minístros tuos ignem uréntem.

Qui fundásti terram super stabilitátem suam : * non inclinábitur in sæculum sæculi.

Abýssus, sicut vestiméntum, amíctus ejus : * super montes stabunt aquæ.

Ab increpatióne tua fúgient : * a voce tonítrui tui formidábunt.

Ascéndunt montes : et descéndunt campi * in locum, quem fundásti eis.

Términum posuísti, quem non transgrediéntur : * neque converténtur operíre terram.

Qui emíttis fontes in convállibus : * inter médium móntium pertransíbunt aquæ.

Potábunt omnes béstiæ agri : * exspectábunt ónagri in siti sua.

Super ea vólucres cæli habitábunt : * de médio petrárum dabunt voces.

Rigans montes de superióribus suis : * de fructu óperum tuórum satiábitur terra :

Prodúcens fœnum juméntis, * et herbam servitúti hóminum :

Ut edúcas panem de terra : * et vinum lætíficet cor hóminis :

Ut exhílaret fáciem in óleo : * et panis cor hóminis confírmet.

Saturabúntur ligna campi, et cedri Líbani, quas plantávit : * illic pásseres nidificábunt.

Heródii domus dux est eórum : * montes excélsi cervis : petra refúgium herináciis.

Fecit lunam in témpora : * sol cognóvit occásum suum.

Posuísti ténebras, et facta est nox : * in ipsa pertransíbunt omnes béstiæ silvæ.

Cátuli leónum rugiéntes, ut rápiant, * et quærant a Deo escam sibi.

Ortus est sol, et congregáti sunt : * et in cubílibus suis collocabúntur.

Exíbit homo ad opus suum : * et ad operatiónem suam usque ad vésperum.

Quam magnificáta sunt ópera tua, Dómine! * ómnia in sapiéntia fecísti : impléta est terra possessióne tua.

Hoc mare magnum, et spatiósum mánibus : * illic reptília, quorum non est número.

Animália pusílla cum magnis : * illic naves pertransíbunt.

Draco iste, quem formásti ad illudéndum ei : * ómnia a te exspéctant ut des illis escam in témpore.

Dante te illis, cólligent : * aperiénte te manum tuam, ómnia implebúntur bonitáte.

Averténte autem te fáciem, turbabúntur : * áuferes spíritum eórum, et defícient, et in púlverem suum reverténtur.

Emíttes spíritum tuum, et creabúntur : * et renovábis fáciem terræ.

Sit glória Dómini in sæculum : * lætábitur Dóminus in opéribus suis :

Qui réspicit terram, et facit eam trémere : * qui tangit montes, et fúmigant.

Cantábo Dómino in vita mea : * psallam Deo meo, quámdiu sum.

Jucúndum sit ei elóquium meum : * ego vero delectábor in Dómino.

Defíciant peccatóres a terra, et iníqui ita ut non sint : * bénedic, ánima mea, Dómino.

Ant. Confessiónem et decórem índuit, amíctus lúmine sicut vestiménto.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 17, 1-9

IN illo témpore : Assúmpsit Jesus Petrum, et Jacóbum, et Joánnem fratrem ejus, et duxit illos in montem excélsum seórsum : et transfigurátus est ante eos. Et réliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi

Homilia 57 in Matth. in init.

QUóniam multa de perículis, multa de passióne sua, multa de morte et de cæde discipulórum locútus est Dóminus, et áspera complúra atque árdua eis injúnxit; et illa quidem in præsénti vita, et jam imminébant; bona vero in spe et exspectatióne erant : ut puta, quia servárent ánimam suam, si pérderent eam; quia in glória Patris sui ventúrus sit, et prǽmia redditúrus : ut visu étiam certióres fáceret, et osténderet quidnam sit illa glória, cum qua ventúrus est, quantum cápere póterant in hac præsénti vita, illis osténdit eámque détegit, ne aut sua aut Dómini morte dóleant, et máxime Petrus.

℟. Vocávit nos Deus vocatióne sua sancta, secúndum grátiam suam, quæ manifestáta est nunc * Per illuminatiónem Salvatóris nostri Jesu Christi. ℣. Qui destrúxit mortem, illumináv it autem vitam in incorruptiónem. — Per.

Bened. Divínum auxílium.

Lectio viii

ET vide quid agit, cum de regno et de gehénna disserúerit. Nam in eo quod dixit : Qui ínvenit ánimam suam, perdet eam; et quicúmque perdet eam grátia mei, invéniet ipsam; et in eo quod ait : Reddet unicuíque secúndum ópera sua; et regnum et gehénnam designávit. Cum ígitur de utrísque disserúerit, regnum quidem ut

óculis cernátur, concédit, gehénnam autem mínime; quóniam rudióribus atque ineptióribus illud necessárium fuísset, sed, cum illi probi essent ac perspicáces, satis fuit eos a melióribus confirmári. Hoc étiam multo magis ipsum decébat. Non tamen omnino illud prætermisit, sed et aliquándo atrocitátem gehénnæ quasi ante óculos propónit, véluti cum Lázari imáginem descrípsit, et ejus méminit qui denários centum repétiit.

℟. Deus, qui fecit de ténebris lumen splendéscere, illúxit in córdibus nostris * Ad illuminatiónem sciéntiæ claritátis Dei in fácie Jesu Christi. ℣. Exórtum est in ténebris lumen rectis corde, miséricors, et miserátor, et justus. — Ad. Glória Patri. Ad.

Pro Ss. Xysto II Papa, Felicissimo et Agapito Mm.

Lectio ix

XYstus secúndus, Atheniénsis, ex philósopho Christi discípulus, in persecutióne Valeriáni accusátus quod públice Christum prædicáret, comprehénsus tráhitur in templum Martis, propósita ei capitáli pœna, nisi illi simulácro sacrificáret. Qua impietáte constantissime recusáta, cum ad martýrium ducerétur, occurrénti sancto Lauréntio et dolénter in hunc modum interrogánti, Quo progréderis sine fílio, pater? quo, sacérdos sancte, sine minístro próperas? respóndit : Non ego te désero, fili, majóra te manent pro Christi fide certámina : post tríduum me sequéris, sacerdótem levíta; intérea, si quid in thesáuris habes, paupéribus distríbue. Eódem ígitur die interféctus est una cum Felicíssimo et Agapíto diáconis, Januário, Magno, Vincéntio et Stéphano subdiáconis; et in cœmetério Callísti sepúltus octávo Idus Augústi, céteri vero in cœmetério Prætextáti. Sedit menses úndecim, dies duódecim. Quo témpore hábuit ordinatiónem mense Decémbri, creátis presbýteris quátuor, diáconis septem, episcopis duóbus.

Te Deum laudámus.

Si autem Lectio ix alicujus Officii commemorati non sit dicenda, erit sequens

Lectio ix

TU vero Matthæi philosophiam considera, qui non celávit nómina eórum qui præpósiti fúerant. Quod et Joánnes sæpius facit, cum eximias Petri laudes veríssime ac diligentíssime descríbat. Nullum enim in hoc Apostolórum consórtio livor aut inánis glória locum habébat. Primos ígitur Apostolórum seórsum assúmpsit. Quam ob rem eos solos accépit? Quia excellentióres céteris vidélicet erant. Cur autem non íllico, sed post sex dies hoc fecit? Ne céteri scílicet discípuli seu hómines moveréntur; qua de re nec eos nominávit, quos acceptúrus erat.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

et per Horas, Añæ

1 Assúmpsit Jesus * Petrum, et Jacóbum, et Joánnem fratrem ejus, et duxit eos in montem excélsum seórsum, et transfigurátus est ante eos.

Psalmi de Dominica.

2 Resplénduit * fácies ejus sicut sol, vestiménta autem ejus facta sunt alba sicut nix, allelúja.

3 Et ecce * apparuérunt eis Móyses et Elías loquéntes cum Jesu.

4 Respóndens autem Petrus * dixit ad Jesum : Dómine, bonum est nos hic esse.

5 Adhuc eo loquénte, * ecce nubes lúcida obumbrávit eos.

Capit. Philipp. 3, 20-21

SAlvatórem exspectámus Dóminum nostrum Jesum Christum, qui reformábit corpus humilitátis nostræ configurátum córpori claritátis suæ.

Hymnus

LUX alma, Jesu, méntium,
Dum corda nostra récreas,
Culpæ fugas calíginem,
Et nos reples dulcédine.

Quam lætus est, quem vísitas!
Consors Patérnæ déxteræ,
Tu dulce lumen pátriæ,
Carnis negátum sénsibus.

Splendor Patérnæ glóriæ,
Incomprehénsa cáritas,
Nobis amóris cópiam
Largíre per præséntiam.

Jesu, tibi sit glória,
Qui te revélas párvulis,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Coróna áurea super caput ejus. ℟. Expréssa signo sanctitátis, glóriæ et honóris.

Ad Bened. Ant. Et ecce * vox de nube dicens : Hic est Fílius meus diléctus, in quo mihi complácui; ipsum audíte, allelúja.

Oratio

DEus, qui fídei sacraménta in Unigéniti tui gloriósa Transfiguratióne patrum testimónio roborásti, et adoptiónem filiórum perféctam, voce delápsa in nube lúcida, mirabíliter præsignásti : concéde propítius; ut ipsíus Regis glóriæ nos coherédes effícias, et ejúsdem glóriæ tríbuas esse consórtes. Per eúmdem Dóminum.

Ad Laudes tantum fit Commemoratio Ss. Xysti II Papæ, Felicissimi et Agapiti Mm. :

Ant. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt : nolíte timére : multis passéribus melióres estis vos.

℣. Exsultábunt Sancti.

Oratio

DEus, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum Xysti, Felicíssimi et Agapíti natalítia cólere : da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum.

Ad Horas Psalmi de Dominica, ad Primam tamen ut in Festis; et ad eam in ℟. br. ℣. Qui apparuísti hódie.

AD PRIMAM

Ant. Assúmpsit Jesus * Petrum, et Jacóbum, et Joánnem fratrem ejus, et duxit eos in montem excélsum seórsum, et transfigurátus est ante eos.

AD TERTIAM

Ant. Resplénduit * fácies ejus sicut sol, vestiménta autem ejus facta sunt alba sicut nix, allelúja.

Capit. Philipp. 3, 20-21

SAlvatórem exspectámus Dóminum nostrum Jesum Christum, qui reformábit corpus humilitátis nostræ configurátum córpori claritátis suæ.

℟. br. Gloriósus apparuísti in conspéctu Dómini, * Allelúja, allelúja. Gloriósus. ℣. Proptérea decórem índuit te Dóminus. Allelúja, allelúja. Glória Patri. Gloriósus. ℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine, allelúja. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum, allelúja.

Oratio Deus, qui fídei, ut supra.

AD SEXTAM

Ant. Et ecce * apparuérunt eis Móyses et Elías loquéntes cum Jesu.

Capitulum 2 Cor. 3, 18

NOS omnes reveláta fácie glóriam Dómini speculántes, in eámdem

imáginem transformámur a claritáte in claritátem, tamquam a Dómini Spíritu.

℟. br. Glória et honóre coronásti eum, Dómine, * Allelúja, allelúja. Glória et. ℣. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum. Allelúja, allelúja. Glória Patri. Glória et.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo, allelúja. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum, allelúja.

AD NONAM

Ant. Adhuc eo loquénte, * ecce nubes lúcida obumbrávit eos.

Capit. Apoc. 21, 10 et 23

SUstulit me in spíritu in montem magnum et altum, et osténdit mihi civitátem sanctam Jerúsalem, descendéntem de cælo a Deo, habéntem claritátem Dei; et lucérna ejus est Agnus.

℟. br. Magna est glória ejus in salutári tuo, * Allelúja, allelúja. Magna. ℣. Glóriam et magnum decórem impónes super eum. Allelúja, allelúja. Glória Patri. Magna. ℣. Coróna áurea super caput ejus, allelúja. ℟. Expréssa signo sanctitátis, glóriæ et honóris, allelúja.

IN II VESPERIS

Omnia ut in I Vesperis, 838 præter Ant. ad Magnificat.

Ad Magnif. Ant. Et audiéntes * discípuli cecidérunt in fáciem suam et timuérunt valde : et accéssit Jesus, et tétigit eos dixítque eis : Súrgite et nolíte timére, allelúja.

Et fit Commemoratio tantum sequentis.

Completorium de Dominica.

Die 7 Augusti

S. Cajetani Conf. [94]

Duplex

Ant. Quærite primum * regnum Dei et justítiam ejus, et hæc ómnia adjiciéntur vobis.

℣. Amávit eum Dóminus.

Oratio

DEus, qui beáto Cajetáno Confessóri tuo apostólicam vivéndi formam imitári tribuísti : da nobis, ejus intercessióne et exémplo, in te semper confídere, et sola cæléstia desideráre. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

GAjetánus, nóbili Thienæa gente Vicéntiæ ortus, statim a matre Deíparæ Vírgini oblátus est. Mira a téneris annis morum innocéntia in eo elúxit, ádeo ut Sanctus ab ómnibus nuncuparétur. Juris utriúsque láuream Patávii adéptus, Romam proféctus est; ubi, inter prælátos a Júlio secúndo collocátus, et sacerdótio initiátus, tanto divíni amóris æstu succénsus est, ut relícta aula se totum Deo mancipáverit. Nosocomíis próprio ære fundátis, étiam morbo pestilénti laborántibus, suis ipse mánibus inserviébat. Proximórum salúti assídua cura incumbébat, dictus proptérea Venátor animárum.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inímicis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et.

Lectio v

COllápsam ecclesiasticórum disciplínam ad formam apostólicæ vitæ instauráre desíderans, órdinem Clericórum regulárium instítuit, qui, abdicáta rerum ómnium terrenárum sollicitúdine, nec réditus possidérent nec vitæ subsídia a fidélibus péterent, sed solis eleemósynis sponte oblátis víverent. Itaque, approbánte Cleménte séptimo, ad aram máximam basílicæ Vaticánæ una cum Joánne Petro Caráfa, epíscopo Theatíno, qui póstea Paulus quartus Póntifex máximus fuit, et áliis duóbus exímiæ pietátis viris, vota solémnia emísit. In Urbis direptióne a milítibus crudelíssime vexátus ut pecúniam próderet, quam dudum in cæléstes thesáuros manus páuperum deportáverant, vérbera, torménta et cárceres invícta patiéntia sustínuit. In suscépto vitæ institúto constantíssime perseverávit, soli divínæ providéntiæ inhærens, quam sibi numquam defuísse aliquándo mirácula comprobárunt.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et ad portas.

Lectio vi

DIvíni cultus stúdium, nitórem domus Dei, sacrórum rítuum observántiam et sanctíssimæ Eucharístiæ frequentiórem usum máxime promóvit. Hæresum monstra et láteбras non semel detéxit ac profligávit. Oratiónem ad octo passim horas júgibus lácrimis protrahébat : sæpe in éxtasim raptus ac prophetíæ dono illústris Romæ, nocte natalítia, ad præsépe Dómini infántem Jesum accípere méruit a Deípara in ulnas suas. Corpus íntegras noctes intérdum verberatiónibus affligébat; nec umquam addúci pótuit ut vitæ asperitátem emolliret, testátus in cínere et cilício velle se mori. Dénique, ex ánimi dolóre concépto morbo quod offéndi plebis seditióne Deum vidéret, cæléstі visióne recreátus, Neápoli migrávit in cælum; ibíque corpus ejus in eccléسia sancti Pauli magna religióne cólitur. Quem, multis miráculis in vita et post mortem gloriósum, Clemens décimus, Póntifex máximus, Sanctórum número adscrípsit.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Quia. Glória Patri. Quia.

Pro hoc Festo simplificato

Lectio ix

GAjetánus, nóbili Thienæa gente Vicéntiæ ortus, statim a matre Deíparæ Vírgini oblátus est. Patávii juris utriúsque láuream adéptus, Romam proféctus est, ubi inter prælátos a Júlio secúndo collocátus et sacerdótio initiátus est. Nosocomíis próprio ære fundátis, étiam morbo pestilénti laborántibus suis ipse mánibus inserviébat. Proximórum salúti assídue incumbébat, dictus proptérea Venátor animárum. Collápsam ecclesiasticórum disciplínam ad formam apostólicæ vitæ instauráre desíderans, órdinem Clericórum regulárium instítuit, qui, abdicáta rerum ómnium terrenárum cura, nec réditus possidérent nec vitæ subsídia a fidélibus péterent, sed solis eleemósynis sponte oblátis víverent. Itaque, approbánte Cleménte séptimo, ad aram máximam basílicæ Vaticánæ una cum Joánne Petro Caráfa, epíscopo Theatíno, qui póstea Paulus quartus Póntifex máximus fuit, et áliis duóbus exímiæ pietátis viris, vota solémnia emísit. Divíni cultus stúdium, nitórem domus Dei, sacrórum rí-

tuum observántiam et sanctíssimæ Eucharístiæ frequentiórem usum máxime promóvit. Plenus méritis, Neápoli migrávit in cælum, ibíque corpus ejus in ecclésia sancti Pauli magna religióne cólitur.

Te Deum laudámus.

In III Nocturno

Si ix Lectio alicujus Officii commemorati dicenda non sit, ex vii Lectione fit etiam viii incipiendo a signo ¶, et Lectio viii legitur ut ix.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 6, 24-33

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Nemo potest duóbus dóminis servíre. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi

Liber 2 de Sermone Domini in monte, cap. 14

NEmo potest duóbus dóminis servíre. Ad hanc ipsam intentiónem referéndum est quod consequénter expónit, dicens : Aut enim unum ódio habébit, et álterum díliget; aut álterum patiétur, et álterum contémnet. Quæ verba diligénter consideránda sunt : nam, qui sint duo dómini, deínceps osténdit, cum dicit : Non potéstis Deo servíre, et mammónæ. Mammóna apud Hebræos divítiæ appellári dicúntur. Cóngruit et Púnicum nomen; nam lucrum Púnice mammon dícitur. ¶ Sed qui servit mammónæ, illi útique servit, qui rebus istis terrénis mérito suæ perversitátis præpósitus, magistrátus hujus sæculi a Dómino dícitur. Aut enim unum ódio habébit homo, et álterum díliget, id est, Deum; aut álterum patiétur, et álterum contémnet. Patiétur enim durum et perniciósum dóminum, quisquis servit mammónæ; sua enim cupiditáte implicátus, súbditur diábolo, et non eum díligit. Quis enim est qui díligat diábolum? sed tamen pátitur.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. — Ipse.

Lectio viii

IDeo, inquit, dico vobis, non habére sollicitúdinem ánimæ vestræ quid edátis, neque córpori vestro quid induátis; ne forte, quamvis jam supérflua non quærántur, propter ipsa necessária cor duplicétur, et ad ipsa conquirénda, nostra detorqueátur inténtio, cum áliquid quasi misericórditer operámur : id est, ut cum consúlere alícui vidéri vólumus, nostrum emolumentum ibi pótius quam illíus utilitátem attendámus; et ídeo nobis non videámur peccáre, quia non supérflua, sed necessária sunt, quæ cónsequi vólumus.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. — Et. Glória Patri. Et.

Pro S. Donato Ep. et Mart.

Lectio ix

DOnátus, paréntibus propter Jesu Christi fidem interféctis, Arrétium in Etrúriam cum Hilaríno mónacho ex fuga se cóntulit : cujus étiam urbis epíscopus creátus est. Ubi, cum a Quadratiáno præfécto in Juliáni persecutióne utérque idóla venerári juberétur, negántibus illis se tam nefárium scelus commissúros, Hilarínus in óculis Quadratiáni támdiu fústibus cæsus est, dum effláret ánimam; Donátus, veheménter et ipse cruciátus, gládio percússus est. Quorum córpora a Christiánis prope eam urbem honorífice sepúlta sunt. Te Deum.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit.

Ad Bened. Ant. Nolíte sollíciti esse * dicéntes : Quid manducábimus aut quid bibémus? Scit enim Pater vester, quid vobis necésse sit.

Oratio

DEus, qui beáto Cajetáno Confessóri tuo apostólicam vivéndi formam imitári tribuísti : da nobis, ejus intercessióne et exémplo, in te semper confídere, et sola cæléstia desideráre. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Donati Ep. et Mart. :

Ant. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam. ℣. Justus ut palma.

Oratio

DEus, tuórum glória sacerdótum : præsta, quæsumus : ut sancti Mártyris tui et Epíscopi Donáti, cujus festa gérimus, sentiámus auxílium. Per Dóminum.

IN II VESPERIS

℣. Justum dedúxit.

Ad Magnif. Ant. Quærite primum * regnum Dei et justitiam ejus, et hæc ómnia adjiciéntur vobis.

Et fit Commem. sequentis.

Die 8 Augusti

Ss. Cyriaci, Largi et Smaragdi Mart. [49]

Semiduplex

Ant. Istórum est enim regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad prǽmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Lætámini in Dómino.

Oratio

DEus, qui nos ánnua sanctórum Mártyrum tuórum Cyríaci, Largi et Smarágdi solemnitáte lætíficas : concéde propítius; ut, quorum natalítia cólimus, virtútem quoque passiónis imitémur. Per Dóminum.

In II Nocturno

¶ Pro hoc Festo simplificato Lectio iv dicitur ut ix.

Lectio iv

CYríacus diáconus, cum Sisínio, Largo et Smarágdo diútius inclúsus in cárcere, multa édidit mirácula, in quibus Arthémiam Diocletiáni fíliam précibus a dæmone liberávit; missúsque ad Sáporem Persárum regem, Jobíam étiam ejus fíliam a nefário spíritu erípuit. Rege vero ejus patre cum quadringéntis ac trigínta áliis baptizátis, Romam rédiit; ubi, Maximiáni imperátoris jussu comprehénsus, caténis vinctus ante rhedam suam tráhitur; et post dies quátuor e cárcere edúctus, pice liquáta perfúsus et in catásta exténsus, demum cum Largo et Smarágdo aliísque vigínti secúri percússus est via Salária, ad hortos Sallustiános. Quorum córpora in eádem via décimo séptimo Kaléndas Aprílis sepúlta a Joánne presbýtero, póstea sexto Idus Augústi a Marcéllo Pontífice et Lucína nóbili fémina líneis velis involúta et pretiósis unguéntis condíta, in ipsíus Lucínæ prædium via Ostiénsi, séptimo ab Urbe lápide, transláta sunt.

℟. Sancti tui, Dómine, mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis : * Terra appáruit árida, et in Mari Rubro via sine impedimento. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxé-

runt aquæ, et torréntes inundavérunt. — Terra.

Lectio v

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi

Sermo 1 de Martyribus, tom. 3

NEmo est qui nésciat, Mártyrum glórias ad hoc divíno consílio a Dei pópulis frequentári, ut et illis débitus honor dicétur, et nobis virtútis exémpla, favénte Christo, monstréntur; ut, dum hæc ita celebrári perspícimus, cognoscámus quanta eos glória máneat in cælis, quorum natalítia táliter celebrántur in terris; quo possimus, étiam ipsi, tálibus provocári exémplis, virtúte pari, devotióne consímili ac fide; ut, Christo præstánte, dimicáre et víncere hostem possímus, ut, parta victória, cum iísdem Sanctis in regnis cæléstibus triumphémus.

℟. Vérbera carnificum non timuérunt Sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine : * Ut herédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. — Ut.

Lectio vi

QUis est enim, qui, eórum volens mérito populári, nisi prius constántiam eórum téneat, sectétur fidem, imitétur virtútem passiónis; eórum glóriam páribus vitæ lineaméntis aut invéniat aut exquírat? Qui, etsi martýrio par esse non possit; tamen múneris tanti dignitáte se quisque bonis áctibus dignum præbeat. Adest enim clementíssimus Deus, qui desiderántibus suis aut martýrium præbeat, aut, sine martýrio, cum Sanctis præmia divína retríbuat.

℟. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus, et quasi holocáusti hóstiam accépit illos; et in témpore erit respéctus illórum, * Quóniam donum et pax est eléctis Dei. ℣. Qui confídunt in illum, intélligent veritátem : et fidéles in dilectióne acquiéscent illi. — Quóniam. Glória Patri. Quóniam.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum

Lectio vii Cap. 16, 15-18

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Eúntes in mundum univérsum prædicáte Evangélium omni creatúræ. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ

Homilia 29 in Evang. post init.

QUotest omnis creatúræ nómine omnis nátio géntium designári. Ante enim dictum fúerat : In viam géntium ne abiéritis; nunc autem dícitur : Prædicáte omni creatúræ : ut scílicet prius a Judæa Apostolórum repúlsa prædicátio tunc nobis in adjutórium fíeret, cum hanc illa ad damnatiónis suæ testimónium supérba repulísset. Sed cum discípulos ad prædicándum Véritas mittit, quid áliud in mundo facit, nisi grana séminis spargit? Et pauca grana mittit in sémine, ut multárum méssium fruges recípiat ex nostra fide.

℟. Propter testaméntum Dómini et leges patérnas, Sancti Dei perstitérunt in amóre fraternitátis : * Quia unus fuit semper spíritus in eis, et una fides. ℣. Ecce quam bonum et quam jucúndum habitáre fratres in unum! — Quia.

Lectio viii

NEque étenim in univérso mundo tanta fidélium messis exsúrgeret, si de manu Dómini super rationálem terram illa elécta grana prædicántium non veníssent. Séquitur : Qui crediderit et baptizátus fúerit, salvus erit; qui vero non credíderit, condemnábitur. Fortásse unusquísque apud semetípsum dicat : Ego jam crédidi, salvus ero. Verum dicit, si fidem opéribus tenet. Vera étenim fides est, quæ in hoc, quod verbis dicit, móribus non contradícit. Hinc est enim quod de quibúsdam falsis fidélibus Paulus dicit : Qui confiténtur se nosseDeum, factis autem negant.

℟. Sancti mei, qui, in carne pósiti, certámen habuístis * Mercédem labóris ego reddam vobis. ℣. Veníte, benedícti Patris mei, percípite regnum. — Mercédem. Glória Patri. Mercédem.

Si hodie fuerit Sabbatum, Lectio ix de Homilia Vigiliæ anticipatæ S. Laurentii, et fit ejus Commemoratio ad Laudes, ut sequenti die notatur; secus

Lectio ix

SIgna autem eos qui credíderint sunt, hæc sequéntur : In nómine meo dæmónia ejícient, linguis loquéntur novis, serpéntes tollent : et si mortíferum quid bíberint, non eis nocébit : super ægros manus impónent, et bene habébunt. Numquídnam, fratres mei, quia ista signa non fácitis, mínime créditis? Sed hæc necessária in exórdio Ecclésiæ fuérunt. Ut enim ad fidem crésceret multitúdo credéntium, miráculis fúerat nutriénda : quia et nos, cum arbústa plantámus, támdiu eis aquam infúndimus, quoúsque ea in terra jam coaluísse videámus : et si semel radícem fíxerint, irrigátio cessábit. Hinc est enim quod Paulus dicit : Linguæ in signum sunt non fidélibus, sed infidélibus.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Exsultábunt Sancti.

Ad Bened. Ant. Vestri capílli cápitis * omnes numeráti sunt : nolíte timére : multis passéribus melióres estis vos.

Oratio

DEus, qui nos ánnua sanctórum Mártyrum tuórum Cyríaci, Largi, et Smarágdi solemnitáte lætíficas : concéde propítius, ut quorum natalítia cólimus, virtútem quoque passiónis imitémur. Per Dóminum.

Vesperæ de sequenti, Commemoratio præcedentis et S. Romani Martyris.

Die 9 Augusti

S. Joannis Mariæ Vianney Conf. [94]

Duplex (m. t. v.)

℣. Amávit eum Dóminus.

Ad Magnif. Ant. Similábo eum * viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

Oratio

OMnípotens et miséricors Deus, qui sanctum Joánnem Maríam pastoráli stúdio et jugi oratiónis ac pœniténtiæ ardóre mirábilem effecísti : da, quæsumus; ut, ejus exémplo et intercessióne, ánimas fratrum lucrári Christo, et cum eis ætérnam glóriam cónsequi valeámus. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Commem. præced. :

Ant. Gaudent in cælis ánimæ sanctórum, qui Christi vestígia sunt secúti : et, quia pro ejus amóre sánguinem suum fudérunt, ídeo cum Christo exsúltant sine fine.

℣. Exsultábunt Sancti.

Oratio Deus, qui nos ánnua, ut supra.

Deinde Commem. S. Romani Mart. :

Ant. Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit :

fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória et honóre.

Oratio

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus : ut, intercedénte beáto Románo Mártyre tuo, et a cunctis adversitátibus liberémur in córpore, et a pravis cogitatiónibus mundémur in mente. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

OAánnes María Vianney, in pago Dardilly, Diœcésis Lugdunénsis piis rurículis ortus, ab infántia plura dedit sanctitátis indícia. Cum octénnis oves custodíret, modo puérulos, ad imáginem Deíparæ genufléxos, Rosárium verbo et exémplo edocére, modo sorórem vel álteri commísso grege, secretiórem lucum pétere solébat, quo expedítior, ante simulácrum Vírginis, oratióni vacáret. Páuperum amantíssimus, eos turmátim in patris domum dedúcere et omnímodo adjuváre in delíciis habébat. Lítteris imbuéndus, párocho vici Ecully tráditus est; sed ut erat tardióris ingénii, in stúdiis fere insuperábiles expértus est difficultátes. Jejúnio et oratióne divínam opem implorávit, et facilitátem discéndi rogatúrus, túmulum Sancti Francísci Regis, stipem quæritans, adívit. Theologíæ currículo operóse confécto, satis idóneus invéntus est, qui sacris initiarétur.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et.

Lectio v

IN pago Ecully, præeúnte párocho, cujus vicárius renuntiátus fúerat, potióres pastorális perfectiónis gradus totis víribus attíngere conténdit. Elápso triénnio, in vículum Ars, qui non ita multo post diœcési Bellicénsi adscríptus est, quasi Angelus de cælo fuit missus et omníno squaléntis ac desértæ suæ parœciæ fáciem florentíssime renovávit. In consciéntiis judicándis ac moderándis ad plúrimas horas quotídie assíduus, frequéntem Eucharístiæ usum invéxit, pias sodalitátes instaurávit : mirum autem in modum téneram in Immaculátam Vírginem ánimis pietátem índidit. Ratus

vero pastóris esse, flagítia concréditæ plebis expiáre, nec oratiónibus, nec vigíliis, maceratiónibus et contínuis jejúniis parcébat. Tantam viri Dei virtútem cum Satan ferre non posset, eum vexatiónibus primum, dein apérto certámine adórtus est; sed atrocíssimas afflictiónes patiénter tolerábat Joánnes María.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vi

INvitabátur sæpius a curióni bus vicínis ut, Missionariórum more, animárum salúti, qua concionándo, qua confessiónes excipiéndo consúleret et síngulis præsto semper erat. Stúdio glóriæ Dei incénsus, effécit, ut pia Missiónum exercítia in ámplius centum parœciis, constitúto perpétuo censu, instaureréntur. Inter hæc, Deo servum suum miráculis et charismátibus illustránte, orta est célebris illa peregrinátio, qua, per vicénnium centum fere míllia hóminum cujúsque órdinis et ætátis, quotánnis Ars conflúxerint non solum e Gálliæ et Európæ, sed étiam Américæ díssitis provínciis. Labóribus pótius quam sénio consúmptus, prænuntiáto suæ mortis die, in ósculo Dómini quiévit, die quarta Augústi, anno millésimo octingéntésimo quinquagésimo nono, annos natus tres ac septuagínta. Quem multis clarum miráculis, Pius décimus inter Beátos, Pius vero undécimus inter Sanctos cælites anno sacro adscrípsit, ejúsque festum ad univérsam Eclésiam exténdit.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Quia. Glória Patri. Quia.

In III Noct. Homilia in Ev. Sint lumbi vestri, de Communi Conf. non Pont. 1 loco. [98]

Pro Vigilia S. Laurentii Mart.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio ix Cap. 16, 24-27

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ

Homilia 32 in Evang.

QUia Dóminus ac Redémptor noster novus homo venit in mundum, nova præcépta dedit mundo. Vitæ étenim nostræ véteri in vítiis enutrítæ contrarietátem oppósuit novitátis suæ. Quid enim vetus, quid carnális homo nóverat, nisi sua retinére, aliéna rápere, si posset; concupíscere, si non posset? Sed cæléstis médicus síngulis quibúsque vítiis obviántia ádhibet medicaménta. Nam sicut arte medicínæ cálida frígidis, frígida cálidis curántur : ita Dóminus noster contrária oppósuit medicaménta peccátis, ut lúbricis continéntiam, tenácibus largitátem, iracúndis mansuetúdinem, elátis præcíperet humilitátem.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

Oratio

OMnípotens et miséricors Deus, qui sanctum Joánnem Maríam pastorali stúdio et jugi oratiónis ac pœniténtiæ ardóre mirábilem effecísti : da, quæsumus; ut, ejus exémplo et intercessióne, ánimas fratrum lucrári Christo, et cum eis ætérnam glóriam cónsequi valeámus. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Com. Vigiliæ S. Laurentii : Ant. et ℣. de Feria currenti, ut in Psalterio.

Oratio

ADésto, Dómine, supplicatiónibus nostris : et intercessióne beáti Laurentii Mártyris tui, cujus prævenímus festivitátem, perpétuam nobis misericórdiam benígnus impénde. Per Dóminum.

Deinde pro S. Romano :

Ant. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

℣. Justus ut palma.

Oratio

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus : ut, intercedénte beáto Románo Mártyre tuo, et a cunctis adversitátibus liberémur in córpore, et a pravis cogitatiónibus mundémur in mente. Per Dóminum.

Vesperæ de sequenti, Commemoratio præcedentis.

DIE 10 AUGUSTI

S. Laurentii Martyris

DUPLEX II CLASSIS CUM OCTAVA SIMPLICI

IN I VESPERIS

Ant. 1 Lauréntius * ingréssus est Martyr, et conféssus est nomen Dómini Jesu Christi.

Psalmi ut in I Vesperis de Communi Apostolorum. [3]

2 Lauréntius * bonum opus operátus est, qui per signum crucis cæcos illumináuit.

3 Adhæsit * ánima mea post te, quia caro mea igne cremáta est pro te, Deus meus.

4 Misit Dóminus * Angelum suum, et liberávit me de médio ignis, et non sum æstuátus.

5 Beátus Lauréntius * orábat dicens : Grátias tibi ago, Dómine, quia jánuas tuas íngredi mérui.

In II Vesperis

Psalmus 115

CRédidi, propter quod locútus sum : * ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo : * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino, * pro ómnibus, quæ retríbuit mihi?

Cálicem salutáris accípiam : * et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus : * pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus :

O Dómine, quia ego servus tuus : * ego servus tuus, et fílius ancíllæ tuæ.

Dirupísti víncula mea : * tibi sacrificábo hóstiam laudis, et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli ejus : * in átriis domus Dómini, in médio tui, Jerúsalem.

Ant. Beátus Lauréntius orábat dicens : Grátias tibi ago, Dómine, quia jánuas tuas íngredi mérui.

Capitulum 2 Cor. 9, 6

FRatres : Qui parce séminat, parce et metet; et qui séminat in benedictiónibus, de benedictiónibus et metet.

Hymnus

DEus, tuórum mílitum
Sors, et coróna, prǽmium,
Laudes canéntes Mártyris
Absólve nexu críminis.

Hic nempe mundi gáudia,
Et blanda fraudum pábula
Imbúta felle députans,
Pervénit ad cæléstia.

Pœnas cucúrrit fórtiter,
Et sústulit viríliter,
Fundénsque pro te sánguinem,
Ætérna dona póssidet.

Ob hoc precátu súpplici
Te póscimus, piíssime :
In hoc triúmpho Mártyris
Dimítte noxam sérvulis.

* Laus et perénnis glória
Patri sit, atque Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Ad Magnif. Ant. Levíta Lauréntius * bonum opus operátus est, qui per signum crucis cæcos illumináuit, et thesáuros Ecclésiæ dedit paupéribus.

In II Vesperis

℣. Levíta Lauréntius bonum opus operátus est. ℟. Qui per signum crucis cæcos illumináuit.

Ad Magnif. Ant. Beátus Lauréntius, * dum in craticula superpósitus urerétur, ad impiíssimum tyránnum dixit : Assátum est jam, versa et mandúca; nam facultátes Ecclésiæ, quas requíris, in cæléstes thesáuros manus páuperum deportavérunt.

Oratio

DA nobis, quǽsumus, omnípotens Deus, vitiórum nostrórum flammas exstínguere : qui beáto Lauréntio tribuísti tormentórum suórum incéndia superáre. Per Dóminum.

Et fit Commem. præcedentis :

Ant. Hic vir, despíciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit.

Oratio

OMnípotens et miséricors Deus, qui sanctum Joánnem Maríam pastorali stúdio et jugi oratiónis ac pœniténtiæ ardóre mirábilem effecísti : da, quǽsumus; ut, ejus exémplo et intercessióne, ánimas fratrum lucrári Christo, et cum eis ætérnam glóriam cónsequi valeámus. Per eúmdem Dóminum.

Completorium de Dominica.

AD MATUTINUM

Invitat. Beátus Lauréntius Christi Martyr triúmphat coronátus in cælis : * Veníte, adorémus Dóminum. Ps. 94 Veníte, exsultémus.

Hymnus Deus, tuórum, ut supra. 868

In I Nocturno

Ant. Quo progréderis * sine fílio, pater? quo, sacérdos sancte, sine minístro próperas?

Psalmus 1

BEátus vir, qui non ábiit in consílio impiórum, et in via peccatórum non stetit, * et in cáthedra pestilentiæ non sedit :

Sed in lege Dómini volúntas ejus, * et in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantátum est secus decúrsus aquárum, * quod fructum suum dabit in témpore suo :

Et fólium ejus non défluet : * et ómnia quæcúmque fáciet, prosperabúntur.

Non sic ímpii, non sic : * sed tamquam pulvis, quem próicit ventus a fácie terræ.

Ideo non resúrgent ímpii in judício : * neque peccatóres in concílio justórum.

Quóniam novit Dóminus viam justórum : * et iter impiórum períbit.

Ant. Quo progréderis sine fílio, pater? quo, sacérdos sancte, sine minístro próperas?

Ant. Noli me derelínquere, * pater sancte, quia thesáuros tuos jam expéndi, quos tradidísti mihi.

Psalmus 2

QUare fremuérunt gentes, * et pópuli meditáti sunt inánia?

Astitérunt reges terræ, et príncipes convenérunt in unum * advérsus Dóminum, et advérsus Christum ejus.

Dirumpámus víncula eórum : * et projiciámus a nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in cælis, írridébit eos : * et Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua : * et in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * prædicans præcéptum ejus.

Dóminus dixit ad me : * Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Póstula a me, et dabo tibi gentes hereditátem tuam, * et possessiónem tuam términos terræ.

Reges eos in virga férrea, * et tamquam vas fíguli confrínges eos.

Et nunc, reges, intellígite : * erudímini, qui judicátis terram.

Servíte Dómino in timóre : * et exsultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplínam, nequándo irascátur Dóminus, * et pereátis de via justa.

Cum exárserit in brevi ira ejus, * beáti omnes qui confídunt in eo.

Ant. Noli me derelínquere, pater sancte, quia thesáuros tuos jam expéndi, quos tradidísti mihi.

Ant. Non ego te désero, * fili, neque derelínquo; sed majóra tibi debéntur pro Christi fide certámina.

Psalmus 3

DOmine, quid multiplicáti sunt qui tríbulant me? * multi insúrgunt advérsum me.

Multi dicunt ánimæ meæ : * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem, Dómine, susceptor meus es, * glória mea, et exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum clamávi : * et exaudívit me de monte sancto suo.

Ego dormívi, et soporátus sum : * et exsurréxi, quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me : * exsúrge, Dómine, salvum me fac, Deus meus.

Quóniam tu percussísti omnes adversántes mihi sine causa : * dentes peccatórum contrivísti.

Dómini est salus : * et super pópulum tuum benedíctio tua.

Ant. Non ego te désero, fili, neque derelínquo; sed majóra tibi debéntur pro Christi fide certámina.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

De libro Ecclesiástici

Lectio i Cap. 51, 1-17

Onfitébor tibi, Dómine, Rex, et collaudábo te Deum Salvatórem meum. Confitébor nómini tuo : quóniam adjútor et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditióne, a láqueo linguæ iníquæ et a lábiis operántium mendácium, et in conspéctu astántium factus es mihi adjútor. Et liberásti me secúndum multitúdinem misericórdiæ nóminis tui a rugiéntibus, præparátis ad escam, de mánibus quæréntium ánimam meam, et de portis tribulatiónum, quæ circumdedérunt me : a pressúra flammæ, quæ circúmdedit me, et in médio ignis non sum æstuátus : de altitúdine ventris ínferi, et a lingua coinquináta, et a verbo mendácii, a rege iníquo, et a lingua injústa.

℟. Levita Laurentius bonum opus operátus est, qui per signum crucis cæcos illumináit, * Et thesáuros Ecclésiæ dedit paupéribus. ℣. Dispérsit, dedit paupéribus : justitia ejus manet in sæculum sæculi. — Et.

Lectio ii

LAudábit usque ad mortem ánima mea Dóminum, et vita mea appropínquans erat in inférno deórsum. Circumdedérunt me úndique, et non erat qui adjuváret. Respíciens eram ad adjutórium hóminum, et non erat. Memorátus sum misericórdiæ tuæ, Dómine, et operatiónis tuæ, quæ a sæculo sunt : quóniam éruis sustinéntes te, Dómine, et liberas eos de mánibus géntium. Exaltásti super terram habitatiónem meam, et pro morte defluénte deprecátus sum.

℟. Puer meus, noli timére, quia ego tecum sum, dicit Dóminus : * Si transieris per ignem, flamma non nocébit tibi, et odor ignis non erit in te. ℣. Liberábo te de manu pessimórum et éruam te de manu fórtium. — Si.

Lectio iii

INvocávi Dóminum, Patrem Dómini mei, ut non derelinquat me in die tribulatiónis meæ, et in témpore superbórum sine adjutório. Laudábo nomen tuum assidue, et collaudábo illud in confessióne, et exaudita est orátio mea. Et liberásti me de perditióne, et eripuísti me de témpore iníquo. Proptérea confitébor, et laudem dicam tibi, et benedícam nómini Dómini.

℟. Strinxérunt córporis membra pósita super craticulam : ministrántibus prunas insúltat Levita Christi : * Beáte Laurénti, Martyr Christi, intercéde pro nobis. ℣. Mea nox obscúrum non habet, sed ómnia in luce claréscunt. — Beáte. Glória Patri. Beáte.

In II Nocturno

Ant. Beátus Laurentius * orábat, dicens : Dómine Jesu Christe, Deus de Deo, miserére mihi servo tuo.

Psalmus 4

UM invocárem exaudívit me Deus justítiæ meæ : * in tribulatióne dilatásti mihi.

Miserére mei, * et exáudi oratiónem meam.

Fílii hóminum, úsquequo gravi corde? * ut quid dilígitis vanitátem, et quæritis mendácium?

Et scitóte quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum : * Dóminus exáudiet me cum clamávero ad eum.

Irascímini, et nolíte peccáre : * quæ dícitis in córdibus vestris, in cubílibus vestris compungímini.

Sacrificáte sacrifícium justítiæ, et speráte in Dómino. * Multi dicunt : Quis osténdit nobis bona?

Signátum est super nos lumen vultus tui, Dómine : * dedísti lætítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini, et ólei sui * multiplicáti sunt.

In pace in idípsum * dórmiam, et requiéscam;

Quóniam tu, Dómine, singuláriter in spe * constituísti me.

Ant. Beátus Laurentius orábat, dicens : Dómine Jesu Christe, Deus de Deo, miserére mihi servo tuo.

Ant. Dixit Románus * ad beátum Laurentium : Vídeo ante te júvenem pulchérrimum, festína me baptizáre.

Psalmus 5

VErba mea áuribus pércipe, Dómine, * intélige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ, * Rex meus et Deus meus.

Quóniam ad te orábo : * Dómine, mane exáudies vocem meam.

Mane astábo tibi et vidébo : * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malígnus : * neque permanébunt injústi ante óculos tuos.

Odísti omnes, qui operántur iniquitátem : * perdes omnes, qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum et dolósum abominábitur Dóminus : * ego autem in multitúdine misericórdiæ tuæ.

Introíbo in domum tuam : * adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dómine, deduc me in justítia tua : * propter inimícos meos dírige in conspéctu tuo viam meam.

Quóniam non est in ore eórum véritas : * cor eórum vanum est.

Sepúlcrum patens est guttur eórum, linguis suis dolóse agébant, * júdica illos, Deus.

Décidant a cogitatiónibus suis, secúndum multitúdinem impietátum eórum expélle eos, * quóniam irritavérunt te, Dómine.

Et læténtur omnes, qui sperant in te, * in ætérnum exsultábunt : et habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes, qui díligunt nomen tuum, * quóniam tu benedíces justo.

Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ * coronásti nos.

Ant. Dixit Románus ad beátum Lauréntium : Vídeo ante te júvenem pulchérrimum, festína me baptizáre.

Ant. Beátus Lauréntius * dixit : Mea nox obscúrum non habet, sed ómnia in luce claréscunt.

Psalmus 8

DOmine, Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua, * super cælos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo cælos tuos, ópera digitórum tuórum : * lunam et stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulo minus ab Angelis, glória et honóre coronásti eum : * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves et boves univérsas : insuper et pécora campi.

Vólucres cæli, et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine, Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Ant. Beátus Lauréntius dixit : Mea nox obscúrum non habet, sed ómnia in luce claréscunt.

℣. Posuísti, Dómine, super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso.

Sermo sancti Leónis Papæ
In Natali S. Laurentii, post initium

Lectio iv

QUM furor gentílium potestátum in electíssima quæque Christi membra sævíret, ac præcípue eos qui órdinis erant sacerdotális impéteret, in levítam Lauréntium, qui non solum ministério sacramentórum sed étiam dispensatióne ecclesiásticæ substántiæ præeminébat, ímpius persecútor efférbuit, dúplicem sibi prædam de uníus viri comprehensióne promíttens; quem, si fecísset

sacræ pecúniæ traditórem, fáceret étiam veræ religiónis exsórtem. Armátur ítaque gémina face homo pecúniæ cúpidus et veritátis inimícus : avarítia, ut rápiat aurum; impietáte, ut áuferat Christum. Póstulat sibi ab immaculáto sacrárii præsule opes ecclesiásticas, quibus avidíssimus inhiábat, inférri. Cui Levíta castíssimus, ubi eas repósitas habéret osténdens, numerosíssimos sanctórum páuperum óbtulit greges, in quorum victu atque vestítu inamissíbiles condíderat facultátes, quæ tanto intégrius erant salvæ, quanto sánctius probabántur expénsæ.

℟. Quo progréderis sine fílio, pater? quo, sacérdos sancte, sine diácono próperas? * Tu numquam sine minístro sacrifícium offérre consuéveras. ℣. Quid ergo in me displícuit paternitáti tuæ? numquid degénerem me probásti? Experíre utrum idóneum minístrum elégeris, cui commisísti Domínici sánguinis dispensatiónem. — Tu.

Lectio v

FRemit ergo prædo frustrátus, et in ódium religiónis, quæ talem divitiárum usum instituísset, ardéscens, direptiónem thesáuri potióris aggrédi-tur, apud quem nullam denariórum substántiam reperísset; ut illud depósitum, quo sacrátius erat dives, auférret. Renuntiáre Christo Lauréntium jubet, et solidíssimam illam levítici ánimi fortitúdinem diris parat urgére supplíciis; quorum ubi prima nil óbtinent, vehementióra succédunt. Láceros artus et multa vérberum sectióne conscíssos subjécto præcípit igne torréri; ut per cratem férream, quæ jam de fervóre contínuo vim in se habéret uréndi, conversórum altérna mutatióne membrórum, fíeret cruciátus veheméntior et pœna produ-ctior.

℟. Noli me derelínquere, pater sancte, quia thesáuros tuos jam expéndi. * Non ego te désero, fili, neque derelínquo; sed majóra tibi debéntur pro fide Christi certámina. ℣. Nos quasi senes levióris pugnæ cursum recípimus, te autem quasi júvenem manet gloriósior de tyránno triúmphus : post tríduum me sequéris sacerdótem levíta. — Non.

Lectio vi

NIhil óbtines, nihil prófícis, sæva crudélitas. Subtráhitur torméntis tuis matéria mortális, et, Lau-

réntio in cælos abeúnte, tu déficis flammis tuis. Superári cáritas Christi flamma non pótuit; et ségnior fuit ignis, qui foris ussit, quam qui intus accéndit. Sævísti persecútor in Mártyrem : sævísti, et auxísti palmam, dum ággeras pœnam. Nam quid non ad victóris glóriam ingénium tuum réperit, quando in honórem transiérunt triúmphi étiam instrumménta supplícii? Gaudeámus ígitur, dilectíssimi, gáudio spirituli, et de felicíssimo ínclyti viri fine gloriémur in Dómino, qui est mirábilis in Sanctis suis, in quibus nobis et præsídium constítuit et exémplum; atque ita per univérsum mundum clarificávit glóriam suam, ut a solis ortu usque ad occásum, leviticórum lúminum coruscánte fulgóre, quam clarificáta est Jerosólyma Stéphano, tam illústris fíeret Roma Lauréntio.

℟. Beátus Lauréntius clamávit et dixit : Deum meum colo, illi soli sérvio; * Et ídeo non tímeo torménta tua. ℣. Mea nox obscúrum non habet, sed ómnia in luce claréscunt. — Et. Glória Patri. Et.

In III Nocturno

Ant. Strinxérunt * córporis membra pósita super cratículam : subjiciéntibus prunas insúltat levíta Christi.

Psalmus 14

DOmine, quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula, * et operátur justítiam :

Quo lóquitur veritátem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua :

Nec fecit próximo suo malum, * et oppróbrium non accépit advérsus próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu ejus malígnus : * timéntes autem Dóminum glorífícat :

Qui jurat próximo suo, et non décipit, * qui pecúniam suam non dedit ad usúram, et múnera super innocéntem non accépit.

Qui facit hæc, * non movébitur in ætérnum.

Ant. Strinxérunt córporis membra pósita super cratículam : subjiciéntibus prunas insúltat levíta Christi.

Psalmus 14

DOmine, quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula, * et operátur justítiam :

Quo lóquitur veritátem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua :

Nec fecit próximo suo malum, * et oppróbrium non accépit advérsus próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu ejus malígnus : * timéntes autem Dóminum glorífícat :

Qui jurat próximo suo, et non décipit, * qui pecúniam suam non dedit ad usúram, et múnera super innocéntem non accépit.

Qui facit hæc, * non movébitur in ætérnum.

Ant. Ignem me examinásti, * et non est invénta in me iníquitas.

Psalmus 16

EXáudi, Dómine, justítiam meam : * inténde deprecatiónem meam.

Auribus pércipe oratiónem meam, * non in lábiis dolósis.

De vultu tuo judícium meum pródeat : * óculi tui vídeant æquitátes.

Probásti cor meum, et visitásti nocte : * igne me examinásti, et non est invénta in me iníquitas.

Ut non loquátur os meum ópera hóminum : * propter verba labiórum tuórum ego custodívi vias duras.

Pérfice gressus meos in sémitis tuis : * ut non moveántur vestígia mea.

Ego clamávi, quóniam exaudísti me, Deus : * inclína aurem tuam mihi, et exáudi verba mea.

Mirífica misericórdias tuas, * qui salvos facis sperántes in te.

A resisténtibus déxteræ tuæ custódi me, * ut pupíllam óculi.

Sub umbra alárum tuárum prótege me : * a fácie impiórum qui me afflixérunt.

Inimíci mei ánimam meam circumdedérunt, ádipem suum concludérunt : * os eórum locútum est supérbiam.

Projiciéntes me nunc circumdedérunt me : * óculos suos statuérunt declináre in terram.

Suscepérunt me sicut leo parátus ad prædam : * et sicut cátulus leónis hábitans in ábditis.

Exsúrge, Dómine, prævéni eum, et supplánta eum : * éripe ánimam meam ab ímpio, frámeam tuam ab inimícis manus tuæ.

Dómine, a paucis de terra dívide eos in vita eórum : * de abscónditis tuis adimplétus est venter eórum.

Saturáti sunt fíliis : * et dimisérunt relíquias suas párvulis suis.

Ego autem in justítia apparébo conspéctui tuo : * satiábor cum apparúerit glória tua.

Ant. Igne me examinásti, et non est invénta in me iníquitas.

Ant. Interrogátus * te Dóminum conféssus sum, assátus grátias ago.

Psalmus 20

DOmine, in virtúte tua lætábitur rex : * et super salutáre tuum exsultábit veheménter.

Desidérium cordis ejus tribuísti ei : * et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : * posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Vitam pétiit a te : * et tribuísti ei longitúdinem diérum in sæculum, et in sæculum sæculi.

Magna est glória ejus in salutári tuo : * glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Quóniam dabis eum in benedictiónem in sæculum sæculi : * lætificábis eum in gáudio cum vultu tuo.

Quóniam rex sperat in Dómino : * et in misericórdia Altíssimi non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis : * déxtera tua invéniat omnes, qui te odérunt.

Pones eos ut clíbanum ignis in témpore vultus tui : * Dóminus in ira sua conturbábit eos, et devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terra perdes : * et semen eórum a fíliis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mala : * cogitavérunt consília, quæ non potuérunt stabilíre.

Quóniam pones eos dorsum : * in relíquiis tuis præparábis vultum eórum.

Exaltáre, Dómine, in virtúte tua : * cantábimus et psallémus virtútes tuas.

Ant. Interrogátus te Dóminum conféssus sum, assátus grátias ago.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem

Lectio vii Cap. 12, 24-26

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Amen, amen dico vobis, nisi granum fruménti cadens in terram, mórtuum fúerit, ipsum solum manet. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi

Tract. 51 in Joannem, sub medium

IPse Dóminus Jesus erat granum mortificándum et multiplicándum; mortificándum infidelitáte Judæórum, multiplicándum fide populórum. Jam vero exhórtans ad passiónis suæ sectánda vestígia, Qui amat, inquit, ánimam suam, perdet eam. Quod duóbus modis intélligi potest. Qui amat, perdet; id est, si amas, perdes. Si cupis vitam tenére in Christo, noli mortem timére pro Christo. Item álio modo : Qui amat ánimam suam, perdet eam; noli amáre, ne perdas; noli amáre in hac vita, ne perdas in ætérna vita.

℟. In cratícula te Deum non negávi, * Et ad ignem applicátus te Dóminum Jesum Christum conféssus sum. ℣. Probásti, Dómine, cor meum, et visitásti

nocte. — Et ad ignem applicátus te Dóminum Jesum Christum conféssus sum.

Lectio viii

HOC autem, quod postérius dixi, magis habére vidétur evangélicus sensus; séquitur enim : Et qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam. Ergo, quod supra dictum est, Qui amat, subintellígitur in hoc mundo, ipse útique perdet; qui autem odit, útique in hoc mundo, in vitam ætérnam ipse custódit eam. Magna et mira senténtia, quemádmodum sit hóminis in ánimam suam amor ut péreat, ódium ne péreat. Si male amáveris, tunc odísti; si bene óderis, tunc amásti. Felíces, qui odérunt custodiéndo, ne perdant amándo.

℟. O Hippólyte, si credideris in Dóminum Jesum Christum, * Et thesáuros tibi osténdo, et vitam ætérnam promítto. ℣. Beátus Lauréntius Hippólyto dixit : Si credis in Dóminum Jesum Christum. — Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix

SED vide ne tibi subrépat ut teipsum velis interímere, sic intelligéndo, quod debes odísse in hoc mundo ánimam tuam. Hinc enim quidam malígni atque pervérsi hómines, et in seípsis crudelióres et sceleratióres homicídæ, flammis se donant, aquis se præfócant, præcipítio se collídunt, et péreunt. Hoc Christus non dócuit; immo étiam diábolo præcipítium suggeránti respóndit : Redi retro, sátana : scriptum est, Non tentábis Dóminum, Deum tuum. Petro autem dixit, significans qua morte clarificatúrus erat Deum : Cum esses júnior, cingébas te, et ambulábas quo volébas; cum autem senúeris, alter te cínget et feret quo tu non vis. Ubi satis expréssit, non a seípso, sed ab álio debére occídi, qui vestígia séquitur Christi.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES et per Horas, Añæ

1 Lauréntius * ingréssus est Martyr, et conféssus est nomen Dómini Jesu Christi.

Psalmi de Dominica.

2 Lauréntius * bonum opus operátus est, qui per signum crucis cæcos illumináv it.

3 Adhæsit * ánima mea post te, quia caro mea igne cremáta est pro te, Deus meus.

4 Misit Dóminus * Angelum suum, et liberávit me de médio ignis, et non sum æstuátus.

5 Beátus Lauréntius * orábat dicens : Grátias tibi ago, Dómine, quia jánuas tuas íngredi mérui.

Capitulum 2 Cor. 9, 6

FRatres : Qui parce séminat, parce et metet; et qui séminat in benedictiónibus, de benedictiónibus et metet.

Hymnus

INvícte Martyr, únicum Patris secútus Fílium,
Victis triúmphas hóstibus,
Victor fruens cæléstibus.

Tui precátus múnere
Nostrum reátum dílue,
Arcens mali contágium,
Vitæ repéllens tædium.

Solúta sunt jam víncula
Tui sacráti córporis :
Nos solve vinclis sæculi,
Dono supérni Núminis.

* Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc et per omne sæculum. Amen.

℣. Dispérsit, dedit paupéribus. ℟. Justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Ad Bened. Ant. In cratícula * te Deum non negávi, et ad ignem applicátus te Christum conféssus sum; probásti cor meum, et visitásti nocte; igne me examinásti, et non est invénta in me iniquitas.

Oratio

DA nobis, quæsumus, omnípotens Deus, vitiórum nostrórum flammas exstínguere : qui beáto Laurénti tribuísti tormentórum suórum incéndia superáre. Per Dóminum.

Ad Horas Psalmi de Dominica, ad Primam tamen ut in Festis.

AD PRIMAM

Ant. Lauréntius * ingréssus, ut supra. 878

AD TERTIAM

Ant. Lauréntius * bonum, ut supra. 878

Capit. Fratres, ut supra.

℟. br. Glória et honóre * Coronásti eum, Dómine. Glória et. ℣. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum. Coronásti. Glória Patri. Glória et. ℣. Posuísti, Dómine, super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso.

AD SEXTAM

Ant. Adhæsit * ánima, ut supra. 878

Capitulum 2 Cor. 9, 7

UNusquísque prout destinávit in corde suo, non ex tristítia aut ex necessitáte; hilarem enim datórem díligit Deus.

℟. br. Posuísti, Dómine, * Super caput ejus. Posuísti. ℣. Corónam de lápide pretióso. Super. Glória Patri. Posuísti. ℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

AD NONAM

Ant. Beátus Lauréntius * orábat dicens : Grátias tibi ago, Dómine, quia jánuas tuas íngredi mérui.

Capitulum 2 Cor. 9, 8-9

POtens est autem Deus omnem grátiam abundáre fácere in vobis, ut, in ómnibus semper omnem sufficiéntiam habéntes, abundétis in omne opus bonum, sicut scriptum est : Dispérsit, dedit paupéribus : justítia ejus manet in sæculum sæculi.

℟. br. Magna est glória ejus * In salutári tuo. Magna est. ℣. Glóriam et magnum decórem impónes super eum. In. Glória Patri. Magna est. ℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

IN II VESPERIS

Omnia ut in I Vesperis 867, præter sequentia :

Psalmi ut in I Vesperis de Communi App. [3], sed loco ultimi dicitur Ps. 115 Crédidi, ut supra notatur. 867

℣. Levíta Lauréntius bonum opus operátus est. ℟. Qui per signum crucis cæcos illumináit.

Ad Magnif. Ant. Beátus Lauréntius, * dum in cratícula superpósitus urerétur, ad impiíssimum tyránnum dixit : Assátum est jam, versa et mandúca; nam facultátes Ecclésiæ, quas requíris, in cæléstes thesáuros manus páuperum deportavérunt.

Et non fit Com. sequentis.

Completorium de Dominica.

De Octava S. Laurentii fit tantum Commemoratio in die ipsa Octava, ut suo loco notatur.

Die 11 Augusti

Ss. Tiburtii et Susannæ

Virg., Mart. [49] Simplex

Lectio iii

TIbúrtius, Chromátii præfécti Urbis fílius, sancti Sebastiáni ópera christiánus, cum ob eam causam ad Fabiánum júdicem addúctus esset múltaque apud illum de Christi fide prædicáret, excandéscens judex paviméntum candéntibus carbónibus sterni jubet. Mox, Tibúrti, inquit, vel diis nostris sacrífices opórtet, vel per istos carbónes nudis pédibus tibi incedéndum est. At ille, crucis signo se múniens fidentérque ámbulans in pruna, Disce, inquit, ex hoc solum esse Deum, quem Christiáni colunt; prunæ enim mihi flores vidéntur. Quod cum mágicis ártibus tribuerétur, extra Urbem ductus Tibúrtius, ac via Lavicána tértio ab Urbe lápide gládio percússus, ibi a Christiánis sepelítur. Quo die Susánna virgo nobilíssima, quod Galérii Maximiáni, fílii Diocletiáni imperatóris, conjúgium recusáret, ut quæ virginitátem Deo vóverat : post multa tormentórum génera, quibus várie tentátum est sanctum Vírginis propósitum, domi suæ, jussu imperatóris, gládio percússa, ad duplex virginitátis et martýrii prǽmium migrávit in cælum. Te Deum.

℣. Exsultábunt Sancti.

Ad Bened. Ant. Vestri capílli cápitis * omnes numeráti sunt : nolíte timére : multis passéribus melióres estis vos.

Oratio

SAnctórum Mártyrum tuórum Tibúrtii et Susánnæ nos, Dómine, fóveant continuáta præsídia : quia non désinis propítius intuéri; quos tálibus auxíliis concésseris adjuvári. Per Dóminum.

Vesperæ de sequenti.

Die 12 Augusti

S. Claræ Virginis [111]

Duplex

℣. Spécie tua et.

Ad Magnif. Ant. Veni, Sponsa Christi, * áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

Oratio C 3

GXáudi nos, Deus, salutáris noster : ut, sicut de beátæ Claræ Vírginis tuæ festivitáte gaudémus; ita piæ devotiónis erudiámur affectu. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

GLara nóbilis virgo, Assísii nata in Umbria, sanctum Francíscum concívem suum imitáta, cuncta sua bona in eleemósynas et páuperum subsídia distríbuit et convértit. De sæculi strépitu fúgiens, in campéstrem declinávit ecclésiam, ibíque ab eódem beáto Francísco recépta tonsúra, consanguíneis ipsam redúcere conántibus fórtiter réstitit. Et déinque ad ecclésiam sancti Damiáni fuit per eúmdem addúcta, ubi ei Dóminus plures sócias aggregávit; et sic ipsa sacrárum sorórum collégium instítuit,

quarum régimen, nímia sancti Francisci devícta importunitáte, recépit. Suum monastérium sollícite ac prudénter, in timóre Dómini ac plena órdinis observántia, annis quadragínta duóbus mirabíliter gubernávit; ejus enim vita erat áliis erudítio et doctrína, unde céteræ vivéndi régulam didicérunt.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabiliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. — Et dedúcet.

Lectio v

UT, carne depréssa, spíritu convalésceret, nudam humum et intérdum sarménta pro lecto habébat, et pro pulvinári sub cápite durum lignum. Una túnica cum mantéllo de vili et híspido panno utebátur, áspero cilício nonnúmquam adhíbito juxta carnem. Tanta se frenábat abstinéntia, ut longo témpore tribus in hebdómada diébus nihil pénitus pro sui córporis aliménto gustáverit; réliquis autem diébus tali se cibórum parvitáte restríngens, ut áliæ, quómodo subsístere póterat, miraréntur. Binas quotánnis (ántequam ægrotáret) quadragésimas, solo pane et aqua refécta, jejunábat. Vigíliis ínsuper et oratiónibus assídue dédita, in his præcípue dies noctésque expendébat. Diútinis perpléxa languóribus, cum ad exercítium corporále non posset súrgere per se ipsam, sorórum suffrágio levabátur; et, fulciméntis ad tergum appósitis, laborábat própriis mánibus, ne in suis étiam esset infirmitátibus otiósa. Amátrix præcípua paupertátis, ab ea pro nulla umquam necessitáte discéssit; et possessiónes pro sorórum sustentatióne a Gregório nono oblátas constantíssime recusávit.

℟. Dilexísti justitiam, et odisti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea.

Lectio vi

MUltis et váriis miráculis virtus suæ sanctitátis effúlsit. Cuidam de soróribus sui monastérii loquélam restítuit expedítam; álteri aurem surdam apéruit; laborántem febre, tuméntem hydrópisi, plagátam fístula, aliásque áliis oppréssas languóribus liberávit. Fratrem de órdine Minórum ab insániæ passióne sanávit. Cum óleum in monastério totáliter defecísset, Clara accépit úrceum atque lavit, et invéntus est óleo, benefício divínæ largitátis, implétus. Uníus panis medietátem ádeo multiplicávit, ut soróribus quinquagínta suffécerit. Saracénis Assísium obsidéntibus et Claræ monastérium invádere conántibus, ægra se ad portam afférri vóluit, unáque vas in quo sanctíssimum Eucharístiæ sacraméntum erat inclúsum, ibíque orávit : Ne tradas, Dómine, béstiis ánimas confiténtes tibi, et custódi fámulas tuas, quas pretióso sánguine redemísti. In cujus oratióne ea vox audíta est : Ego vos semper custódiam. Saracéni autem partim se fugæ mandárunt, partim, qui murum ascénderant, capti óculis, præcípites cecidérunt. Ipsa dénique Virgo, cum in extrémis ágeret, a cándido beatárum Vírginum cœtu (inter quas una eminéntior ac fulgidior apparébat) visitáta, ac sacra Eucharístia sumpta, et peccatórum indulgéntia ab Innocéntio quarto dictáta, tértio Idus Augústi ánimam Deo réddidit. Post óbitum vero quam plúrimis miráculis resplendéntem Alexánder quartus inter sanctas Vírgines rétulit.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus * Afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. — Afferéntur tibi. Glória Patri. Afferéntur tibi.

Pro hoc Festo simplificato

Lectio ix

CLara, nóbilis virgo, Assísii nata in Umbria, sanctum Francíscum concívem suum imitáta, cuncta sua bona in eleemósynas et páuperum subsídia distríbuit. De sæculi strépitu fúgiens, in campéstrem declinávit ecclésiam, ibíque ab eódem beáto Francísco recépta tonsúra, consanguíneis ipsam redúcere conántibus fórtiter réstitit. Deínde ad ecclésiam sancti Damiáni per eúmdem addúcta, sacrárum sorórum collégium instítuit, quarum régimen, nímia sancti Francísci devícta importunitáte, recépit. Suum monastérium sollícite ac prudénter annis quadragínta duóbus mirabíliter gubernávit. Saracénos monastérium invádere conántes, cum sanctíssimum Sacraméntum deférri jussísset, hu-

míllime orans, pénitus fugávit. Evolávit in cælum tértio Idus Augústi, et ab Alexándro Papa quarto inter sanctas Vírgines est reláta.

Te Deum laudámus.

In III Nocturno Homilia in Ev. Símile erit regnum cælórum, de Communi Virginum 1 loco. [122]

AD LAUDES

℣. Diffúsa est grátia.

Ad Bened. Ant. Simile est regnum cælórum hómini negotiatóri quæránti bonas margaritas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

Oratio C 3

EXáudi nos Deus salutáris noster : ut sicut de beátæ Claræ Vírginis tuæ festivitáte gaudémus, ita piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per Dóminum.

IN II VESPERIS

℣. Diffúsa est grátia.

Ad Magnif. Ant. Veni, Sponsa Christi, * áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

Et fit Commem. seq.

Die 13 Augusti

Ss. Hippolyti et Cassiani

Martyrum [49] Simplex

Ant. Istórum est enim regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad prǽmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Lætámini in Dómino.

Oratio

DA, quæsumus, omnípotens Deus : ut beatórum Mártyrum tuórum Hippólyti et Cassiáni veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat et salútem. Per Dóminum.

¶ Si hodie fuerit Sabbatum, fit de Vigília anticipata Assumptionis, ut die sequenti notatur, cum Com. Ss. Martyrum.

Lectio iii

HIppólytus, a sancto Lauréntio baptizátus, domi suæ, dum Eucharístiam súmeret, comprehénsus, et ad Valeriánum imperatórem addúctus, ab eo de suæ religiónis professióne interrogátus, líbere se Christiánum proféssus est. Quam ob rem fústibus cæditur; quibus in verbéribus cum ejus fides constántior inveniréturr, munéribus et honórum promíssis tentátur. Quæ cum ómnia frustra

diceréntur, præfécto occidéndus tráditur. Qui, domum Hippólyti véniens, ut ejus facultátes publicáret, totam famíliam christiánam esse cognóscit; atque, iis a christiána fide frustra detérritis, primum plumbátis cæsa Concórdia, Hippólyti nutríce, quæ céteros confirmábat, réliquos extra portam Tiburtínam occídi jubet. Hippólytus, indómitis equis raptátus per loca tríbulis et cárduis cónsita, laceráto córpore, spíritum Deo réddidit, unáque cum réliquis a Justíno presbýtero ad agrum Veránum sepúltus est. Eádem die, ad Forum Syllæ, crudelíssimo supplício afféctus est Cassiánus Martyr; qui, vinctis post terga mánibus, puerórum, quos erudiébat, férreis stilis configéndus excarnificandúsque tráditur. Quorum quanto erat infírmior vis, tanto ejus pœna martýrii grávior ac diutúrnior, pálmaque illústrior.

Te Deum laudámus.

℣. Exsultábunt Sancti.

Ad Bened. Ant. Vestri capílli cápitis * omnes numeráti sunt : nolíte timére : multis passéribus melióres estis vos.

Oratio Da, quæsumus, ut supra. 884

Vesperæ de Feria, Commemoratio S. Eusebii Conf., ut infra.

Die 14 Augusti

Pro Commemoratione

S. Eusebii Conf.

In Vesp. præcedentis diei :

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

℣. Amávit eum Dóminus.

Oratio

DEus, qui nos beáti Eusébii Confessóris tui ánnua solemnitáte lætíficas : concéde propítius; ut, cujus natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

In Vigilia Assumptionis B. Mariæ Virg.

Officium fit de Feria, ut in Ordinario et Psalterio, præter Orationem et Lectiones, ut infra, et Responsoria quæ dicuntur de Feria currenti, ut in Proprio de Tempore.

Ad Nocturnum vero in Feria IV tres ultimæ Antiphonæ cum suis Psalmis, et ad Laudes in qualibet Feria Antiphonæ omnes et Psalmi sumuntur de 2 loco; ad Primam additur quartus Psalmus, ut in Psalterio notatur, et ad omnes Horas dicuntur Preces feriales, ut in Psalterio de Ordinario.

In Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio i Cap. 11, 27-28

IN illo témpore : Loquénte Jesu ad turbas, extóllens vocem quædam múlier de turba dixit illi : Beátus venter qui te portávit. Et réliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi

In Joann. c. 2 Homilia 20 circa finem

CUM audíeris mulíerem illam dicéntem : Beátus venter qui te portávit, et úbera quæ tu suxísti; deínde Dóminum respondéntem : Quinímmo beáti, qui áudiunt verbum Dei et custódiunt illud; ea sententia dictum exístima, non quod Matrem neglígeret, sed nihil ei utilitátis matris nomen allatúrum osténderet, nisi bonitáte et fide præstáret. Quod si Maríæ nihil, sine virtúte, matérna cáritas erat profutúra; longe minus nobis patris, fratris, matris, fílii bónitas, nisi áliquid nostrum afferámus.

Lectio ii

IN nullo namque álio, nisi in solis sui ipsíus virtútibus, post divínam grátiam, de salúte cuípiam sperándum est. Nam, si id profutúrum erat per se Maríæ, profuísset étiam Judæis, quorum consanguíneus erat Christus secúndum carnem; profuísset civitáti, in qua natus est; profuísset frátribus. Atqui, dum fratres rerum suárum curam habuérunt, nihil eis propinquitátis nomen prófuit, sed cum réliquo mundo damnáti erant.

Lectio iii

TUnc autem admiratióni esse cœpérunt, quando própria claruérunt virtúte. Pátria vero nihil inde consecúta cécidit, et incéndio absúmpta est; concíves mísere interémpti periére; consanguínei secúndum carnem nil ad salútem lucráti sunt, deficiénte virtútis patrocínio. Verum Apóstoli ante omnes claríssimi evasérunt, cum se ad veram et expeténdam ejus familiaritátem consuetudinémque per obediéntiam contulérunt. Hinc intellígimus, fide semper nobis opus esse, et vita quæ virtútibus lúceat : hæc dumtáxat salvos nos fácere póterit.

Oratio

DEus, qui virgináles aulam beátæ Maríæ, in qua habitáres, elígere dignátus es : da, quæsumus; ut, sua nos defensióne munítos, jucúndos

fácias suæ interésse festivitáti : Qui vivis.

Et fit Commem. S. Eusebii Conf. :

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

℣. Justum dedúxit.

Oratio

DEus, qui nos beáti Eusébii Confessóris tui ánnua solemnitáte lætíficas : concéde propítius; ut, cujus natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

Vesperæ de sequenti.

DIE 15 AUGUSTI

In Assumptione B. Mariæ V.

DUPLEX I CLASSIS CUM OCTAVA COMMUNI

Omnia de Comm. Festorum B. Mariæ Virg. [174], præter ea quæ hic habentur propria.

IN I VESPERIS

Ant. 1 Assúmpta est María in cælum : * gaudent Angeli, laudántes benedícunt Dóminum.

2 María Virgo assúmpta est * ad æthéreum thálamum, in quo Rex regum stelláto sedet sólio.

3 In odórem * unguentórum tuórum cúrrimus : adolescéntulæ dilexérunt te nimis.

4 Benedícta * fília tu a Dómino : quia per te fructum vitæ communicávimus.

5 Pulchra es * et decóra, fília Jerúsalem, terríbilis ut castrórum ácies ordináta.

Capit. Eccli. 24, 11-12

IN ómnibus réquiem quæsívi, et in hereditáte Dómini morábor. Tunc præcépit et dixit mihi Creátor ómnium, et, qui creávit me, requiévit in tabernáculo meo.

Prima stropha sequentis Hymni dicitur flexis genibus.

Hymnus

AVE, maris stella,
Dei Mater alma,
Atque semper Virgo,
Felix cæli porta.

Sumens illud Ave
Gabriélis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Hevæ nomen.

Solve vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.

Monstra te esse matrem,
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus
Tulit esse tuus.

Virgo singuláris,
Inter omnes mitis,
Nos, culpis solútos,
Mites fac et castos.

Vitam præsta puram,
Iter para tutum,
Ut, vidéntes Jesum,
Semper collætémur.

Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spirítui Sancto,
Tribus honor unus.
Amen.

℣. Exaltáta est sancta Dei Génitrix. ℟. Super choros Angelórum ad cæléstia regna.

Ad Magnif. Ant. Virgo prudentíssima, * quo progréderis, quasi auróra valde rútilans? Fília Sion, tota formósa et suávis es, pulchra ut luna, elécta ut sol.

In II Vesperis

Ad Magnif. Ant. Hódie * María Virgo cælos ascéndit : gaudéte, quia cum Christo regnat in ætérnum.

Oratio

FAmulórum tuórum, quæsumus, Dómine, delíctis ignósce : ut, qui tibi placére de áctibus nostris non valémus; Genitrícis Fílii tui Dómini nostri intercessióne salvémur : Qui tecum vivit.

AD MATUTINUM

Invit. Veníte, adorémus Regem regum, * Cujus hódie ad æthéreum Virgo Mater assúmpta est cælum. Ps. 94 Veníte, exsultémus.

Hymnus

QUem terra, pontus, sídera
Colunt, adórant, prædicant,
Trinam regéntem máchinam,
Claustrum Maríæ bájulat.

Cui luna, sol et ómnia
Desérviunt per témpora,
Perfúsa cæli grátia,
Gestant puéllæ víscera.

Beáta Mater múnere,
Cujus, supérnus Artifex
Mundum pugíllo cóntinens,
Ventris sub arca clausus est.

Beáta cæli núntio,
Fœcúnda Sancto Spíritu,
Desideráta géntibus
Cujus per alvum fusus est.

Jesu tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

In I Nocturno

Ant. Exaltáta est * sancta Dei Génitrix super choros Angelórum ad cæléstia regna.

Psalmus 8

DOmine, Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua, * super cælos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo cælos tuos, ópera digitórum tuórum : * lunam et stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulo minus ab Angelis, glória et honóre coronásti eum : * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves et boves univérsas : ínsuper et pécora campi.

Volúcres cæli, et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine, Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Ant. Exaltáta est sancta Dei Génitrix super choros Angelórum ad cæléstia regna.

Ant. Paradísi portæ * per te nobis apértæ sunt, quæ hódie gloriósa cum Angelis triúmphas.

Psalmus 18

CÆli enárrant glóriam Dei, * et ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum, * et nox nocti indicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ, neque sermónes, * quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum : * et in fines orbis terræ verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum : * et ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo :

Exsultávit ut gigas ad curréndam viam, * a summo cælo egréssio ejus :

Et occúrsus ejus usque ad summum ejus : * nec est qui se abscóndat a calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta, convértens ánimas : * testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

Justítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda : * præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in sæculum sæculi : * judícia Dómini vera, justificáta in semetipsa.

Desiderabília super aurum et lápidem pretiósum multum : * et dulcióra super mel et favum.

Etenim servus tuus custódit ea, * in custodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? ab occúltis meis munda me : * et ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint domináti, tunc immaculátus ero : * et emundábor a delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei : * et meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Dómine, adjútor meus, * et redémptor meus.

Ant. Paradísi portæ per te nobis apértæ sunt, quæ hódie gloriósa cum Angelis triúmphas.

Ant. Benedícta tu * in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui.

Psalmus 23

DOmini est terra, et plenitúdo ejus : * orbis terrárum, et univérsi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum : * et super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus et mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accipiet benedictiónem a Dómino : * et misericórdiam a Deo, salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini, portæ æternáles : * et introibit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus fortis et potens : Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini, portæ æternáles : * et introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est Rex glóriæ.

Ant. Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui.

℣. Exaltáta est sancta Dei Génitrix. ℟. Super choros Angelórum ad cæléstia regna.

Incipiunt
Cántica canticórum

Lectio i Cap. 1, 1-16

OSculétur me ósculo oris sui, quia melióra sunt úbera tua vino, fragrántia unguéntis óptimis. Oleum effúsum nomen tuum; ideo adolescéntulæ dilexérunt te. Trahe me : post te curré-

mus in odórem unguentórum tuórum. Introdúxit me rex in cellária sua; exsultábimus et lætábimur in te mémores úberum tuórum super vinum. Recti díligunt te. Nigra sum, sed formósa, fíliæ Jerúsalem, sicut tabernácula Cedar, sicut pelles Salomónis.

℟. Vidi speciósam sicut colúmbam, ascendéntem désuper rivos aquárum, cujus inæstimábilis odor erat nimis in vestiméntis ejus; * Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum et lília convállium. ℣. Quæ est ista quæ ascéndit per desértum sicut vírgula fumi ex aromátibus myrrhæ et thuris? — Et.

Lectio ii

Nolíte me consideráre quod fusca sim, quia decolorávit me sol. Fílii matris meæ pugnavérunt contra me, posuérunt me custódem in víneis, víneam meam non custodívi. Indica mihi, quem díligit ánima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagári incípiam post greges sodálium tuórum. Si ignóras te, o pulchérrima inter mulíeres, egrédere et abi post vestígia gregum, et pasce hædos tuos juxta tabernácula pastórum. Equitátui meo in cúrribus pharaónis assimilávi te, amíca mea. Pulchræ sunt genæ tuæ sicut túrturis, collum tuum sicut monília.

℟. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, et sicut cypréssus in monte Sion : quasi myrrha elécta, * Dedi suavitátem odóris. ℣. Et sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans. — Dedi.

Lectio iii

Murénulas áureas faciémus tibi vermiculátas argénto. Dum esset rex in accúbitu suo, nardus mea dedit odórem suum. Fascículus myrrhæ diléctus meus mihi, inter úbera mea commorábitur. Botrus Cypri diléctus meus mihi in víneis Engáddi. Ecce tu pulchra es, amíca mea, ecce tu pulchra es; óculi tui columbárum. Ecce tu pulcher es, dilécte mi, et decórus. Léctulus noster flóridus, tigna domórum nostrárum cédrina, laqueária nostra cypréssina.

℟. Quæ est ista quæ procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam fíliæ Sion, et beátam dixérunt, et regínæ laudavérunt eam. ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum et lília convállium. — Vidérunt. Glória Patri. Vidérunt.

In II Nocturno

Antiphonæ et Psalmi de Communi. [180]

℣. Assúmpta est Maria in cælum : gaudent Angeli. ℟. Laudántes benedícunt Dóminum.

Sermo sancti Joánnis Damascéni

Oratio 2 de Dormitione B. M. V. post initium

Lectio iv

Aode sacra et animáta arca Dei véntis, quæ suum in útero concépit Creatórem, requiéscit in templo Dómini, quod nullis est exstrúctum mánibus. Et David exsúltat ejus parens, et cum eo choros ducunt Angeli, célebrant Archángeli, Virtútes glorificant, Principátus exsúltant, Potestátes collætántur, gaudent Dominatiónes, Throni festum diem agunt, laudant Chérubim, glóriam ejus prædicant Séraphim. Hódie Eden novi Adam paradisum súscipit animátum, in quo solúta est condemnátio, in quo plantátum est lignum vitæ, in quo opérta fuit nostra núditas.

℟. Ornátam monílibus fíliam Jerúsalem Dóminus concupivit : * Et vidéntes eam fíliæ Sion, beatíssimam prædicavérunt, dicéntes : Unguéntum effúsum nomen tuum. ℣. Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte. — Et.

Lectio v

Hodie Virgo immaculáta, quæ nullis terrénis inquináta est afféctibus, sed cæléstibus educáta cogitatiónibus, non in terram revérsa est; sed, cum esset animátum cælum, in cæléstibus tabernáculis collocátur. Ex qua enim ómnibus vera vita manávit, quómodo illa mortem gustáret? Sed cedit legi latæ ab eo quem génuit; et, ut fília véteris Adam, véterem senténtiam súbiit (nam et ejus Fílius, qui est vita ipsa, eam non recusávit); ut autem Dei vivéntis Mater, ad illum ipsum digne assúmitur.

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes, * Quia fecit mihi Dóminus magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. ℣. Et misericórdia ejus a progénie in progénies timéntibus eum. — Quia.

Lectio vi

Heva, quæ serpéntis suggestióni assénsum prǽbuit, partus dolóre et mortis senténtia damnátur, et in inferórum collocátur penetrálibus. Hanc autem vere beátam, quæ Dei verbo aures præstitit, et Spíritus Sancti operatióne repléta est, atque ad Archángeli spiritálem salutatiónem, sine voluptáte et viríli consórtio, Dei Fílium concépit, et sine dolóre áliquo péperit, ac totam se Deo consecrávit, quonam modo mors devoráret? quómodo ínferi suscíperent? quómodo corrúptio inváderet corpus illud, in quo Vita suscépta est? Huic recta, plana et fácilis ad cælum paráta est via. Si enim, Ubi ego sum, illic et minister meus erit, inquit vita et véritas Christus; quómodo non pótius mater cum ipso erit?

℟. Beáta es, Virgo María, quæ Dóminum portásti, Creatórem mundi : * Genuísti qui te fecit, et in ætérnum pérmanes Virgo. ℣. Ave, María, grátia plena; Dóminus tecum. — Genuísti. Glória Patri. Genuísti.

In III Nocturno

Antiphonæ et Psalmi de Communi. [184]

℣. María Virgo assúmpta est ad æthéreum thálamum. ℟. In quo Rex regum stelláto sedet sólio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 10, 38-42

In illo témpore : Intrávit Jesus in quoddam castéllum; et múlier quædam, Martha nómine, excépit illum in domum suam. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi

Sermo 27 de verbis Domini, tom. 10

Sanctum Evangélium cum legerétur, audívimus a fémina religiósa suscéptum esse Dóminum hospítio, éaque Martha vocabátur. Et, cum esset ipsa occupáta in cura ministrándi, soror ejus María sedébat ad pedes Dómini et audiébat verbum ejus. Laborábat illa, vacábat ista : illa erogábat, hæc implebátur. Verúmtamen Martha, labórans multum in illa occupatióne et negótio ministrándi, interpellávit Dóminum, et de soróre sua conquésta est, quod eam laborántem non adjuváret.

℟. Diffúsa est grátia in lábiis tuis : * Propterea benedíxit te Deus in ætérnum. ℣. Myrrha, et gutta, et cásia a vestiméntis tuis, a dómibus ebúrneis, ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo. — Propterea.

Bened. Cujus festum cólimus, ipsa Virgo vírginum.

Lectio viii

Dominus autem pro María respóndit Marthæ; et ipse ejus factus est ad-

vocátus, qui judex fúerat interpellátus. Martha, inquit, circa multa es occupáta, quando unum est necessárium; María meliórem partem elégit, quæ non auferétur ab ea. Audívimus enim et interpellatiónem interpellántis et sententiam júdicis. Quæ sententia interpellánti respóndit, suscéptam defendit; erat enim María intenta dulcédini verbi Dómini. Inténta erat Martha quómodo pásceret Dóminum, inténta María quómodo pascerétur a Dómino. A Martha convívium Dómino parabátur, in cujus convívio María jam jucundabátur.

℟. Beáta es, Virgo María, Dei Génitrix, quæ credidísti Dómino : perfécta sunt in te quæ dicta sunt tibi : ecce exaltáta es super choros Angelórum : * Intercéde pro nobis ad Dóminum, Deum nostrum. ℣. Ave, María, grátia plena; Dóminus tecum. — Intercéde. Glória Patri. Intercéde.

Lectio ix

CUM ergo María suáviter audíret verbum dulcíssimum, et corde intentíssimo pascerétur, interpelláto Dómino a soróre sua, quómodo putámus eam timuísse ne díceret ei Dóminus : Surge, et ádjuva sorórem tuam? Mira enim suavitáte tenebátur; quæ profécto major est mentis quam ventris. Excusáta est, sedit secúrior. Quómodo autem excusáta? Attendámus, inspiciámus, perscrutémur quod póssumus, ut pascámur et nos.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

et per Horas, Añæ

1 Assúmpta est María in cælum : * gaudent Angeli, laudántes benedícunt Dóminum.

2 María Virgo assúmpta est * ad æthéreum thálamum, in quo Rex regum stelláto sedet sólio.

3 In odórem * unguentórum tuórum cúrrimus : adolescéntulæ dilexérunt te nimis.

4 Benedícta * fília tu a Dómino : quia per te fructum vitæ communicávimus.

5 Pulchra es * et decóra, fília Jerúsalem, terríbilis ut castrórum ácies ordináta.

Capit. Eccli. 24, 11-12

IN ómnibus réquiem quæsívi, et in hereditáte Dómini morábor. Tunc præcépit et dixit mihi Creátor ómnium, et, qui creávit me, requiévit in tabernáculo meo.

Hymnus

O Gloriósa vírginum,
Sublímis inter sídera,
Qui te creávit, párvulum
Lacténte nutris úbere.

Quod Heva tristis ábstulit,
Tu reddis almo gérmine :
Intrent ut astra flébiles,
Cæli reclúdis cárdines.

Tu Regis alti jánua
Et aula lucis fúlgida :
Vitam datam per Vírginem,
Gentes redémptæ, pláudite.

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Exaltáta est sancta Dei Génitrix. ℟. Super choros Angelórum ad cæléstia regna.

Ad Bened. Ant. Quæ est ista * quæ ascéndit sicut auróra consúrgens, pulchra ut luna, elécta ut sol, terríbilis ut castrórum ácies ordináta?

Oratio

FAmulórum tuórum quæsumus, Dómine, delíctis ignósce : ut, qui tibi placére de áctibus nostris non valémus; Genitrícis Fílii tui Dómini nostri intercessióne salvémur : Qui tecum.

AD PRIMAM

Ant. Assúmpta est, ut supra. 894

AD TERTIAM

Ant. María Virgo, ut supra. 894

Capit. In ómnibus, ut supra ad Laudes.

℟. br. Exaltáta est * Sancta Dei Génitrix. Exaltáta. ℣. Super choros Angelórum ad cæléstia regna. Sancta. Glória Patri. Exaltáta. ℣. Assúmpta est María in cælum : gaudent Angeli. ℟. Laudántes benedícunt Dóminum.

AD SEXTAM

Ant. In odórem, ut supra. 894

Capit. Eccli. 24, 15-16

ET sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei heréditas illíus, et in plenitúdine sanctórum detentio mea.

℟. br. Assúmpta est María in cælum : * Gaudent Angeli. Assúmpta. ℣. Laudántes benedícunt Dóminum. Gaudent. Glória Patri. Assúmpta.

℣. María Virgo assúmpta est ad æthéreum thálamum. ℟. In quo Rex regum stelláto sedet sólio.

Die 15 Augusti

In Assumptione Beatæ Mariæ Virginis

Duplex I classis cum Octava communi

Omnia de Comm. Festorum B. Mariæ Virginis, præter ea quæ hic habentur propria.

In I Vesperis

Antiphona 1

Assúmpta est María in cælum: * gaudent Angeli, laudántes benedícunt Dóminum.

2 María Virgo assúmpta est * ad æthéreum thálamum, in quo Rex regum stelláto sedet sólio.

3 In odórem * unguentórum tuórum cúrrimus: adolescéntulæ dilexérunt te nimis.

4 Benedícta * fília tu a Dómino: quia per te fructum vitæ communicávimus.

5 Pulchra es * et decóra, fília Jerúsalem, terríbilis ut castrórumácies ordináta.

Capit. Judith 13, 22

Benedíxit te Dóminus in virtúte sua, quia per te ad níhilum redégit inimícos nostros. Benedícta es tu, fília, a Dómino Deo excélso, præ ómnibus muliéribus super terram.

Hymnus

O prima, Virgo, pródita
E Conditóris spíritu
Prædestináta Altíssimi
Gestáre in alvo Fílium;

Tu perpes hostis fémina
Prænuntiáta dæmonis,
Oppléris una grátia
Intamináta orígine.

Tu ventre Vitam cóncipis,
Vitámque ab Adam pérditam,
Diæ litándæ Víctimæ
Carnem minístrans, íntegras.

Merces piáclo débita
Devícta mors te déserit,
Almíque concors Fílii
Ad astra ferris córpore.

Tanta corúscans glória,
Natúra cuncta extóllitur,
In te vocáta vérticem
Decóris omnis tángere.

Ad nos, triúmphans, éxsules,
Regína, verte lúmina,
Cæli ut beátam pátriam,
Te, consequámur, aúspice.

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et almo Spíritu
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Exaltáta est sancta Dei Génitrix. ℟. Super choros Angelórum ad cæléstia regna.

Ad Magnif. Ant. Virgo prudentíssima, * quo progréderis, quasi auróra valde rútilans? Fília Sion, tota formósa et suávis es, pulchra ut luna, elécta ut sol.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui Immaculátam Vírginem Maríam, Fílii tui genitrícem, córpore et ánima ad cæléstem glóriam assumpsísti; concéde quæsumus, ut ad supérna semper inténti, ipsíus glóriæ mereámur esse consórtes. Per eúmdem Dóminum.

Complet. de Dominica.

Ad Matutinum

Invit. Veníte adorémus Regem regum, * Cujus hódie ad æthéreum Virgo Mater assúmpta est cælum.

Ps. 94 Veníte, exsultemus.

Hymnus

Surge! Jam terris fera bruma cessit
Ridet in pratis decus omne florum,
Alma quæ Vitæ Génitrix fuísti,
Surge, María!

Lílium fulgens velut in rubéto,
Mortis auctórem teris una, carpens
Sóntibus fructum pátribus negátum
Arbore vitæ.

Arca non putri fabricáta ligno
Manna tu servas, fluit unde virtus,
Ipsa qua surgent animáta rursus
Ossa sepúlcris.

Præsidis mentis dócilis minístra,
Haud caro tabo pátitur resólvi;
Spíritus imo sine fine consors
Tendit ad astra.

Surge! Dilécto pete nixa cælum,
Sume consértum diadéma stellis,
Teque natórum récinens beátam
Excipe carmen.

Laus sit excélsæ Tríadi perénnis,
Quæ tibi, Virgo, tríbuit corónam,
Atque regínam statuítque nostram
Próvida matrem. Amen.

IN I NOCTURNO

Ant. 1 Exaltáta est * sancta Dei Génitrix super choros Angelórum ad cæléstia regna.

Psalmus 8

Dómine, Dómine noster, quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra, * qui extulísti majestátem tuam super cælos.

Ex ore infántium et lacténtium parásti laudem contra adversários tuos, * ut compéscas inimícum et hostem.

Cum vídeo cælos tuos, opus digitórum tuórum, * lunam et stellas quæ tu fundásti:

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut fílius hóminis, quod curas de eo?—

Et fecísti eum paulo minórem Angelis, * glória et honóre coronásti eum:

Dedísti ei potestátem super ópera mánuum tuárum, * ómnia subjecísti pédibus ejus:

Oves et boves univérsos, * ínsuper et pécora campi,

Vólucres cæli et pisces maris: * quidquid perámbulat sémitas márium.

Dómine, Dómine noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Ant. Exaltáta est sancta Dei Génitrix super choros Angelórum ad cæléstia regna.

Ant. 2 Paradísi portæ * per te nobis apértæ sunt, quæ hódie gloriósa cum Angelis triúmphas.

Psalmus 18

Cæli enárrant glóriam Dei, * et opus mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diéi effúndit verbum, * et nox nocti tradit notítiam.

Non est verbum et non sunt sermónes, * quorum vox non percipiátur:

In omnem terram exit sonus eórum, * et usque ad fines orbis elóquia eórum.

Ibi pósuit soli tabernáculum suum, qui procédit ut sponsus de thálamo suo, * exsúltat ut gigas percúrrens viam.

A término cæli fit egréssus ejus, et circúitus ejus usque ad términum cæli, * nec quidquam subtráhitur ardóri ejus.—

Lex Dómini perfécta, récreans ánimam; * præscríptum Dómini firmum, instítuens rudem;

Præcépta Dómini recta, delectántia cor; * mandátum Dómini mundum, illústrans óculos;

Timor Dómini purus, pérmanens in ætérnum; * judícia Dómini vera, justa ómnia simul,

Desiderabília super aurum et obrýzum multum * et dulcióra melle et liquóre favi.—

Etsi servus tuus atténdit illis, * in iis custodiéndis sédulus est valde.

Erráta tamen quis animadvértit? * a mihi occúltis munda me.

A supérbia quoque próhibe servum tuum, * ne dominétur in me.

Tunc ínteger ero et mundus * a delícto grandi.—

Accépta sint elóquia oris mei et meditátio cordis mei * coram te, Dómine, Petra mea et Redémptor meus.

Ant. Paradísi portæ per te nobis apértæ sunt, quæ hódie gloriósa cum Angelis triúmphas.

Ant. 3 Benedícta tu * in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui.

Psalmus 23

Dómini est terra et quæ replent eam, * orbis terrárum et qui hábitant in eo.

Nam ipse super mária fundávit eum, * et super flúmina firmávit eum.—

Quis ascéndet in montem Dómini, * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus et mundus corde, qui non inténdit mentem suam ad vana, * nec cum dolo jurávit próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino * et mercédem a Deo Salvatóre suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.—

Attóllite, portæ, cápita vestra, et attóllite vos, fores antíquæ, * ut ingrediátur rex glóriæ!

"Quis est iste rex glóriæ?" * "Dóminus fortis et potens, Dóminus potens in prœlio."

Attóllite, portæ, cápita vestra, et attóllite vos, fores antíquæ, * ut ingrediátur rex glóriæ!

"Quis est iste rex glóriæ?" * "Dóminus exercítuum: ipse est rex glóriæ."

Ant. Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui-

℣. Exaltáta est sancta Dei Génitrix. ℟. Super choros Angelórum ad cæléstia regna.

Pater noster. Absolutio Exáudi. Bened. Benedictióne.

De libro Génesis

Lectio i Cap. 3, 9-15

Vocavítque Dóminus Deus Adam, et dixit ei: Ubi es? Qui ait: Vocem tuam audívi in paradíso; et tímui eo quod nudus essem, et abscóndi me. Cui dixit: Quis enim indicávit tibi quod nudus esses, nisi quod ex ligno de quo præcéperam tibi ne coméderes, comedísti? Dixítque Adam: Múlier, quam dedísti, mihi sóciam, dedit mihi de ligno, et comédi. Et dixit Dóminus Deus ad mulíerem: Quare hoc fecísti? Quæ respóndit: Serpens decépit me, et comédi. Et ait Dóminus Deus ad serpéntem: Quia fecísti hoc, maledíctus es inter ómnia animántia et béstias terræ; super pectus tuum gradiéris, et terram cómedes cunctis diébus vitæ tuæ. Inimicítias ponam inter te et mulíerem, et semen tuum et semen illíus; ipsa cónteret caput tuum, et tu insidiáberis calcáneo ejus.

℟. Vidi speciósam sicut colúmbam, ascendéntum désuper rivos aquárum, cujus inæstimábilis odor erat nimis in vestiméntis ejus: * Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum et lília convállium. ℣. Quæ est ista quæ ascéndit per desértum sicut vírgula fumi ex aromátibus myrrhæ et thuris? Et.

Bened. Unigénitus.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios

Lectio ii Cap. 15, 20-26

Nunc autem Christus resurréxit a mórtuis, primítiæ dormiéntium; quóniam quidem per hóminem mors, et per hóminem resurréctio mortuórum. Et sicut in Adam omnes moriúntur, ita et in Christo omnes vivificabúntur; unusquísque autem in suo órdine: primítiæ Christus; deínde ii qui sunt Christi, qui in advéntu ejus credidérunt. Deínde finis, cum tradíderit regnum Deo et Patri, cum evacuáverit omnem principátum, et potestátem,

et virtútem. Opórtet autem illum regnáre, donec ponat omnes inimícos sub pédibus ejus. Novíssima autem inimíca destruétur mors.

℟. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, et sicut cypréssus in monte Sion: quasi myrrha elécta, * Dedi suavitátem odóris. ℣. Et sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans. Dedi.

Bened. Spíritus Sancti.

Lectio iii Cap. 15, 53-57

Opórtet enim corruptíbile hoc indúere incorruptiónem, et mortále hoc indúere immortalitátem. Cum autem mortále hoc indúerit immortalitátem, tunc fiet sermo qui scriptus est: Absórpta est mors in victória. Ubi est, mors, victória tua? ubi est, mors, stímulus tuus? Stímulus autem mortis peccátum est, virtus vero peccáti lex. Deo autem grátias, qui dedit nobis victóriam per Dóminum nostrum Jesum Christum.

℟. Quæ est ista quæ procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam fíliæ Sion, et beátam dixérunt, et regínæ laudavérunt eam. ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum et lília convállium. Vidérunt. Glória Patri. Vidérunt.

IN II NOCTURNO

Ant. 4 Spécie tua * et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.

Psalmus 44

Effúndit cor meum verbum bonum: dico ego carmen meum regi; * lingua mea stilus est scribæ velócis.—

Speciósus es forma præ fíliis hóminum, diffúsa est grátia super lábia tua: * proptérea benedíxit tibi Deus in ætérnum.

Cinge gládium tuum super femur, potentíssime, * decórem tuum et ornátum tuum!

Felíciter evéhere pro fide et pro justítia, * et præclára gesta dóceat te déxtera tua.

Sagíttæ tuæ acútæ, pópuli tibi subdúntur, * defíciunt corde inimíci regis.

Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi; * sceptrum æquitátis sceptrum regni tui.

Díligis justítiam et odísti iniquitátem: propterea unxit te Deus, Deus tuus, * óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Myrrhâ et áloë et cássia fragrant vestiménta tua; * ex ædibus ebúrneis fídium sonus lætíficat te.

Fíliæ regum óbviam véniunt tibi, * regína adstat ad déxteram tuam ornáta auro ex Ophir.—

Audi, fília, et vide, et inclína aurem tuam, * et oblivíscere pópulum tuum et domum patris tui.

Et concupíscet rex pulchritúdinem tuam: * ipse est dóminus tuus; obséquere ei.

Et pópulus Tyri cum munéribus venit; * favórem tuum captant próceres plebis.

Tota decóra ingréditur fília regis * textúræ áureæ sunt amíctus ejus.

Amíctu variegáto indúta addúcitur ad regem; * vírgines post eam, sóciæ ejus, adducúntur ad te.

Afferúntur cum lætítia et exsultatióne, * ingrediúntur in palátium regis.—

Loco patrum tuórum erunt fílii tui; * constítues eos príncipes super totam terram.

Memorábo nomen tuum in omnem generatiónem et generatiónem; * proptérea pópuli celebrábunt te in sæculum sæculi.

Ant. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.

Ant. 5 Sanctificávit * tabernáculum suum Altíssimus.

Psalmus 45

Deus est nobis refúgium et robur; * adjutórem in angústiis probávit se valde.

Proptérea non timémus, dum subvértitur terra, * et montes cadunt in médium mare.

Tumultuéntur, æstuent aquæ ejus, * concutiántur montes ímpetu ejus:

Dóminus exercítuum nobíscum; * præsídium nobis est Deus Jacob.—

Flúminis rívuli lætíficant civitátem Dei, * sanctíssimum tabernáculum Altíssimi.

Deus est in médio ejus non commovébitur; * auxiliábitur ei Deus primo dilúculo.

Fremuérunt gentes commóta sunt regna; * intónuit voce sua, diflúxit terra:

15 Aug. In Assumptione B. Mariæ Virg.

Dóminus exercítuum obíscum; * præsídium obis est Deus Jacob.—

Veníte, vidéte ópera Dóini, * quæ egit stupéna in terra.

Qui compéscit bella sque ad finem terræ, * rcus cónterit et confríit hastas, et scuta comúrit igni.

Desístite, et agnóscite ne Deum, * excélsum in éntibus, excélsum in erra.

Dóminus exercítuum obíscum; * præsídium obis est Deus Jacob.

Ant. Sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Ant. 6 Gloriósa * prædicántur de te, Virgo María.

Psalmus 86

Fundatiónem suam in móntibus sanctis dílit Dóminus: * portas ion magis quam ómnia abernácula Jacob.

Gloriósa prædicántur le te, * cívitas Dei!—

Accensébo Rahab et Babel coléntibus me: * ecce, hilistæa et Tyrus popusque Æthiópum: hi ati sunt illic.

Et de Sion dicétur: "Vítim omnes sunt nati in ea, * et ipse firmávit eam Excélsus."—

Dóminus scribet in libro populórum: * "Hi nati sunt illic."

Et cantábunt, dum chorum ducent: * "Omnes fontes mei sunt in te."

Ant. Gloriósa prædicántur de te, Virgo María.

℣. Assúmpta est María in cælum: gaudent Angeli.

℟. Laudántes benedícunt Dóminum.

Pater noster. Absolutio Ipsíus. Bened. Deus Pater.

Sermo sancti Joánnis Damascéni

Orat. 2 de Dormitione B.M.V. post initium

Lectio iv

Hódie sacra et animáta arca Dei vivéntis, quæ suum in útero concépit Creatórem, requiéscit in templo Dómini, quod nullis est exstrúctum mánibus. Et David exsúltat ejus parens, et cum eo choros ducunt Angeli, célebrant Archángeli, Virtútes glorificant, Principátus exsúltant, Potestátes collætántur, gaudent Dominatiónes, Throni festum diem agunt, laudant Chérubim, glóriam ejus prædicant Séraphim.

Hódie Eden novi Adam paradísum súscipit animátum, in quo solúta est condemnátio, in quo plantátum est lignum vitæ, in quo opérta fuit nostra núditas.

℟. Ornátam monílibus fíliam Jerúsalem Dóminus concupívit: * Et vidéntes eam fíliæ Sion, beatíssimam prædicavérunt, dicéntes: Unguéntum effúsum nomen tuum. ℣. Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte. Et.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

Hódie Virgo immaculáta, quæ nullis terrénis inquináta est affléctibus, sed cæléstibus educáta cogitatiónibus, non in terram revérsa est; sed, cum esset animátum cælum, in cæléstibus tabernáculis collocátur. Ex qua enim ómnibus vera vita manávit, quómodo illa mortem gustáret? Sed cedit legi latæ ab eo quem génuit; et, ut fília véteris Adam, véterem sententiam súbiit (nam et ejus Fílius, qui est vita ipsa, eam non recusávit); ut autem Dei vi-

véntis Mater, ad illum ipsum digne assúmitur.

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes, * Quia fecit mihi Dóminus magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. ℣. Et misericórdia ejus a progénie in progénies timéntibus eum. Quia.

Bened. Ignem sui.

Ex actis Pii Papæ XII

Lectio vi

Quóniam vero univérsa Ecclésia fidem in corpóream beátæ Maríæ Vírginis Assumptiónem per sæculórum decúrsum manifestávit, et totíus orbis Episcopi prope unánimi consensióne petiérunt ut hæc véritas, quæ Sacris Lítteris innítitur, Christifidélium ánimis pénitus est ínsita, ceterísque revelátis veritátibus plane cónsona, tamquam divínæ et cátholicæ fídei dogma definirétur, Pius duodécimus Póntifex Máximus, totíus Ecclésiæ votis ánnuens, státuit hoc Beátæ Maríæ Vírginis privilégium sollémniter renuntiáre. Itaque die prima Novémbris anni máximi Jubilæi millésimi nongentésimi quin-

quagésimi, Romæ in foro ad sancti Petri Basílicam paténte, plurimórum Sanctæ Románæ Ecclésiæ Cardinálium atque Episcopórum ex díssitis étiam regiónibus astánte cœtu, coram ingénti Christifidélium multitúdine, univérso cathólico orbe plaudénte, corpóream Beátæ Maríæ Vírginis Assumptiónem in cælum infallíbili oráculo in hæc verba proclamávit: Postquam súpplices étiam atque étiam ad Deum admóvimus preces, ac Veritátis Spíritus lumen invocávimus, ad omnipoténtis Dei glóriam, qui peculiárem benevoléntiam suam Maríæ Vírgini dilargítus est, ad sui Fílii honórem, immortális sæculórum Regis ac peccáti mortísque victóris, ad ejúsdem augústæ Matris augéndam glóriam et ad totíus Ecclésiæ gáudium exsultationémque, auctoritáte Dómini Nostri Jesu Christi, Beatórum Apostolórum Petri et Pauli ac Nostra pronuntiámus, declarámus et definímus divínitus revelátum dogma esse: Immaculátam Deíparam semper Vírginem Maríam, expléto terréstris vitæ cursu, fuísse córpore et ánima ad cæléstem glóriam assúmptam.

℟. Beáta es, Virgo María, quæ Dóminum portásti, Creatórem mundi: * Genuísti qui te fecit, et in ætérnum pérmanes Virgo. ℣. Ave, María, grátia plena; Dóminus tecum. Genuísti. Glória Patri. Genuísti.

IN III NOCTURNO

Ant. 7 Gaude, María Virgo: * cunctas hæreses sola interemísti in univérso mundo.

Psalmus 95

Cantáte Dómino cánticum novum, * cantáte Dómino, omnes terræ.

Cantáte Dómino, benedícite nómini ejus, * annuntiáte de die in diem salútem ejus.

Enarráte inter gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus.—

Nam magnus est Dóminus et laudándus valde,* timéndus magis quam omnes dii.

Nam omnes dii géntium sunt figménta; * Dóminus autem cælos fecit.

Majéstas et decor præ-

cédunt eum; * poténtia et splendor sunt in sede sancta ejus.—

Tribúite Dómino, famíliæ populórum, tribúite Dómino glóriam et poténtiam; * tribúite Dómino glóriam nóminis ejus.

Offérte sacrifícium et introíte in átria ejus; * adoráte Dóminum in ornátu sacro.

Contremísce coram eo, univérsa terra; * dícite inter gentes: Dóminus regnat.

Stabilívit orbem, ut non moveátur: * regit pópulos cum æquitáte.—

Læténtur cæli, et exsúltet terra; ínsonet mare et quæ illud implent; * géstiat campus et ómnia quæ in eo sunt.

Tum gaudébunt omnes árbores silvæ coram Dómino, quia venit, * quia venit régere terram.

Reget orbem terrárum cum justítia, * et pópulos cum fidelitáte sua.

Ant. Gaude, María Virgo: cunctas hæreses sola interemísti in univérso mundo.

Ant. 8 Cæli annúntiant * justítiam ejus, et omnes pópuli vident glóriam ejus.

Psalmus 96

Dóminus regnat: exsúltet terra, * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes et calígo circúmdant eum, * justítia et jus fundaméntum sunt sólii ejus.

Ignis ante ipsum præcédit, * et combúrit in circúitu inimícos ejus.

Fúlgura ejus collústrant orbem; * terra videt et contremíscit.

Montes ut cera liquéscunt coram Dómino, * coram dominatóre univérsæ terræ.

Cæli annúntiant justítiam ejus; * et omnes pópuli vident glóriam ejus.—

Confundúntur omnes qui colunt sculptília et qui gloriántur in idólis; * ante eum se prostérnunt omnes dii.

Audit, et lætátur Sion, et exsúltant civitátes Juda * propter judícia tua, Dómine.

Nam tu, Dómine, excélsus es super omnem terram, * summe éminens inter omnes deos.

Dóminus díligit eos, qui odérunt malum, custódit ánimas sanctórum suórum, * de manu impiórum éripit eos.

Lux óritur justo, * et rectis corde lætítia.

Lætámini, justi, in Dómino, * et celebráte nomen sanctum ejus.

Ant. Cæli annúntiant justítiam ejus, et omnes pópuli vident glóriam ejus.

Ant. 9 Cantáte Dómino * cánticum novum, quia mirabília fecit in te, O María.

Psalmus 97

Cantáte Dómino cánticum novum, * quia mirabília fecit.

Victóriam parávit ei déxtera ejus, * et bráchium sanctum ejus.

Notam fecit Dóminus salútem suam; * in conspéctu géntium revelávit justítiam suam.

Recordátus est bonitátis et fidelitátis suæ * in grátiam domus Israël.

Vidérunt omnes fines terræ * salútem Dei nostri.—

Exsultáte Dómino, omnes terræ, * lætámini et gaudéte et psállite.

Psállite Dómino cum cíthara, * cum cíthara et sónitu psaltérii,

Cum tubis et sono búcinæ: * exsultáte in conspéctu regis Dómini.—

Insonet mare et quæ illud replent, * orbis terrárum et qui hábitant in eo.

Flúmina plaudant mánibus, * simul montes exsúltent

Coram Dómino, quia venit, * quia venit régere terram.

Reget orbem terrárum cum justítia * et pópulos cum æquitáte.

Ant. Cantáte Dómino cánticum novum, quia mirabília fecit in te, O María.

℣. María Virgo assúmpta est ad æthéreum thálamum. ℟. In quo Rex regum stelláto sedet solio.

Pater noster. Absolutio A vínculis. Bened. Evangélica.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 1, 41-50

In illo témpore: Repléta est Spíritu Sancto Elísabeth et exclamávit voce magna, et dixit: Benedícta tu inter mulíeres. Et réliqua.

Homília sancti Petri Canísii

De Maria Deipara Virgine, lib. 5, cap. 6

Férias Deíparæ sacras, ut frequénter, ita reverénter péragit Ecclésia, certo intélligens, Deo gratum, et Christifidéli-

bus dignum, hoc esse offícium, quo inter beátos et beátas omnes beatíssima Dómini et Dei nostri mater, certis anni tempóribus ac públicis cæremóniis sæpenúmero celebrátur. Inter has autem férias, quæ tot sæculis, religióse háctenus observátur, festum Assumptiónis máximum reputátur, locúmque princípem tenet. Nec dies quidem ullus Maríæ lætior feliciórque cóntigit, si et ánimæ et córporis felicitátem eo die illi collátam rite contemplémur: ideóque si ántea unquam, tunc vel máxime spíritus et ánima et corpus ejus in Deum vivum mirabíliter exsultávit, ipséque summo jure dícere pótuit: Respéxit humilitátem ancíllæ suæ: Ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes: quia fecit mihi magna qui potens est.

℟. Diffúsa est grátia in lábiis tuis: * Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. ℣. Myrrha, et gutta et cásia a vestiméntis tuis, a dómibus ebúrneis, ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo. Proptérea.

Bened. Cujus festum cólimus, ipsa Virgo vírginum.

Lectio viii

Quare nos étiam, qui te Filiúmque tuum amámus, o ter beáta et vere augústa Mater, non póssumus huic præcláræ et incomparábili felicitáti tuæ non ex ánimo gratulári, quandóquidem quæcúmque a Dómino tibi et de te dicta sunt, tam pulchro éxitu concludúntur, ac omni ex parte tandem perficiúntur. Beátæ quæ non modo credidísti, sed fídei étiam omnísque virtútis fructum et finem hódie consecúta es, et ejus quem tantópere amásti atque desiderásti, jucundíssimo conspéctu nunc demum pérfrui meruísti. Emanuélem in castéllum mundi hujus intrántem, tanquam hóspitem, hóspita excepísti: hódie ab illo vicíssim in regále suum palátium excíperis, et tanquam mater tali Salomóne digna magnífice primum honoráris.

℟. Beáta es, Virgo María, Dei Génitrix, quæ credidísti Dómino: perfécta sunt in te quæ dicta sunt tibi: ecce exaltáta es super choros Angelórum: * Intercéde pro nobis ad Dóminum, Deum nostrum. ℣. Ave, María, grátia plena; Dóminus tecum. Intercéde. Glória Patri. Intercéde.

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

Felix dies, qui tam pretiósum munus de hujus mundi desérto transmísit, et ad sanctam æternámque civitátem ita perdúxit, ut commúne et incredíbile gáudium, nec minor admirátio cælítibus ómnibus creárétur. Felix dies, qui sponsæ languéntis tam ardéntibus quam diutúrnis desidériis satisfécit, ut quod quæsíverat inveníret, quod petíverat accíperet, quod exspectárat secúra possidéret, nimírum in illa summi æterníque boni perfécta visióne atque fruitióne pénitus conquiéscens. Felix dies, qui ancíllam Dómini humíllimam eo usque provéxit ac éxtulit, ut præstantíssima cæli Regína, mundíque Dómina efficerétur, et ne áltius quidem posset assúrgere, quóniam in Regni sólio sublimáta, post Christum gloriósa resédit. Felix hic planéque venerándus dies est, qui Regínam et Matrem nobis poténtem simul et cleméntem in regno Dei constítuit ac confirmávit, ut eándem, quæ Júdicis mater assídue manet, matrem misericórdiæ nobis favéntem, et apud Christum patrocinántem, nostræque salútis negótia fidéliter procurántem habeámus.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

et per Horas

Ant. 1 Assúmpta est María in cælum: * gaudent Angeli, laudántes benedícunt Dóminum.

Psalmi de Dominica.

2 María Virgo assúmpta est * ad æthéreum thálamum, in quo Rex regum stelláto sedet sólio.

3 In odórem * unguentórum tuórum cúrrimus: adolescéntulæ dilexérunt te nimis.

4 Benedícta * fília tu a Dómino: quia per te fructum vitæ communicávimus.

5 Pulchra es * et decóra, fília Jerúsalem, terríbilis ut castrórum ácies ordináta.

Capit. Judith 13, 22

Benedíxit te Dóminus in virtúte sua, quia per te ad níhilum redégit inimícos nostros. Benedícta es tu, fília, a Dómino Deo excélso, præ ómnibus muliéribus super terram.

Hymnus

Solis, O Virgo, rádiis amícta,
Bis caput senis redimíta stellis,
Luna cui præbet pédibus scabéllum
Inclita fulges.

Mortis, inférni domitríxque noxæ,
Assides Christo studiósa nostri,
Teque regínam célebrat poténtem
Terra polúsque.

Damna sed perstat súboli minári
Créditæ quondam tibi dirus ánguis;
Mater, huc clemens ades, et malígni
Cóntere collum.

Asseclas diæ fídei tuére,
Tránsfugas adduc ad ovíle sacrum,
Quas diu gentes tegit umbra mortis
Undique coge.

Sóntibus mitis véniam precáre,
Adjuva flentes, ínopes et ægros,
Spes mica cunctis per acúta vitæ
Certa salútis.

Laus sit excélsæ Tríadi perénnis,
Quæ tibi, Virgo, tríbuit corónam,
Atque regínam statuítque nostram
Próvida matrem.
Amen.

℣. Exaltáta est sancta Dei Génitrix. ℟. Super choros Angelórum ad cæléstia regna.

Ad Bened. Ant. Quæ est ista * quæ ascéndit sicut auróra consúrgens, pulchra ut luna, elécta ut sol, terríbilis ut castrórum ácies ordináta?

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui Immaculátam Vírginem Maríam, Fílii tui genitrícem, córpore et ánima ad cæléstem glóriam assumpsísti; concéde quæsumus, ut ad supérna semper inténti, ipsíus glóriæ mereámur esse consórtes. Per eúmdem Dóminum.

Ad Tertiam

Capit. Benedíxit, ut supra ad Laudes.

℟. br. Exaltáta est * Sancta Dei Génitrix. Exaltáta. ℣. Super choros Angelórum ad cæléstia regna. Sancta. Glória Patri. Exaltáta.

℣. Assúmpta est María in cælum: gaudent Angeli. ℟. Laudántes benedícunt Dóminum.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui Immaculátam Vírginem Maríam, Fílii tui genitrícem, córpore et ánima ad cæléstem glóriam assumpsísti; concéde quæsumus, ut ad supérna semper inténti, ipsíus glóriæ mereámur esse consórtes. Per eúmdem Dóminum.

Ad Sextam

Ant. In odórem * unguentórum tuórum cúrrimus: adolescéntulæ dilexérunt te nimis.

Capit. Judith 13, 24-25

Benedíctus Dóminus, quia hódie nomen tuum ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum.

℟. br. Assúmpta est María in cælum: * Gaudent Angeli. Assúmpta. ℣. Laudántes benedícunt Dóminum. Gaudent. Glória Patri. Assúmpta. ℣. María Virgo assúmpta est ad æthéreum thálamum. ℟. In quo Rex regum stelláto sedet sólio.

Ad Nonam

Ant. Pulchra es * et decóra, fília Jerúsalem, terríbilis ut castrórum ácies ordináta.

Capit. Judith 15, 10

Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israël, tu honorificéntia pópuli nostri.

℟. br. María Virgo assúmpta est * Ad æthéreum thálamum. María. ℣. In quo Rex regum stelláto sedet sólio. Ad. Glória Patri. María.

℣. Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta. ℟. Da mihi virtútem contra hostes tuos.

In II Vesperis

Ant. 1 Assúmpta est María in cælum: * gaudent Angeli, laudántes benedícunt Dóminum.

2 María Virgo assúmpta est * ad æthéreum thálamum, in quo Rex regum stelláto sedet sólio.

3 In odórem * unguentórum tuórum cúrrimus: adolescéntulæ dilexérunt te nimis.

4 Benedícta * fília tu a

Dómino: quia per te fructum vitæ communicávimus.

℣ Pulchra es * et decóra, fília Jerúsalem, terríbilis ut castrórum ácies ordináta.

Capit. Judith 13, 22

Benedíxit te Dóminus in virtúte sua, quia per te ad níhilum redégit inimícos nostros. Benedícta es tu, fília, a Dómino Deo excélso, præ ómnibus muliéribus super terram.

Prima stropha sequentis Hymni dicitur flexis genibus.

Hymnus

Ave, maris stella,
Dei Mater alma,
Atque semper Virgo,
Felix cæli porta.

Sumens illud Ave
Gabriélis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Hevæ nomen.

Solve vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.

Monstra te esse matrem.
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus
Tulit esse tuus.

Virgo singuláris,
Inter omnes mitis,
Nos, culpis solútos,
Mites fac et castos.

Vitam præsta puram,
Iter para tutum,
Ut, vidéntes Jesum,
Semper collætémur.

Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spirítui Sancto,
Tribus honor unus.

Amen.

℣. Exaltáta est sancta Dei Génitrix. ℟. Super choros Angelórum ad cæléstia regna.

Ad Magnif. Ant. Hódie * María Virgo cælos ascéndit: gaudéte, quia cum Christo regnat in ætérnum.

Et fit Com. sequentis. Complet. de Dominica.

Infra Octavam Antiphonæ et Psalmi ad omnes Horas et Versus Nocturnorum de occurrenti hebdomadæ die, ut in Psalterio; reliqua ut in Festo præter Lectiones, quæ etiam in I Noct. pro singulis diebus assignantur propriæ.

Die 18 Augusti

De IV die infra Octavam Assumptionis B. M. V.

Semiduplex

Festum vide.

Ant. Virgo prudentíssima, quo progréderis, quasi auróra valde rútilans? Fília Sion, tota formósa et suávis es, pulchra ut luna, elécta ut sol.

Si vero hac die faciendum non sit Officium de Octava, dicitur

Ant. Hódie María Virgo cælos ascéndit: gaudéte, quia cum Christo regnat in ætérnum.

℣. Exaltáta est sancta Dei Génitrix. ℟. Super choros Angelórum ad cæléstia regna.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui Immaculátam Vírginem Maríam, Fílii tui genitrícem, córpore et ánima ad cæléstem glóriam assumpsísti; concéde quæsumus, ut ad supérna semper inténti, ipsíus glóriæ mereámur esse consórtes. Per eúmdem Dóminum.

Pro Com. S. Agapiti Mart.:

Ant. Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit; fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio

Lætétur Ecclésia tua, Deus, beáti Agapíti Mártyris tui confísa suffrágiis: atque, ejus précibus gloriósis, et devóta permáneat, et secúra consístat. Per Dóminum.

IN I NOCTURNO

De Cánticis canticórum

Lectio i Cap. 4, 7-9, 12

Tota pulchra es, amica mea, et mácula non est in te. Veni de Líbano, sponsa mea, veni de Líbano: veni, coronáberis, de cápite Amana, de vértice Sanir et Hermon, de cubílibus leónum, de móntibus pardórum. Vulnerásti cor meum, soror mea, sponsa, vulnerásti cor meum, in uno oculórum tuórum et in uno crine colli tui. Hortus conclúsus, soror mea, sponsa, hortus conclúsus, fons signátus.

℟. Vidi speciósam sicut colúmbam, ascendéntem désuper rivos aquárum, cujus inæstimábilis odor erat nimis in vestiméntis ejus; * Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum et lília convállium. ℣. Quæ est ista quæ

ascéndit per desértum sicut vírgula fumi ex aromátibus myrrhæ et thuris? Et.

Lectio ii

Cap. 6, 3, 8-9; 8, 5

Pulchra es, amíca mea, suávis et decóra sicut Jerúsalem: terríbilis ut castrórum ácies ordináta. Una est colúmba mea, perfécta mea, una est matris suæ, elécta genitríci suæ. Vidérunt eam fíliæ, et beatíssimam prædicavérunt: regínæ, et laudavérunt eam. Quæ est ista, quæ progréditur, quasi auróra consúrgens, pulchra ut luna, elécta ut sol, terríbilis ut castrórum ácies ordináta? Quæ est ista, quæ ascéndit de desérto, delíciis áffluens innixa super diléctum suum?

℟. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano et sicut cypréssus in monte Sion: quasi myrrha elécta, * Dedi suavitátem odóris. ℣. Et sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans. Dedi.

Lectio iii Cap. 8, 6-7

Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum, quia fortis est ut mors diléctio, dura sicut inférnus æmulátio: lámpades ejus, lámpades ignis atque flammárum. Aquæ multæ non potuérunt extínguere caritátem nec flúmina óbruent illam. Si déderit homo omnem substántiam suam, pro dilectióne, quasi nihil despíciet eam.

℟. Quæ est ista quæ procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam fíliæ Sion, et beátam dixérunt, et regínæ laudavérunt eam. ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum et lília convállium. Vidérunt. Glória Patri. Vidérunt.

IN II NOCTURNO

Ex Constitutióne Apostólica Pii Papa XII

Lectio iv

Hæc ómnia Sanctórum Patrum ac theologórum arguménta considerationésque Sacris Lítteris, tamquam último fundaménto, nitúntur; quæ quidem almam Dei Matrem nobis véluti ante óculos propónunt divíno Fílio suo conjunctíssimam, ejúsque semper participántem

sortem. Quámobrem quasi impossíbile vidétur eam cérnere, quæ Christum concépit, péperit, suo lacte áluit, eúmque inter ulnas hábuit pectorísque obstrínxit suo, ab eódem post terréstrem hanc vitam, etsi non ánima, córpore separátam. Cum Redémptor noster Maríæ Fílius sit, haud póterat profécto, útpote divínæ legis observátor perfectíssimus, præter Ætérnum Patrem, Matrem quoque suam dilectíssimam non honoráre. Atqui, cum eam posset tam magno honóre exornáre, ut eam a sepúlchri corruptióne serváret incólumem, id reápse fecísse credéndum est.

℟. Ornátam monílibus fíliam Jerúsalem Dóminus concupívit: * Et vidéntes eam fíliæ Sion, beatíssimam prædicavérunt, dicéntes: Unguéntum effúsum nomen tuum. ℣. Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte. Et.

Lectio v

Máxime autem illud memorándum est, inde a sæculo secúndo, Maríam Vírginem a sanctis Pátribus véluti novam Hevam propóni novo Adæ, etsi subjéctam, arctíssime conjúnctam in certámine illo advérsus inferórum hostem, quod, quemádmodum in protoevangélio præsignificátur, ad pleníssimam deventúrum erat victóriam de peccáto ac de morte, quæ semper in géntium Apóstoli scriptis inter se copulántur. Quámobrem sicut gloriósa Christi anastásis essentiális pars fuit ac postrémum hujus victóriæ tropæum, ita Beátæ Vírginis commúne cum Fílio suo certámen virgínei córporis "glorificatióne" concludéndum erat; ut enim idem Apóstolus ait, "cum . . . mortále hoc indúerit immortalitátem, tunc fiet sermo, qui scriptus est: absórpta est mors in victória."

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes, * Quia fecit mihi Dóminus magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. ℣. Et misericórdia ejus a progénie in progénies timéntibus eum. Quia.

Lectio vi

Idcírco augústa Dei Mater, Jesu Christo, inde ab omni æternitáte, "uno eodémque decréto" prædestinatiónis, arcáno modo conjúncta, immaculáta in suo concéptu, in divína maternitáte sua integérrima virgo, generósa Divíni Redemptóris sócia, qui plenum de peccáto ejúsque consectáriis deportávit triúmphum, id tandem assecúta est, quasi suprémam suórum privilegiórum corónam, ut a sepúlchri corruptióne servarétur immúnis, utque, quemádmodum jam Fílius suus, devícta morte, córpore et ánima ad supérnam cæli glóriam eveherétur, ubi Regína refúlgeret ad ejúsdem sui Fílii déxteram, immortális sæculórum Regis.

℟. Beáta es, Virgo María, quæ Dóminum portásti, Creatórem mundi: * Genuísti qui te fecit, et in ætérnum pérmanes Virgo. ℣. Ave, María, grátia plena; Dóminus tecum. Genuísti. Glória Patri. Genuísti.

IN III NOCTURNO

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 1, 41-50

In illo témpore: Repléta est Spíritu Sancto Elísabeth et exclamávit voce magna, et dixit: Benedícta tu inter muliéres. Et réliqua.

De Homilía sancti Petri Damiáni

In Nativitate B. Mariæ V., Migne v. 144, col. 740

Virgo Dei Génitrix, cujus pulchritúdinem sol et luna mirántur, súbveni, dómina, clamántibus ad te júgiter: Revértere, revértere: Sunamítis, revértere, revértere, ut intueámur te. Tu benedícta, et superbenedícta, revértere per poténtiam. Fecit in te magna qui potens est, et data est tibi omnis potéstas in cælo et in terra. Nihil tibi impossíbile, cui possíbile est desperátos in spem beatitúdinis reveláre. Quómodo enim illa potéstas tuæ poténtiæ póterit obviáre, quæ de carne tua carnis suscépit oríginem? Accédis enim ante illud áureum humánæ reconciliatiónis altáre, non solum rogans, sed ímperans, dómina, non ancílla. Móveat te natúra, poténtia móveat, quia quanto poténtior, tanto misericórdior esse debébis. Potestáti enim cedit ad glóriam, injúrias ulcísci nolle cum possit. Revértere per amórem; scio, dómina, quia benigníssima es, et amas nos amóre invincíbili, quos in te et per te Fílius tuus et Deus tuus summa dilectióne diléxit. Quis scit quóties refrígeras iram Júdicis, cum justítiæ virtus a præséntia deitátis egréditur?

℟. Diffúsa est grátia in lábiis tuis: * Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. ℣. Myrrha, et gutta, et cásia a vestiméntis tuis, a dómibus ebúrneis, ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo. Proptérea.

Lectio viii

Revértere per singularitátem. In mánibus tuis sunt thesáuri miseratiónum Dómini, et sola elécta es, cui grátia tanta concéditur. Absit ut cesset manus tua, quam occasiónem quæras salvándi míseros et misericórdiam effundéndi! neque enim tua glória minúitur, sed augétur, cum pœniténtes ad véniam, justificáti ad glóriam assumúntur. Revértere, ergo, Sunamítis, id est, despécta, cujus ánimam pertransívit gládius quæ fabri uxor appellráta fuísti. Ad quid? Ut intueámur te. Summa glória est post Deum te vidére, adhærére tibi, et in tuæ protectiónis munímine demorári. Audi nos. Nam et Fílius nihil negans honórat te, qui est Deus benedíctus in sæcula sæculórum. Amen.

℟. Beáta es, Virgo María, Dei Génitrix, quæ credidísti Dómino: perfécta sunt in te quæ dicta sunt tibi: ecce exaltáta es super choros Angelórum: * Intercéde pro nobis ad Dóminum, Deum nostrum. ℣. Ave, María, grátia plena; Dóminus tecum. Intercéde. Glória Patri. Intercéde.

Pro S. Agapito Mart.:

Lectio ix

Agapítus Prænestínus, quíndecim annos natus, Aureliáno imperatóre, martýrii cupidíssimus, cum propter constántiam religiónis, im-

peratóris jussu, primum nervis diutíssime cæsus, deínde in tetrum cárcerem conjéctus esset, ut nihil omníno per quátuor dies gustáret, e custódia est edúctus. Et, ardéntibus carbónibus cápiti ejus impósitis, Deo agens grátias, íterum afféctus verbéribus, nudus ita pédibus suspénsus est, ut ingens fumus e subjécto igne os ejus obrúeret. Tum fervens aqua in ejus ventrem effúsa est, maxillæque confráctæ. Quo témpore judex, e tribunáli lapsus, paulo post mórtuus est. Ea re incénso imperatóre, sanctum júvenem jubénte feris óbjici, cum illæ non audérent attíngere, Prænéste gládio percússus est.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

℣. Exaltáta est sancta Dei Génitrix. ℟. Super choros Angelórum ad cæléstia regna.

Ad Bened. Ant. Quæ est ista * quæ ascéndit sicut auróra consúrgens, pulchra ut luna, elécta ut sol, terríbilis ut castrórum ácies ordináta?

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui Immaculátam Vírginem Maríam, Fílii tui genitrícem, córpore et ánima ad cæléstem glóriam assumpsísti; concéde quæsumus, ut ad supérna semper inténti, ipsíus glóriæ mereámur esse consórtes. Per eúmdem Dóminum.

Pro Com. S. Agapiti:

Ant. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio

Lætétur Ecclésia tua, Deus, beáti Agapíti Mártyris tui confísa suffrágiis: atque, ejus précibus gloriósis, et devóta permáneat, et secúra consístat. Per Dóminum.

Vesp. de seq., Com. præced

URBIS ET ORBIS

Missa in honorem B. M. V. in cælum Assumptæ approbata, congruum erat ut etiam Officium iis adornatum esset laudibus, quæ Deiparæ Virgini ob definitum corporeæ Assumptionis dogma merito tribuendæ erant. Quapropter Sacra Rituum Congregatio supra relatum Officium Sanctissimo Domino nostro Pio Papæ XII per infrascriptum Eminentissimum Cardinalem Pro-Præfectum approbandum submisit. Eadem Sanctitas Sua propositum schema probare dignata est; simulque mandavit ut loco veteris Officii in Breviario Romano exstantis, novum hoc poneretur in posterum unice adhibendum ab iis qui Romano Breviario adstringuntur. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ, die 27 Aprilis 1951.

† Clemens Card. Micara, Episc. Veliternus,
S. R. C. Pro-Præfectus

† Alfonsus Carinci, Archiep. Seleucien.
Secretarius.

Imprimatur:

Franciscus Card. Spellman
Archiepiscopus Neo-Eboracensis

Novi Eboraci, 1951, In Festo S. Petri Canisii

AD NONAM

Ant. Pulchra es * et decóra, fília Jerúsalem, terríbilis ut castrórum ácies ordináta.

Capit. Eccli. 24, 19-20

IN platéis sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans odórem dedi : quasi myrrha elécta, dedi suavitátem odóris.

℟. br. María Virgo assúmpta est * Ad æthéreum thálamum. María. ℣. In quo Rex regum stelláto sedet sólio. Ad. Glória Patri. María. ℣. Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta. ℟. Da mihi virtútem contra hostes tuos.

IN II VESPERIS

Omnia ut in I Vesperis, præter Ant. ad Magnif.

℣. Exaltáta est sancta Dei Génitrix. ℟. Super choros Angelórum ad cæléstia regna.

Ad Magnif. Ant. Hódie * María Virgo cælos ascéndit : gaudéte, quia cum Christo regnat in ætérnum.

Oratio

FAmulórum tuórum, quæsumus, Dómine, delíctis ignósce : ut, qui tibi placére de áctibus nostris non valémus; Genitrícis Fílii tui Dómini nostri intercessióne salvémur : Qui tecum vivit.

Et fit Commemoratio sequentis, ut infra.

Infra Octavam et in die Octava Antiphonæ et Psalmi ad omnes Horas et Versus Nocturnorum de occurrenti hebdomadæ die, ut in Psalterio; reliqua ut in Festo præter Lectiones, quæ etiam in I Nocturno pro singulis diebus assignantur propriæ.

DIE 16 AUGUSTI

S. Joachim Patris B. Mariæ V., Conf.

DUPLEX II CLASSIS

Omnia de Communi Conf. non Pont. [94], præter ea quæ hic habentur propria. (m. t. v.)

Ant. Laudémus virum gloriósum in generatióne sua, quia benedictiónem ómnium géntium dedit illi Dóminus, et testaméntum suum confirmávit super caput ejus.

℣. Potens in terra erit semen ejus. ℟. Generátio rectórum benedicétur.

Oratio

DEus, qui præ ómnibus Sanctis tuis beátum Jóachim Genitrícis Fílii tui patrem esse voluísti : concéde, quæsumus; ut, cujus festa venerámur, ejus quoque perpétuo patrocínia sentiámus. Per eúmdem Dóminum.

In I Nocturno Lectiones Beátus vir, de eodem Communi 1 loco. [96]

In II Nocturno

Sermo sancti Epiphánii Epíscopi

Oratio de Laud. Virg., sub initium

Lectio iv

DE radíce Jesse ortus est rex David, et de tribu regis David sancta Virgo : sancta, inquam, et sanctórum virórum fília, cujus paréntes fuérunt Jóachim et Anna; qui quidem in vita sua Deo placuérunt, atque étiam fructum ejúsmodi germinavérunt, sanctam Vírginem Maríam, templum simul et matrem Dei. Jóachim porro, Anna et María, hi tres Trinitáti palam sacrifícium laudis offerébant. Jóachim enim interpretátur Præparátio Dómini, eo quod ex illo præparátum sit templum Dómini, nempe Virgo. Anna rursus similiter Grátia interpretátur, propterea quod Jóachim et Anna grátiam accepérunt, ut, accedéntibus précibus, talem fructum germinárent, sanctam Vírginem adépti; Jóachim síquidem precabátur in monte, et Anna in horto suo.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et.

Sermo sancti Joánnis Damascéni

Oratio 1 de Virg. Mariæ Nativ., circa principium

Lectio v

QUóniam futúrum erat ut Dei Génitrix et Virgo ex Anna orirétur, natúra grátiæ fœtum antevértere mínime ausa est; verum tantísper exspectávit, dum grátia fructum suum produxísset. Síquidem oportébat eam primogénitam in lucem edí, quæ rerum ómnium conditárum Primogénitum, in quo ómnia coagmentáta sunt, paritúra erat. O par beátum Jóachim et Anna; vobis omnis creatúra obstrícta est. Per vos enim donum, ómnium donórum præstantíssimum, Creatóri óbtulit, nempe castam matrem, quæ sola Creatóre digna erat.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vi

EXsúlta, Jóachim, quóniam ex fília tua Fílius natus est nobis; et vocátur nomen ejus magni consílii, hoc est, salútis totíus mundi Angelus. Pudóre afficiátur Nestórius, ac manum ori impónat. Puer hic Deus est. Quonam ígitur modo ea Dei Génitrix non sit, quæ péperit? Si quis sanctam Dei Genitricem non confitétur, a Deitáte remótus est. Mea non est hæc orátio, quamquam alióqui mea; hanc enim diviníssimam hereditátem a theólogo patre Gregório accépi. O beátum par Jóachim et Anna! Ac profécto ex ventris vestri fructu immaculáti agnoscímini, quemádmodum Christus quodam loco dixit : Ex frúctibus eórum cognoscétis eos. Ut Deo gratum erat ac dignum ea quæ a vobis orta est, vitæ vestræ ratiónes instituistis. Caste enim ac sancte múnere vestro functi, virginitátis thesáurum produxístis.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Quia. Glória Patri. Quia.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 1, 1-16

LIber generatiónis Jesu Christi, fílii David, fílii Abraham. Abraham génuit Isaac, Isaac autem génuit Jacob. Et réliqua.

Homília sancti Joánnis Damascéni

Liber 4 de Fide orthodoxa, cap. 15 de Domini genealogia et sanctæ Dei Genitricis

QUod Joseph ex Davídica tribu originem dúxerit, sanctíssimi Evangelístæ Matthæus et Lucas líquido demonstrárunt. Verum, hoc inter eos discriminis est, quod Matthæus ex Davide per Salomónem Joséphum dedúcit; Lucas autem per Nathan. At vero sanctæ Virginis ortum utérque siléntio prætériit. Quocírca

scire óperæ prétium est, nec apud Hebræos nec apud Scriptúram sacram hoc in more pósitum fuísse, ut mulíerum genus recenserétur. Verum, hoc demum lege cautum erat ne tribus ulla uxóres ex áltera tribu accérseret. Ac proínde Joseph, qui ex tribu Davídica ortum trahébat justitiámque colébat (hanc enim laudem ei tríbuit divínum Evangélium), sanctam Vírginem haudquáquam præter legis præscríptum despondísset, nisi ex eódem sceptro genus duxísset. Ob idque satis hábuit Evangelísta demonstrásse, unde Joseph ortum tráxerit.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. — Ipse.

Si dicenda sit ix Lectio alicujus Officii commemorati, ex viii et ix Lectione fit una.

Lectio viii

IGitur ex stirpe Nathan, fílii David, Levi génuit Melchi et Panthérem. Panther autem génuit Barpanthérem (namque ita vocabátur.) Barpánther rursus génuit Jóachim. Jóachim dénique génuit sanctam Dei Genitrícem. Rursus, ex stirpe Salomónis, fílii David, Mathan ex uxóre sua génuit Jacob. Mórtuo autem Mathan, Melchi ex tribu Nathan, fílius Levi ac frater Panthéris, uxórem ipsíus Mathan, quæ étiam Jacóbi mater erat, matrimónio sibi copulávit, atque ex ea génuit Heli. Ita uteríni fratres erant Jacob et Heli; ille nimírum ex tribu Salomónis, hic ex tribu Nathan oriúndus.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. — Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix

POrro Heli, qui ex tribu Nathan erat, nullis líberis suscéptis, e vita migrávit; eáque de causa Jacob ipsíus frater, qui ex tribu Salomónis flúxerat, ipsíus uxórem accépit, fratríque suo semen excitávit ac Joséphum progénuit. Joseph ítaque natúra quidem fílius Jacob erat, a Salomóne oriúndus; legis autem ratióne patrem habébat Heli, ex Nathan oriúndum. Quæ cum ita sint, Jóachim lectíssimam illam ac summis láudibus dignam mulíerem Annam matrimónio sibi copulávit. Verum, quemádmodum prisca illa Anna, cum sterilitátis morbo laboráret, per oratiónem ac promissiónem, Samuélem procreávit; códem modo hæc étiam, per obsecratiónem et promissiónem, Dei Genitrícem a Deo accépit, ut ne hic quoque cuíquam ex illústribus matrónis céderet. Itaque grátia (nam hoc sonat Annæ vocábulum) Dóminam parit (id enim Maríæ nómine significátur). Vere étenim rerum ómnium conditárum Dómina facta est, cum Creatóris Mater éxstitit.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Potens in terra erit semen ejus. ℟. Generátio rectórum benedicétur.

Ad Bened. Ant. Laudémus * virum gloriósum in generatióne sua, quia benedictiónem ómnium géntium dedit illi Dóminus, et testaméntum suum confirmávit super caput ejus.

Oratio

DEus, qui præ ómnibus Sanctis tuis beátum Jóachim Genitrícis Fílii tui patrem esse voluísti : concéde, quæsumus; ut, cujus festa venerámur, ejus quoque perpétuo patrocínia sentiámus. Per eúmdem Dóminum.

IN II VESPERIS

℣. Potens et ad Magnif. Ant. Laudémus, ut supra ad Laudes.

Et fit Commemoratio tantum sequentis.

Die 17 Augusti

S. Hyacinthi Conf. [94]

Duplex (m. t. v.)

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram. ℣. Amávit eum Dóminus.

Oratio C 1

DEus, qui nos beáti Hyacinthi Confessóris tui ánnua solemnitáte lætíficas : concéde propitius; ut, cujus natalítia cólimus, étiam actiónes imitémur. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

QYacínthus Polónus, nobílibus et christiánis paréntibus, in Camiénsi villa episcopátus Vratislaviénsis natus est. A puerítia lítteris instrúctus, post datam jurisprudéntiæ et sacris litteris óperam, ínter canónicos Cracoviénses adscítus, insigni morum pietáte et summa erudítióne cétetos antecélluit. Romæ in Prædicatórum órdínem ab ipso institútore sancto Domínico adscriptus, perféctam vivéndi ratiónem, quam ab ipso didícerat, usque ad finem vítæ sanctissíme retinuit. Virginitátem perpétuo cóluit; modéstiam, patiéntiam, humílitátem, abstinéntiam ceterásque vírtútes, ut certum religiósæ vítæ patrimónium, adamávit.

℟. Honéstum fecit íllum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum. Dei. — Et.

Lectio v

CAritáte in Deum fervens, íntegras sæpe noctes fundéndis précibus castígandóque córpori ínsúmens, nullum eidem levaméntum, nisi lápidi innixus síve humi cubans, adhibébat. Remíssus in pátriam, Frisáci prímum in itínere amplíssimum sui órdínis monastérium, mox Cracóviæ álterum eréxit. Inde per álias Polóniæ regni províncias áliis quátuor exædificátis, íncredíbile dictu est, quantum verbi Dei prædicatióne et vítæ innocéntia apud omnes profécerit. Nullum diem prætermísit, quo non præclára áliqua fidei, piétátis atque innocéntiæ arguménta præstíterit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vi

SAnctíssimi víri stúdium erga proxímórum salútem máximis Deus miráculis illustrávit. Inter quæ illud insígne, quod Vándalum flúvium prope Visográdum aquis redundántem, nullo navigío usus, trajécit, sóciis quoque expánso super undas pállio tradúctis. Admirábili vitæ génere ad quadragínta prope annos post professiónem perdúcto, mortis die suis frátribus prænuntiáto, ípso assúmptæ Vírginis festo, Horís canónicis persolútis, sacraméntis ecclesiásticis summa cum veneratióne percéptis, iis verbis : In manus tuas, Dómine; spíritum Deo réddidit, anno salútis millésimo ducen-

tésimo quinquagésimo séptimo. Quem miráculis, étiam post óbitum, illústrem, Clemens Papa octávus in Sanctórum númerum rétulit.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Quia. Glória Patri. Quia.

Pro hoc Festo simplificato

Lectio ix

Hyacínthus Polónus, nobílibus et christiánis paréntibus, in Camiénsi villa episcopátus Vratislaviénsis natus est. Inter canónicos Cracoviénses adscítus, insígni morum pietáte et eruditióne céteros antecélluit. Romæ in Prædicatórum órdinem ab ipso institutóre sancto Domínico adscríptus, perféctam vivéndi ratiónem, quam ab ipso didícerat, usque ad finem vitæ sanctíssime retínuit, virginitáte perpétuo serváta. Remíssus in pátriam, sex sui órdinis monastériis exædificátis, incredíbile dictu est, quantum verbi Dei prædicatióne et vitæ innocéntia apud omnes profécerit, frequéntibus clarus miráculis. Inter quæ illud insígne, quod Vándalum flúvium prope Visográdum aquis redundántem, nullo navígio usus, trajécit, sóciis quoque expánso super undas pállio tradúctis. Admirábili vitæ génere ad quadragínta prope annos post professiónem perdúcto, ipso assúmptæ Vírginis festo, spíritum Deo réddidit, anno salútis millésimo ducentésimo quinquagésimo séptimo, et a Cleménte octávo in Sanctórum númerum fuit relátus.

Te Deum laudámus.

In III Nocturno Homilia in Ev. Sint lumbi, de Comm. Conf. non Pont. 1 loco. [98]

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

Oratio C 1

Deus, qui nos beáti Hyacínthi Confessóris tui ánnua solemnitáte lætíficas : concéde propítius, ut, cujus natalítia cólimus, étiam actiónes imitémur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ Assumptionis :

Ant. Quæ est ista quæ ascéndit sicut auróra consúrgens, pulchra ut luna, elécta ut sol, terríbilis ut castrórum ácies ordináta? ℣. Exaltáta est sancta Dei Génitrix. ℟. Super choros Angelórum ad cæléstia regna.

Oratio

Famulórum tuórum, quǽsumus, Dómine, delíctis ignósce : ut, qui tibi placére de áctibus nostris non valémus; Genitrícis Fílii tui Dómini nostri intercessióne salvémur. (Qui tecum vivit.)

Deinde Commemoratio diei Octavæ S. Laurentii Mart. :

Ant. In cratícula te Deum non negávi, et ad ignem applicátus te Christum conféssus sum : probásti cor meum, et visitásti nocte : igne me examinásti, et non est invénta in me iníquitas. ℣. Dispérsit, dedit paupéribus. ℟. Justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Oratio

Excita, Dómine, in Ecclésia tua Spíritum, cui beátus Lauréntius Levíta servívit : ut, eódem nos repléti, studeámus amáre quod amávit, et ópere exercére quod docuit. Per Dóminum... in unitáte ejúsdem.

IN II VESPERIS

℣. Justum dedúxit.

Ad Magnif. Ant. Hic vir despíciens mundum * et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

Et fit Commemoratio sequentis diei infra Octavam et S. Agapiti Mart., ut infra.

Die 18 Augusti

De IV die infra Octav. Assumptionis B. M. V.

Semiduplex 888

Ant. Virgo prudentíssima, quo progréderis, quasi auróra valde rútilans? Fília Sion, tota formósa et suávis es, pulchra ut luna, elécta ut sol.

Si vero hac die faciendum non sit Officium de Octava, dicitur

Ant. Hódie María Virgo cælos ascéndit : gaudéte, quia cum Christo regnat in ætérnum. ℣. Exaltáta et Oratio Famulórum, ut supra.

Pro Com. S. Agapiti Mart. :

Ant. Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit; fundátus enim erat supra firmam petram. ℣. Glória et honóre.

Oratio

Lætétur Ecclésia tua, Deus, beáti Agapíti Mártyris tui confísa suffrágiis : atque, ejus précibus gloriósis, et devóta permáneat, et secúra consístat. Per Dóminum.

In I Nocturno

De Cánticis canticórum

Lectio i Cap. 4, 1-4

Quam pulchra es, amíca mea, quam pulchra es! Oculi tui columbárum, absque eo quod intrínsecus latet. Capílli tui sicut greges caprárum quæ ascendérunt de monte Gálaad. Dentes tui sicut greges tonsárum quæ ascendérunt de lavácro; omnes geméllis fœtíbus, et stérilis non est inter eas. Sicut vitta coccínea lábia tua, et elóquium tuum dulce. Sicut fragmen mali púnici, ita genæ tuæ, absque eo quod intrínsecus latet. Sicut turris David collum tuum, quæ ædificáta est cum propugnáculis : mille clýpei pendent ex ea, omnis armatúra fórtium.

℟. Vidi speciósam sicut colúmbam, ascendéntem désuper rivos aquárum, cujus inæstimábilis odor erat nimis in vestiméntis ejus; * Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum et lília convállium. ℣. Quæ est ista quæ ascéndit per desértum sicut vírgula fumi ex aromátibus myrrhæ et thuris? — Et.

Lectio ii Ibid. 7-15

Tota pulchra es, amíca mea, et mácula non est in te. Veni de Líbano, sponsa mea, veni de Líbano, veni, coronáberis; de cápite Amana, de vértice Sanir et Hermon, de cubílibus leónum, de móntibus pardórum. Vulnerásti cor meum, soror mea, sponsa; vulnerásti cor meum in uno oculórum tuórum et in uno crine colli tui. Quam pulchræ sunt mammæ tuæ, soror mea, sponsa! pulchrióra sunt úbera tua vino, et odor unguentórum tuórum super ómnia arómata.

℟. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, et sicut cypréssus in monte Sion : quasi myrrha elécta, * Dedi suavitátem odóris. ℣. Et sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans. — Dedi.

Lectio iii

Favus distíllans lábia tua, sponsa, mel et lac sub lingua tua; et odor vestimentórum tuórum sicut odor thuris. Hortus conclúsus soror mea sponsa, hortus conclúsus, fons si-

gnátus. Emissiónes tuæ paradísus malórum punicórum cum pomórum frúctibus, cypri cum nardo. Nardus et crocus, fístula et cinnamómum cum univérsis lignis Líbani; myrrha et áloe cum ómnibus primis unguéntis. Fons hortórum, púteus aquárum vivéntium, quæfluunt ímpetu de Líbano.

℟. Quæ est ista quæ procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam fíliæ Sion, et beátam dixérunt, et regínæ laudavérunt eam. ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum et lília convállium. — Vidérunt. Glória Patri. Vidérunt.

In II Nocturno

De Sermóne
sancti Joánnis Damascéni
Oratio 2 de Dormit. Deiparæ, sub finem

Lectio iv

EX antíqua accépimus traditióne, quod, témpore gloriósæ dormitiónis beátæ Vírginis, univérsi quidem sancti Apóstoli, qui orbem terræ ad salútem Géntium peragrábant, moménto témporis in sublíme eláti, convenérunt Jerosólymis. Cumque illic essent, eis vísio appáruit angélica, et audíta est psalmódia cæléstium Potestátum; et sic cum divína glória in manus Dei sanctam trádidit ánimam. Ejus autem corpus, quod Deum ineffábili quadam ratióne suscépit, cum angélica et apostólica hymnódia elátum, in lóculo fuit depósitum Gethsémane; quo in loco Angelórum cantus mansit tres dies contínuos.

℟. Ornátam monílibus fíliam Jerúsalem Dóminus concupívit : * Et vidéntes eam fíliæ Sion, beatíssimam prædicavérunt, dicéntes : Unguéntum effúsum nomen tuum. ℣. Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte. — Et.

Lectio v

POst tres autem dies angélico cantu cessánte, qui áderant Apóstoli (cum unus Thomas, qui abfúerat, post tértium diem venísset, et, quod Deum suscéperat, corpus adoráre voluísset), túmulum aperuérunt; sed omni ex parte sacrum ejus corpus nequáquam invenire potuérunt. Cum ea autem tantum inveníssent, in quibus fúerat compósitum, et ineffábili, qui ex iis proficiscebátur, essent odóre repléti, lóculum clausérunt. Ejus mystérii obstupefácti miráculo, hoc solum cogitáre potuérunt quod, cui plácuit ex María Vírgine carnem súmere et hóminem fíeri et nasci, cum esset Deus Verbum et Dóminus glóriæ, quique post partum incorrúptam servávit ejus virginitátem; eídem étiam plácuit et ipsíus, postquam migrávit, immaculátum corpus, incorrúptum servátum, translatióne honoráre ante commúnem et universálem resurrectiónem.

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes, * Quia fecit mihi Dóminus magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. ℣. Et misericórdia ejus a progénie in progénies timéntibus eum. — Quia.

Lectio vi

ADerant tunc cum Apóstolis sanctíssimus Timótheus, primus epíscopus Ephesiórum, et Dionýsius Areopagíta, sicut ipse testátur in iis quæ de beáto Hierótheo, qui ipse quoque tunc áderat, scripsit ad prædíctum Timótheum, sic dicens : Nam étiam apud ipsos a Deo afflátos Sacrórum antístites, quando nos quoque, ut nosti, et multí ex sanctis nostris frátribus, ad contuéndum corpus, quod vitæ princípium dedit et Deum suscépit, convenissémus (áderat autem et Dómini frater Jacóbus, et Petrus, supréma et antiquíssima theologórum súmmitas), et, viso sacro córpore, plácuit ómnibus, prout quisque póterat, hymnis celebráre infinítam bonitátem divínæ poténtiæ.

℟. Beáta es, Virgo María, quæ Dóminum portásti, Creatórem mundi : * Genuísti qui te fecit, et in ætérnum pérmanes Virgo. ℣. Ave, María, grátia plena; Dóminus tecum. — Genuísti. Glória Patri. Genuísti.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii
secúndum Lucam
Lectio vii Cap. 10, 38-42

IN illo témpore : Intrávit Jesus in quoddam castéllum; et múlier quædam, Martha nómine, excépit illum in domum suam. Et réliqua.

De Homília
sancti Augustíni Epíscopi
Sermo 27 de verbis Domini, paulo ante medium

GEne Martha circa corporálem Dómini, quid dicam, necessitátem an voluntátem? ministrábat carni mortáli. Sed quis erat in carne mortáli? In princípio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum : ecce quod María audiébat. Verbum caro factum est, et habitávit in nobis : ecce Martha cui ministrábat. Ergo María meliórem partem elégit, quæ non auferétur ab ea. Hoc enim elégit, quod semper manébit, ídeo non auferétur ab ea.

℟. Diffúsa est grátia in lábiis tuis : * Propterea benedíxit te Deus in ætérnum. ℣. Myrrha, et gutta, et cásia a vestiméntis tuis, a dómibus ebúrneis, ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo. — Propterea.

Lectio viii

CIrca unum María se vóluit occupári. Jam tenébat : Mihi autem adhærére Deo bonum est. Sedébat ad pedes Cápitis nostri. Quanto humílius sedébat, tanto ámplius capiébat; cónfluit enim aqua ad humilitátem convállis, dénatat de tumóribus collis. Non ergo Dóminus opus reprehéndit, sed munus distínxit. Circa multa es occupáta : porro unum est necessárium. Jam hoc sibi María elégit.

℟. Beáta es, Virgo María, Dei Génitrix, quæ credidísti Dómino : perfécta sunt in te quæ dicta sunt tibi : ecce exaltáta es super choros Angelórum : * Intercéde pro nobis ad Dóminum, Deum nostrum. ℣. Ave, María, grátia plena; Dóminus tecum. — Intercéde. Glória Patri. Intercéde.

Pro S. Agapito Mart.

Lectio ix

AGapítus Prænestínus, quíndecim annos natus, Aureliáno imperatóre, martýrii cupidíssimus, cum propter constántiam religiónis, imperatóris jussu, primum nervis diutíssime cæsus, deínde in tetrum cárcerem conjéctus esset, ut nihil omníno per quátuor dies gustáret, e custódia est edúctus. Et, ardéntibus carbónibus cápiti ejus impósitis, Deo agens grátias, íterum afféctus verbéribus, nudus ita pédibus suspénsus est, ut ingens fumus e subjécto igne os ejus obrúeret. Tum fervens aqua in ejus ventrem effúsa est, maxillæque confráctæ. Quo témpore judex, e tribunáli lapsus, paulo post mórtuus est. Ea re incénso imperatóre, sanctum júvenem jubénte feris óbjici, cum illæ non audérent attíngere, Prænéste gládio percússus est.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes fit Commemoratio S. Agapiti Mart. :

Ant. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

℣. Justus ut palma.

Oratio

LÆtétur Ecclésia tua, Deus, beáti Agapíti Mártyris tui confísa suffrágiis : atque, ejus précibus gloriósis, et devóta permáneat, et secúra consístat. Per Dóminum.

Vesperæ de sequenti, Commemoratio præcedentis.

Die 19 Augusti

S. Joannis Eudes

Confessoris [94] Duplex

℣. Amávit eum Dóminus.

Ad Magnif. Ant. Similábo eum * viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

Oratio

DEus, qui beátum Joánnem, Confessórem tuum, ad cultum Sacrórum Córdium Jesu et Maríæ rite promovéndum, mirabíliter inflammásti, et per eum novas in Ecclésia tua Famílias congregáre voluísti : præsta quæsumus; ut cujus pia mérita venerámur, virtútum quoque instruámur exémplis. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Commemoratio præcedentis diei infra Octavam :

Ant. Hódie María Virgo cælos ascéndit : gaudéte, quia cum Christo regnat in ætérnum.

℣. Exaltáta est sancta Dei Génitrix. ℟. Super choros Angelórum ad cæléstia regna.

Oratio

FAmulórum tuórum, quæsumus Dómine, delíctis ignósce : ut, qui tibi placére de áctibus nostris non valémus; Genitrícis Fílii tui Dómini nostri intercessióne salvémur : Qui tecum vivit.

In II Nocturno

Lectio iv

OAnnes, anno millésimo sexcentésimo primo, in pago vulgo Ri, Sagiénsis diœcésis, e piis honestisque paréntibus ortus est. Adhuc puer, Angelórum pane refóctus, perpétuam castitátem alácriter vovit. In Cadoménse Collégium a Pátribus Societátis Jesu diréctum excéptus, singulári pietáte emícuit; et Maríæ Vírginis tutélæ sese committens, speciále fœdus ínitum cum ea vix adoléscens suo sánguine signávit. Litterárum ac philosophíæ currículo multa cum laude perácto, spretísque sibi oblátis núptiis, Berulliáni Oratórii Congregatióni nomen dedit, et sacerdótio Parísiis auctus est. Mira caritáte erga próximum flagrávit : nam apud plura loca, corpóribus, asiática lue percúlsis, animísque curándis sédulam óperam dedit. Domus Oratoriánæ Cadómi Rector factus, quum diu cogitáret ad Ecclésiæ minístérium júvenes idóneos institúere, a sodálibus, quibúscum vigínti annos vixerat, divína ope imploráta, licet ægre, forti ánimo discéssit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit illi claritátem.

Lectio v

QUinque ígitur sacerdótes sibi consócians, anno millésimo sexcentésimo quadragésimo tértio, die festo Annuntiatiónis Beátæ Maríæ Vírginis, Congregatiónem Presbyterórum instítuit, cui Sanctíssima Jesu et Maríæ nómina dedit et Cadómi primum Seminárium apéruit, quod in Normánnia et Británnia minóri complúra, eódem auctóre, subsecúta sunt. Pro peccatrícibus féminis ad christiánam vitam revocándis, Ordinem Dóminæ Nostræ a Caritáte fundávit; cujus nobilíssimæ árboris ramus est Congregátio Andegavénsis a Bono Pastóre. Insuper Societátem a Matris Dei Corde Admirábili, et ália caritátis ópera cóndidit. Scripta plura præcláre édidit, et Missionárius Apostólicus tot pagos, óppida et urbes ipsámque régiam aulam, usque ad extrémam ætátem, evangelizávit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vi

SInguláre ejus stúdium emícuit in salutári devotióne promovénda erga Sacratissima Corda Jesu et Maríæ, quorum litúrgicum cultum eísdem præstándum non sine áliquo divíno afflátu, primus ómnium excogitávit, ideóque ejúsdem cultus pater, doctor et apóstolus hábitus est. Jansenistárum doctrínis fórtiter resístens, immutátum erga Petri cáthedram obséquium servávit, et pro suis inimícis, tamquam pro frátribus, assídue Deum precátus est. Labóribus, pótius quam annis, fractus, cúpiens dissólvi et esse cum Christo, die décima nona augústi, anno millésimo sexcentésimo octogésimo, suávia Jesu et Maríæ nómina sæpius répetens, plácide exspirávit. Quem plúribus miráculis clarum Pius Papa décimus Beatórum albo adscrípsit, eúmque novis signis fulgéntem Pius Papa undécimus, anno sacro, in domínica Pentecóstes, inter Sanctos rétulit ejúsque Offícium ac Missam ad univérsam Ecclésiam exténdit.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Quia. Glória Patri. Quia.

Pro hoc Festo simplificato

Lectio ix

JOánnes, anno millésimo sexcentésimo primo, in pago vulgo Ri, Sagiénsis diœcésis, ex piis honestísque paréntibus ortus est. Adhuc puer, jam Angelórum pane refóctus, perpétuam castitátem vovit. In scholis, ubi laudabiliter stúdia perégit, mira pietáte enítuit. Beátam Vírginem summópere diléxit, et exímia erga próximum caritáte exársit. Berulliáni Oratórii Congregatióni nomen dedit et sacerdótio Parísiis auctus est. Domus Oratoriánæ Cadómi Rector factus, ab eádem, licet ægre, discéssit, ut ad Ecclésiæ minístérium júvenes idóneos institúeret. Quare quinque sibi adscítis sóciis, Congregatiónem Presbyterórum fundávit, cui Sanctíssima Jesu et Maríæ nómina dedit, et Cadómi primum Seminárium apéruit, quod póstea plura subsecúta sunt. Ut peccatríces mulíeres ad vitam christiánam revocáret, Dóminæ Nostræ a Caritáte Institútum fundávit : cujus nobilíssimæ árboris ramus est Congregátio Andegavénsis a Bono Pastóre. Societátem ab admirábili Corde Matris Dei, et ália caritátis ópera adjécit. Singulári erga Sanctíssima Jesu et Maríæ Corda flagrans amóre, de litúrgico eis cultu præstándo non sine áliquo

divíno afflátu primus cogitávit. Missionárius Apostólicus plúrimos pagos et urbes evangelizávit. Tot labóribus fractus, morti próximus, die décima nona augústi, anno millésimo sexcentésimo octogésimo plácide exspirávit. Quem Pius Papa décimus miráculis clarum, inter Beátos, Pius vero undécimus, anno sacro, die Pentecóstes, inter Sanctos rétulit, ejúsque Offícium ac Missam ad univérsam Eccĺesiam exténdit.

Te Deum laudámus.

In III Nocturno Homilia in Ev. Sint lumbi vestri, de Comm. Conf. non Pont. I loco. [98]

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

Oratio

DEus, qui beátum Joánnem, Confessórem tuum, ad cultum Sacrórum Córdium Jesu et Maríæ rite promovéndum, mirabíliter inflammásti, et per eum novas in Ecclésia tua Famílias congregáre voluísti : præsta quæsumus; ut cujus pia mérita veneramur, virtútum quoque instruámur exémplis. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Com. Octavæ :

Ant. Quæ est ista, quæ ascéndit sicut auróra consúrgens, pulchra ut luna, elécta ut sol, terríbilis ut castrórum ácies ordináta?

℣. Exaltáta est sancta Dei Génitrix. ℟. Super choros Angelórum ad cæléstia regna.

Oratio

FAmulórum tuórum, quæsumus Dómine, delíctis ignósce : ut, qui tibi placére de áctibus nostris non valémus; Genitrícis Fílii tui Dómini nostri intercessióne salvémur : Qui tecum vivit.

Vesperæ a Capitulo de seq., Com. præced. et Octavæ.

Die 20 Augusti

S. Bernardi

Abbatis

et Eccl. Doctoris [94]

Duplex

℣. Amávit eum Dóminus.

Ad Magnif. Ant. O Doctor óptime, * Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Bernárde, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Filium Dei.

Oratio C 3

DEus, qui pópulo tuo ætérnæ salútis beátum Bernárdum minístrum tribuísti : præsta, quæsumus; ut, quem Doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cælis. Per Dóminum.

Et fit Com. præcedentis :

Ant. Hic vir, despíciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit.

Oratio

DEus, qui beátum Joánnem, Confessórem tuum, ad cultum Sacrórum Córdium Jesu et Maríæ rite promovéndum, mirabíliter inflammásti, et per eum novas in Ecclésia tua Famílias congregáre voluísti : præsta quæsumus; ut cujus pia mérita veneramur, virtútum quoque instruámur exémplis. Per eúmdem Dóminum.

Deinde Commem. Octavæ :

Ant. Hódie Maria Virgo cælos ascéndit : gaudéte, quia cum Christo regnat in ætérnum.

℣. Exaltáta est sancta Dei Génitrix. ℟. Super choros Angelórum ad cæléstia regna.

Oratio

FAmulórum tuórum, quæsumus Dómine, delíctis ignósce : ut, qui tibi placére de áctibus nostris non valémus; Genitrícis Fílii tui Dómini nostri intercessióne salvémur : Qui tecum vivit.

In I Nocturno, si sumendæ sint de Communi, Lectiones Sapiéntiam. [87]

In II Nocturno

Lectio iv

GErnárdus, Fontánis in Burgúndia honésto loco natus, adoléscens propter egrégiam formam veheménter sollicitátus a muliéribus, numquam de sententia colendæ castitátis dimovéri pótuit. Quas diáboli tentatiónes ut effúgeret, duos et vigínti annos natus, monastérium Cisterciénse, unde hic ordo incépit et quod tum sanctitáte florébat, íngredi constituit. Quo Bernárdi consílio cógnito, fratres summópere conáti sunt eum a propósito deterrére. In quo ipse eloquéntior ac felicior fuit; nam sic eos aliósque multos in suam perdúxit sententiam, ut cum eo trigínta júvenes eámdem religiónem suscéperint. Mónachus, jejúnio ita déditus

erat, ut quóties suméndus esset cibus, tóties torméntum subíre viderétur. In vigíliis étiam et oratiónibus mirífice se exercébat; et, christiánam paupertátem colens, quasi cæléstem vitam agébat in terris, ab omni caducárum rerum cura et cupiditáte aliénam.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et.

Lectio v

ELucébat in eo humilitas, misericórdia, benígnitas. Contemplatióni autem sic addíctus erat, ut vix sénsibus, nisi ad offícia pietátis, uterétur : in quibus tamen prudéntiæ laude excellébat. Quo in stúdio occupátus, Genuénsem ac Mediolanénsem aliósque episcopátus oblátos recusávit, profésus se tanti offícii múnere indígnum esse. Abbas factus Claravallénsis, multis in locis ædificávit monastéria, in quibus præclára Bernárdi institútio ac disciplína diu víguit. Romæ sanctórum Vincéntii et Anastásii monastério, ab Innocéntio secúndo Papa restitúto, præfécit abbátem illum, qui póstea Eugénius tértius summus Póntifex fuit; ad quem étiam librum misit de Consideratióne.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et ad portas.

Lectio vi

MUlta prætérea scripsit, in quibus appáret eum doctrína pótius divínitus tráditа quam labóre comparáta instrúctum fuísse. In summa virtútum laude exorátus a máximis princípibus de eórum componéndis controvérsiis et de ecclesiásticis rebus constituéndis, sæpius in Itáliam venit. Innocéntium item secúndum Pontíficem máximum in confutándo schísmate Petri Leónis, cum apud imperatórem et Henrícum Angliæ regem, tum in concílio Pisis coácto, egrégie adjúvit. Dénique, tres et sexagínta annos natus, obdormívit in Dómino, ac, miráculis illústris, ab Alexándro tértio Papa inter Sanctos relátus est. Pius vero octávus Póntifex má-

ximus, ex sacrórum Rítuum Congregatiónis consílio, sanctum Bernárdum universális Ecclésiæ Doctórem declarávit et confirmávit, nec non Missam et Offícium de Doctóribus ab ómnibus recitári jussit, atque indulgéntias plenárias quotánnis in perpétuum órdinis Cisterciénsium ecclésias visitántibus die hujus Sancti festo concéssit.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Quia. Glória Patri. Quia.

Pro hoc Festo simplificato

Lectio ix

BErnárdus, Fontánis in Burgúndia honésto loco natus, usque a puerítia castitátem diligentíssime cóluit. Ætáte duórum et viginti annórum, monastérium Cisterciénse, unde hujus nóminis ordo incépit, ingréssus, fratres quoque suos aliósque multos addúxit ad eámdem religiónem suscipiéndam. In vigíliis et oratiónibus mirífice se exercébat. Elucébat in eo humílitas, misericórdia, benígnitas, prudéntia, et assíduum cæléstia meditándi stúdium. Factus abbas Claravallénsis, multis in locis ædificávit monastéria, ubi præclára ejus institútio ac disciplína diu víguit. Multa prætérea scripsit, in quibus appáret, eum doctrina pótius divínitus tráditа quam labóre comparáta instrúctum fuísse. Exorátus a magnis princípibus de eórum componéndis controvérsiis et de ecclesiásticis rebus constituéndis, sæpius in Itáliam venit. Innocéntium secúndum Pontíficem máximum in confutándo schismate Petri Leónis egrégie adjúvit. Tres et sexagínta annos natus, óptime de Ecclésia méritus, obdormívit in Dómino.

Te Deum laudámus.

In III Nocturno Homilia in Ev. Vos estis sal terræ, de Comm. Doctorum I loco. [90]

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

Oratio C 3

DEus, qui pópulo tuo ætérnæ salútis beátum Bernárdum minístrum tribuísti : præsta quæsumus, ut quem Doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cælis. Per Dóminum.

Et fit Commem. Octavæ :

Ant. Quæ est ista quæ ascéndit sicut auróra consúrgens, pulchra ut luna, elécta ut sol, terríbilis ut castrórum ácies ordináta? ℣. Exaltáta est sancta Dei Génitrix. ℟. Super choros Angelórum ad cæléstia regna.

Oratio

FAmulórum tuórum, quæsumus, Dómine, delíctis ignósce : ut, qui tibi placére de áctibus nostris non valémus; Genitrícis Fílii tui Dómini nostri intercessióne salvémur : Qui tecum vivit.

Vesperæ a Capitulo de sequenti, Commemoratio præcedentis et Octavæ.

Die 21 Augusti

S. Joannæ Franciscæ Frémiot de Chantal

Viduæ [130] Duplex

℣. Spécie tua et.

Ad Magnif. Ant. Símile est regnum cælórum * hómini negotiatóri quærénti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

Oratio

OMnípotens et miséricors Deus, qui beátam Joánnam Franciscam tuo amóre succénsam, admirábili spíritus fortitúdine per omnes vitæ sémitas in via perfectiónis donásti, quique per illam illustráre Ecclésiam tuam nova prole voluísti : ejus méritis et précibus concéde; ut, qui infirmitátis nostræ cónscii de tua virtúte confídimus, cæléstis grátiæ auxílio cuncta nobis adversántia vincámus. Per Dóminum.

Et fit Com. præcedentis :

Ant. O Doctor óptime, Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Bernárde, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

℣. Justum dedúxit.

Oratio Deus, qui pópulo, ut supra.

Deinde Commem. Octavæ :

Ant. Hódie María Virgo cælos ascéndit : gaudéte, quia cum Christo regnat in ætérnum.

℣. Exaltáta est sancta Dei Génitrix. ℟. Super choros Angelórum ad cæléstia regna.

Oratio Famulórum, ut supra.

In II Nocturno

Lectio iv

JOánna Francisca Frémiot de Chantal, Divióne in Burgúndia claríssimis orta natálibus, ab ineúnte ætáte exímiæ sanctitátis non obscúras édidit significatiónes. Eam enim, vix quinquénnem, nóbilem quemdam Calvinístam sólida supra ætátem argumentatióne perstrinxísse ferunt, collatúmque ab eo munúsculum flammis íllico tradidísse, in hac verba : En quómodo hæréticі apud inferos comburéntur, qui loquénti Christo fidem detréctant. Matre orbáta, Deíparæ Vírginis tutélæ se commendávit, et fámulam, quæ ad mundi amórem eam alliciébat, ab se rejécit. Nihil pueríle in móribus éxprimens, a sæculi delíciis abhórrens martyriúmque anhélans, religióni ac pietáti impénse studébat. Baróni de Chantal núptui a patre tráditа, virtútibus ómnibus excoléndis óperam dedit; líberos, fámulos, aliósque sibi subjéctos in fídei doctrína bonísque móribus imbúere sátagens. Profúsa liberalitáte páuperum inópiam sublevábat, annóna divínitus non raro multiplicáta; quo factum est, ut némini se umquam, Christi nómine rogánti stipem, abnegatúram spopónderit.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. — Et.

Lectio v

VIro in venatióne intérmpto, perfectióris vitæ consílium íniens, continéntiæ voto se obstrínxit. Viri necem non solum æquo ánimo tulit, sed, in públicum indúltæ véniæ testimónium, occisóris fílium e sacro fonte suscípere sui victrix elégit. Módica familia, ténui victu atque vestítu conténta, pretiósas vestes in pios usus convértit. Quidquid a domésticis curis supérerat témporis, précibus, piis lectiónibus laboríque impendébat. Numquam addúci pótuit ut álteras núptias, quamvis útiles et honoríficas, iníret. Ne autem a propósito castimóniæ observándæ in pósterum dimoverétur, illíus voto innováto, sanctíssimum Jesu Christi nomen candénti ferro péctori inscúlpsit. Ardéntius in dies caritáte fervéscens, páuperes, derelíctos, ægros, teterrimísque morbis infé-

ctos ad se adducéndos curábat : eósque non hospítio tantum excipiébat, solabátur, fovébat; verum étiam sórdidas eorúmdem vestes depurgábat, láceras reficiébat, et manántibus fœtido pure ulcéribus lábia admovére non exhorrébat.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea.

Lectio vi

A Sancto Francísco Salésio, quo spíritus moderatóre usa fuit, divínam voluntátem edócta, próprium paréntem, sócerum, fílium dénique ipsum, quem étiam vocatióni obsisténtem, sua e domo egrédiens, pédibus calcáre non dubitávit, invícta constántia deséruit, et sacri institúti Visitatiónis sanctæ Maríæ fundaménta jecit. Ejus institúti leges integérrime custodívit, et ádeo paupertátis fuit amans, ut vel necessária sibi deésse gaudéret. Christiánæ vero ánimi demissiónis et obediéntiæ, virtútum dénique ómnium perfectíssimum exémplar se præbuit. Altióres in corde suo ascensiónes dispónens, arduíssimo efficiéndi semper id, quod perféctius esse intellígeret, voto se obstrínxit. Dénique, sacro Visitatiónis institúto ejus potíssimum ópera longe latéque diffúso, verbo, exémplo et scriptis étiam, divína sapiéntia refértis, ad pietátem et caritátem soróribus excitátis, méritis referta, et sacraméntis rite suscéptis, Molínis, anno millésimo sexcentésimo quadragésimo primo, die décima tértia Decémbris, migrávit ad Dóminum; ejúsque ánimam, occurrénte sancto Francísco Salésio, in cælos deférri sanctus Vincéntius a Paulo procul distans aspéxit. Ejus corpus póstea Annécium translátum fuit; eámque, miráculis ante et post óbitum claram, Benedíctus décimus quartus Beatórum, Clemens vero décimus tértius, Póntifex máximus, albo Sanctórum adjécit. Festum autem ejúsdem die duodécimo Kaléndas Septémbris ab univérsa Ecclésia Clemens décimus quartus, Póntifex máximus, celebrári præcépit.

℟. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo : * Múlier timens Deum, ipsa laudábitur. ℣. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus. — Múlier timens Deum, ipsa laudábitur. Glória Patri. Múlier.

Pro hoc Festo simplificato

Lectio ix

Joánna Francisca Frémiot de Chantal, Divióne in Burgúndia claríssimis orta natálibus, adhuc puélla, matre orbáta, Deíparæ Vírginis tutélæ se commendávit. Baróni de Chantal núptui a patre trádita, mulíerem fortem appríme réferens, ómnibus ómnia facta est. Viro in venatióne interémpto, continéntiæ voto se obstrínxit, et sui victrix, occisóris fílium e sacro fonte suscípere non dubitávit. Ne autem a propósito castimóniæ observándæ in pósterum dimoverétur, voto innováto, sanctíssimum Jesu Christi nomen candénti ferro suo péctori inscúlpsit. A sancto Francísco Salésio, quo spíritus moderatóre usa fuit, divínam voluntátem edócta, sacri institúti Visitatiónis sanctæ Maríæ fundaménta jecit, quod longe latéque diffúdit. Cum dénique voto se obstrinxísset efficiéndi semper quod perféctius esse intellígeret, méritis referta, Molínis migrávit ad Dóminum, anno millésimo sexcentésimo quadragésimo primo, die décima tértia Decémbris, et a Cleménte décimo tértio albo Sanctórum adjécta est.

Te Deum laudámus.

In III Nocturno Homilia in Ev. Símile est regnum cælórum, de Communi non Vírginum. [134]

AD LAUDES

℣. Diffúsa est.

Ad Bened. Ant. Date ei * de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus.

Oratio

Omnípotens et miséricors Deus, qui beátam Joánnam Francíscam tuo amóre succénsam admirábili spíritus fortitúdine per omnes vitæ sémitas in via perfectiónis donásti, quique per illam illustráre Ecclésiam tuam nova prole voluísti : ejus méritis et précibus concéde; ut qui infirmitátis nostræ cónscii de tua virtúte confídimus, cæléstis grátiæ auxílio cuncta nobis adversántia vincámus. Per Dóminum.

Et fit Commem. Octavæ :

Ant. Quæ est ista quæ ascéndit sicut auróra consúrgens, pulchra ut luna, elécta ut sol, terríbilis ut castrórum ácies ordináta?

℣. Exaltáta est sancta Dei Génitrix. ℟. Super choros Angelórum ad cæléstia regna.

Oratio

Famulórum tuórum, quæsumus, Dómine, delíctis ignósce : ut, qui tibi placére de áctibus nostris non valémus; Genitrícis Fílii tui Dómini nostri intercessióne salvémur : Qui tecum vivit.

Vesperæ de sequenti, Com. præcedentis ac Ss. Timothei, Hippolyti Ep. et Symphoriani Mm.

Die 22 Augusti

In Octava Assumptionis B. M. V.

Duplex majus 887

℣. Exaltáta est, ut supra.

Ad Magnif. Ant. Virgo prudentíssima, * quo progréderis, quasi auróra valde rútilans? Fília Sion, tota formósa et suávis es, pulchra ut luna, elécta ut sol.

Oratio Famulórum, ut supra.

Et fit Com. præcedentis :

Ant. Manum suam apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem, et panem otiósa non comédit.

℣. Diffúsa est grátia.

Oratio Omnípotens, ut supra. 918

Pro Ss. Timotheo, Hippolyto Ep. et Symphoriano Mm. :

Ant. Istórum est enim regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad prǽmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Lætámini in Dómino.

Oratio

Auxílium tuum nobis, Dómine, quæsumus, placátus impénde : et, intercedéntibus beátis Martýribus tuis Timótheo, Hippólyto et Symphoriáno, dexteram super nos tuæ propitiatiónis exténde. Per Dóminum.

In I Nocturno

De Cánticis canticórum

Lectio i Cap. 8, 5-14

QUÆ est ista, quæ ascéndit de desérto, delíciis áffluens, innixa super diléctum suum? Sub árbore malo suscitávi te, ibi corrúpta est mater tua, ibi violáta est génitrix tua. Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super brachium tuum; quia fortis est ut mors diléctio, dura sicut infernus æmulátio; lámpades ejus lámpades ignis atque flammárum.

℟. Vidi speciósam sicut colúmbam, ascendéntem désuper rivos aquárum,

Die 22 Augusti

FESTUM IMMACULATI CORDIS B. MARIAE VIRGINIS

Duplex II classis

Omnia de Comm. Festorum B. M. V., præter ea quæ hic habentur propria.

¶ De die Octava Assumptionis B. Mariæ V. nihil fit in Officio Immaculati Cordis. Sicubi tamen hac die celebretur aliquod Festum duplex I vel II classis, quod non sit B. Mariæ Virg., de ipsa die Octava fit Commemoratio, juxta Rubricas.

In I Vesperis

℣. Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta. ℟. Da mihi virtútem contra hostes tuos.

Ad Magnif. Ant. Exsultávit cor meum * in Dómino, et exaltátum est cornu meum in Deo meo, quia lætáta sum in salutári tuo.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui in Corde beátæ Maríæ Vírginis dignum Spíritus Sancti habitáculum præparásti: concéde propítius; ut ejúsdem immaculáti Cordis festivitátem devóta mente recoléntes, secúndum cor tuum vívere valeámus. Per Dóminum . . . in unitáte ejúsdem.

Et fit Commemoratio tantum præcedentis:

Ant. Manum suam apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem, et panem otiósa non comédit.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio

Omnípotens et miséricors Deus, qui beátam Joánnam Francíscam tuo amóre succénsam, admirábili spíritus fortitúdine per omnes vitæ sémitas in via perfectiónis donásti, quique per illam illustráre Ecclésiam tuam nova prole voluísti: ejus méritis et précibus concéde; ut, qui infirmitátis nostræ cónscii de tua virtúte confídimus, cæléstis grátiæ auxílio cuncta nobis adversántia vincámus. Per Dóminum.

IN II NOCTURNO

Sermo sancti Bernardíni Senénsis

Sermo 9 de Visitatione

Lectio iv

Quis mortálium, nisi divíno tutus oráculo, de vera Dei et hóminis Genitríce quidquam módicum, sive grande præsúmat incircumcísis, immo pollútis lábiis nomináre, quam Pater ante sæcula Deus perpétuam prædestinávit in Vírginem, dignissimam Fílius elégit in Matrem, Spíritus Sanctus omnis grátiæ domicilium præparávit? Quibus verbis ego homúnculus sensus

2501 Suppl. Brev. Rom.
Benziger Brothers, Inc., U. S. A. Liturgical Editions.
Made in U. S. A.

altíssimos virgínei Cordis sanctíssimo ore prolátos éfferam, quibus non súfficit lingua ómnium Angelórum? Dóminus enim ait: Bonus homo de bono thesáuro cordis profert bona; quod verbum potest étiam esse thesáurus. Quis inter puros hómines mélior homo potest excogitári, quam illa, quæ méruit éffici Mater Dei, quæ novem ménsibus in corde et in útero suo ipsum Deum hospitáta est? Quis thesáurus mélior, quam ipse divínus amor, quo fornáceum Cor Vírginis ardens erat?

℟. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, et sicut cypréssus in monte Sion: quasi myrrha elécta, * Dedi suavitátem odóris. ℣. Et sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans. Dedi.

Lectio v

De hoc ígitur Corde quasi de fornáce divíni ardóris Virgo beáta prótulit verba bona, id est, verba ardentíssimæ caritátis. Sicut enim a vase summo et óptimo vino pleno non potest exíre nisi óptimum vinum; aut sicut a fornáce summi ardóris non egréditur nisi incéndium fervens; sic quippe a Christi Matre exíre non pótuit verbum, nisi summi summéque divíni amóris atque ardóris. Sapiéntis quoque dóminæ et matrónæ est pauca verba, sólida tamen atque sententiósa habére; proínde septem vícibus quasi septem verba tantum miræ senténtiæ et virtútis a Christi benedictíssima Matre legúntur dicta, ut mýstice ostendátur ipsam fuísse plenam grátia septifórmi. Cum Angelo bis tantúmmodo est locúta. Cum Elísabeth bis étiam. Cum Fílio étiam bis, semel in templo, secúndo in núptiis. Cum minístris semel. Et in his ómnibus semper valde parum locúta est; excépto quod in laude Dei et gratiárum actióne se ámplius dilatávit, scílicet, quum ait: Magníficat ánima mea Dóminum. Ubi non cum hómine, sed cum Deo locúta fuit. Hæc septem verba secúndum septem amóris procéssus et actus sub miro gradu et órdine sunt proláta; quasi sint septem flammæ fornácei Cordis ejus..

℟. Quæ est ista quæ procéssit sicut sol, et tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam fíliæ Sion, et beátam dixérunt, et regínæ laudavérunt eam. ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum et lília convállium. Vidérunt.

Lectio vi

Ex ecclesiasticis documentis

Cultum litúrgicum, quo Cordi Immaculáto Vírginis Maríæ débitus tribúitur honor, cuíque plures viri sancti ac mulíeres viam parárunt, ipsa Apostólica Sedes primum approbávit ineúnte sæculo undevicésimo, cum Pius Papa séptimus festum Puríssimi Cordis Maríæ Vírginis instítuit, ab ómnibus diœcésibus et religiósis famíliis, quæ id petíssent,

pie sanctéque agéndum: quod póstmodum Pius Papa nonus Offício ac Missa própria auxit. Ardens autem stúdium atque optátum, jam sæculo décimo séptimo exórtum et in dies invaléscens, ut nempe ejúsmodi Festum, majóri solemnitáte donátum, totíus Ecclésiæ commúne efficerétur, Summus Póntifex Pius duodécimus benígne excípiens, anno millésimo nongentésimo quadragésimo secúndo, bello atrocíssimo per orbem fere totum ingravescénte, infinítas populórum ærúmnas míserans, pro sua in Matrem cæléstem pietáte ac fidúcia genus hóminum univérsum illíus Cordi benignissimo obsecratióne solémni enixe commendávit, atque in honórem ejúsdem Immaculáti Cordis Festum cum Offício et Missa própriis in perpétuum ubíque celebrándum indíxit.

℟. Ornátam monílibus fíliam Jerúsalem Dóminus concupívit: * Et vidéntes eam fíliæ Sion, beatíssimam prædicavérunt, dicéntes: * Unguéntum effúsum nomen tuum. ℣. Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte. Et. Glória Patri. Unguéntum.

IN III NOCTURNO

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem

Lectio vii Cap. 19,25-27

In illo témpore: Stabant juxta crucem Jesu Mater ejus, et soror Matris ejus María Cléophæ, et María Magdaléne. Et réliqua.

Homília sancti Robérti Bellarmíno Epíscopi

De septem verbis Christi in Cruce, cap. 12

Onus et jugum impósitum a Dómino sancto Joánni, ut Vírginis Matris curam géreret, vere fuit jugum suáve et onus leve. Quis enim non libentíssime cohabitáret Matri illi, quæ Verbum incarnátum in útero novem ménsibus portávit, et illi totos trigínta annos devotíssime dulcissiméque cohabitávit? Quis non invídeat dilécto Dómini, qui in abséntia Fílii Dei præséntiam obtínuit Matris Dei? Sed, nisi fallor, póssumus et nos a benignitáte Verbi, nostri causa incarnáti et ex dilectióne nímia nostri causa crucifíxi, précibus impetráre, ut dicat et nobis: Ecce Mater tua; et Matri suæ de nobis dicat: Ecce fílius tuus.

℟. Felix namque es, sacra Virgo María, et omni laude digníssima: * Quia ex te ortus est sol justitiæ, Christus Deus noster. ℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam festivitátem. Quia.

Lectio viii

Non est avárus pius Dóminus gratiárum, dúmmodo ad thronum grátiæ ejus cum fide et fidúcia et non ficto corde, sed vero et sincéro accedámus. Qui nos coherédes esse vóluit regni Patris sui, non dedignábitur certe nos coherédes habére amóris Matris suæ. Sed nec ipsa Virgo benigníssima gravábitur multitúdine filiórum, cum sinum amplíssimum hábeat et valde cúpiat, nullum períre ex his, quos Fílius suus tam pretióso sánguine et tam pretiósa morte redémit. Adeámus ergo cum fidúcia ad thronum grátiæ Christi, et supplíciter nec sine lácrimis ab eo petámus, ut de unoquóque nostrum Matri suæ dicat: Ecce fílius tuus; et unicuíque nostrum de Matre sua dicat: Ecce Mater tua.

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes: * Quia fecit mihi Dóminus magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. ℣. Et misericórdia ejus a progénie in progénies timéntibus eum. Quia. Glória Patri. Quia.

Si hodie fuerit Sabbatum, Lectio ix dicitur de Homilia Vigiliæ anticipatæ S. Bartholomæi Ap., et fit ejus Commemoratio ad Laudes, ut die sequenti notatur; secus

Pro Ss. Timotheo, Hippolyto et Symphoriano Mm.:

Lectio ix

Timótheus Antiochénus, Romam véniens Melchíade summo Pontífice, cum per annum ibi Christi fidem prædicásset, a Tarquínio Urbis præfécto conjícitur in víncula; et, post diutúrnas cárceris ærúmnas, ad idóla perdúcitur, ut eis sacrificet. Quam impietátem summa libertáte detestátus, acerbíssime cæditur, et excarnificátum corpus viva calce perfúnditur. In quibus aliísque supplíciis constans Martyr, cápitepléctitur. Corpus via Ostiénsi prope sepúlcrum beáti Pauli Apóstoli sepelítur. Quo die étiam Alexándro imperatóre, apud Ostia Tiberína Hippólytus, epíscopus Portuénsis, ob præcláram fídei confessiónem mánibus pedibúsque ligátis, in altam fóveam aquis plenam præcipitátus, martýrio coronátus est, et ibídem a Christiánis sepúltus. Quo item die, Aureliáno imperatóre, propter eámdem fidem, Augustodúni, Symphoriánus adoléscens várie tortus est. Qui, dum ad últimum supplícium ducerétur, matrem ita clamántem áudiens: Nate, nate, meménto ætérnæ vitæ, cælum súspice, et ibi regnántem intuére; tibi enim vita non erípitur, sed mutátur in mélius; fórtiter Jesu Christi causa carnífici collum præbuit.

Te Deum laudámus.

Si autem ix Lectio alicujus Officii commemorati non sit dicenda, erit sequens

Lectio ix

Quam bene nobis erit sub præsídio tantæ Matris? Quis nos detráhere audébit de sinu ejus? Quæ nos tentátio superáre póterit, confidéntes in patrocínio Matris Dei et nostræ? Neque nos primi érimus in tanti consecutióne benefícii. Multi nos præcessérunt; multi, inquam, ad singuláre et plane matérnum patrocí-

nium tantæ Vírginis accessérunt, et nemo confúsus aut tristis dimissus est, sed omnes hílares et gaudéntes, freti patrocínio tantæ Matris. De qua enim scriptum est: Ipsa cónteret caput tuum, in ea confídunt, se quoque fidénter ambulatúros super áspidem et basilíscum, et conculcatúros leónem et dracónem. Neque enim vidétur posse períre is, de quo dictum sit Vírgini a Christo: Ecce fílius tuus, dúmmodo et ipse non surda aure áudiat, quod ei Christus dixerit: Ecce Mater tua.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Bened. Ant. O beáta Virgo * Maria: tu grátiæ Mater, tu spes mundi, exáudi nos fílios tuos clamántes ad te.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui in Corde beátæ Maríæ Vírginis dignum Spíritus Sancti habitáculumpræparásti: concéde propítius; ut ejúsdem immaculáti Cordis festivitátem devóta mente recoléntes, secúndum cor tuum vívere valeámus. Per Dóminum . . . in unitáte ejúsdem.

Pro Com. Ss. Martyrum:

Ant. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt: nolíte tímere: multis passéribus melióres estis vos.

℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Oratio

Auxílium tuum nobis, Dómine, quæsumus, placátus impénde: et, intercedéntibus beátis Martýribus tuis Timótheo, Hippólyto et Symphoriáno, déxteram super nos tuæ propitiatiónis exténde. Per Dóminum.

In II Vesperis

℣. Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta. ℟. Da mihi virtútem contra hostes tuos.

Ad Magnif. Ant. Exsultávit cor meum * in Domino, et exaltátum est cornu meum in Deo meo, quia lætáta sum in salutári tuo.

Et fit Commemoratio sequentis:

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

Deus, qui per beátum Philíppum, Confessórem tuum, exímium nobis humilitátis exémplum tribuísti: da fámulis tuis próspera mundi ex ejus imitatióne despícere, et cæléstia semper inquírere. Per Dóminum.

Complet. de Dominica.

MUTATIONES IN BREVIARIO ROMANO FACIENDÆ

Introducto festo Immaculati Cordis B. Mariæ Virginis die 22 Augusti, loco diei Octavæ Assumptionis ejusdem Beatæ Mariæ Virginis, Rubricæ quæ suis locis in Breviario Romano pro Octava Assumptionis inveniuntur, ita reformandæ sunt:

In Breviario Romano, die 15 Augusti in Rubrica ad finem Officii: "Infra Octavam et in die Octava Antiphonæ et Psalmi etc. . . ." deleantur verba: *et in die Octava.*

Die 21 Augusti in Rubrica posita pro Vesperis omittatur Commemoratio Ss. Timothei, Hippolyti et Symphoriani Martyrum.

Die 22 Augusti in festo Immaculati Cordis B. M. V. ponatur hæc Rubrica:

De die Octava Assumptionis B. Mariæ V. nihil fit in Officio Immaculati Cordis. Sicubi tamen hac die celebretur aliquod festum duplex I vel II classis, quod non sit B. Mariæ Virg., de ipsa die Octava fit commemoratio, juxta Rubricas.

Ex Secretaria S. Rituum Congregationis, die 4 Maji 1944.

A. Carinci, *Secretarius.*

URBIS ET ORBIS

Cultus liturgicus erga Cor Beatæ Mariæ Virginis, cujus remota vestigia præbent commentarii Patrum de Sponsa Cantici Canticorum, cuique plures mediæ et recentioris ætatis viri sancti ac mulieres proxime viam pararunt, ab ipsa Sede Apostolica primum approbatus est ineunte sæculo undevicesimo, cum Pius Papa septimus Festum Purissimi Cordis Mariæ instituit, ab omnibus diœcesibus et religiosis familiis, quæ ejus celebrationis facultatem petiissent, die Dominica post Octavam Assumptionis pie sancteque agendum. Medio autem eodem sæculo Festum Purissimi Cordis Beatæ Mariæ Virginis, quod in annos latius per orbem catholicum propagabatur, jussu Pii noni ac Sacræ Congregationis Rituum cura, proprio Officio propriaque Missa auctum est. Hoc porro cultu Ecclesia Cordi Immaculato Beatæ Mariæ Virginis debitum honorem tribuit, cum sub hujus Cordis symbolo Dei Genitricis eximiam singularemque animæ sanctitatem, præsertim vero ardentissimum erga Deum ac Jesum Filium suum amorem, maternamque erga homines divino Sanguine redemptos pietatem devotissime veneratur. Invalescebat interea in animis, Pastorum pariter ac fidelium, ardens studium atque optatum, ut Festum Purissimi Cordis Beatæ Mariæ Virginis, totius Ecclesiæ commune efficeretur. Quare, Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa duodecimus, gravissimas miseratus ærumnas, quibus christiani populi ob ingruens immane bellum affliguntur, universam sanctam Ecclesiam totumque genus humanum, quod olim Leo Papa tertius decimus Cordi Jesu sacratissimo devoverat, Cordi quoque Immaculato Beatæ Virginis et Matris anno millesimo nongentesimo quadragesimo secundo, die Immaculatæ ejus Conceptioni sacro, in perpetuum dicavit. Ut autem ejusdem consecrationis memoria servaretur, Festum Immaculati Cordis Beatæ Mariæ Virginis cum Officio et Missa propria, die 22 Augusti, loco diei Octavæ Assump-

tionis ejusdem Beatæ Mariæ Virginis, sub ritu duplici secundæ classis quotannis celebrandum, ad universam Ecclesiam extendere decrevit: ut, opitulante Beata Dei Genitrice, cunctis gentibus pax, Christi Ecclesiæ libertas præstaretur, peccatores vero, propriis reatibus expediti, omnes denique fideles in puritatis dilectione virtutumque exercitio solidarentur. Hisce itaque Beatissimi Patris mandatis obsecundans, infrascriptus Carolus Cardinalis Salotti, Episcopus Prænestinus, et Sacræ Rituum Congregationis Præfectus, in Audientia diei 10 Decembris 1943, confectum schema Officii proprii ac Missæ Immaculati Cordis Beatæ Mariæ Virginis eidem Sanctissimo Domino Nostro obtulit. Sanctitas porro Sua exhibitum schema approbavit et illud in universali Ecclesia adhibendum mandavit in Festo Immaculati Cordis Beatæ Mariæ Virginis, prouti in superiori prostat exemplari. Servatis de cetero Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 4 Maji 1944.

✠ C. Card. Salotti, Ep. Præn., *Præfectus*

L. ✠ S.

A. Carinci, *Secretarius.*

Concordat cum originali adprobato.

Imprimatur
Novi Eboraci, die 16 Julii 1945
✠ FRANCISCUS JOSEPHUS
Archiepiscopus Neo-Ebor.

cujus inæstimábilis odor erat nimis in vestiméntis ejus; * Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum et lília convállium. ℣. Quæ est ista quæ ascéndit per desértum sicut vírgula fumi ex aromátibus myrrhæ et thuris? — Et.

Lectio ii

AQuæ multæ non potuérunt exstínguere caritátem, nec flúmina óbruent illam. Si déderit homo omnem substántiam domus suæ pro dilectióne, quasi nihil despíciet eam. Soror nostra parva et úbera non habet; quid faciémus soróri nostræ in die quando alloquénda est? Si murus est, ædificémus super eum propugnácula argéntea; si óstium est, compingámus illud tábulis cédrinis.

℟. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, et sicut cypréssus in monte Sion : quasi myrrha elécta, * Dedi suavitátem odóris. ℣. Et sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans. — Dedi.

Lectio iii

EGO murus, et úbera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem repériens. Vínea fuit pacífico in ea quæ habet pópulos; trádidit eam custódibus; vir affert pro fructu ejus mille argénteos. Vínea mea coram me est. Mille tui pacífici, et ducénti his qui custódiunt fructus ejus. Quæ hábitas in hortis, amíci auscúltant. Fac me audíre vocem tuam. Fuge, dilécte mi, et assimiláre cápreæ hinnulóque cervórum super montes arómatum.

℟. Quæ est ista quæ procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam fíliæ Sion, et beátam dixérunt, et regínæ laudavérunt eam. ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum et lília convállium. — Vidérunt. Glória Patri. Vidérunt.

In II Nocturno

Sermo sancti Bernárdi Abbátis

Sermo 4 de Assumpt. B. M. V. circa medium

Lectio iv

NON est équidem quod me magis delléctet, sed nec est quod térreat magis, quam de glória Vírginis Maríæ habére sermónem. Ecce enim, si in ea laudávero virginitátem, mihi multæ vírgines post eam vidéntur offérri. Si humilitátem prædicávero, inveniéntur forte vel pauci, qui, docénte Fílio ejus, mites fa-

cti sunt et húmiles corde. Si magnificáre volúero misericórdiæ ejus multitúdinem, sunt áliqui misericórdiæ viri, étiam et mulíeres. Unum est in quo nec primam símilem visa est, nec habére sequéntem, gáudia matris habens cum virginitátis honóre. Maríæ privilégium est, non dábitur álteri : singuláre est, sed contínuo étiam indicíbile invenítur.

℟. Ornátam monílibus filiam Jerúsalem Dóminus concupívit : * Et vidéntes eam fíliæ Sion, beatíssimam prædicavérunt, dicéntes : Unguéntum effúsum nomen tuum. ℣. Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte. — Et.

Lectio v

VErúmtamen, non hoc tantum, si diligénter atténdas, sed céteras quoque virtútes singuláres prorsus invénies in Maria, quæ videbántur esse commúnes. Quæ enim vel angélica púritas virginitáti illi áudeat comparári, quæ digna fuit Spíritus Sancti sacrárium fieri et habitáculum Fílii Dei? Quanta vero et quam pretiósa humilitátis virtus cum tanta puritáte, cum innocéntia tanta, cum consciéntia prorsus absque delícto, immo cum tantæ grátiæ plenitúdine? Unde tibi humílitas, et tanta humílitas, o beáta? Digna plane quam respíceret Dóminus, cujus decórem concupísceret Rex, cujus odóre suavíssimo ab ætérno illo Patérni sinus attraherétur accúbitu.

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes, * Quia fecit mihi Dóminus magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. ℣. Et misericórdia ejus a progénie in progénies timéntibus eum. — Quia.

Lectio vi

ECce jam quibus potúimus votis ascendéntem te ad Fílium dedúximus, et prosecúti sumus saltem a longe, Virgo benedícta. Sit pietátis tuæ, ipsam, quam apud Deum grátiam invenísti, notam fácere mundo; reis véniam, medélam ægris, pusíllis corde robur, afflíctis consolatiónem, periclitántibus adjutórium, et liberatiónem sanctis tuis précibus obtinéndo. In hac quoque die solemnitátis et lætítiæ dulcíssimum Mariæ nomen cum laude invocántibus sérvulis, per te, Regína clemens, grátiæ suæ múnera largiátur Jesus Christus, Fílius tuus, Dóminus noster, qui est super ómnia Deus benedíctus in sæcula. Amen.

℟. Beáta es, Virgo María, quæ Dóminum portásti, Creatórem mundi : * Genuísti qui te fecit, et in ætérnum pérmanes Virgo. ℣. Ave, María, grátia plena; Dóminus tecum. — Genuísti. Glória Patri. Genuísti.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 10, 38-42

IN illo témpore : Intrávit Jesus in quoddam castéllum; et múlier quædam, Martha nómine, excépit illum in domum suam. Et réliqua.

Homília sancti Bernárdi Abbátis

Sermo 2 de Assumptione B. M. V.

QUid introísse eum dícimus in castéllum? Etiam in angustíssimum virgináles úteri diversórium introívit. Dénique et múlier quædam excépit illum in domum suam. Felix múlier, cujus domus, Salvatóre suscépto, invénta est munda quidem, sed plane non vácua! Quis enim vácuam díxerit, quam salútat Angelus grátia plenam? Neque hoc solum; sed adhuc quoque in eam superventúrum ásserit Spíritum Sanctum. Ad quid, putas, nisi ut étiam superímpleat eam? Ad quid, nisi ut adveniénte jam Spíritu plena sibi, eódem superveniénte, nobis quoque superplena et supereffluens fiat?

℟. Diffúsa est grátia in lábiis tuis : * Propterea benedíxit te Deus in ætérnum. ℣. Myrrha, et gutta, et cásia a vestiméntis tuis, a dómibus ebúrneis, ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo. — Propterea.

Lectio viii

INtret ergo domum Salvátor, et frequénter vísitet eam, quam pœnitens Lázarus mundat, ornat Martha, et María replet, intérnæ dédita contemplatióni. Sed forte curiósus quisquam requírat cur in præsénti evangélica lectióne nulla prorsus Lázari méntio fiat. Arbitror sane, ne id quidem a propósita similitúdine dissidére. Virgináles étenim domum intélligi volens Spíritus, síluit non incóngrue pœniténtiam, quæ malum útique comitátur. Absit enim, ut próprii quidquam inquinaménti domus hæc aliquándo habuísse dicátur, ut in ea proínde scopa Lázari quæreréturr.

℟. Beáta es, Virgo María, Dei Génitrix, quæ credidísti Dómino : perfécta sunt in te quæ dicta sunt tibi : ecce exaltáta es super choros Angelórum : * Intercéde pro nobis ad Dóminum Deum nostrum. ℣. Ave, María, grátia plena; Dóminus tecum. — Intercéde. Glória Patri. Intercéde.

Si hodie fuerit Sabbatum, Lectio ix de Homilia Vigiliæ anticipatæ S. Bartholomæi Ap., et ejus Commemoratio ad Laudes, ut die seq. notatur; secus

Pro Ss. Timotheo, Hippolyto Ep. et Symphoriano Mm.

Lectio ix

TImótheus Antiochénus, Romam véniens Melchíade summo Pontífice, cum per annum ibi Christi fidem prædicásset, a Tarquínio Urbis præfécto conjícitur in víncula; et, post diutúrnas cárceris ærúmnas, ad idóla perdúcitur, ut eis sacrifícet. Quam impietátem summa libertáte detestátus, acerbíssime cæditur, et excarnificátum corpus viva calce perfúnditur. In quibus aliísque supplíciis constans Martyr, cápite plectitur. Corpus via Ostiénsi prope sepúlcrum beáti Pauli Apóstoli sepelítur. Quo die étiam, Alexándro imperatóre, apud Ostia Tiberina Hippólytus, epíscopus Portuénsis, ob præcláram fídei confessiónem mánibus pedibúsque ligátis, in altam fóveam aquis plenam præcipitátus, martýrio coronátus est, et ibídem a Christiánis sepúltus. Quo item die, Aureliáno imperatóre, propter eámdem fidem, Augustodúni, Symphoriánus adoléscens várie tortus est. Qui, dum ad últimum supplícium ducerétur, matrem ita clamántem áudiens : Nate, nate, meménto ætérnæ vitæ, cælum súspice, et ibi regnántem intuére; tibi enim vita non erípitur, sed mutátur in mélius; fórtiter Jesu Christi causa carnífici collum præbuit.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes fit Com. Ss. Mm.

Ant. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt : nolíte timére : multis passéribus melióres estis vos.

℣. Exsultábunt Sancti.

Oratio

AUxílium tuum nobis, Dómine, quæsumus, placátus impénde : et, intercedéntibus beátis Martýribus tuis Timótheo, Hippólyto et Symphoriáno, dexteram super nos tuæ propitiatiónis exténde. Per Dóminum.

In Vesperis Commemoratio sequentis.

Die 23 Augusti

S. Philippi Benitii

Confessoris [94] Duplex

(m. t. v., nisi tamen alicubi I Vesperas habeat.)

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

℣. Amávit eum Dóminus.

Oratio

DEus, qui per beátum Philíppum, Confessórem tuum, exímium nobis humilitátis exémplum tribuísti : da fámulis tuis próspera mundi ex ejus imitatióne despícere, et cæléstia semper inquírere. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

QHilíppus, ex nóbili Benitiórum familia Florentiæ natus, futúræ sanctitátis jam inde ab incunábulis indícium præbuit; vix enim quintum ætátis mensem ingréssus, linguam in voces mirífice solvit, hortatúsque fuit matrem ut Deíparæ Servis eleemósynam impertíret. Adoléscens, dum Parísiis litterárum stúdia cum pietátis ardóre conjúngeret, plúrimos ad cæléstis pátriæ desidérium inflammávit. Revérsus in pátriam, et singulári visióne a beatíssima Vírgine in Servórum suórum famíliam nuper institútam vocátus, in Senárii montis antrum concéssit, ubi ásperam quidem jugi córporis castigatióne, sed Christi Dómini cruciátuum meditatióne suávem vitam duxit. Indeque per univérsam pene Európam magnámque Asiæ partem, quam evangélicis prædicatiónibus obívit, sodalítia septem Dolórum Dei Matris instítuit, suúmque órdinem exímio virtútum exémplo propagávit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et.

Lectio v

DIvínæ caritátis et cathólicæ fídei dilatándæ ardóre veheménter accénsus, sui órdinis Generális relúctans atque invítus renuntiátus, fratres ad prædicándum Christi Evangélium ín Scýthiam misit. Ipse vero plúrimas Itáliæ urbes concúrsans, gliscéntes in eis cívium discórdias compósuit, multásque ad Románi Pontífici obediéntiam revocávit; nihílque de stúdio aliénæ salútis omíttens, perditíssimos hómines e vitiórum cœno ad pœniténtiam ac Jesu Christi amórem perdúxit. Oratióni summópere addíctus, sæpe in éxtasim rapi visus est. Virginitátem vero ádeo cóluit, ut ad extrémum usque spíritum voluntáriis ac duríssimis supplíciis illibátam custodíerit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ induit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et ad portas.

Lectio vi

EFflóruit in eo júgiter singuláris erga páuperes misericórdia, sed præcípue cum apud Camiliánum, agri Senénsis vicum, lepróso nudo, eleemósynam peténti, própriam, qua indútus erat, vestem fuit elargítus. Qua ille contéctus, statim a lepra mundátus est. Cujus miráculi cum longe latéque fama manásset, nonnúlli ex cardinálibus, qui Vitérbium, Cleménte quarto vita functo, pro successóre deligéndo convénerant, in Philíppum, cujus cæléstem étiam prudéntiam perspéctam habébant, intendérunt. Quo compérto, vir Dei, ne forte pastorális regíminis onus subíre cogerétur, apud Tuniátum montem támdiu delítuit, donec Gregórius décimus Póntifex máximus fúerit renuntiátus; ubi bálneis, quæ étiam hódie sancti Philíppi vocántur, virtútem sanándi morbos suis précibus impetrávit. Dénique Tudérti, anno millésimo ducentésimo octogésimo quinto, in Christi Dómini e cruce pendéntis amplexu, quem suum appellábat librum, sanctíssime ex hac vita migrávit. Ad ejus túmulum cæci visum, claudi gressum, mórtui vitam recepérunt. Quibus aliísque plúrimis fulgéntem signis Clemens décimus, Póntifex máximus, Sanctórum número adscrípsit.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Quia. Glória Patri. Quia.

In III Nocturno Homilia in Ev. Nolíte timére, de Comm. Conf. non Pont. 2 loco. [105]

IX Lectio pro Vigilia S. Bartholomæi Ap. de Homilia in Ev. Hoc est præcéptum, ut pro Vigiliis Apostolorum in Communi. [1]

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

Oratio

DEus, qui per beátum Philíppum Confessórem tuum, exímium nobis humilitátis exémplum tribuísti : da fámulis tuis próspera mundi ex ejus imitatióne despícere, et cæléstia semper inquírere. Per Dóminum.

Et fit Com. Vigiliæ per Ant. et Versum de Feria currenti, ut in Psalterio.

Oratio

DA, quæsumus, omnípotens Deus : ut beáti Bartholomæi Apóstoli tui, quam prævenímus, veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat et salútem. Per Dóminum.

Vesperæ de sequenti, Commemoratio præcedentis.

DIE 24 AUGUSTI

Sancti Bartholomæi Apostoli

DUPLEX II CLASSIS

Omnia de Communi Apostolorum [3], præter ea quæ hic habentur propria.

Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, qui hujus diéi venerándam sanctámque lætítiam in beáti Apóstoli tui Bartholomæi festivitáte tribuísti : da Ecclésiæ tuæ, quæsumus; et amáre quod crédidit, et prædicáre quod docuit. Per Dóminum.

Et fit Com. præcedentis :

Ant. Hic vir, despíciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit.

Oratio Deus, qui per beátum, ut supra.

In II Nocturno

Lectio iv

QArtholomæus Apóstolus, Galilæus, cum in Indiam citeriórem, quæ ei in orbis

terrárum sortitióne ad prædicándum Jesu Christi Evangélium obvénerat, progréssus esset, advéntum Dómini Jesu juxta sancti Matthæi Evangélium illis géntibus prædicávit. Sed, cum in ea província plúrimos ad Jesum Christum convertísset, multos labóres calamitatésque perpéssus, venit in majórem Arméniam.

℟. Vidi conjúnctos viros, habéntes spléndidas vestes, et Angelus Dómini locútus est ad me, dicens : *Isti sunt viri sancti facti amíci Dei. ℣. Vidi Angelum Dei fortem, volántem per médium cælum, voce magna clamántem et dicéntem. — Isti.

Lectio v

IBI Polýmium regem et cónjugem ejus ac prætérea duódecim civitátes ad christiánam fidem perdúxit. Quæ res in eum magnam invídiam concitávit illíus gentis sacerdótum. Nam usque ádeo Astýagem, Polýmii regis fratrem, in Apóstolum incendérunt, ut is vivo Bartholomæo pellem crudéliter détrahi jússerit ac caput abscíndi; quo in martýrio ánimam Deo réddidit. ℟. Beáti estis, cum maledíxerint vobis hómines, et persecúti vos fúerint, et díxerint omne malum advérsum vos, mentiéntes, propter me : *Gaudéte et exsultáte, quóniam merces vestra copiósa est in cælis. ℣. Cum vos óderint hómines, et cum separáverint vos, et exprobráverint, et ejécerint nomen vestrum tamquam malum propter Fílium hóminis. — Gaudéte.

Lectio vi

CJus corpus Albáni, quæ est urbs majóris Arméniæ, ubi is passus fúerat, sepúltum est. Quod póstea ad Líparam ínsulam delátum, inde Beneventum translátum est. Postrémo Romam ab Otóne tértio imperatóre portátum, in Tíberis ínsula, in ecclésia ejus nómine Deo dicáta, collocátum fuit. ℟. Isti sunt triumphatóres et amíci Dei, qui, contemnéntes jussa príncipum, meruérunt prǽmia ætérna : *Modo coronántur, et accípiunt palmam. ℣. Isti sunt qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni. — Modo. Glória Patri. Modo.

In III Nocturno
Léctio sancti Evangélii
secúndum Lucam

Lectio vii . Cap. 6, 12-19

IN illo témpore : Exiit Jesus in montem oráre et erat pernóctans in oratióne Dei. Et, cum dies factus esset, vocávit discípulos suos. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii
Episcopi

Liber 5 Comment. in Luc. cap. 6, post initium

OMnes magni, omnes sublímes montem ascéndunt. Non enim cuicúmque Prophéta dicit : Ascénde in montem excélsum, qui evangelízas Sion : exálta in virtúte vocem tuam, qui evangelízas Jerúsalem. Non vestígiis corporálibus, sed factis sublimióribus in hunc montem ascénde, et séquere Christum, ut ipse esse mons possis : Montes enim in circúitu ejus. Quare in Evangélio invénies solos cum Dómino montem ascendísse discípulos. Orat ergo Dóminus, non ut pro se óbsecret, sed ut pro me ímpetret. Nam, etsi ómnia posúerit Pater in potestáte Fílii; Fílius tamen, ut hóminis formam impléret, obsecrándum Patrem putat esse pro nobis, quia advocátus est noster. ℟. Isti sunt qui vivéntes in carne, plantavérunt Ecclésiam sánguine suo : * Cálicem Dómini bibérunt, et amíci Dei facti sunt. ℣. In omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum. — Cálicem.

Lectio viii

ET erat, inquit, pernóctans in oratióne Dei. Spécies tibi, Christiáne, datur, forma præscríbitur, quam débeas æmulári. Quid enim te pro salúte tua fácere opórtet, quando pro te Christus in oratióne pernóctat? Quid te fácere cónvenit, cum vis áliquod pietátis offícium adoríri, quando Christus, missúrus Apóstolos, orávit prius, et solus orávit? Nec usquam álibi, si non fallor, orásse cum Apóstolis reperítur; ubíque solus óbsecrat. Dei enim consílium humána vota non cápiunt, nec quisquam interiórum potest esse párticeps Christi. ℟. Isti sunt viri sancti, quos elégit Dóminus in caritáte non ficta, et dedit illis glóriam sempitérnam : * Quorum doctrína fulget Ecclésia, ut sole luna. ℣. Sancti per fidem vicérunt regna : operáti sunt justítiam. — Quorum. Glória Patri. Quorum.

Lectio ix

VOcávit, inquit, discípulos suos, et elégit duódecim ex ipsis; quos ad propagándum auxílium salútis humánæ per terrárum orbem satóres fídei destináret. Simul advérte cæléste consílium : non sapiéntes áliquos, non dívites, non nóbiles, sed piscatóres et publicános, quos dirígeret, elégit; ne traduxísse prudéntia, ne redemísse divítiis, ne poténtiæ nobilitatísque auctoritáte traxísse áliquos ad suam grátiam viderétur; ut veritátis rátio, non disputatiónis grátia prævaléret.

Te Deum laudámus.

Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, qui hujus diéi venerándam sanctámque lætítiam in beáti Apóstoli tui Bartholomæi festivitáte tribuísti : da Ecclésiæ tuæ, quæsumus, et amáre quod crédidit, et prædicáre quod docuit. Per Dóminum.

In Vesperis Com. sequentis.

Die 25 Augusti

S. Ludovici

Regis, Conf. [94]

Semiduplex

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram. ℣. Amávit eum Dóminus.

Oratio

DEus, qui beátum Ludovícum Confessórem tuum de terréno regno ad cæléstis regni glóriam transtulísti : ejus, quæsumus, méritis et intercessióne; Regis regum Jesu Christi Fílii tui fácias nos esse consórtes : Qui tecum vivit.

In II Nocturno

Lectio iv

LUdovícus nonus, Gálliæ rex, duódecim annos natus, patre amísso, et in Blanchæ matris sanctíssima disciplína educátus, cum jam vigésimum annum in regno ágeret, in morbum incídit : quo témpore cogitávit de recuperánda possessióne Jerosolymórum. Quam ob rem, ubi convaluísset, vexíllum ab episcopo Parisiénsi accépit. Deínde, mare cum ingénti exércitu trajíciens, primo prælio Saracénos fugávit. Sed cum, ex pestiléntia, magna mílitum multitúdo periísset, victus ipse captúsque est. ℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et.

Lectio v

REbus póstea cum Saracénis compósitis, liber rex exercitúsque dimitti-

tur. Quinque annis in Oriénte commorátus, plúrimos Christiános a barbarórum servitúte redémit, multos étiam infidéles ad Christi fidem convértit; prætérea áliquot Christianórum urbes refécit suis súmptibus. Interim mater ejus migrat e vita; quare domum redíre cógitur, ubi totum se dedit pietátis offíciis.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vi

Multa ædificávit monastéria et páuperum hospítia : beneficéntia egéntes sublevábat; frequens visébat ægrótos, quibus ipse non solum suis súmptibus ómnia suppeditábat, sed étiam, quæ opus erant, mánibus ministrábat. Vestítu vulgári utebátur, cilício ac jejúnio corpus assídue affligébat. Sed, cum íterum transmisísset, bellum Saracénis illatúrus, jamque castra in eórum conspéctu posuísset, pestiléntia decéssit in illa oratióne : Introíbo in domum tuam, adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo. Ejus corpus póstea Lutétiam Parisiórum translátum est, quod in célebri sancti Dionýsii templo asservátur et cólitur; caput vero in sacra æde sanctæ capéllæ. Ipse, clarus miráculis, a Bonifátio Papa octávo in Sanctórum númerum est relátus.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Quia. Glória Patri. Quia.

Pro hoc Festo simplificato

Lectio ix

Ludovícus nonus, Gálliæ rex, in Blanchæ matris sanctíssima disciplína educátus, pro recuperánda possessióne Jerosolymórum mare cum ingénti exércitu trajíciens, primo prælio Saracénos fugávit. Sed cum magna mílitum multitúdo ex pestiléntia periísset, victus ipse captúsque est. Rebus compósitis, liber dimíttitur. Plúrimos in Oriénte Christiános a barbarórum servitúte redémit, multos étiam infidéles ad Christi fidem convértit. In Gálliam revérsus, multa ædificávit monastéria et páuperum hospítia, beneficéntia egéntes sublevábat, frequens visébat ægrótos, eísque ministrábat; vestítu vulgári utebátur, cilício ac jejúnio corpus assídue affligébat. Cum íterum transmisísset, bellum Saracénis illatúrus, jamque castra in eórum conspéctu posuísset, pestiléntia decéssit in illa oratióne : Introíbo in domum tuam, adorábo ad templum sanctum tuum. et confitébor nómini tuo.

Te Deum laudámus.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii
secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 19, 12-26

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Homo quidam nóbilis ábiit in regiónem longínquam accípere sibi regnum et revérti. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii
Episcopi

Liber 8 in Lucam

Onus ordo, ut vocatúrus gentes, et Judæos jussúrus intérfici, qui noluérunt regnáre supra se Christum, hanc permítteret comparatiónem, ne dicerétur : Nihil déderat pópulo Judæórum : unde póterat mélior fíeri? ut quid ab eo, qui nihil recépit, exígitur? Non mediócris ista est mna, quam supra múlier evangélica, quia non invénit, lucérnam accéndit, lúmine quærit admóto, gratulátur invéntam.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. — Ipse.

Lectio viii

Denique ex una decem mnas álius fecit, álius quinque. Fortásse iste morália habet, quia quinque sunt córporis sensus; ille duplícia, id est, mýstica legis et morália probitátis. Unde et Matthæus quinque talénta et duo talénta pósuit : in quinque talén-tis, ut sint morália; in duóbus utrúmque, mýsticum atque morále. Ita quod número inférius, re ubérius.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos similes homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. — Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix

Et hic póssumus decem mnas decem verba intelligere, id est, legis doctrínam; quinque autem mnas, magistéria disciplínæ. Sed legisperitum in ómnibus volo esse perféctum; non enim in sermóne, sed in virtúte est regnum Dei. Bene autem, quia de Judæis dicit, duo soli multiplicátam pecúniam déferunt; non útique æris, sed dispensatiónis usúris. Alia est enim pecúniæ fænebris, ália doctrínæ cæléstis úsura.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuisti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

Oratio

Deus, qui beátum Ludovícum Confessórem tuum de terréno regno ad cæléstis regni glóriam transtulísti : ejus quæsumus méritis et intercessióne, Regis regum Jesu Christi Filii tui fácias nos esse consórtes. Qui tecum.

IN II VESPERIS

℣. Justum dedúxit.

Ad Magnif. Ant. Hic vir despíciens mundum * et terréna, triúmphans, divitias cælo cóndidit ore, manu.

Et fit Com. sequentis.

Die 26 Augusti

S. Zephyrini

Papæ et Mart. [29]

Simplex

Ant. Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit; fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória et honóre.

Oratio

Regem tuum, Pastor ætérne, placátus intende : et per beátum Zephyrinum Mártyrem tuum atque Summum Pontíficem, perpétua protectióne custódi; quem totius Eccléstæ præstitísti esse pastórem. Per Dóminum.

Lectio iii

Zephyrínus Románus, Sevéro imperatóre ad regéndam Ecclésiam assúmptus, sancívit ut, qui ordinándi essent, opportúno témpore et multis præséntibus cléricis et lái-

cis, de more sacris initiaréntur; doctíque ac spectátæ vitæ hómines ad id offícii munus deligeréntur. Decrévit prætérea ut rem divínam faciénti epíscopo sacerdótes omnes astárent. Idem instítuit ut patriárcha, primas, metropolitánus advérsus epíscopum non ferant senténtiam, nisi apostólica auctoritáte fulti. Vixit in pontificátu annos decem et octo, dies decem et octo. Hábuit ordinatiónes quátuor mense Decémbri, quibus creávit presbýteros trédecim, diáconos septem, epíscopos per divérsa loca trédecim. Antoníno imperatóre, martýrio coronátus est, et sepúltus via Appia prope cœmetérium Callísti, séptimo Kaléndas Septémbris.

Te Deum laudámus.

℣. Justus ut palma.

Ad Bened. Ant. Quiodit * ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

Vesperæ de sequenti.

Die 27 Augusti

S. Josephi Calasanctii

Confessoris [94]

Duplex (m. t. v.)

℣. Amávit eum Dóminus.

Ad Magnif. Ant. Similábo eum * viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

Oratio

DEus, qui per sanctum Joséphum Confessórem tuum, ad erudiéndam spíritu intelligéntiæ ac pietátis juventútem, novum Ecclésiæ tuæ subsídium providére dignátus es : præsta, quæsumus; nos, ejus exémplo et intercessióne, ita fácere et docére, ut prǽmia consequámur ætérna. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

JOséphus Calasánctius a Matre Dei, Petráltæ in Aragónia, nóbili génere natus, a téneris annis futúræ in púeros caritátis et eórum institutiónis indícia prǽbuit. Nam adhuc párvulus eos, ad se convocátos, in mystériis fídei et sacris précibus erudiébat. Humánis divínisque lítteris egrégie doctus, cum stúdiis theológicis Valéntiæ óperam daret, nóbilis potentísque féminæ illécebris fórtiter superátis, virginitátem, quam Deo vóverat, inoffénsam insígni victória servávit. Sacérdos ex voto factus, a complúribus epíscopis in Castéllæ Novæ, Aragóniæ et Catalániæ regnis in partem labóris adscítus, exspectatiónem ómnium vicit, pravis ubíque móribus emendátis, ecclesiástica disciplína restitúta, inimicítiis cruentísque factiónibus mirífice exstínctis. At cælésti visióne et Dei voce frequénter admónitus, Romam proféctus est.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et.

Lectio v

IN Urbe, summa vitæ asperitáte, vigíliis et jejúniis corpus afflígens, in oratiónibus et cæléstium rerum contemplatióne dies noctésque versabátur, septem ejúsdem Urbis ecclésias síngulis fere nóctibus obíre sólitus; quem inde morem complúres annos servávit. Dato piis sodalitátibus nómine, mirum quanto ardóre páuperes, infírmos potíssimum aut carcéribus deténtos eleemósynis omníque pietátis offício subleváret. Lue Urbem depopulánte, una cum sancto Camíllo, tanto fuit actus ímpetu caritátis, ut præter subsídia ægrótis paupéribus large colláta, ipsa étiam defunctórum cadávera suis húmeris tumulánda transférret. Verum, cum divínitus accepísset se ad informándos intelligéntiæ ac pietátis spíritu adolescéntulos, præcípue páuperes, destinári; órdinem Clericórum regulárium páuperum Matris Dei scholárum piárum fundávit, qui peculiárem curam circa puerórum eruditiónem ex próprio institúto profiteréntur. Ipsúmque órdinem a Cleménte octávo, a Paulo quinto aliisque summis Pontifícibus magnópere probátum, brevi témpore per plúrimas Európæ províncias et regna mirabíliter propagávit. In hoc autem tot labóres perpéssus est ac tot ærúmnas invícto ánimo tolerávit, ut ómnium voce miráculum fortitúdinis et sancti Jobi exémplum dicerétur.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vi

QUamvis órdini univérso præésset, totísque víribus ad animárum salútem incúmberet, numquam tamen intermísit púeros, præsértim paupérióres, erudíre, quorum scholas vérrere, eósque domum comitári consuévit. In eo summæ patiéntiæ et humilitátis múnere, valetúdine étiam infírma, duos et quinquagínta annos perseverávit; dignus proptérea, quem crebris Deus miráculis coram discípulis illustráret, et cui beatíssima Virgo cum púero Jesu, illis oránibus benedicénte, apparéret. Amplíssimis ínterim dignitátibus repudiátis, prophetía, ábdita córdium et abséntia cognoscéndi donis et miráculis clarus, Deíparæ Vírginis, quam singulári pietáte et ipse ab infántia cóluit et suis máxime commendávit, aliorúmque Cælítum frequénti apparitióne dignátus, cum óbitus sui diem, et órdinis tunc prope evérsi restitutiónem atque increméntum prænuntiásset; secúndum et nonagésimum annum agens, Romæ obdormívit in Dómino, octávo Kaléndas Septémbris, anno millésimo sexcentésimo quadragésimo octávo. Ejus cor et lingua post sæculum íntegra et incorrúpta repérta sunt. Ipse vero, multis post óbitum quoque signis a Deo illustrátus, primum, a Benedícto décimo quarto, Beatórum cultu decorátus fuit; ac deínde, a Cleménte décimo tértio, inter Sanctos solémniter est relátus.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Quia. Glória Patri. Quia.

Pro hoc Festo simplificato

Lectio ix

JOséphus Calasánctius, Petráltæ in Aragónia natus, adhuc párvulus æquáles ad se convocátos mystériis fídei et sacris précibus erudiébat. Sacérdos ex voto factus, summa vitæ asperitáte, vigíliis et jejúniis corpus afflígens, in oratióne et rerum cæléstium contemplatióne dies noctésque versabátur. Cum divínitus accepísset, se ad informándos intelligéntiæ ac pietátis spíritu adolescéntes, præcípue páuperes, destinári; órdinem Clericórum regulárium páuperum Matris Dei scholárum piárum fundávit, qui peculiárem curam de púeris erudién-

dis ex próprio institúto profiteréntur. Innúmeris proptérea labóribus atque ærúmnis invícto ánimo tolerátis, secúndum et nonagésimum annum agens, óbiit in Dómino, octávo Kaléndas Septémbris, anno millésimo sexcentésimo quadragésimo octávo.

Te Deum laudámus.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 18, 1-5

IN illo témpore : Accessérunt discípuli ad Jesum, dicéntes : Quis, putas, major est in regno cælórum? Et réliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi

In Cap. 18 Matth. Hom. 60

Vidéte, ne áliquem istórum contempséritis parvulórum, quia eórum Angeli Patris mei fáciem semper aspíciunt, et quia ego propter eos veni, et hæc Patris mei volúntas est. Ad tuéndos conservandósque pusíllos, diligentióres nos reddit. Pérspicis, quam ingéntia in tutélam tenúium mœnia eréxerit, et quantum stúdium curámque hábeat, ne perdántur; tum quia suprémas despiciéntibus eos pœnas státuit, tum quia summam pollicétur mercédem his qui curam eórum suscípiunt, idque tam suo quam Patris exémplo corróborat.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. — Ipse.

Lectio viii

DOminum ígitur étiam nos imitémur, et nihil pro frátribus omittámus, étiam eórum quæ humília vilíaque nímium vidéntur. Sed, si administratióne nostra étiam opus fúerit, quamvis ténuis atque abjéctus quidem, cui administrándum sit, fúerit, quamvis árdua nobis res atque labóris plena esse videátur; ómnia hæc pro fratris salúte tolerabilióra facilióraque, oro, videántur. Tanto enim stúdio tantáque cura Deus dignam esse ánimam osténdit, ut neque Fílio suo pepércerit.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. — Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix

SI non est nobis satis ad salútem quod virtuóse ipsi vivámus, sed opórtet aliórum salútem re ipsa desideráre; cum neque nos recte vivámus neque álios hortémur, quid respondébimus? quæ nobis spes salútis réliqua erit? Quid majus quam ánimis moderári, quam adolescentulórum fíngere mores? Omni certe pictóre, omni certe statuário, ceterísque hujúsmodi ómnibus excellentiórem hunc duco, qui júvenum ánimos fíngere non ignóret.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

Oratio

DEus, qui per sanctum Joséphum Confessórem tuum, ad erudiéndam spíritu intelligéntiæ ac pietátis juventútem, novum Ecclésiæ tuæ subsídium providére dignátus es : præsta quæsumus, nos ejus exémplo et intercessióne ita fácere, et docére, ut prémia consequámur ætérna. Per Dóminum.

Vesperæ a Capitulo de sequenti, Commemoratio præcedentis et S. Hermetis Mart.

Die 28 Augusti

S. Augustini

Ep., Conf. et Eccl. Doct.

Duplex [69]

℣. Amávit eum Dóminus.

Ad Magnif. Ant. O Doctor óptime, * Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Augustíne, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

Oratio

ADésto supplicatiónibus nostris, omnípotens Deus : et, quibus fidúciam sperándæ pietátis indúlges, intercedénte beáto Augustíno Confessóre tuo atque Pontífice, consuétæ misericórdiæ tríbue benígnus effectum. Per Dóminum.

Et fit Com. præcedentis :

Ant. Hic vir, despíciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit.

Oratio

DEus, qui per sanctum Joséphum Confessórem tuum, ad erudiéndam spíritu intelligéntiæ ac pietátis juventútem, novum Ecclésiæ tuæ subsídium providére dignátus es : præsta quæsumus, nos ejus exémplo et intercessióne ita fácere, et docére, ut prémia consequámur ætérna. Per Dóminum.

Deinde Com. S. Hermetis Mart. :

Ant. Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit; fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória et honóre.

Oratio

DEus, qui beátum Hermétem Mártyrem tuum virtúte constántiæ in passióne roborásti : ex ejus nobis imitatióne tríbue; pro amóre tuo próspera mundi despícere, et nulla ejus advérsa formidáre. Per Dóminum.

In I Nocturno, si sumendæ sint de Communi, Lectiones Sapiéntiam. [87]

In II Nocturno

Lectio iv

AUgustinus, Tagáste in Africa honéstis paréntibus natus ac puer docilitáte ingénii æquáles longe súperans, brevi ómnibus doctrína antecélluit. Adoléscens, dum esset Carthágine, in Manichæórum hæresim incidit. Póstea Romam profóctus, inde Mediolánum missus ut rhetóricam doceret, cum ibi frequens Ambrósii epíscopi esset audítor, ejus ópera incénsus stúdio cathólicæ fídei, annos natus trigínta tres ab ipso baptizátur. Revérsus in Africam, cum religióne vitæ sanctimóniam conjúngens, a Valério, notæ sanctitátis epíscopo Hipponénsi, présbyter factus est. Quo témpore famíliam instítuit religiosórum, quibúscum victu commúni eodémque cultu utens, eos ad apostólicæ vitæ doctrinæque disciplínam diligentíssime erudiébat. Sed, cum vigéret Manichæórum hæresis, veheméntius in illam ínvehi cœpit, Fortunatúmque hæresiárcham confutávit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. — Manus.

Lectio v

HAC Augustíni pietáte commótus Valérius, eum adjutórem adhíbuit episcopális offícii. Nihil illo

fuit humílius, nihil continéntius. Lectus ac vestítus moderátus; vulgáris mensa, quam semper sacra vel lectióne vel disputatióne condiébat. Tanta benignitáte fuit in páupe-res, ut, cum non essetália facúltas, sacra vasa frángeret ad eórum inópiam sustentándam. Feminárum, et in eis soróris, et fratris fíliæ, contubérnium familiaritatémque vitávit; quippe qui díceret, etsi propínquæ mulíeres suspéctæ non essent, tamen quæ ad eas ventitárent, posse suspiciónem effícere. Nullum finem fecit prædicándi Dei verbum, nisi gravi morbo opprés-sus. Hæréticos perpétuo insectátus et coram et scriptis, ac nullo loco passus consístere, Africam a Manichæórum, Donatistárum, Pelagianórum aliorúmque prætérea hæreticórum erróre magna ex parte liberávit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Lectio vi

TAM multa pie, subtíliter et copióse scripsit, ut christiánam doctrínam máxime illustrárit. Quem in primis secúti sunt, qui póstea theológicam disciplínam via et ratióne tradidérunt. Vándalis Africam bello vastántibus et Hippónem tértium jam mensem obsidéntibus, in febrim íncidit. Itaque, cum discéssum e vita sibi instáre intellígeret, Psalmos David qui ad pœniténtiam pértinent, in conspéctu pósitos, profúsis lácrimis legébat. Solébat autem dícere, néminem, etsi nullíus scéleris sibi cónscius esset, commíttere debére ut sine pœniténtia migráret e vita. Ergo sénsibus íntegris, in oratióne defíxus, astántibus frátribus, quos ad caritátem, pietátem virtutésque omnes erat adhortátus, migrávit in cælum. Vixit annos septuagínta sex, in episcopátu ad trigínta sex. Cujus corpus, primum in Sardiniam delátum, deínde a Luitprándo, Longobardórum rege, magno prétio redémptum, Ticínum translátum est ibíque honorífice cónditum.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et

pervénit ad cæléstia regna. — Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. Glória Patri. Ipse.

Pro hoc Festo simplificato

Lectio ix

AUgustínus, Tagáste in Africa honéstis paréntibus natus, brevi æquálibus ómnibus doctrína præstitit. Adoléscens, dum esset Carthágine, in Manichæórum hæresim incidit. Póstea Romam profóctus, inde Mediolánum missus ut rhetóricam docéret, cum ibi, suadénte Mónica, pientíssima ejus matre, frequens Ambrósii episcopi esset auditor, ejus ópera incénsus stúdio cathólicæ fídei, annos natus trigínta tres ab ipso baptizátur. Revérsus in Africam, cum religióne vitæ sanctimóniam conjúngens, a Valério, notæ sanctitátis epíscopo Hipponénsi, présbyter factus est. Quo témpore famíliam instítuit religiosórum, quibúscum victu commúni eodémque cultu utens, eos ad apostólicæ vitæ doctrinæque disciplínam diligentíssime erudiébat. Hac Augustíni pietáte commótus Valérius, eum adjutórem adhíbuit episcopális offícii. Multa pie, subtíliter et copióse scripsit, ut hæréses profligáret et christiánam doctrínam illustráret. Vándalis Africam bello vastántibus et Hippónem tértio jam mense obsidéntibus, febri corréptus, migrávit ad Dóminum, ætátis suæ anno septuagésimo sexto. Ejus corpus, primo in Sardíniam, deínde Ticínum translátum, ibi honorífice cólitur. Te Deum laudámus.

In III Nocturno Homilia in Ev. Vos estis sal terræ, de Comm. Doctorum 1 loco. [90]

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Oratio

ADésto supplicatiónibus nostris, omnípotens Deus : et quibus fidúciam sperándæ pietátis indúlges, intercedénte beáto Augustíno Confessóre tuo atque Pontífice, consuétæ misericórdiæ tríbue benígnus efféctum. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Hermetis M. :

Ant. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

℣. Justus ut palma.

Oratio

DEus, qui beátum Hermétem Mártyrem tuum virtúte constántiæ in passióne roborásti : ex ejus nobis imitatióne tríbue; pro amóre tuo próspera mundi despícere, et nulla ejus advérsa formidáre. Per Dóminum.

Vesperæ de sequenti, Commemoratio præcedentis et S. Sabinæ Mart., ut infra.

Die 29 Augusti

In Decollatione S. Joannis Baptistæ

Duplex majus

Omnia de Communi unius Martyris [29], præter ea quæ hic habentur propria.

IN I VESPERIS

Ant. 1 Heródes enim ténuit * et ligávit Joánnem et pósuit in cárcerem propter Herodíadem.

Psalmi ut in I Vesperis de Communi Apostolorum. [3]

2 Dómine mi rex, * da mihi in disco caput Joánnis Baptístæ.

3 Puéllæ saltánti * imperávit mater : Nihil áliud petas, nisi caput Joánnis.

4 Arguébat * Heródem Joánnes propter Herodíadem, quam túlerat fratri suo Philíppo uxórem.

5 Da mihi in disco * caput Joánnis Baptístæ. Et contristátus est rex propter jusjurándum.

In II Vesperis

Psalmus 115

GRédidi, propter quod locútus sum : * ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo : * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino, * pro ómnibus, quæ retríbuit mihi?

Cálicem salutáris accípiam : * et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus : * pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus :

O Dómine, quia ego servus tuus : * ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ.

Dirupísti víncula mea : * tibi sacrificábo hóstiam laudis, et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli ejus : * in átriis domus Dómini, in médio tui, Jerúsalem.

Ant. Da mihi in disco caput Joánnis Baptístæ. Et contristátus est rex propter jusjurándum.

Capitulum Jac. 1, 12

BEátus vir, qui suffert tentatiónem : quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se.

Hymnus

DEus, tuórum mílitum
Sors, et coróna, prǽmium,
Laudes canéntes Mártyris
Absólve nexu críminis.

Hic nempe mundi gáudia
Et blanda fraudum pábula
Imbúta felle députans,
Pervénit ad cæléstia.

Pœnas cucúrrit fórtiter
Et sústulit viríliter,
Fundénsque pro te sánguinem,
Ætérna dona póssidet.

Ob hoc precátu súpplici
Te póscimus, piíssime :
In hoc triúmpho Mártyris
Dimítte noxam sérvulis.

* Laus et perénnis glória
Patri sit, atque Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Ad Magnif. Ant. Misso Heródes * spiculatóre, præcépit amputári caput Joánnis in cárcere. Quo audíto, discípuli ejus venérunt, et tulérunt corpus ejus, et posuérunt illud in monuménto.

In II Vesperis

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Magnif. Ant. Misit rex incrédulus * minístros detestábiles, et amputári jussit caput Joánnis Baptístæ.

Oratio

SAncti Joánnis Baptístæ Præcursóris et Mártyris tui, quæsumus, Dómine, veneránda festívitas : salutáris auxílii nobis præstet efféctum : Qui vivis.

Et fit Commem. præced. :

Ant. O Doctor óptime, Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Augustíne, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

℣. Justum dedúxit.

Oratio

ADésto supplicatiónibus nostris, omnípotens Deus : et, quibus fidúciam sperándæ pietátis indúlges, intercedénte beáto Augustíno Confessóre tuo atque Pontífice, consuétæ misericórdiæ tríbue benígnus efféctum. (Per Dóminum).

Deinde Commem. S. Sabinæ Mart. :

Ant. Símile est regnum cælórum hómini negotiatóri quærénti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

℣. Spécie tua et.

Oratio

DEus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula étiam in sexu frágili victóriam martýrii contulísti : concéde propítius; ut, qui beátæ Sabínæ Mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

AD MATUTINUM

In I Nocturno

Incipit liber Jeremíæ Prophétæ

Lectio i Cap. 1, 1-10

VErba Jeremíæ fílii Helcíæ, de sacerdótibus, qui fuérunt in Anathoth, in terra Bénjamin. Quod factum est verbum Dómini ad eum in diébus Josíæ fílii Amon regis Juda, in tértio décimo anno regni ejus. Et factum est in diébus Jóakim fílii Josíæ regis Juda, usque ad consummatiónem undécimi anni Sedecíæ fílii Josíæ regis Juda, usque ad transmigratiónem Jerúsalem, in mense quinto. Et factum est verbum Dómini ad me, dicens : Priúsquam te formárem in útero, novi te : et ántequam exíres de vulva, sanctificávi te, et Prophétam in Géntibus dedi te.

℟. Misit Heródes rex manus, ac ténuit Joánnem et vinxit eum in cárcere, quia metuébat eum propter Herodíadem, * Quam túlerat fratri suo Philíppo uxórem. ℣. Arguébat Heródem Joánnes propter Herodíadem. — Quam.

Lectio ii

ET dixi, A a a, Dómine Deus : ecce néscio loqui, quia puer ego sum. Et dixit Dóminus ad me : Noli dícere, Puer sum : quóniam ad ómnia, quæ mittam te, ibis : et univérsa, quæcúmque mandávero tibi, loquéris. Ne tímeas a fácie eórum : quia tecum ego sum, ut éruam te, dicit Dóminus. Et misit Dóminus manum suam, et tétigit os meum : et dixit Dóminus ad me : Ecce dedi verba mea in ore tuo : ecce constítui te hódie super Gentes, et super regna, ut evéllas, et déstruas, et dispérdas, et díssipes, et ædífices, et plantes.

℟. Joánnes Baptísta arguébat Heródem * Propter Herodíadem, quam túlerat fratri suo vivénti uxórem. ℣. Misso Heródes spiculatóre, præcépit amputári caput Joánnis in cárcere. — Propter.

Lectio iii Cap. 1, 17-19

TU ergo accínge lumbos tuos, et surge, et lóquere ad eos ómnia quæ ego præcípio tibi. Ne formídes a fácie eórum : nec enim timére te fáciam vultum eórum. Ego quippe dedi te hódie in civitátem munítam, et in colúmnam férream, et in murum æreum, super omnem terram, régibus Juda, princípibus ejus, et sacerdótibus, et pópulo terræ. Et bellábunt advérsum te, et non prævalébunt : quia ego tecum sum, ait Dóminus, ut líberem te.

℟. Puéllæ saltánti imperávit mater : * Nihil áliud petas, nisi caput Joánnis. * Et contristátus est rex propter jusjurándum et propter simul discumbéntes. ℣. Ait puélla matri suæ : Quid petam? At illa ait. — Nihil. Glória Patri. Et.

In II Nocturno

¶ Pro hoc Festo simplificato Lectio iv dicitur ut ix.

Ex libro sancti Ambrósii Epíscopi de Virgínibus

Liber 3 post initium

Lectio iv

QUóniam beáti Joánnis Baptístæ non strictim prætereúnda est recordátio, ínterest ut quis et a quibus et quam ob causam, quo modo et quo témpore sit occísus, advértere debeámus. Ab adúlteris justus occíditur, et a reis in júdicem capitális scéleris pœna convértitur. Deínde prǽmium saltatrícis, mors est Prophétæ. Postrémo (quod étiam omnes bárbari horrére consuevérunt) inter épulas atque convívia consummándæ crudelitátis profértur edíctum; et a convívio ad cárcerem, de cárcere ad convívium ferális flagitii circumfértur obséquium. Quanta in uno facínore sunt crímina!

℟. Justus germinábit sicut lílium : * Et florébit in ætérnum ante Dóminum. ℣. Plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri. — Et.

Lectio v

QUis non, cum e convívio ad cárcerem cursári vidéret, putáret Prophétam jussum esse dimítti? Quis, inquam, cum audísset natálem esse Heródis, solémne convívium, puéllæ optiónem eligéndi quod vellet datam; missum ad Joánnem ob solutiónem non arbitrarétur? Quid crudelitáti cum delíciis? quid cum funéribus voluptáti? Rápitur ad pœnam Prophéta conviváli témpore, conviváli præcé-

pto, quo non cúperet vel absólvi : perímitur gládio, caput ejus affértur in disco. Hoc crudelitáti férculum debebátur, quo insatiáta épulis féritas vescerétur.

℟. Iste cognóvit justítiam, et vidit mirabília magna, et exorávit Altíssimum : * Et invéntus est in número Sanctórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. -- Et.

Lectio vi

INtuére, rex acerbíssime, tuo spectácula digna convívio. Pórrige déxteram, ne quid sævítiæ tuæ desit; ut inter dígitos tuos rivi défluant sacri cruóris. Et, quóniam non exsaturári épulis fames, non restíngui póculis pótuit inaudítæ sævítiæ sitis; bibe sánguinem scaturiéntibus adhuc venis exsécti cápitis profluéntem. Cerne óculos in ipsa morte scéleris tui testes, aversántes conspéctum deliciárum. Claudúntur lúmina non tam mortis necessitáte quam horróre luxúriæ. Os áureum illud exsángue, cujus senténtiam ferre non póteras, conticéscit, et adhuc timétur.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam, et in vinculis non derelíquit eum. — Et. Glória Patri. Et.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum

Lectio vii Cap. 6, 17-29

IN illo témpore : Misit Heródes ac ténuit Joánnem, et vinxit eum in cárcere propter Herodíadem, uxórem Philíppi fratris sui, quia dúxerat eam. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi

Sermo 10 in novis Sermonibus

EUM sanctum Evangélium legerétur, crudéle spectáculum ante óculos nostros constitútum est : caput sancti Joánnis in disco, ferális missus crudelitátis propter ódium veritátis. Puélla saltat, et sævit mater; et inter lascívias et delícias convivántium témere jurátur, et ímpie, quod jurátur, implétur. Factum est Joánni, quod ipse prædíxerat; de Dómino enim Jesu Christo díxerat : Illum opórtet créscere, me autem minui. Iste minútus est in cápite, ille crevit in cruce. Odium péperit véritas. Non pótuit æquo ánimo tolerári quod homo Dei sanctus monébat; qui útique salútem eórum quærébat, quos sic monébat. Respondérunt illi mala pro bonis.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Et.

Si ix Lectio alicujus Officii commemorati dicenda non sit, tunc ex viii Lectione fiunt duæ, quarum prior desinit ad signum ¶.

Lectio viii

QUid enim ille díceret, nisi quo plenus erat? et quid illi respondérent, nisi quo pleni erant? Ille tríticum seminávit, sed spinas invénit. Dicébat regi : Non licet tibi habére uxórem fratris tui. ¶ Vincébat enim regem libído : tenébat apud se prohíbitam uxórem fratris sui. Sed eum tamen sic libébat, ut non sævíret; honorábat eum, a quo verum audiébat. Sed múlier detestábilis ódium concipiébat, quod aliquándo dato témpore páreret. Quando autem parturiébat, péperit fíliam, fíliam saltántem.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus : * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intellléctus : et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. — Et. Glória Patri. Et.

Pro S. Sabina Mart.

Lectio ix

SAbína, múlier Romána, Valentíni viri claríssimi uxor, a Seráphia vírgine christiánæ fídei præcéptis institúta, post sanctæ Vírginis martýrium, colléctas ejus relíquias piis exséquiis sepelívit. Quæ propter eam causam paulo post, Hadriáno imperatóre, comprehénsa, Elpídio júdici sístitur. Cui is : Tu ne illa Sabína et génere et matrimónio nobilíssima? At illa, Sum, inquit : sed Dómino meo Jesu Christo grátias ago, qui me, intercessióne Seráphiæ fámulæ suæ, e dæmonum potestáte liberávit. Quam várie tentátam, ut propósitum mutáret, cum a fídei constántia movére non posset, præféctus, pronuntiáta senténtia quod deos contémneret, cápitis damnávit. Ejus corpus a Christiánis in eódem sepúlcro cónditum est, in quo ipsa magístram fídei suæ Seráphiam posúerat.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

et per Horas, Añæ

1 Heródes enim ténuit * et ligávit Joánnem et pósuit in cárcerem propter Herodíadem.

2 Dómine mi rex, * da mihi in disco caput Joánnis Baptístæ.

3 Puéllæ saltánti * imperávit mater : Nihil áliud petas, nisi caput Joánnis.

4 Arguébat * Heródem Joánnes propter Herodíadem, quam túlerat fratri suo Philíppo uxórem.

5 Da mihi in disco * caput Joánnis Baptístæ. Et contristátus est rex propter jusjurándum.

Capitulum Jac. 1, 12

BEátus vir, qui suffert tentatiónem : quóniam, cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se.

Hymnus

INvícte Martyr, únicum Patris secútus Fílium,
Victis triúmphas hóstibus,
Victor fruens cæléstibus.

Tui precátus múnere
Nostrum reátum dílue,
Arcens mali contágium,
Vitæ repéllens tædium.

Solúta sunt jam víncula
Tui sacráti córporis :
Nos solve vinclis sæculi,
Dono supérni Núminis.

* Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc et per omne sæculum. Amen.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Bened. Ant. Misso Heródes * spiculatóre, præcépit amputári caput Joánnis in cárcere. Quo audíto, discípuli ejus venérunt, et tulérunt corpus ejus, et posuérunt illud in monuménto.

Oratio

SAncti Joánnis Baptístæ Præcursóris et Mártyris tui, quæsumus, Dómine, veneránda festívitas : salutáris auxílii nobis præstet efféctum : Qui vivis.

Pro Commem. S. Sabinæ Mart. :

Ant. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio

DEus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula étiam in sexu frágili victóriam martýrii contulísti : concéde propítius; ut, qui beátæ Sabínæ Mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

AD PRIMAM

Ant. Heródes enim ténuit * et ligávit Joánnem et pósuit in cárcerem propter Herodíadem.

AD TERTIAM

Ant. Dómine mi rex, * da mihi in disco caput Joánnis Baptístæ.

Capitulum Jac. 1, 12

BEátus vir, qui suffert tentatiónem : quóniam, cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se.

℟. br. Glória et honóre * Coronásti eum, Dómine. Glória et. ℣. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum. Coronásti. Glória Patri. Glória et. ℣. Posuísti, Dómine, super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso.

Oratio

SAncti Joánnis Baptístæ Præcursóris et Mártyris tui, quæsumus, Dómine, veneránda festívitas : salutáris auxílii nobis præstet efféctum : Qui vivis.

AD SEXTAM

Ant. Puéllæ saltánti * imperávit mater : Nihil áliud petas, nisi caput Joánnis.

Capitulum Eccli. 15, 3

CIbávit illum pane vitæ et intellléctus, et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum Dóminus, Deus noster.

℟. br. Posuísti, Dómine, * Super caput ejus. Posuísti. ℣. Corónam de lápide pretióso. Super. Glória Patri. Posuísti. ℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

AD NONAM

Ant. Da mihi in disco * caput Joánnis Baptístæ. Et contristátus est rex propter jusjurándum.

Capit. Eccli. 39, 6 C

JUstus cor suum trádidit ad vigilándum dilúculo ad Dóminum, qui fecit illum, et in conspéctu Altíssimi deprecábitur.

℟. br. Magna est glória ejus * In salutári tuo. Magna est. ℣. Glóriam et magnum decórem impónes super eum. In. Glória Patri. Magna. ℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

IN II VESPERIS

Omnia ut in I Vesperis 941, præter sequentia :

Psalmi ut in I Vesperis de Communi App. [3], sed loco ultimi dicitur Ps. 115 Crédidi, ut supra notatur. 941

℣. Justus ut palma.

Ad Magníf. Ant. Misit rex incrédulus * minístros detestábiles, et amputári jussit caput Joánnis Baptístæ.

Et fit Com. sequentis ac Ss. Felicis et Adaucti Martyrum, ut infra.

Die 30 Augusti

S. Rosæ a S. Maria

Virg. Limanæ [111]

Duplex

Ant. Veni, Sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

℣. Spécie tua et.

Oratio

BOnórum ómnium largítor, omnípotens Deus, qui beátam Rosam, cæléstis grátiæ rore prævéntam, virginitátis et patiéntiæ decóre Indis floréscere voluísti : da nobis fámulis tuis; ut in odórem suavitátis ejus curréntes, Christi bonus odor éffici mereámur. (Qui tecum vivit.)

Deinde Commem. Ss. Felicis et Adaucti Mm. :

Ant. Istórum est enim regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad prǽmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Lætámini in Dómino et exsultáte, justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Oratio

MAjestátem tuam, Dómine, súpplices exorámus : ut, sicut nos júgiter Sanctórum tuórum commemoratióne lætíficas; ita semper supplicatióne deféndas. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

IN Rimus Américæ meridionális flos sanctitátis, virgo Rosa, christiánis paréntibus Limæ progénita, mox ab incunábulis cláruit futúræ sanctimóniæ indíciis. Nam vultus infántis mirabíliter in rosæ effigiem transfigurátus, huic nómini occasiónem dedit; cui póstea Virgo Deípara cognómen adjécit, jubens vocári deínceps Rosam a sancta María. Quinquénnis, votum

perpétuæ virginitátis emísit : adúltior, ne a paréntibus ad núptias cogerétur, clam síbimet venustíssimam cápitis cæsáriem præcídit. Jejúniis supra humánum modum addícta, íntegras Quadragésimas transégit pane ábstinens ac diétim solis quinque gránulis mali cítrini victitans.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. — Et dedúcet te.

Lectio v

HAbitu tértii órdinis sancti Domínici assúmpto, prístinas vitæ austeritátes duplicávit : oblóngo asperrimóque cilício sparsim minúsculas acus innéxuit : sub velo corónam densis acúleis intrórsus obarmátam intérdiu noctúque gestávit. Sanctæ Catharínæ Senénsis árdua premens vestígia, caténa férrea, tríplici nexu circumdúcta, lumbos cinxit. Léctulum sibi e truncis nodósis compósuit, horúmque vácuas commissúras fragmínibus testárum implévit. Céllulam sibi angustíssimam struxit in extrémo horti ángulo; ubi, cæléstium contemplatióni dédita, crebris disciplínis, inédia, vigíliis corpúsculum exténuans, at spíritu vegetáta, larvas dæmonum, frequénti certámine victrix, impávide protrívit ac superávit.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea.

Lectio vi

AGritúdinum torméntis, domesticórum insúltibus, linguárum mórsibus dire agitáta, nondum satis pro mérito se afflígi querebátur. Per quíndecim annos, ad plúsculas horas desolatióne spíritus et ariditáte misérrime contabéscens, forti ánimo tulit agónes omni morte amarióres. Exínde cœpit supérnis abundáre delíciis, illustrári visiónibus, colliquéscere seráphicis ardóribus. Angelo tutelári, sanctæ Catharínæ Senénsi, Vírgini Deíparæ inter assíduas apparitiónes mire familiáris, a Christo has voces audíre méruit : Rosa cordis mei, tu mihi sponsa esto. Dénique, Sponsi hujus paradíso felíciter invéctam, plurimísque ante et post óbitum miráculis co-

rúscam, Clemens décimus, Póntifex máximus, sanctárum Vírginum catálogo ritu solémni adscrípsit. ℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus * Afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. — Afferéntur tibi. Glória Patri. Afferéntur tibi.

Pro hoc Festo simplificato

Lectio ix

PRimus Américæ meridionális flos sanctitátis, virgo Rosa, christiánis paréntibus Limæ progénita, mox ab incunábulis cláruit futúræ sanctimóniæ indíciis, nam vultus infántis, mirabíliter in rosæ effígiem transfigurátus, huic nómini occasiónem dedit. Ne a paréntibus ad núptias cogerétur, clam sibimet venustíssimam comam præcídit. Singuláris fuit ejus vitæ austéritas. Assúmpto hábitu tértii órdinis sancti Domínici, sanctæ Catharínæ Senénsis árdua pressit vestígia. Per quíndecim annos, ad plúsculas horas desolatióne spíritus et aridítate misérrime contabéscens, fórtiter tulit agónes omni morte amarióres. Angelo tutelári, sanctæ Catharínæ Senénsi, Vírgini Deíparæ inter assíduas apparitiónes mire familiáris, a Christo has voces audíre méruit : Rosa cordis mei, tu mihi sponsa esto. Plúribus ante et post mortem miráculis claram, Clemens Papa décimus eam sanctárum Vírginum catálogo adscrípsit.

Te Deum laudámus.

In III Nocturno Homilia in Evangelium Símile erit regnum cælórum, de Communi Virginum 1 loco. [122]

Pro Ss. Felice et Adaucto Martyribus

Lectio ix

FElix, Diocletiáno et Maximiáno imperatóribus, propter suscéptam Christi religiónem comprehénsus, in Serápidis templum addúctus est. Cui sacrificáre cum juberétur, os simulácri cónspuit; quo facto, statim ærea státua córruit. Quod cum íterum ac tértio in æde Mercúrii Dianéque factum esset, impietátis et mágicæ artis accusátus, equúleo torquétur. Mox ad secúndum ab Urbe lápidem via Ostiénsi dúcitur, ut secúri ferirétur. Cui inter viam oblátus quidam Christiánus, cum, Felícem agnóscens, ad martýrium duci vidéret, Ego quoque, clara voce inquit, eádem, qua iste, lege vivo; ego eúmdem Jesum Christum colo. Itaque Felícem osculátus, cum eo secúri percútitur, tértio Kaléndas Septémbris. Cujus nomen cum ignótum esset Christiánis, is Adáucti nómine nobilitátus est, quod sancto Mártyri Felíci adáuctus sit ad corónam.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Diffúsa est grátia.

Ad Bened. Ant. Símile est regnum cælórum * hómini negotiatóri quæ-rénti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

Oratio

BOnórum ómnium largítor, omnípotens Deus, qui beátam Rosam, cæléstis grátiæ rore prævéntam, virginitátis et patiéntiæ decóre Indis floréscere voluísti : da nobis fámulis tuis; ut in odórem suavitátis ejus curréntes, Christi bonus odor éffici mereámur. Qui tecum.

Et fit Commemor. Ss. Felicis et Adaucti Mm. :

Ant. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt : nolíte timére : multis passéribus melióres estis vos. ℣. Exsultábunt Sancti.

Oratio

MAjestátem tuam, Dómine, súpplices exorámus: ut, sicut nos júgiter Sanctórum tuórum commemoratióne lætíficas; ita semper supplicatióne deféndas. Per Dóminum.

Vesperæ a Capitulo de seq., Commemoratio præcedentis.

Die 31 Augusti

S. Raymundi Nonnati

Confessoris [94]

Duplex (m. t. v.)

℣. Amávit eum Dóminus.

Ad Magnif. Ant. Hic vir despíciens mundum * et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

Oratio

DEus, qui in liberándis fidélibus tuis ab impiórum captivitáte beátum Raymúndum Confessórem tuum mirábilem effecísti : ejus nobis intercessióne concéde; ut a peccatórum vínculis absolúti, quæ tibi sunt plácita, líberis méntibus exsequámur. Per Dóminum.

Et fit Commem. præced. :

Ant. Veni, Sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

℣. Diffúsa est grátia.

Oratio Bonórum ómnium, ut supra.

In II Nocturno

Lectio iv

RAymúndus, Nonnátus cognoménto dictus, quia præter commúnem natúræ legem e mórtuæ matris dissécto látere in lucem edúctus fuit, Portélli in Cataláunia piis et nobílibus paréntibus ortus, ab ipsa infántia futúræ sanctitátis indícia dedit. Nam puerília oblectaménta mundíque illécebras réspuens, ita pietáti óperam dabat, ut omnes in púero adúltam virtútem admiraréntur. Crescénte vero ætáte, litterárum stúdiis incúbuit; sed mox, jubénte patre, vitam ruri agens, sacéllum sancti Nicolái, in Portélli fínibus situm, crebro adíbat, ut sacram Deíparæ imáginem, quæ in eo summa fidélium veneratióne étiam nunc cólitur, visitáret. Ibi effúsus in preces, ipsam Dei paréntem, ut se in fílium adoptáre viámque salútis ac sciéntiam Sanctórum edocére dignarétur, enixe deprecabátur.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et.

Lectio v

NEC défuit votis ejus benignissima Virgo. Ab ipsa enim intelléxit gratíssimum sibi fore, si religiónem sub título de Mercéde seu de misericórdia redemptiónis captivórum, ea suggerénte nuper fundátam, ingrederétur. Qua monitióne percépta, Barcinónem statim profóctus, illud tam præcelléntis erga próximum caritátis institútum ampléxus est. Regulári ígitur militiæ adscríptus, virginitátem, quam pridem beátæ Vírgini consecráverat, perpétuo cóluit, ceterísque virtútibus enítuit, caritáte præsértim erga Christiános qui sub potestáte paganórum míseram in captivitáte vitam degébant. Hos ut redímeret, in Africam missus, cum jam multos a servitúte liberásset, ne, consúmpta pecúnia, áliis item in próximo abnegándæ fídei discrímine constitútis deésset, se ipsum pígnori dedit. Sed cum, ardentíssimo salútis animárum desidério succénsus, plures Mahometános suis conciónibus ad Christum convérteret, in arctam custódiam a bárbaris conjéctus variísque

supplíciis cruciátus, mox lábiis perforátis et sera férrea clausis, crudéle martýrium diu sustínuit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vi

OB hæc et ália fórtiter gesta, sanctitátis ejus fama longe latéque diffúsa est. Qua permótus Gregórius nonus, in amplíssimum sanctæ Románæ Ecclésiæ cardinálium collégium Raymúndum adscrípsit. Sed vir Dei, in ea dignitáte ab omni pompa abhórrens, religiósæ humilitátis tenacíssimus semper fuit. Romam vero pergens, statim ac Cardónam pervénit, extrémo morbo confléctus, ecclesiásticis sacraméntis muníri summis précibus postulávit. Cumque morbus ingravésceret et sacérdos diútius tardáret, Angelórum ministério, sub spécie religiosórum sui órdinis apparéntium, salutári Viático refléctus fuit. Quo sumpto et grátiis Deo peráctis, migrávit ad Dóminum Domínica última Augústi anno millésimo ducentésimo quadragésimo. Mórtui corpus, cum circa locum sepultúræ conténtio orta esset, arcæ inclúsum et mulæ cæcæ impósitum, ad sacéllum sancti Nicolái, Dei nutu, delátum fuit, ut ibi tumularétur ubi prima jécerat sanctióris vitæ fundaménta. Illic, constrúcto sui órdinis cœnóbio, a confluéntibus voti causa ex univérsa Cataláunia fidélibus pópulis honorátur, váriis miráculis et signis gloriósus.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixít ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Quia. Glória Patri. Quia.

Pro hoc Festo simplificato

Lectio ix

RAymúndus, Nonnátus cognoménto dictus, quia præter commúnem natúræ legem e mórtuæ matris dissécto látere in lucem edúctus fuit, puerí les ludos mundíque illécebras réspuens, ita pietáti óperam dabat, ut omnes in púero adúltam virtútem admiraréntur. Dei Matrem, quam sédulo deprecabátur, summópere

diléxit. Religiónem sub título de Mercéde seu de misericórdia redemptiónis captivórum ingréssus, virginitátem, quam pridem beátæ Vírgini consecráverat, perpétuo cóluit, ceterísque virtútibus enítuit, caritáte præsértim erga Christiános, qui sub potestáte paganórum míseram vitam degébant. Eum Gregórius nonus inter patres cardináles adscrípsit; sed vir Dei, in ea dignitáte ab omni pompa abhórrens, religiósæ humilitátis tenacíssimus semper fuit. Cardónæ, extrémo morbo confléctus et Ecclésiæ sacraméntis munítus, migrávit ad Dóminum Domínica última Augústi, anno millésimo ducentésimo quadragésimo. Te Deum.

In III Nocturno Homilia in Ev. Sint lumbi, de Communi Conf. non Pont. 1 loco. [98]

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

Oratio

DEus, qui in liberándis fidélibus tuis ab impiórum captivitáte, beátum Raymúndum Confessórem tuum mirábilem effecísti : ejus nobis intercessióne concéde; ut a peccatórum vínculis absolúti, quæ tibi sunt plácita, líberis méntibus exsequámur. Per Dóminum.

IN II VESPERIS

℣. Justum dedúxit.

Ad Magnif. Ant. Hic vir despíciens mundum * et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

Et fit Commemoratio sequentis et Ss. duodecim Fratrum Martyrum.

FESTA SEPTEMBRIS

Die 1 Septembris

S. Ægidii

Abbatis Simplex [94]

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

℣. Amávit eum Dóminus.

Oratio C 4

INtercéssio nos, quæsumus, Dómine, beáti Ægídii Abbátis commendet : ut, quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. (Per Dóminum.)

Deinde Commem. Ss. duodecim Fratrum Martyrum :

Ant. Istórum est enim regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad prǽmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Lætámini in Dómino.

Oratio

FRatérna nos, Dómine, Mártyrum tuórum coróna lætíficet : quæ et fídei nostræ prǽbeat increménta virtútum, et multíplici nos suffrágio consolétur. Per Dóminum.

Lectio iii

AEGídius Athenién sis, régiæ stirpis, a prima ætáte divínis lítteris et caritátis offíciis ita déditus fuit, ut nihil prætérea curáre viderétur. Itaque, paréntibus mórtuis, totum patrimónium in páuperes erogávit; quin étiam túnicam éxuit, ut ægrótum egéntem tégeret, qua ille indútus, statim conváluit. Sed multis deínceps clárior miráculis, timens sui nóminis celebritátem, Arelátem ad beátum Cæsárium conténdit. A quo post biénnium discédens, secéssit in erémum; ubi diútius herbárum radícibus et cervæ lacte, quæ statis ad eum horis veniébat, admirábili sanctitáte vixit. Quæ cerva, insequéntibus quodam die cánibus régiis, cum in antrum Ægídii refugísset, Gálliæ regem ímpulit, ut ab eo summis précibus péteret, ut in loco spelúncæ monastérium éxstrui paterétur. Cujus administratiónem, flagitánte rege, invítus suscépit; eóque múnere áliquot annis prudénter piéque gesto, migrávit in cælum.

Te Deum laudámus.

℣. Justum dedúxit.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

Pro Commem. Ss. duodecim Fratrum Martyrum :

Ant. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt : nolíte timére : multis passéribus melióres estis vos.

℣. Exsultábunt Sancti.

Oratio Fratérna nos, ut supra.

Vesperæ de sequenti.

Die 2 Septembris

S. Stephani

Regis, Confessoris [94]

Semiduplex (m. t. v.)

℣. Amávit eum Dóminus.

Ad Magnif. Ant. Similábo eum * viro sapiénti, qui

ædificávit domum suam supra petram.

Oratio

GOncéde, quæsumus, Ecclésiæ tuæ, omnipotens Deus : ut beátum Stéphanum Confessórem tuum, quem regnántem in terris propagatórem hábuit, propugnatórem habére mereátur gloriósum in cælis. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

STéphanus in Hungáriam Christi fidem et régium nomen invéxit. Régia coróna a Románo Pontifice impetráta, ejúsque jussu in regem inúnctus, regnum Sedi apostólicæ óbtulit. Vária pietátis domicília Romæ, Jerosólymis, Constantinópoli; in Hungária archiepiscopátum Strigoniénsem, episcopátus decem admirábili religióne et munificéntia fundávit. Par in páuperes amor et liberálitas, quos véluti Christum ipsum compléctens, néminem a se mæréntem ac vácuum umquam dimísit; quin ad eórum inópiam sublevándam, amplíssimis facultátibus erogátis, doméstica quoque supelléctilem exímia benignitáte frequénter distríbuit. Suis insuper mánibus laváre páuperum pedes, noctu solus et ignótus nosocomía frequentáre, decumbéntibus inservire ac cétera caritátis officia exhibére consuévit. Quarum virtútum mérito, illius déxtera, resolúto cétero córpore, incorrúpta permánsit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et.

Lectio v

ORándi stúdio noctes pene totas ducébat insómnes; atque in cæléstium rerum contemplatióne defixus, intérdum extra sensus raptus, sublimis in áëra ferri visus fuit. Perduéllium conspiratiónes ac validórum hóstium ímpetus, miro prorsus modo, non semel oratiónis præsídio evitávit. Susceptum ex Ghisélla Bavárica, sancti Henrici imperatóris soróre, quam sibi matrimónio júnxerat, Emericum fílium tanta morum disciplina talique pietáte enutrivit, quantum ejus póstea sánctitas declarávit. Regni vero negótia ita dispósuit, ut, accítis úndique prudentíssimis et sanctíssimis viris, nihil umquam sine illórum consílio molirétur; humíllimis ínterim précibus in cínere et cilício Deum déprecans, ut univérsum Hungáriæ regnum, ántequam e vita migráret, cathólicum vidére mererétur; vere, propter ingens dilatándæ fídei stúdium, illíus gentis Apóstolus nuncupátus, facta a Románo Pontífice ipsi posterísque régibus præferéndæ crucis potestáte.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vi

DEI Genitrícem, quam ardentíssime venerabátur, amplíssimo in ejus honórem constrúcto templo, Hungáriæ patrónam instítuit; ab eádem vicíssim Vírgine recéptus in cælum ipso suæ Assumptiónis die, quem Húngari e sancti Regis institúto Magnæ Dóminæ diem appéllant. Sacrum ejus corpus, suavíssimo fragrans odóre, liquóre cæléstis scatens, inter multa et vária mirácula, Románi Pontíficis jussu, nobiliórem in locum translátum est atque honorificéntius cónditum. Ejus autem festum Innocéntius undécimus, Póntifex máximus, quarto Nonas Septémbris, ob insígnem victóriam ab exércitu Leopóldi primi, Romanórum elécti imperatóris et Hungáriæ regis, eádem die in Budæ expugnatióne, ope divína, e Turcis reportátam, celebrándum instítuit.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Quia. Glória Patri. Quia.

Pro hoc Festo simplificato

Lectio ix

STéphanus, Hungarórum rex, in Hungáriam Christi fidem et régium nomen invéxit. Régia coróna a Románo Pontífice impetráta, ejúsque jussu rex inúnctus, regnum Sedi apostólicæ óbtulit. Vária pietátis domicília Romæ, Jerosólymis, Constantinópoli constítuit; in Hungária archiepiscopátum Strigoniénsem et episcopátus decem admirábili religióne et munificéntia fundávit. Exímia in páuperes caritáte et assíduo orándi stúdio enítuit. Dei Genitrícem, quam ardentíssime venerabátur, amplíssimo in ejus honórem constrúcto templo, Hungáriæ patrónam instítuit; ab eádem vicíssim Vírgine recéptus in cælum ipso suæ Assumptiónis die, quem Húngari e sancti Regis institúto Magnæ Dóminæ diem appéllant. Ejus tamen festum ex constitutióne Innocéntii Papæ undécimi hac die potíssimum recólitur, qua Budæ munitíssima arx, sancti Regis ope, ab exércitu christiáno strénue recuperáta fuit.

Te Deum laudámus.

In III Nocturno Homilia in Ev. Homo quidam nóbilis, ut supra die 25 Augusti. 931

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

Oratio

GOncéde, quæsumus, Ecclésiæ tuæ, omnípotens Deus : ut beátum Stéphanum Confessórem tuum, quem regnántem in terris propagatórem hábuit, propugnatórem habére mereátur gloriósum in cælis. Per Dóminum.

IN II VESPERIS

℣. Justum dedúxit.

Ad Magnif. Ant. Hic vir despíciens mundum * et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

Commune Sanctorum

In omnibus Festis novem Lectionum Apostolorum vel Evangelistarum, in Duplicibus I et II classis aliorum Sanctorum, in Dedicatione Ecclesiæ, in Festis beatæ Mariæ Virginis, non autem per eorum Octavas, Officium integrum, præter ea quæ suis locis propria assignantur, dicitur de respectivo Communi, ut infra.

In reliquis Sanctorum Festis, in Octavis non privilegiatis quibuslibet et in Officio sanctæ Mariæ in Sabbato, præter ea quæ pariter suis locis assignantur propria, Antiphonæ et Psalmi ad omnes Horas et Versus Nocturnorum sumuntur de occurrenti hebdomadæ die; Lectiones I Nocturni aut Lectio I et II cum suis Responsoriis dicuntur de Scriptura occurrenti, juxta Rubricas; reliqua omnia de respectivo Communi, ut infra, vel, in Octavis, ut in die Festo.

In Vigiliis Apostolorum

Officium fit de Feria, ut in Ordinario et Psalterio, præter Lectiones et Orationem, quæ, nisi propria suis locis assignentur, dicuntur ut infra, cum Responsoriis tamen de Feria currenti, ut in Proprio de Tempore.

Ad Nocturnum vero in Feria IV tres ultimæ Antiphonæ cum suis Psalmis, et ad Laudes in qualibet Feria Antiphonæ omnes et Psalmi sumuntur de 2 loco; ad Primam additur quartus Psalmus, ut in Psalterio notatur, et ad omnes Horas dicuntur Preces feriales, ut in Ordinario.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem

Lectio i Cap. 15. 12-16

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Hoc est præcéptum meum, ut diligátis ínvicem, sicut diléxi vos. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ

Homilia 27 in Evangelia

CUM cuncta sacra elóquia Domínicis plena sint præcéptis, quid est quod de dilectióne, quasi de singulári mandáto, Dóminus dicit : Hoc est præcéptum meum, ut diligátis ínvicem; nisi quia omne mandátum de sola dilectióne est, et ómnia unum præcéptum sunt? Quia, quidquid præcípitur, in sola caritáte solidátur. Ut enim multi árboris rami ex una radíce pródeunt : sic multæ virtútes ex una caritáte generántur. Nec habet áliquid viriditátis ramus boni óperis, si non manet in radíce caritátis.

Responsoria de Feria, ut in Proprio de Tempore.

Lectio ii

PRæcépta ergo Domínica et multa sunt, et unum : multa per diversitátem óperis, unum in radíce dilectiónis. Quáliter autem ista diléctio tenénda sit, ipse insínuat, qui, in plerísque Scriptúræ suæ senténtiis, et amícos jubet díligi in se, et inimícos propter se. Ille enim veráciter caritátem habet, qui et amícum díligit in Deo, et inimícum díligit propter Deum. Nam sunt nonnúlli, qui díligunt próximos, sed per affectum cognatiónis et carnis; quibus tamen in hac dilectióne sacra elóquia non contradícunt. Sed áliud est quod sponte impénditur natúræ, áliud quod præcéptis Domínicis ex caritáte debétur obediéntiæ.

Lectio iii

HI nimírum et próximum díligunt, et tamen illa sublímia dilectiónis prémia non assequúntur; quia amórem suum non spiritáliter, sed carnáliter impéndunt. Proínde cum Dóminus díceret : Hoc est præcéptum meum ut diligátis ínvicem, prótinus áddidit : Sicut diléxi vos. Ac si apérte dicat : Ad hoc amáte, ad quod amávi vos. Qua in re, fratres caríssimi, solérter intuéndum est, quod antíquus hostis, dum mentem nostram ad rerum temporálium dilectiónem trahit, infirmiórem contra nos próximum éxcitat, qui ea ipsa, quæ dilígimus, auférre moliátur.

Oratio

DA, quæsumus, omnípotens Deus : ut beáti N., Apóstoli tui, quam prævenímus, veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat et salútem. Per Dóminum.

Si tamen præcedens Oratio dicta jam fuerit in Officio vel Commemoratione de Communi Conf. Pont., tunc dicatur sequens

Oratio

QUæsumus, omnípotens Deus : ut beátus N. Apóstolus, cujus prævenímus festivitátem, tuum pro nobis implóret auxílium; ut, a nostris reátibus absolúti, a cunctis étiam perículis eruámur. Per Dóminum.

Commune Apostolorum

IN I VESPERIS

Ant. Hoc est præcéptum meum, * ut diligátis ínvicem, sicut diléxi vos.

Psalmus 109 1

DIxit Dóminus Dómino meo : * Sede a dextris meis :

Donec ponam inimícos tuos, * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion : * domináre in médio inimicórum tuórum

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum : * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, et non pænitébit eum : * Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

Dóminus a dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas : * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet : * proptérea exaltábit caput.

Ant. Hoc est præcéptum meum, ut diligátis ínvicem, sicut diléxi vos.

Ant. Majórem caritátem * nemo habet, ut ánimam suam ponat quis pro amícis suis.

Psalmus 110 2

CONfitébor tibi, Dómine, in toto corde meo : * in consílio justórum, et congregatióne.

Magna ópera Dómini : * exquisíta in omnes voluntátes ejus.

Conféssio et magnificéntia opus ejus : * et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Memóriam fecit mirabílium suórum, miséricors

et miserátor Dóminus : * escam dedit timéntibus se.

Memor erit in sæculum testaménti sui : * virtútem óperum suórum annuntiábit pópulo suo :

Ut det illis hereditátem géntium : * ópera mánuum ejus véritas, et judícium.

Fidélia ómnia mandáta ejus : confirmáta in sæculum sæculi, * facta in veritáte et æquitáte.

Redemptiónem misit pópulo suo : * mandávit in ætérnum testaméntum suum.

Sanctum, et terríbile nomen ejus : * inítium sapiéntiæ timor Dómini.

Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum : * laudátio ejus manet in sæculum sæculi.

Ant. Majórem caritátem nemo habet, ut ánimam suam ponat quis pro amícis suis.

Ant. Vos amíci mei estis, * si fecéritis quæ præcípio vobis, dicit Dóminus.

Psalmus 111 3

BEátus vir, qui timet Dóminum : * in mandátis ejus volet nimis.

Potens in terra erit semen ejus : * generátio rectórum benedicétur.

Glória, et divítiæ in domo ejus : * et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Exórtum est in ténebris lumen rectis : * misericors, et miserátor, et justus.

Jucúndus homo qui miserétur et cómmodat, dispónet sermónes suos in judício : * quia in ætérnum non commovébitur.

In memória ætérna erit justus : * ab auditióne mala non timébit.

Parátum cor ejus speráre in Dómino, confirmátum est cor ejus : * non commovébitur donec despíciat inimícos suos.

Dispérsit, dedit paupéribus : justítia ejus manet in sæculum sæculi, * cornu ejus exaltábitur in glória.

Peccátor vidébit, et irascétur, déntibus suis fremet et tabéscet : * desidérium peccatórum períbit.

Ant. Vos amíci mei estis, si fecéritis quæ præcípio vobis, dicit Dóminus.

Ant. Beáti pacífici, * beáti mundo corde : quóniam ipsi Deum vidébunt.

Psalmus 112 4

LAudáte, púeri, Dóminum : * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum, * ex hoc nunc, et usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes gentes Dóminus, * et super cælos glória ejus.

Quis sicut Dóminus, Deus noster, qui in altis hábitat, * et humília réspicit in cælo et in terra?

Súscitans a terra ínopem, * et de stércore érigens páuperem :

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum lætántem.

Ant. Beáti pacífici, beáti mundo corde : quóniam ipsi Deum vidébunt.

Ant. In patiéntia vestra * possidébitis ánimas vestras.

Psalmus 116 5

LAudáte Dóminum, omnes gentes : * laudáte eum, omnes pópuli :

Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus : * et véritas Dómini manet in ætérnum.

Ant. In patiéntia vestra possidébitis ánimas vestras.

Capit. Ephes. 2, 19-20

FRatres : Jam non estis hóspites, et ádvenæ; sed estis cives Sanctórum, et doméstici Dei, superædificáti super fundaméntum Apostolórum et Prophetárum, ipso summo angulári lápide Christo Jesu.

Hymnus

GXsúltet orbis gáudiis, Cælum resúltet láudibus :
Apostolórum glóriam
Tellus et astra cóncinunt.

Vos, sæculórum júdices
Et vera mundi lúmina,
Votis precámur córdium :
Audíte voces súpplicum.

Qui templa cæli cláuditis
Serásque verbo sólvitis,
Nos a reátu nóxios
Solvi jubéte, quæsumus.

Præcépta quorum prótinus
Languor salúsque séntiunt,
Sanáte mentes lánguidas,
Augéte nos virtútibus :

Ut, cum redíbit árbiter
In fine Christus sæculi,
Nos sempitérni gáudii
Concédat esse cómpotes.

* Patri, simúlque Fílio,
Tibíque, Sancte Spíritus,
Sicut fuit, sit júgiter
Sæclum per omne glória.
Amen.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Ad Magnif. Ant. Tradent enim vos * in concíliis, et in synagógis suis flagellábunt vos, et ante reges et præsides ducémini propter me in testimónium illis, et géntibus.

Oratio propria.

Completorium de Dominica.

AD MATUTINUM

Invitat. Regem Apostolórum Dóminum, * Venite, adorémus. Ps. 94 Veníte, exsultémus.

Hymnus

ÆTérna Christi múnera, Apostolórum glóriam,
Palmas et hymnos débitos
Lætis canámus méntibus.

Ecclesiárum Príncipes,
Belli triumpháles duces,
Cæléstis aulæ milites
Et vera mundi lúmina.

Devóta Sanctórum fides,
Invícta spes credéntium
Perfécta Christi cáritas
Mundi tyránnum cónterit.

In his Patérna glória,
In his triúmphat Fílius,
In his volúntas Spíritus,
Cælum replétur gáudio.

* Patri, simúlque Fílio,
Tibique, Sancte Spíritus,
Sicut fuit, sit júgiter
Sæclum per omne glória.
Amen.

In I Nocturno

Ant. In omnem terram * exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum.

Psalmus 18

Æli enárrant glóriam Dei, * et ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum, * et nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ, neque sermónes, * quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum : * et in fines orbis terræ verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum : * et ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo :

Exsultávit ut gigas ad curréndam viam, * a summo cælo egréssio ejus :

Et occúrsus ejus usque ad summum ejus : * nec est qui se abscóndat a calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta, convértens ánimas : * testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

Justítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda : * præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in sæculum sæculi : * judícia Dómini vera, justificáta in semetípsa.

Desiderabília super aurum et lápidem pretiósum multum : * et dulcióra super mel et favum.

Etenim servus tuus custódit ea, * in custodiéndis illis retribútio multa.

Delicta quis intélligit? ab occúltis meis munda me : *

et ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint dominánti, tunc immaculátus ero : * et emundábor a delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei : * et meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Dómine, adjútor meus, * et redémptor meus.

Ant. In omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum.

Ant. Clamavérunt justi, * et Dóminus exaudívit eos.

Psalmus 33

BEnedícam Dóminum in omni témpore : * semper laus ejus in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea : * áudiant mansuéti, et læténtur.

Magnificáte Dóminum mecum : * et exaltémus nomen ejus in idípsum.

Exquisívi Dóminum, et exaudívit me : * et ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

Accédite ad eum, et illuminámini : * et fácies vestræ non confundéntur.

Iste pauper clamávit, et Dóminus exaudívit eum : * et de ómnibus tribulatiónibus ejus salvávit eum.

Immittet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum : * et erípiet eos.

Gustáte, et vidéte quóniam suávis est Dóminus : * beátus vir, qui sperat in eo.

Timéte Dóminum, omnes sancti ejus : * quóniam non est inópia timéntibus eum.

Dívites eguérunt et esuriérunt : * inquiréntes autem Dóminum non minuéntur omni bono.

Veníte, fílii, audíte me : * timórem Dómini docébo vos.

Quis est homo qui vult vitam : * díligit dies vidére bonos?

Próhibe linguam tuam a malo : * et lábia tua ne loquántur dolum.

Divérte a malo, et fac bonum : * inquíre pacem, et perséquere eam.

Oculi Dómini super justos : * et aures ejus in preces eórum.

Vultus autem Dómini super faciéntes mala : * ut perdat de terra memóriam eórum.

Clamavérunt justi, et Dóminus exaudívit eos : * et ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Juxta est Dóminus iis, qui tribuláto sunt corde : * et húmiles spíritu salvábit.

Multæ tribulatiónes justórum : * et de ómnibus his liberábit eos Dóminus.

Custódit Dóminus ómnia ossa eórum : * unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péssima : * et qui odérunt justum, delínquent.

Rédimet Dóminus ánimas servórum suórum : * et non delínquent omnes qui sperant in eo.

Ant. Clamavérunt justi, et Dóminus exaudívit eos.

Ant. Constítues eos * príncipes super omnem terram : mémores erunt nóminis tui, Dómine.

Psalmus 44

ERuctávit cor meum verbum bonum : * dico ego ópera mea Regi.

Lingua mea cálamus scribæ, * velóciter scribéntis.

Speciósus forma præ fíliis hóminum, diffúsa est grátia in lábiis tuis : * proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum, * potentíssime.

Spécie tua et pulchritúdine tua * inténde, próspere procéde, et regna.

Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagíttæ tuæ acútæ, pópuli sub te cadent, * in corda inimicórum Regis.

Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi : * virga directiónis virga regni tui.

Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha, et gutta, et cásia a vestiméntis tuis, a dómibus ebúrneis : * ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo.

Astitít regína a dextris tuis in vestítu deauráto : * circúmdata varietáte.

Audi, fília, et vide, et inclína aurem tuam : * et oblivíscere pópulum tuum, et domum patris tui.

Et concupíscet Rex decórem tuum : * quóniam ipse est Dóminus, Deus tuus, et adorábunt eum.

Et fíliæ Tyri ín munéribus * vultum tuum deprecabúntur : omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus fíliæ Regis ab intus, * in fímbriis áureis circumamícta varietátibus.

Adducéntur Regi vírgines post eam : * próximæ ejus afferéntur tibi.

Afferéntur in lætítia et exsultatióne : * adducéntur in templum Regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii : * constítues eos príncipes super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui : * in omni generatióne et generatiónem.

Proptérea pópuli confitebúntur tibi in ætérnum : * et in sæculum sæculi.

Ant. Constítues eos príncipes super omnem terram : mémores erunt nóminis tui, Dómine.

℣. In omnem terram exivit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Absolut o Exáudi, Dómine.
Benedictio Benedictióne.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios

Lectio i Cap. 4, 1-15

SIC nos exístimet homo ut minístros Christi, et dispensatóres mysteriórum Dei. Hic jam quæritur inter dispensatóres, ut fidélis quis inveniátur. Mihi autem pro mínimo est, ut a vobis júdicer aut ab humáno die : sed neque meipsum júdico. Nihil enim mihi cónscius sum : sed non in hoc justificátus sum : qui autem júdicat me, Dóminus est. Itaque nolíte ante tempus judicáre, quoadúsque véniat Dóminus : qui et illumináb abscóndita tenebrárum, et manifestábit consília córdium; et tunc laus erit unicuíque a Deo.

℟. Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum, dicit Dóminus : * Estóte ergo prudéntes sicut serpéntes, et símplices sicut colúmbæ. ℣. Dum lucem habétis, crédite in lucem, ut fílii lucis sitis. — Estóte.

Benedictio Unigénitus Dei.

Lectio ii

HÆC autem, fratres, transfigurávi in me et Apóllo, propter vos, ut in nobis discátis; ne, supra quam scriptum est, unus advérsus álterum inflétur pro álio. Quis enim te discérnit? Quid autem habes, quod non accepísti? Si autem accepísti, quid gloriáris quasi non accéperis? Jam saturáti estis, jam dívites facti estis : sine nobis regnátis : et útinam regnétis, ut et nos vobiscum regnémus! Puto enim quod Deus nos Apóstolos novíssimos osténdit, tamquam morti destinátos : quia spectáculum facti sumus mundo, et Angelis, et hominibus.

℟. Tóllite jugum meum super vos, dicit Dóminus, et díscite a me, quia mitis sum et húmilis corde : * Jugum enim meum suáve est, et onus meum leve. ℣. Et inveniétis réquiem animábus vestris. — Jugum.

Benedictio Spíritus Sancti.

Lectio iii

NOS stulti propter Christum, vos autem prudéntes in Christo : nos infírmi, vos autem fortes : vos nóbiles, nos autem ignóbiles. Usque in hanc horam et esurímus, et sitímus, et nudi sumus, et cólaphis cædimur, et instábiles sumus, et laborámus operántes mánibus nostris : maledícimur, et benedícimus : persecutiónem pátimur, et sustinémus : blasphemámur, et obsecrámus : tamquam purgaménta hujus mundi facti sumus, ómnium peripséma usque adhuc. Non ut confúndam vos, hæc scribo, sed ut fílios meos caríssimos móneo. Nam si decem míllia pædagogórum habeátis in Christo : sed non multos patres; nam in Christo Jesu per Evangélium ego vos génui.

℟. Dum stetéritis ante reges et præsides, nolíte cogitáre, quómodo aut quid loquámini; * Dábitur enim vobis in illa hora, quid loquámini. ℣. Non enim vos estis, qui loquímini; sed Spíritus Patris vestri, qui lóquitur in vobis. — Dábitur. Glória Patri. Dábitur.

In II Nocturno

Ant. Príncipes populórum * congregáti sunt cum Deo Abraham.

Psalmus 46

OMnes gentes, pláudite mánibus : * jubiláte Deo in voce exsultatiónis.

Quóniam Dóminus excélsus, terríbilis : * Rex magnus super omnem terram.

Subjécit pópulos nobis : * et gentes sub pédibus nostris.

Elégit nobis hereditátem suam : * spéciem Jacob, quam diléxit.

Ascéndit Deus in júbilo : * et Dóminus in voce tubæ.

Psállite Deo nostro, psállite : * psállite Regi nostro, psállite.

Quóniam Rex omnis terræ Deus : * psállite sapiénter.

Regnábit Deus super gentes : * Deus sedet super sedem sanctam suam.

Príncipes populórum congregáti sunt cum Deo Abraham : * quóniam dii fortes terræ veheménter eleváti sunt.

Ant. Príncipes populórum congregáti sunt cum Deo Abraham.

Ant. Dedísti hereditátem * timéntibus nomen tuum, Dómine.

Psalmus 60

EXáudi, Deus, deprecatiónem meam : * inténde oratióni meæ.

A fínibus terræ ad te clamávi : * dum anxiarétur cor meum, in petra exaltásti me.

Deduxísti me, quia factus es spes mea : * turris fortitúdinis a fácie inimíci.

Inhabitábo in tabernáculo tuo in sæcula : * prótegar in velaménto alárum tuárum.

Quóniam tu, Deus meus, exaudísti oratiónem meam : * dedísti hereditátem timéntibus nomen tuum.

Dies super dies regis adjícies : * annos ejus usque in diem generatiónis et generatiónis.

Pérmanet in ætérnum in conspéctu Dei : * misericórdiam et veritátem ejus quis requíret?

Sic psalmum dicam nómini tuo in sæculum sæculi : * ut reddam vota mea de die in diem.

Ant. Dedísti hereditátem timéntibus nomen tuum, Dómine.

Ant. Annuntiavérunt * ópera Dei, et facta ejus intellexérunt.

Psalmus 63

EXáudi, Deus, oratiónem meam cum déprecor : * a timóre inimíci éripe ánimam meam.

Protexísti me a convéntu malignántium : * a multitúdine operántium iniquitátem.

Quia exacuérunt ut gládium linguas suas : * intendérunt arcum rem amáram, ut sagíttent in occúltis immaculátum.

Súbito sagittábunt eum, et non timébunt : * firmavérunt sibi sermónem nequam.

Narravérunt ut abscónderent láqueos : * dixérunt : Quis vidébit eos?

Scrutáti sunt iniquitátes : * defecérunt scrutántes scrutínio.

Accédet homo ad cor altum : * et exaltábitur Deus.

Sagíttæ parvulórum factæ sunt plagæ eórum : * et infirmátæ sunt contra eos linguæ eórum.

Conturbáti sunt omnes qui vidébant eos : * et tímuit omnis homo.

Et annuntiavérunt ópera Dei, * et facta ejus intellexérunt.

Lætábitur justus in Dómino, et sperábit in eo, * et laudabúntur omnes recti corde.

Ant. Annuntiavérunt ópera Dei, et facta ejus intellexérunt.

℣. Constitues eos príncipes super omnem terram. ℟. Mémores erunt nóminis tui, Dómine.

Absolutio Ipsíus píetas.

Benedictio Deus Pater.

Sermo sancti Gregórii Papæ

Homilia 30 in Evang., post medium

Lectio iv

SCriptum est : Spíritus Dómini ornávit cælos. Ornaménta enim cælórum sunt virtútes prædicántium. Quæ vidélicet ornaménta Paulus enúmerat, dicens : Alii datur per Spíritum sermo sapiéntiæ, álii sermo sciéntiæ secúndum eúmdem Spíritum, álteri fides in eódem Spíritu, álii grátia sanitátum in uno Spíritu, álii operátio virtútum, álii prophetía, álii discrétio spirítuum, álii génera linguárum, álii interpretátio sermónum. Hæc autem ómnia operátur unus atque idem Spíritus, dívidens síngulis prout vult.

℟. Vidi conjúnctos viros, habéntes spléndidas vestes, et Angelus Dómini locútus est ad me, dicens : * Isti sunt viri sancti facti amíci Dei. ℣. Vidi Angelum Dei fortem, volántem per médium cælum, voce magna clamántem et dicéntem. — Isti.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

QUot ergo sunt bona prædicántium, tot sunt ornaménta cælórum. Hinc rursus scriptum est : Verbo Dómini cæli firmáti sunt. Verbum enim Dómini Fílius est Patris. Sed eósdem cælos, vidélicet sanctos Apóstolos, ut tota simul sancta Trínitas ostendátur operáta, repénte de Sancti Spíritus divinitáte adjúngitur : Et Spíritu oris ejus omnis virtus eórum. Cælórum ergo virtus de Spíritu sumpta est : quia mundi hujus potestátibus contraíre non præsúmerent, nisi eos Sancti Spíritus fortitúdo solidásset. Quales namque doctóres sanctæ Ecclésiæ ante advéntum hujus Spíritus fúerint, scimus; et post advéntum illíus, cujus fortitúdinis facti sint, conspícimus.

℟. Beáti estis, cum maledíxerint vobis hómines, et persecúti vos fúerint, et díxerint omne malum advérsum vos, mentiéntes, propter me : * Gaudéte et exsultáte, quóniam merces vestra copiósa est in cælis. ℣. Cum vos óderint hómines, et cum separáverint vos, et exprobráverint, et ejécerint nomen vestrum tamquam malum propter Fílium hóminis. — Gaudéte.

Bened. Ignem sui amóris.

Lectio vi

CErte iste ipse pastor Ecclésiæ, ad cujus sacratíssimum corpus sedé-

mus, quantæ debilitátis quantæque formídinis ante advéntum Spíritus fúerit, ancílla ostiária requisíta dicat. Una enim mulíeris voce percúlsus, dum mori tímuit, Vitam negávit. Et pensándum, quia eum comprehénsum Petrus negávit in terra, quem suspénsum latro conféssus est in cruce. Sed vir iste tantæ formídinis qualis post advéntum Spíritus exsístat, audiámus. Fit convéntus magistrátus atque seniórum, cæsis denuntiátur Apóstolis, ne in nómine Jesu loqui débeant; Petrus magna auctoritáte respóndet : Obedíre opórtet Deo magis quam homínibus.

℟. Isti sunt triumphatóres et amíci Dei, qui contemnéntes jussa príncipum, meruérunt prǽmia ætérna : * Modo coronántur, et accípiunt palmam. ℣. Isti sunt, qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni. — Modo. Glória Patri. Modo.

In III Nocturno

Ant. Exaltabúntur * córnua justi, allelúja.

Psalmus 74

Confitébimur tibi, Deus : * confitébimur, et invocábimus nomen tuum.

Narrábimus mirabília tua : * cum accépero tempus, ego justítias judicábo.

Liquefácta est terra, et omnes qui hábitant in ea : * ego confírmavi colúmnas ejus.

Dixi iníquis : Nolíte iníque ágere : * et delinquéntibus : Nolíte exaltáre cornu :

Nolíte extóllere in altum cornu vestrum : * nolíte loqui advérsus Deum iniquitátem.

Quia neque ab Oriénte, neque ab Occidénte, neque a desértis móntibus : * quóniam Deus judex est.

Hunc humíliat, et hunc exáltat : * quia calix in manu Dómini vini meri plenus misto.

Et inclinávit ex hoc in hoc : verúmtamen fæx ejus non est exinaníta : * bibent omnes peccatóres terræ.

Ego autem annuntiábo in sæculum : * cantábo Deo Jacob.

Et ómnia córnua peccatórum confríngam : * et exaltabúntur córnua justi.

Ant. Exaltabúntur córnua justi, allelúja.

Ant. Lux orta est * justo, allelúja, rectis corde lætítia, allelúja.

Psalmus 96

Dominus regnávit, exsúltet terra : * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes, et calígo in circúitu ejus : * justítia, et judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet, * et inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ : * vidit, et commóta est terra.

Montes, sicut cera fluxérunt a fácie Dómini : * a fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cæli justítiam ejus : * et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes, qui adórant sculptília : * et qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum, omnes Angeli ejus : * audívit, et lætáta est Sion.

Et exsultavérunt fíliæ Judæ, * propter judícia tua, Dómine :

Quóniam tu Dóminus Altíssimus super omnem terram : * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum : * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde lætítia.

Lætámini, justi, in Dómino : * et confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

Ant. Lux orta est justo, allelúja, rectis corde lætítia, allelúja.

Ant. Custodiébant * testimónia ejus, et præcépta ejus, allelúja.

Psalmus 98

Dominus regnávit, irascántur pópuli : * qui sedet super Chérubim, moveátur terra.

Dóminus in Sion magnus : * et excélsus super omnes pópulos.

Confiteántur nómini tuo magno : quóniam terríbile, et sanctum est : * et honor regis judícium díligit.

Tu parásti directiónes : * judícium et justítiam in Jacob tu fecísti.

Exaltáte Dóminum, Deum nostrum, et adoráte scabéllum pedum ejus : * quóniam sanctum est.

Móyses et Aaron in sacerdótibus ejus : * et Sámuel inter eos, qui invocant nomen ejus :

Invocábant Dóminum, et ipse exaudiébat eos : * in colúmna nubis loquebátur ad eos.

Custodiébant testimónia ejus, * et præcéptum quod dedit illis.

Dómine, Deus noster, tu exaudiébas eos : * Deus, tu propítius fuísti eis, et ulcíscens in omnes adinventiónes eórum.

Exaltáte Dóminum, Deum nostrum, et adoráte in monte sancto ejus : * quóniam sanctus Dóminus, Deus noster.

Ant. Custodiébant testimónia ejus, et præcépta ejus, allelúja.

℣. Nimis honoráti sunt amíci tui, Deus. ℟. Nimis confortátus est principátus eórum.

Absolutio A vínculis.

Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 19, 27-29

In illo témpore : Dixit Petrus ad Jesum : Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te : quid ergo erit nobis? Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbýteri

Lib. 3 in Matth. cap. 19

Grandis fídúcia! Petrus piscátor erat, dives non fúerat, cibos manu et arte quærébat; et tamen lóquitur confidénter : Relíquimus ómnia. Et quia non súfficit tantum relínquere, jungit quod perféctum est : Et secúti sumus te. Fécimus quod jussísti : quid ígitur nobis dabis prǽmii? Jesus autem dixit illis : Amen, dico vobis, quod vos, qui secúti estis me, in regeneratióne, cum séderit Fílius hóminis in sede majestátis suæ, sedébitis et vos super sedes duódecim, judicántes duódecim tribus Israël. Non dixit : Qui reliquístis ómnia; hoc enim et Crates fecit philósophus, et multi álii divítias contempsérunt : sed, Qui secúti estis me; quod próprie Apostolórum est atque credéntium.

℟. Isti sunt, qui vivéntes in carne, plantavérunt Ecclésiam sánguine suo : * Cálicem Dómini bibérunt, et amíci Dei facti sunt. ℣. In omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum. — Cálicem.

Bened. Cujus vel Quorum festum cólimus, ipse vel ipsi.

Lectio viii

In regeneratióne, cum séderit Fílius hóminis in sede majestátis suæ (quando et mórtui de corruptióne resúrgent incorrúpti), sedébitis et vos in sóliis judicántium, condemnántes duódecim tribus Israël; quia, vobis credéntibus, illi crédere noluérunt. Et omnis, qui relíquerit domum, vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut fílios, aut agros propter nomen meum, céntuplum, accípiet et vitam ætérnam possidébit. Locus iste cum illa senténtia cóngruit, in qua Salvátor lóquitur : Non veni pacem míttere, sed gládium. Veni enim sepa-

ráre hóminem a patre suo, et matrem a fília, et nurum a socru : et inimíci hóminis doméstici ejus. Qui ergo, propter fidem Christi et prædicatiónem Evangélii, omnes afféctus contémpserint atque divítias et sæculi voluptátes : isti céntuplum recípient, et vitam ætérnam possidébunt.

℟. Isti sunt viri sancti, quos elégit Dóminus in caritáte non ficta, et dedit illis glóriam sempitérnam : * Quorum doctrína fulget Ecclésia, ut sole luna. ℣. Sancti per fidem vicérunt regna : operáti sunt justítiam. — Quorum. Glória Patri. Quorum.

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

EX occasióne hujus sententiæ quidam introducunt mille annos post resurrectiónem, dicéntes, tunc nobis céntuplum ómnium rerum quas dimísimus, et vitam ætérnam esse reddéndam; non intelligéntes, quod, si in céteris digna sit repromíssio, in uxóribus appáreat turpitúdo, ut, qui unam pro Dómino dimíserit, centum recípiat in futúro. Sensus ergo iste est : Qui carnália pro Salvatóre dimíserit, spirituália recípiet; quæ comparatióne et mérito sui ita erunt, quasi si parvo número centenárius número comparétur.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

et per Horas, Añæ

1 Hoc est præcéptum meum, * ut diligátis ínvicem, sicut diléxi vos.

Psalmi de Dominica.

2 Majórem caritátem * nemo habet, ut ánimam suam ponat quis pro amícis suis.

3 Vos amíci mei estis, * si fecéritis quæ præcípio vobis, dicit Dóminus.

4 Beáti pacífici, * beáti mundo corde : quóniam ipsi Deum vidébunt.

5 In patiéntia vestra * possidébitis ánimas vestras.

Capit. Ephes. 2, 19-20

FRatres : Jam non estis hóspites, et ádvenæ; sed estis cives Sanctórum, et doméstici Dei, superædificáti super fundaméntum Apostolórum et Prophetárum, ipso summo angulári lápide Christo Jesu.

Hymnus

EXsúltet orbis gáudiis,
Cælum resúltet láudibus :
Apostolórum glóriam
Tellus et astra cóncinunt.

Vos, sæculórum júdices
Et vera mundi lúmina,
Votis precámur córdium :
Audíte voces súpplicum.

Qui templa cæli cláuditis
Serásque verbo sólvitis,
Nos a reátu nóxios
Solvi jubéte, quæsumus.

Præcépta quorum prótinus
Languor salúsque séntiunt,
Sanáte mentes lánguidas,
Augéte nos virtútibus :

Ut, cum redíbit árbiter
In fine Christus sæculi,
Nos sempitérni gáudii
Concédat esse cómpotes.

* Patri, simúlque Fílio,
Tibíque, Sancte Spíritus,
Sicut fuit, sit júgiter
Sæclum per omne glória.
Amen.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

Ad Bened. Ant. Vos qui reliquistis * ómnia, et secúti estis me, céntuplum accipiétis, et vitam ætérnam possidébitis.

Oratio propria.

Ad Horas Psalmi de Dominica, sed ad Primam loco Psalmi 117 Confitémini, dicitur Psalmus 53 Deus, in nómine tuo. 55 Quod semper observatur, quando ponitur sequens Rubrica : Ad Horas Psalmi de Dominica, ad Primam tamen ut in Festis.

AD TERTIAM

Capit. Fratres. [16]

℟. br. In omnem terram * Exívit sonus eórum. In omnem. ℣. Et in fines orbis terræ verba eórum. Exivit. Glória Patri. In omnem. ℣. Constítues eos príncipes super omnem terram. ℟. Mémores erunt nóminis tui, Dómine.

AD SEXTAM

Capitulum Act. 5, 12

PER manus autem Apostolórum fiébant signa et prodígia multa in plebe.

℟. br. Constítues eos principes * Super omnem terram. Constítues. ℣. Mémores erunt nóminis tui, Dómine. Super omnem terram. Glória Patri. Constítues. ℣. Nimis honoráti sunt amíci tui, Deus. ℟. Nimis confortátus est principátus eórum.

AD NONAM

Capitulum Act. 5, 41

IBant Apóstoli gaudéntes a conspéctu concílii, quóniam digni hábiti sunt pro nómine Jesu contuméliam pati.

℟. br. Nimis honoráti sunt * Amíci tui, Deus. Nimis. ℣. Nimis confortátus est principátus eórum. Amíci. Glória Patri. Nimis honoráti. ℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

IN II VESPERIS

Ant. Jurávit Dóminus, * et non pænitébit eum : Tu es sacérdos in ætérnum.

Psalmus 109

DIxit Dóminus Dómino meo : * Sede a dextris meis :

Donec ponam inimícos tuos, * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion : * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum : * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, et non pænitébit eum : * Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

Dóminus a dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas : * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet : * proptérea exaltábit caput.

Ant. Jurávit Dóminus, et non pænitébit eum : Tu es sacérdos in ætérnum.

Ant. Cóllocet eum * Dóminus cum princípibus pópuli sui.

Psalmus 112

LAudáte, púeri, Dóminum : * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum , * ex hoc nunc, et usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes gentes Dóminus, * et super cælos glória ejus.

Quis sicut Dóminus, Deus noster, qui in altis hábitat, * et humília réspicit in cælo et in terra?

Súscitans a terra inopem, * et de stércore érigens páuperem :

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum lætántem.

Ant. Cóllocet eum Dóminus cum princípibus pópuli sui.

Ant. Dirupísti, Dómine, * víncula mea : tibi sacrificábo hóstiam laudis.

Psalmus 115

CRédidi, propter quod locútus sum : * ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo : * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino, * pro ómnibus, quæ retríbuit mihi?

Cálicem salutáris accípiam : * et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus : * pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus :

O Dómine, quia ego servus tuus : * ego servus tuus, et fílius ancíllæ tuæ.

Dirupísti víncula mea : * tibi sacrificábo hóstiam laudis, et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli ejus : * in átriis domus Dómini, in médio tui, Jerúsalem.

Ant. Dirupísti, Dómine, víncula mea : tibi sacrificábo hóstiam laudis.

Ant. Eúntes ibant * et flebant, mitténtes sémina sua.

Psalmus 125

IN converténdo Dóminus captivitátem Sion : * facti sumus sicut consoláti :

Tunc replétum est gáudio os nostrum : * et lingua nostra exsultatióne.

Tunc dicent inter gentes : * Magnificávit Dóminus fácere cum eis.

Magnificávit Dóminus fácere nobíscum : * facti sumus lætántes.

Convérte, Dómine, captivitátem nostram, * sicut torrens in Austro.

Qui séminant in lácrimis, * in exsultatióne metent.

Eúntes ibant et flebant, * mitténtes sémina sua.

Veniéntes autem vénient cum exsultatióne, * portántes manípulos suos.

Ant. Eúntes ibant et flebant, mitténtes sémina sua.

Ant. Confortátus est * principátus eórum, et honoráti sunt amíci tui, Deus.

Psalmus 138

DOmine, probásti me, et cognovísti me : * tu cognovísti sessiónem meam, et resurrectiónem meam.

Intellexísti cogitatiónes meas de longe : * sémitam meam, et funículum meum investigásti.

Et omnes vias meas prævidísti : * quia non est sermo in lingua mea.

Ecce, Dómine, tu cognovísti ómnia novíssima, et antíqua : * tu formásti me, et posuísti super me manum tuam.

Mirábilis facta est sciéntia tua ex me : * confortáta est, et non pótero ad eam.

Quo ibo a spíritu tuo? * et quo a fácie tua fúgiam?

Si ascéndero in cælum, tu illic es : * si descéndero in infernum, ades.

Si súmpsero pennas meas dilúculo, * et habitávero in extrémis maris :

Etenim illuc manus tua dedúcet me : * et tenébit me déxtera tua.

Et dixi : Fórsitan ténebræ conculcábunt me : * et nox illuminátio mea in delíciis meis.

Quia ténebræ non obscurabúntur a te, et nox sicut dies illuminábitur : * sicut ténebræ ejus, ita et lumen ejus.

Quia tu possedísti renes meos : * suscepísti me de útero matris meæ.

Confitébor tibi quia terribíliter magnificátus es : * mirabília ópera tua, et ánima mea cognóscit nimis.

Non est occultátum os meum a te, quod fecísti in occúlto : * et substántia mea in inferióribus terræ.

Imperféctum meum vidérunt óculi tui, et in libro tuo omnes scribéntur : * dies formabúntur, et nemo in eis.

Mihi autem nimis honorificáti sunt amíci tui, Deus : * nimis confortátus est principátus eórum.

Dinumerábo eos, et super arénam multiplicabúntur : * exsurréxi, et adhuc sum tecum.

Si occíderis, Deus, peccatóres : * viri sánguinum, declináte a me :

Quia dícitis in cogitatióne : * Accípient in vanitáte civitátes tuas.

Nonne qui odérunt te, Dómine, óderam? * et super inimícos tuos tabescébam?

Perfécto ódio óderam illos : * et inimíci facti sunt mihi.

Proba me, Deus, et scito cor meum : * intérroga me, et cognósce sémitas meas.

Et vide, si via iniquitátis in me est : * et deduc me in via ætérna.

Ant. Confortátus est principátus eórum, et honoráti sunt amíci tui, Deus.

Capit. Ephes. 2, 19-20

FRatres : Jam non estis hóspites, et ádvenæ; sed estis cives Sanctórum, et doméstici Dei, superædificáti super fundaméntum Apostolórum et Prophetárum, ipso summo angulári lápide Christo Jesu.

Hymnus

EXsúltet orbis gáudiis, Cælum resúltet láudibus :
Apostolórum glóriam
Tellus et astra cóncinunt.

Vos, sæculórum júdices
Et vera mundi lúmina,
Votis precámur córdium :
Audíte voces súpplicum.

Qui templa cæli cláuditis
Serásque verbo sólvitis,
Nos a reátu nóxios
Solvi jubéte, quæsumus.

Præcépta quorum prótinus
Languor salúsque séntiunt,
Sanáte mentes lánguidas,
Augéte nos virtútibus :

Ut, cum redíbit árbiter
In fine Christus sæculi,
Nos sempitérni gáudii
Concédat esse cómpotes.

* Patri, simúlque Fílio,
Tibique, Sancte Spíritus,
Sicut fuit, sit júgiter
Sæclum per omne glória.
Amen.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

Ad Magnif. Ant. Estóte fortes * in bello, et pugnáte cum antíquo serpénte : et accipiétis regnum ætérnum, allelúja.

Completorium de Dominica

II ALIÆ LECTIONES

pro Apostolis

In II Nocturno

De Expositióne sancti Augustíni Epíscopi super Psalmum octogésimum sextum Ante medium

Lectio iv

Undaménta ejus in móntibus sanctis : díligit Dóminus portas Sion. Quare sunt fundaménta Apóstoli et Prophétæ? Quia eórum auctóritas portat infirmitátem nostram. Quare sunt portæ? Quia per ipsos intrámus ad regnum Dei. Prædicant enim nobis : et, cum per ipsos intrámus, per Christum intrámus; ipse est enim jánua. Et cum dicúntur duódecim portæ Jerúsalem, et una porta Christus et duódecim portæ Christus, quia in duódecim portis Christus; et ídeo duodenárius número Apostolórum. Sacraméntum magnum hujus duodenárii significátio est número. Sedébitis, inquit, super duódecim sedes, judicántes duódecim tribus Israël.

℟. Vidi conjúnctos viros, habéntes splendídas vestes, et Angelus Dómini locútus est ad me, dicens : * Isti sunt viri sancti facti amíci Dei. ℣. Vidi Angelum Dei fortem, volántem per médium cælum, voce magna clamántem et dicéntem. — Isti.

Lectio v

SI duódecim sellæ ibi sunt, non est ubi sédeat tértius décimus Paulus Apóstolus, et non erit quómodo júdicet; et ipse se judicatúrum dixit, non hómines tantum, sed et ángelos. Quos ángelos,

nisi apóstatas ángelos? Nescítis, inquit, quia ángelos judicábimus? Respondéret ergo turba : Quid te jactas judicatúrum? Ubi sedébis? Duódecim sedes dixit Dóminus duódecim Apóstolis, unus cécidit Judas, in locum ipsíus sanctus Matthías ordinátus est; implétus est duodenárius númerus sédium. Primo locum ínveni, ubi sédeas, et sic te mináre judicatúrum. Duódecim ergo sedes quid sibi velint, videámus. Sacraméntum est cujúsdam universitátis; quia per totum orbem terrárum futúra erat Ecclésia, unde vocátur hoc ædifícium ad Christi compágem.

℟. Beáti estis, cum maledíxerint vobis hómines, et persecúti vos fúerint, et dixerint omne malum advérsum vos, mentiéntes, propter me : * Gaudéte et exsultáte, quóniam merces vestra copiósa est in cælis. ℣. Cum vos óderint hómines, et cum separáverint vos, et exprobráverint, et ejécerint nomen vestrum tamquam malum propter Fílium hóminis. — Gaudéte.

Lectio vi

ET ídeo, quia úndique venítur ad judicándum, duódecim sedes sunt; sicut, quia úndique intrátur in illam civitátem, duódecim portæ sunt. Non solum ergo illi duódecim et Apóstolus Paulus, sed quotquot judicatúri sunt, propter significatiónem universitátis ad sedes duódecim pértinent; quemádmodum quotquot intrábunt, ad duódecim portas pértinent. Partes enim mundi quátuor sunt, Oriens, Occidens, Aquilo et Merídies. Istæ quátuor partes assídue nominántur in Scriptúris. Ab istis quátuor ventis, sicut dicit Dóminus in Evangélio, a quátuor ventis se collectúrum eléctos suos; ab ómnibus ergo istis quátuor ventis vocátur Ecclésia. Quómodo vocátur? Undique in Trinitáte vocátur. Non vocátur nisi per baptísmum in nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti. Quátuor ergo ter ducta duódecim inveniúntur.

℟. Isti sunt triumphatóres et amíci Dei, qui contemnéntes jussa príncipum, meruérunt prǽmia ætérna : * Modo coronántur, et accípiunt palmam. ℣. Isti sunt, qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni. — Modo. Glória Patri. Modo coronántur.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 19, 27-29

IN illo témpore : Dixit Petrus ad Jesum : Ecce nos relíquimus ómnia, et secútisumus te : quid ergo erit nobis? Et réliqua.

Homília sancti Bedæ Venerábilis Presbýteri

Homilia in Natali S. Benedicti Episc.

Erféctus ille est, qui ábiens vendit ómnia quæ habet, et dat paupéribus, ac véniens séquitur Christum; habébit enim thesáurum non deficiéntem in cælis. Unde bene, interrogánte Petro, dixit tálibus Jesus : Amen dico vobis, quod vos, qui secúti estis me, in regeneratióne, cum séderit Fílius hóminis in sede majestátis suæ, sedébitis et vos super sedes duódecim, judicántes duódecim tribus Israël. In hac quippe vita pro ejus nómine laborántes in ália prǽmium speráre dócuit, id est, in regeneratióne; cum vidélicet in vitam immortálem fuérimus resurgéndo regenerāti, qui in vitam cadúcam mortáliter erámus géniti.

℟. Isti sunt, qui vivéntes in carne, plantavérunt Ecclésiam sánguine suo : * Cálicem Dómini bibérunt, et amíci Dei facti sunt. ℣. In omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum. — Cálicem.

Lectio vii

ET justa prorsus retribútio, ut, qui hic pro Christo humánæ glóriam celsitúdinis neglexérunt, illic a Christo júdices glorificáti singuláriter cum eo assídeant, qui a sequéndis ejus vestígiis nulla ratióne póterant avélli. Nemo autem putet, duódecim tantum Apóstolos, quia pro Juda prævaricánte Matthías eléctus est, tunc esse judicatúros; sicut nec duódecim solæ sunt tribus Israël judicándæ : alióquin tribus Levi, quæ tértia décima est, injudicáta recédet.

℟. Isti sunt viri sancti, quos elégit Dóminus in caritáte non ficta, et dedit illis glóriam sempitérnam : * Quorum doctrína fulget Ecclésia, ut sole luna. ℣. Sancti per fidem vicérunt regna : operáti sunt justítiam. — Quorum. Glória Patri. Quorum.

Lectio ix

ET Paulus, qui tértius décimus est Apóstolus, judicándi sorte privábitur? cum ipse dicat : Nescítis, quóniam ángelos judicábimus, quanto magis sæculária? Sciéndum namque est, omnes, qui, ad exémplum Apostolórum, sua reliquérunt ómnia et secúti sunt Christum, júdices sum eo ventúros, sicut étiam omne mortálium genus esse judicándum. Quia enim duodenário sæpe número solet in Scriptúris univérsitas designári, per duódecim sedes Apostolórum, ómnium numerósitas judicántium, et, per duódecim tribus Israël, univérsitas eórum, qui judicándi sunt, osténditur.

Te Deum laudámus.

Commune Evangelistarum

Omnia ut in Communi Apostolorum [3], præter Lectiones ut infra :

In I Nocturno

Incipit liber Ezechiélis Prophétæ

Lectio i Cap. 1, 1-12

ET factum est in trigésimo anno, in quarto, in quinta mensis, cum essem in médio captivórum juxta flúvium Chobar, apérti sunt cæli, et vidi visiónes Dei. In quinta mensis, ipse est annus quintus transmigratiónis regis Jóachim, factum est verbum Dómini ad Ezechiélem, fílium Buzi, sacerdótem in terra Chaldæórum, secus flumen Chobar : et facta est super eum ibi manus Dómini. Et vidi, et ecce ventus túrbinis veniébat ab Aquilóne : et nubes magna, et ignis involvens, et splendor in circúitu ejus : et de médio ejus quasi spécies eléctri, id est, de médio ignis.

℟. Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum, dicit Dóminus : * Estóte ergo prudéntes sicut serpéntes, et símplices sicut colúmbæ. ℣. Dum lucem habétis, crédite in lucem, ut fílii lucis sitis. — Estóte ergo prudéntes.

Lectio ii

ET in médio ejus similitúdo quátuor animálium : et hic aspéctus eórum, similitúdo hóminis in eis. Quátuor fácies uni, et quátuor pennæ uni. Pedes eórum pedes recti, et planta pedis eórum, quasi planta pedis vítuli, et scintíllæ quasi aspéctus æris candéntis. Et manus hó-

minis sub pennis eórum in quátuor pártibus : et fácies, et pennas per quátuor partes habébant, junctǽque erant pennæ eórum altérius ad álterum. Non revertebántur cum incéderent : sed unumquódque ante fáciem suam gradiebátur.

℟. Tóllite jugum meum super vos, dicit Dóminus, et díscite a me, quia mítis sum et húmilis corde : * Jugum enim meum suáve est, et onus meum leve. ℣. Et inveniétis réquiem animábus vestris. — Jugum enim meum.

Lectio iii

Similitúdo autem vultus eórum : fácies hóminis, et fácies leónis a dextris ipsórum quátuor : fácies autem bovis, a sinístris ipsórum quátuor, et fácies áquilæ désuper ipsórum quátuor. Fácies eórum, et pennæ eórum exténtæ désuper : duæ pennæ singulórum jungebántur, et duæ tegébant córpora eórum : et unumquódque eórum coram fácie sua ambulábat : ubi erat impetus spíritus, illuc gradiebántur, nec revertebántur cum ambulárent.

℟. Dum stetéritis ante reges et præsides, nolíte cogitáre, quómodo aut quid loquámini; * Dábitur enim vobis in illa hora, quid loquámini. ℣. Non enim vos estis, qui loquímini; sed Spíritus Patris vestri, qui lóquitur in vobis. — Dábitur enim vobis. Glória Patri. Dábitur enim vobis.

In II Nocturno

De Expositióne sancti Gregórii Papæ super Ezechiélem Prophétam

Hom. 3 Lib. I

Lectio iv

Sancta quátuor animália, quæ prophetíæ spíritu futúra prævidéntur, subtíli narratióne describúntur, cum dícitur : Quátuor fácies uni, et quátuor pennæ uni. Quid per fáciem, nisi notítia; et quid per pennas, nisi volátus exprímitur? Per fáciem quippe unusquísque cognóscitur : per pennas vero in altum ávium córpora sublevántur. Fácies ítaque ad fidem pértinet, penna ad contemplatiónem. Per fidem namque ab omnipoténti Deo cognóscimur, sicut ipse de suis óvibus dicit : Ego sum pastor bonus, et cognósco oves meas, et cognóscunt me meæ. Qui rursus ait : Ego scio quos elégerim. Per contemplatiónem vero, qua super nosmetípsos

tóllimur, quasi in áëra levámur.

℟. Vidi conjúnctos viros, habéntes spléndidas vestes, et Angelus Dómini locútus est ad me, dicens : * Isti sunt viri sancti facti amíci Dei. ℣. Vidi Angelum Dei fortem, volántem per médium cælum, voce magna clamántem et dicéntem. — Isti.

Lectio v

Quátuor ergo fácies uni sunt : quia si requíras, quid Matthæus de incarnatióne Dómini séntiat : hoc nimírum sentit, quod Marcus, Lucas et Joánnes. Si quæras, quid Joánnes séntiat; hoc procul dúbio, quod Lucas, Marcus et Matthæus. Si quæras, quid Marcus; hoc quod Matthæus, Joánnes et Lucas. Si quæras, quid Lucas; hoc quod Joánnes, Matthæus et Marcus sentit. Quátuor ergo fácies uni sunt : quia notítia fídei, qua cognoscúntur a Deo, ipsa est in uno, quæ est simul in quátuor. Quidquid enim in uno invéneris, hoc in ómnibus simul quátuor cognósces.

℟. Beáti estis, cum maledíxerint vobis hómines, et persecúti vos fúerint, et díxerint omne malum advérsum vos, mentiéntes, propter me : * Gaudéte et exsultáte, quóniam merces vestra copiósa est in cælis. ℣. Cum vos óderint hómines, et cum separáverint vos, et exprobráverint, et ejécerint nomen vestrum tamquam malum propter Fílium hóminis. — Gaudéte.

Lectio vi

Ait quátuor pennæ uni : quia Dei omnipoténtis Fílium, Dóminum nostrum Jesum Christum, simul omnes concórditer prædicant : et ad divinitátem ejus mentis óculos levántes, penna contemplatiónis volant. Evangelistárum ergo fácies ad humanitátem Dómini pértinet, penna ad divinitátem : quia in eum, quem corpóreum aspíciunt, quasi fácies inténdunt; sed, dum hunc esse incircumscríptum atque incorpóreum ex divinitáte annúntiant, per contemplatiónis pennam quasi in áëra levántur. Quia ítaque una est fides incarnatiónis ejus in ómnibus, et par contemplátio divinitátis ejus in síngulis, recte nunc dícitur : Quátuor fácies uni, et quátuor pennæ uni.

℟. Isti sunt triumphatóres et amíci Dei, qui contemnéntes jussa príncipum, meruérunt prǽmia ætérna : * Modo coronántur, et accípiunt palmam. ℣. Isti sunt, qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni. — Modo. Glória Patri. Modo.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 10, 1-9

In illo témpore : Designávit Dóminus et álios septuagínta duos : et misit illos binos ante fáciem suam, in omnem civitátem et locum, quo erat ipse ventúrus. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ

Homilia 17 in Evang.

Dominus et Salvátor noster, fratres carissimi, aliquándo nos sermónibus, aliquándo vero opéribus ádmonet. Ipsa étenim facta ejus præcépta sunt : quia, dum áliquid tácitus facit, quid ágere debeámus innotéscit. Ecce enim, binos in prædicatiónem discípulos mittit : quia duo sunt præcépta caritátis, Dei vidélicet amor, et próximi : et minus quam inter duos cáritas habéri non potest. Nemo enim próprie ad semetípsum habére caritátem dícitur : sed diléctio in álterum tendit, ut cáritas esse possit.

Pro Evangelistis

℟. Isti sunt, qui vivéntes in carne, plantavérunt Ecclésiam sánguine suo : * Cálicem Dómini bibérunt, et amíci Dei facti sunt. ℣. In omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum. — Cálicem.

Pro Confessore Pontifice

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et.

Pro Conf. non Pontifice

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium popolórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. — Ipse.

Lectio viii

Ecce enim, binos ad prædicándum discípulos Dóminus mittit : quátenus hoc nobis tácitus ínnuat, quia qui caritátem erga álterum non habet, prædicatiónis offícium suscípere nullátenus de-

bet. Bene autem dícitur, quia misit eos ante fáciem suam in omnem civitátem et locum, quo erat ipse ventúrus. Prædicatóres enim suos Dóminus séquitur : quia prædicátio prævenit, et tunc ad mentis nostræ habitáculum Dóminus venit, quando verba exhortatiónis præcúrrunt : atque per hoc véritas in mente suscípitur.

Pro Evangelistis

℟. Isti sunt viri sancti, quos elégit Dóminus in caritáte non ficta, et dedit illis glóriam sempitérnam : * Quorum doctrína fulget Ecclésia, ut sole luna. ℣. Sancti per fidem vicérunt regna : operáti sunt justítiam. — Quorum. Glória Patri. Quorum.

Pro Confessore Pontifice et non Pontifice

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. — Et. Glória Patri. Et.

Pro Doctore

℟. In médio Ecclésiæ apéruit os ejus, * Et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ et intellectus. ℣. Jucunditátem et exsultatiónem thesaurizávit super eum. — Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix

HInc namque eísdem prædicatóribus Isaías dicit : Paráte viam Dómini, rectas fácite sémitas Dei nostri. Hinc fíliis Psalmísta ait : Iter fácite ei, qui ascéndit super occásum. Super occásum namque Dóminus ascéndit : quia unde in passióne occúbuit, inde majórem suam glóriam resurgéndo manifestávit. Super occásum vidélicet ascéndit; quia mortem quam pértulit, resurgéndo calcávit. Ei ergo qui ascéndit super occásum, iter fácimus, cum nos ejus glóriam vestris méntibus prædicámus, ut eas et ipse post véniens, per amóris sui præséntiam illústret.

Te Deum laudámus.

Commune unius aut plurium Summorum Pontificum

Omnia de Communi unius aut plurimorum Martyrum vel Confessoris Pontificis, juxta qualitatem festi, præter sequentia :

Oratio

GRegem tuum, Pastor ætérne, placátus inténde : et per beátum N. (Mártyrem tuum atque) Summum Pontíficem, perpétua protectióne custódi; quem totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastórem. Per Dóminum.

Pro pluribus Sum. Pontif. :

Oratio

GRegem tuum, Pastor ætérne, placátus inténde : et per beátos N. et N. (Mártyres tuos atque) Summos Pontífices, perpétua protectióne custódi; quos totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastóres. Per Dóminum.

Si vero agenda sit commemoratio alterius Summi Pontificis, dicitur sequens

Oratio

DEus, qui Ecclésiam tuam in apostólicæ petræ soliditáte fundátam, ab infernárum éruis terróre portárum : præsta, quæsumus, ut intercedénte beáto N. (Mártyre tuo atque) Summo Pontífice, in tua veritáte persístens, contínua securitáte muniátur. Per Dóminum.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 16, 13-19

IN illo témpore : Venit Jesus in partes Cæsaréæ Philíppi, et interrogábat discípulos suos, dicens : Quem dicunt hómines esse Filium hóminis? Et réliqua.

Homília sancti Leónis Papæ

Sermo 2 in anniversario assumpt. suæ, ante medium

QUM, sicut evangélica lectióne serátum est, interrogásset Dóminus discípulos, quem ipsum (multis divérsa opinántibus) créderent; respondissétque beátus Petrus, dicens : Tu es Christus Fílius Dei vivi; Dóminus ait : Beátus es, Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelávit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est : et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam, et portæ ínferi non prævalébunt advérsus eam. Et tibi dabo claves regni cælórum : et quodcúmque ligáveris super terram, erit ligátum et in cælis : et quodcúmque sólveris super terram, erit solútum et in cælis. Manet ergo dispósitio veritátis, et beátus Petrus, in accépta fortitúdine petræ persevérans, suscépta Ecclésiæ gubernácula non relíquit.

Pro Pontifice Martyre

℟. Coróna áurea super caput ejus, * Expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis.

Pro pluribus Pont. Mart.

℟. Propter testaméntum Dómini et leges patérnas, Sancti Dei perstitérunt in amóre fraternitátis : * Quia unus fuit semper spíritus in eis, et una fides. ℣. Ecce quam bonum et quam jucúndum habitáre fratres in unum! — Quia.

Pro Pontifice Conf. :

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et.

Pro pluribus Pontif. Conf. :

℟. Beáti, qui custódiunt judícium, * Et fáciunt justítiam in omni témpore. ℣. Deus judícii Dóminus : beáti omnes, qui exspéctant eum. — Et.

Lectio viii

IN univérsa namque Ecclésia, Tu es Christus Fílius Dei vivi, quotídie Petrus dicit; et omnis lingua, quæ confitétur Dóminum, magistério hujus

vocis imbúitur. Hæc fides diábolum vincit et captivórum ejus víncula dissólvit. Hæc érutos mundo, ínserit cælo, et portæ ínferi advérsus eam prævalére non possunt. Tanta enim divínitus soliditáte munita est, ut eam neque hærética umquam corrúmpere právitas, nec pagána potúerit superáre perfídia. His ítaque modis, dilectíssimi, rationábili obséquio celebrétur hodiérna festívitas : ut in persóna humilitátis meæ ille intelligátur, ille honorétur, in quo et ómnium pastórum sollicitúdo, cum commendatárum sibi óvium custódia persevérat, et cujus étiam dignitas in indigno heréde non déficit.

Pro Pontifice Martyre :

℟. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit : * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, sed ad cæléstia regna pervénit. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Qui. Glória Patri. Qui.

Sequens Responsorium dicitur, loco præcedentis, in Officio unius Martyris, qui non effuso sanguine occubuerit.

℟. Dómine, prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : * Posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. ℣. Vitam pétiit a te, et tribuísti ei longitúdinem diérum in sæculum sæculi. — Posuísti. Glória Patri. Posuísti.

Pro pluribus Pont. Mart. :

℟. Sancti mei, qui in carne pósiti, certámen habuístis : * Mercédem labóris ego reddam vobis. ℣. Veníte, benedícti Patris mei, percípite regnum. — Mercédem. Glória Patri. Mercédem.

Pro Pontifice Confessore :

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. — Et. Glória Patri. Et.

Pro Pontifice Doctore :

℟. In médio Ecclésiæ apéruit os ejus, * Et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ et intellectus. ℣. Jucunditátem et exultatiónem thesaurizávit super eum. — Et implévit. Glória Patri. Et implévit.

Pro pluribus Pontif. Conf. :

℟. Vigiláte ergo, nescítis enim quando Dóminus domus véniat : * Ne cum vénerit repénte, invéniat vos dormiéntes. ℣. Quod autem vobis dico, ómnibus dico : Vigiláte. — Ne. Glória Patri. Ne.

Lectio ix

CUM ergo cohortatiónes nostras áuribus vestræ sanctitátis adhibémus, ipsum vobis, cujus vice fúngimur, loqui crédite : quia et illíus vos afféctu monémus, et non áliud vobis, quam quod docuit, prædicámus; obsecrántes, ut succíncti lumbos mentis vestræ, castam et sóbriam vitam in Dei timóre ducátis. Coróna mea, sicut Apóstolus ait, et gáudium vos estis, si fides vestra, quæ ab inítio Evangélii in univérso mundo prædicáta est, in dilectióne et sanctitáte permánserit. Nam licet omnem Ecclésiam, quæ in toto est orbe terrárum, cunctis opórteat florére virtútibus; vos tamen præcípue inter céteros pópulos decet méritis pietátis excéllere, quos in ipsa apostólicæ petræ arce fundátos, et Dóminus noster Jesus Christus cum ómnibus redémit, et beátus Apóstolus Petrus præ ómnibus erudívit.

Te Deum laudámus.

Commune unius Martyris

IN I VESPERIS

Ant. 1 Qui me conféssus fúerit * coram homínibus, confitébor et ego eum coram Patre meo.

Psalmi ut in I Vesperis de Communi Apostolorum. [3]

2 Qui séquitur me, * non ámbulat in ténebris, sed habébit lumen vitæ, dicit Dóminus.

3 Qui mihi minístrat, * me sequátur : et ubi ego sum, illic sit et miníster meus.

4 Si quis mihi ministráverit, * honorificábit eum Pater meus, qui est in cælis, dicit Dóminus.

5 Volo, Pater, * ut, ubi ego sum, illic sit et miníster meus.

In II Vesperis

Psalmus 115

CRédidi, propter quod locútus sum : * ego autem humiliátus sum nimis. Ego dixi in excéssu meo : * Omnis homo mendax.

Quid retribuam Dómino, * pro ómnibus, quæ retríbuit mihi?

Cálicem salutáris accípiam : * et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus : * pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus :

O Dómine, quia ego servus tuus : * ego servus tuus, et fílius ancíllæ tuæ.

Dirupísti víncula mea : * tibi sacrificábo hóstiam laudis, et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli ejus : * in átriis domus Dómini, in médio tui, Jerúsalem.

Ant. Volo, Pater, ut, ubi ego sum, illic sit et miníster meus.

Capitulum Jac. 1, 12

BEátus vir, qui suffert tentatiónem : quóniam, cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se.

Hymnus

DEus, tuórum mílitum
Sors et coróna, præmium,
Laudes canéntes Mártyris
Absólve nexu críminis.

Hic nempe mundi gáudia
Et blanda fraudum pábula
Imbúta felle députans,
Pervénit ad cæléstia.

Pœnas cucúrrit fórtiter
Et sústulit viríliter,
Fundénsque pro te sánguinem,
Ætérna dona póssidet.

Ob hoc precátu súpplici
Te póscimus, piíssime :
In hoc triúmpho Mártyris
Dimítte noxam sérvulis.

* Laus et perénnis glória
Patri sit, atque Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Ad Magnif. Ant. Iste Sanctus * pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit; fundátus enim erat supra firmam petram.

In II Vesperis

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Magnif. Ant. Qui vult veníre post me, * ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

Pro Martyre et Pontifice

1 — Oratio

INfirmitátem nostram réspice, omnípotens Deus : et, quia pondus própriæ actiónis gravat, beáti N. Mártyris tui atque Pontíficis intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

2 — Alia Oratio

DEus, qui nos beáti N. Mártyris tui atque Pontíficis ánnua solemnitáte lætíficas : concéde propítius; ut, cujus natalítia cólimus, de ejúsdem étiam protectióne gaudeámus. Per Dóminum.

Pro Martyre non Pontifice

3 — Oratio

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus : ut, qui beáti N. Mártyris tui natalítia cólimus, intercessióne ejus in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum.

4 — Alia Oratio

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus : ut, intercedénte beáto N. Mártyre tuo, et a cunctis adversitátibus liberémur in córpore, et a pravis cogitatiónibus mundémur in mente. Per Dóminum.

Completorium de Dominica.

AD MATUTINUM

Invitat. Regem Mártyrum Dóminum, * Veníte, adorémus. Ps. 94 Venite, exsultémus.

Hymnus Deus, tuórum mílitum, ut supra. [30]

In I Nocturno

Ant. In lege Dómini * fuit volúntas ejus die ac nocte.

Psalmus 1

Eátus vir, qui non ábiit in consílio impiórum, et in via peccatórum non stetit, * et in cáthedra pestiléntiæ non sedit :

Sed in lege Dómini volúntas ejus, * et in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantátum est secus decúrsus aquárum, * quod fructum suum dabit in témpore suo :

Et fólium ejus non défluet : * et ómnia quæcúmque fáciet, prosperabúntur.

Non sic ímpii, non sic : * sed tamquam pulvis, quem prójicit ventus a fácie terræ.

Ideo non resúrgent ímpii in judício : * neque peccatóres in concílio justórum.

Quóniam novit Dóminus viam justórum : * et iter impiórum peribit.

Ant. In lege Dómini fuit volúntas ejus die ac nocte.

Ant. Prædicans * præcéptum Dómini constitútus est in monte sancto ejus.

Psalmus 2

QUare fremuérunt gentes, * et pópuli meditáti sunt inánia?

Astitérunt reges terræ, et príncipes convenérunt in unum * advérsus Dóminum, et advérsus Christum ejus.

Dirumpámus vincula eórum : * et projiciámus a nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in cælis, irridébit eos : * et Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua, * et in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * prædicans præcéptum ejus.

Dóminus dixit ad me : * Filius meus es tu, ego hódie génui te.

Póstula a me, et dabo tibi gentes hereditátem tuam, * et possessiónem tuam términos terræ.

Reges eos in virga férrea, * et tamquam vas fíguli confrínges eos.

Et nunc, reges, intellígite : * erudímini, qui judicátis terram.

Servíte Dómino in timóre : * et exsultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplínam, nequándo irascátur Dóminus, * et pereátis de via justa.

Cum exárserit in brevi ira ejus, * beáti omnes qui confídunt in eo.

Ant. Prædicans præcéptum Dómini constitútus est in monte sancto ejus.

Ant. Voce mea * ad Dóminum clamávi : et exaudívit me de monte sancto suo.

Psalmus 3

DOmine, quid multiplicáti sunt qui tríbulant me? * multi insúrgunt advérsum me.

Multi dicunt ánimæ meæ : * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem, Dómine, suscéptor meus es, * glória mea, et exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum clamávi : * et exaudívit me de monte sancto suo.

Ego dormívi, et soporátus sum : * et exsurréxi, quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me : * exsúrge, Dómine, salvum me fac, Deus meus.

Quóniam tu percussísti omnes adversántes mihi sine causa : * dentes peccatórum contrivísti.

Dómini est salus : * et super pópulum tuum benedíctio tua.

Ant. Voce mea ad Dóminum clamávi : et exaudívit me de monte sancto suo.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Absolutio Exáudi, Dómine.

Benedictio Benedictióne.

Lectiones sequentes I Nocturni dicuntur in Festo Martyris Pontificis. In Festo autem Martyris non Pontificis adhibentur Lectiones Fratres : Debitóres, quæ posi'æ sunt in Communi plurimorum Martyrum [52] cum Responsoriis tamen pro uno Martyre non Pontifice ibi notatis.

De Actibus Apostolórum

Lectio i Cap. 20, 17-38

Miléto Paulus mittens Ephesum, vocávit majóres natu Ecclésiæ. Qui cum venísssent ad eum, et simul essent, dixit eis : Vos scitis a prima die, qua ingréssus

sum in Asiam, quáliter vobíscum per omne tempus fúerim, sérviens Dómino cum omni humilitáte, et lácrimis, et tentatiónibus, quæ mihi accidérunt ex insídiis Judæórum : quómodo nihil subtráxerim utílium, quóminus annuntiárem vobis, et docérent vos públice, et per domos, testíficans Judæis, atque gentílibus in Deum pæniténtiam, et fidem in Dóminum nostrum Jesum Christum. Et nunc ecce alligátus ego spíritu, vado in Jerúsalem : quæ in ea ventúra sint mihi, ignórans : nisi quod Spíritus Sanctus per omnes civitátes mihi protestátur, dicens : Quóniam víncula et tribulatiónes Jerosólymis me manent. Sed nihil horum véreor : nec fácio ánimam meam pretiosiórem quam me, dúmmodo consúmmem cursum meum, et ministérium verbi, quod accépi a Dómino Jesu, testificári Evangélium grátiæ Dei.

℟. Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit : * Fundátus enim erat supra firmam petram. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Fundátus.

Bened. Unigénitus Dei.

Lectio ii

ET nunc ecce ego scio quia ámplius non vidébitis fáciem meam vos omnes, per quos transívi prædicans regnum Dei. Quaprópter contéstor vos hodiérna die, quia mundus sum a sánguine ómnium. Non enim subterfúgi quóminus annuntiárem omne consílium Dei vobis. Atténdite vobis, et univérso gregi, in quo vos Spíritus Sanctus pósuit epíscopos régere Ecclésiam Dei, quam acquisívit sánguine suo. Ego scio quóniam intrábunt post discessiónem meam lupi rapáces in vos, non parcéntes gregi. Et ex vobis ipsis exsúrgent viri loquéntes pervérsa, ut abdúcant discípulos post se. Propter quod vigiláte memória retinéntes : quóniam per triénnium nocte et die non cessávi, cum lácrimis monens unumquémque vestrum.

℟. Justus germinábit sicut lílium : * Et florébit in ætérnum ante Dóminum. ℣. Plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri. — Et.

Bened. Spíritus Sancti.

Lectio iii

ET nunc comméndo vos Deo, et verbo grátiæ ipsíus, qui potens est ædificáre, et dare hereditátem in sanctificátis ómnibus.

Argéntum et aurum, aut vestem nullíus concupívi, sicut ipsi scitis : quóniam ad ea, quæ mihi opus erant, et his, qui mecum sunt, ministravérunt manus istæ. Omnia osténdi vobis, quóniam sic laborántes, opórtet suscípere infírmos, ac memínisse verbi Dómini Jesu, quóniam ipse dixit : Beátius est magis dare, quam accípere. Et cum hæc dixísset, pósitis génibus suis, orávit cum ómnibus illis. Magnus autem fletus factus est ómnium : et procumbéntes super collum Pauli, osculabántur eum, doléntes máxime in verbo, quod dixerat, quóniam ámplius fáciem ejus non essent visúri. Et deducébant eum ad navem.

℟. Iste cognóvit justítiam, et vidit mirabília magna, et exorávit Altíssimum : * Et invéntus est in número Sanctórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Et. Glória Patri. Et.

In II Nocturno

Ant. Fílii hóminum, * scitóte quia Dóminus sanctum suum mirificávit.

Psalmus 4

UM invocárem exaudívit me Deus justítiæ meæ : * in tribulatióne dilatásti mihi. Miserére mei, * et exáudi oratiónem meam.

Fílii hóminum, úsquequo gravi corde? * ut quid dilígitis vanitátem, et quæritis mendácium?

Et scitóte quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum : * Dóminus exáudiet me cum clamávero ad eum.

Irascímini, et nolíte peccáre : * quæ dícitis in córdibus vestris, in cubílibus vestris compungímini.

Sacrificáte sacrifícium justítiæ, et speráte in Dómino. * Multi dicunt : Quis osténdit nobis bona?

Signátum est super nos lumen vultus tui, Dómine : * dedísti lætítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini, et ólei sui * multiplicáti sunt.

In pace in idípsum * dórmiam, et requiéscam;

Quóniam tu, Dómine, singulariter in spe * constituísti me.

Ant. Filii hóminum, scitóte quia Dóminus sanctum suum mirificávit.

Ant. Scuto bonæ voluntátis * tuæ coronásti eum, Dómine.

Psalmus 5

VErba mea áuribus pércipe, Dómine, * intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ, * Rex meus et Deus meus.

Quóniam ad te orábo : * Dómine, mane exáudies vocem meam.

Mane astábo tibi et vidébo : * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malígnus : * neque permanébunt injústi ante óculos tuos.

Odísti omnes, qui operántur iniquitátem : * perdes omnes, qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum et dolósum abominábitur Dóminus : * ego autem in multitúdine misericórdiæ tuæ.

Introíbo in domum tuam : * adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dómine, deduc me in justítia tua : * propter inimícos meos dírige in conspéctu tuo viam meam.

Quóniam non est in ore eórum véritas : * cor eórum vanum est.

Sepúlcrum patens est guttur eórum, linguis suis dolóse agébant, * júdica illos, Deus.

Décidant a cogitatiónibus suis, secúndum multitúdinem impietátum eórum expélle eos, * quóniam irritavérunt te, Dómine.

Et læténtur omnes, qui sperant in te, * in ætérnum exsultábunt : et habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes, qui díligunt nomen tuum, * quóniam tu benedíces justo.

Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ * coronásti nos.

Ant. Scuto bonæ voluntátis tuæ coronásti eum, Dómine.

Ant. In univérsa terra * glória et honóre coronásti eum.

Psalmus 8

DOmine, Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua, * super cælos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimicum et ultórem.

Quóniam vidébo cælos tuos, ópera digitórum tuórum : * lunam et stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulo minus ab Angelis, glória et honóre coronásti eum : * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves et boves univérsas : ínsuper et pécora campi.

Vólucres cæli, et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine, Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Ant. In univérsa terra glória et honóre coronásti eum.

℣. Posuísti, Dómine, super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso.

Absolutio Ipsíus píetas.

Benedictio Deus Pater.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi

Sermo 44 de Sanctis

Lectio iv

Riumphális beáti Mártyris N. dies hódie nobis anniversária celebritáte recúrrit; cujus glorificatióni sicut congáudet Ecclésia, sic ejus propónit sequénda vestígia. Si enim compátimur, et conglorificábimur. In cujus glorióso agóne duo nobis præcípue consideránda sunt : induráta vidélicet tortóris sævítia, et Mártyris invícta patiéntia. Sævítia tortóris, ut eam detestémur; patiéntia Mártyris, ut eam imitémur. Audi Psalmístam advérsus malítiam increpántem : Noli æmulári in malignántibus, quóniam tamquam fœnum velóciter aréscent. Quod autem advérsus malignántes patiéntia exhibénda sit, audi Apóstolum suadéntem : Patiéntia vobis necessária est, ut reportétis promissiónes.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodivit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit eum. — Et.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

Coronáta ítaque est beáti Mártyris patiéntia : mancipáta est ætérnis cruciátibus tortóris incorrécta malítia. Hoc atténdens in agóne suo gloriósus Christi Athléta, non exhórruit cárcerem. Ad imitatiónem cápitis sui tolerávit probra, sustínuit irrisiónes, flagélla non tímuit, et quot ante mortem pro Christo pértulit supplícia, tot ei de se óbtulit sacrifícia. Quod enim propinánte Apóstolo bíberat, alte retinébat : Quia non sunt condígnæ passiónes hujus témporis ad futúram glóriam, quæ revelábitur in nobis; et Quia momentáneum hoc et leve nostræ tribulatiónis, ætérnum glóriæ pondus operátur in cælis. Hujus promissiónis amóre a terrénis suspénsus, et prægustáta supérnæ suavitátis dulcédine ineffabíliter afféctus, dicébat cum Psalmísta : Quid mihi est in cælo, et a te quid vólui super terram? Defécit caro mea et cor meum : Deus cordis mei, et pars mea Deus in ætérnum.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Et.

Bened. Ignem sui amóris.

Lectio vi

Contemplabátur enim quantum in ænígmate infírmitas humána óculum mentis in æternitáte fígere potest, quanta sint supérnæ civitátis gáudia : et ea enarráre non sufficiens, admirándo clamábat : Quid mihi est in cælo? Quasi díceret : Excédit vires meas, excédit facultátem eloquéntiæ meæ, transcéndit capacitátem intelligéntiæ meæ illud decus, illa glória, illa celsitúdo, qua nobis, a conturbatióne hóminum remótis, in abscóndito faciéi suæ Jesus Christus Dóminus noster reformábit corpus humilitátis nostræ, configurátum córpori claritátis suæ. Hujus perféctæ libertátis contemplatióne nullum vitábat perículum, nullum horrébat supplícium : et si míllies posset mori, non putábat se hanc digne posse áliqua ratióne promerérí.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus : * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus : et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. — Et. Glória Patri. Et.

In III Nocturno

Ant. Justus Dóminus, * et justítiam diléxit : æquitátem vidit vultus ejus.

Psalmus 10

IN Dómino confído : quómodo dícitis ánimæ : * Tránsmigra in montem sicut passer?

Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum, paravérunt sagíttas suas in pháretra, * ut sagíttent in obscúro rectos corde.

Quóniam quæ perfecísti, destruxérunt : * justus autem quid fecit?

Dóminus in templo sancto suo, * Dóminus in cælo sedes ejus :

Oculi ejus in páuperem respíciunt : * pálpebræ ejus intérrogant fílios hóminum.

Dóminus intérrogat justum et ímpium : * qui autem díligit iniquitátem, odit ánimam suam.

Pluet super peccatóres láqueos : * ignis, et sulphur, et spíritus procellárum pars cálicis eórum.

Quóniam justus Dóminus, et justítias diléxit : * æquitátem vidit vultus ejus.

Ant. Justus Dóminus, et justítiam diléxit : æquitátem vidit vultus ejus.

Ant. Habitábit * in tabernáculo tuo : requiéscet in monte sancto tuo.

Psalmus 14

Domine, quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula, * et operátur justítiam :

Qui lóquitur veritátem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua :

Nec fecit próximo suo malum, * et oppróbrium non accépit advérsus próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu ejus malígnus : * timéntes autem Dóminum glorífícat :

Qui jurat próximo suo, et non décipit, * qui pecúniam suam non dedit ad usúram, et múnera super innocéntem non accépit.

Qui facit hæc, * non movébitur in ætérnum.

Ant. Habitábit in tabernáculo tuo : requiéscet in monte sancto tuo.

Ant. Posuísti, Dómine, * super caput ejus corónam de lápide pretióso.

Psalmus 20

Domine, in virtúte tua lætábitur rex : * et super salutáre tuum exsultábit veheménter.

Desidérium cordis ejus tribuísti ei : * et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : * posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Vitam pétiit a te : * et tribuísti ei longitúdinem diérum in sæculum, et in sæculum sæculi.

Magna est glória ejus in salutári tuo : * glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Quóniam dabis eum in benedictiónem in sæculum sæculi : * lætificábis eum in gáudio cum vultu tuo.

Quóniam rex sperat in Dómino : * et in misericórdia Altíssimi non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis : * déxtera tua invéniat omnes, qui te odérunt.

Pones eos ut clíbanum ignis in témpore vultus tui : * Dóminus in ira sua conturbábit eos, et devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terra perdes : * et semen eórum a fíliis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mala : * cogitavérunt consília, quæ non potuérunt stabilíre.

Quóniam pones eos dorsum : * in relíquiis tuis præparábis vultum eórum.

Exaltáre, Dómine, in virtúte tua : * cantábimus et psallémus virtútes tuas.

Ant. Posuísti, Dómine, super caput ejus corónam de lápide pretióso.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Absolutio A vínculis.

Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 14, 26-33

IN illo témpore : Dixit Jesus turbis : Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxórem, et fílios, et fratres, et soróres, adhuc autem et ánimam suam, non potest meus esse discípulus. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ

Homilia 37 in Evang.

SI considerémus, fratres carissimi, quæ et quanta sunt, quæ nobis promittúntur in cælis, viléscunt ánimo ómnia quæ habéntur in terris. Terréna namque substántia, supérnæ felicitáti comparáta, pondus est, non subsídium. Temporális vita, ætérnæ vitæ comparáta, mors est pótius dicénda quam vita. Ipse enim quotidiánus defféctus corruptiónis quid est áliud quam quædam prolíxitas mortis? Quæ autem lingua dícere, vel quis intelléctus cápere súfficit, illa supérnæ civitátis quanta sint gáudia; Angelórum choris interésse, cum beatíssimis spirítibus glóriæ Conditóris assístere, præséntem Dei vultum cérnere, incircumscríptum lumen vidére, nullo mortis metu áffici, incorruptiónis perpétuæ múnere lætári?

℟. Coróna áurea super caput ejus, * Expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis.

℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis.

Bened. Cujus festum cólimus.

Lectio viii

SED ad hæc audíta inardéscit ánimus, jamque illic cupit assístere, ubi se sperat sine fine gaudére. Sed ad magna prǽmia perveníri non potest, nisi per magnos labóres. Unde et Paulus egrégius prædicátor dicit : Non coronábitur, nisi qui legítime certáverit. Deléctet ergo mentem magnitúdo præmiórum, sed non detérreat certámen labórum. Unde ad se veniéntibus Véritas dicit : Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxórem, et fílios, et fratres, et soróres, adhuc autem et ánimam suam, non potest meus esse discípulus.

℟. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit : * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, sed ad cæléstia regna pervénit. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Qui. Glória Patri. Qui.

Sequens Responsorium dicitur, loco præcedentis, in Officio unius Martyris, qui non effuso sanguine occubuerit.

℟. Dómine, prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : * Posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. ℣. Vitam pétiit a te, et tribuísti ei longitúdinem diérum in sæculum sæculi.— Posuísti. Glória Patri. Posuísti.

Benedictio Ad societátem.

Lectio ix

SED percontári libet, quómodo paréntes et carnáliter propínquos præcípimur odísse, qui jubémur et inimícos dilígere? Et certe Véritas de uxóre dicit : Quod Deus conjúnxit, homo non séparet. Et Paulus ait : Viri, dilígite uxóres vestras, sicut et Christus Ecclésiam. Ecce discípulus uxórem diligéndam prædicat, cum magíster dicat : Qui uxórem non odit, non potest meus esse discípulus. Numquid áliud judex núntiat, áliud præco clamat? An simul et odísse póssumus, et dilígere? Sed si vim præcépti perpéndimus, utrúmque ágere per discretiónem valémus : ut uxórem et eos, qui nobis carnis cognatióne conjúncti sunt, et quos próximos nóvimus, diligámus; et quos adversários in via Dei pátimur, odiéndo et fugiéndo nesciámus.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES
et per Horas, Añæ

1 Qui me conféssus fúerit * coram homínibus, confitébor et ego eum coram Patre meo.

Psalmi de Dominica.

2 Qui séquitur me, * non ámbulat in ténebris, sed habébit lumen vitæ, dicit Dóminus.

3 Qui mihi minístrat, * me sequátur : et ubi ego sum, illic sit et miníster meus.

4 Si quis mihi ministráverit, * honorificábit eum Pater meus, qui est in cælis, dicit Dóminus.

5 Volo, Pater, * ut, ubi ego sum, illic sit et miníster meus.

Capitulum Jac. 1, 12

BEátus vir, qui suffert tentatiónem : quóniam, cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus dilígentibus se.

Hymnus

INvícte Martyr, únicum Patris secútus Fílium, Victis triúmphas hóstibus, Victor fruens cæléstibus.

Tui precátus múnere Nostrum reátum dílue, Arcens mali contágium, Vitæ repéllens tædium.

Solúta sunt jam víncula Tui sacráti córporis : Nos solve vinclis sæculi, Dono supérni Núminis.

* Deo Patri sit glória, Ejúsque soli Fílio, Cum Spíritu Paráclito, Nunc et per omne sæculum. Amen.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Bened. Ant. Qui odit * ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

Pro Martyre et Pontifice

1 — Oratio

INfírmitátem nostram réspice, omnípotens Deus : et, quia pondus própriæ actiónis gravat, beáti N. Mártyris tui atque Pontíficis intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

2 — Alia Oratio

DEus, qui nos beáti N. Mártyris tui atque Pontíficis ánnua solemnitáte lætíficas : concéde propítius; ut, cujus natalítia cólimus, de ejúsdem étiam protectióne gaudeámus. Per Dóminum.

Pro Martyre non Pontifice

3 — Oratio

PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus : ut, qui beáti N. Mártyris tui natalítia cólimus, intercessióne ejus in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum.

4 — Alia Oratio

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus : ut, intercedénte beáto N. Mártyre tuo, et a cunctis adversitátibus liberémur in córpore, et a pravis cogitatiónibus mundémur in mente. Per Dóminum.

Ad Horas Psalmi de Dominica, ad Primam tamen ut in Festis.

AD TERTIAM

Capitulum Jac. 1, 12

BEátus vir, qui suffert tentatiónem : quóniam, cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se.

℟. br. Glória et honóre * Coronásti eum, Dómine. Glória et. ℣. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum. Coronásti. Glória Patri. Glória et. ℣. Posuísti, Dómine, super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso.

AD SEXTAM

Capitulum Eccli. 15, 3

CIbávit illum pane vitæ et intelléctus, et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum Dóminus, Deus noster.

℟. br. Posuísti, Dómine, * Super caput ejus. Posuisti. ℣. Corónam de lápide pretióso. Super. Glória Patri. Posuísti.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

AD NONAM

Capitulum Eccli. 39, 6

JUstus cor suum trádidit ad vigilándum dilúculo ad Dóminum, qui fecit illum, et in conspéctu Altíssimi deprecábitur.

℟. br. Magna est glória ejus * In salutári tuo. Magna est. ℣. Glóriam et magnum decórem impónes super eum. In. Glória Patri. Magna est. ℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

IN II VESPERIS

Omnia ut in I Vesperis [29], sed loco ultimi dicitur Psalmus 115 Crédidi ut ibidem pro II Vesperis notatur.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Magnif. Ant. Qui vult veníre post me, * ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

Completorium de Dominica.

II ALIÆ LECTIONES

pro uno Martyre

In I Nocturno

De Expositióne sancti Ambrósii Epíscopi in Psalmum centésimum décimum octávum Sermo 21

Lectio iv

RÍncipes persecúti sunt me gratis : et a verbis tuis trepidávit cor meum. Bene hoc Martyr dicit, quod injúste persecutiónum torménta sustíneat; qui nihil rapúerit, nullum violéntus oppresserit, nullíus sánguinem fúderit, nullíus torum putáverit esse violándum; qui nihil légibus débeat, et gravióra latrónum sustinére cogátur supplícia; qui loquátur juste, et non audiátur; qui loquátur plena salútis, et impugnétur, ut possit dícere : Cum loquébar illis, impugnábant me gratis. Gratis ígitur persecutiónem pátitur, qui impugnátur sine crímine; impugnátur ut nóxius, cum sit in tali confessióne laudábilis; impugnátur quasi venéficus, qui in nómine Dómini gloriátur, cum pietas virtútum ómnium fundaméntum sit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit eum. — Et.

Lectio v

VEre frustra impugnátur, qui apud ímpios et infídos impietátis arcéssitur, cum fídei sit magíster. Verum, qui gratis impugnátur, fortis debet esse et constans. Quómodo ergo subtéxuit : Et a verbis tuis trepidávit cor meum? Trepidáre infirmitátis est, timóris atque formídinis. Sed est étiam infírmitas ad salútem, est étiam timor sanctórum. Timéte Dóminum, omnes sancti ejus : et, Beátus vir, qui timet Dóminum. Qua ratióne beátus? Quia in mandátis ejus cupit nimis.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Et.

Lectio vi

POne ergo Mártyrem inter perícula constitútum, cum inde immánitas bestiárum ad incutiéndum terrórem ínfremat, aliúnde stridor candéntium laminárum et flamma fornácis ardéntisexæstuet, exparte ália pérsonent tractus grávium catenárum, hinc cárnifex cruéntus assístat : Pone, inquam, circumspectántem ómnia plena supplíciis, deínde cogitántem mandáta divína, illum ignem perpétuum, illud sine fine incéndium perfidórum, illam pœnæ recrudescéntis ærúmnam; trepidáre corde, ne, dum præséntibus cedat, perpétuis se dedat exítiis; perturbári ánimo, dum futúri judícii rhomphæam illam terríbilem quadam conspéctus spécie contuétur. Nonne ad hanc trepidatiónem fidúciæ viri constántis, æquális in eúmdem concúrrit efféctum confidéntia cupiéntis ætérna, et divína trepidántis?

℟. Stola jucunditátis induit eum Dóminus : * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus : et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. — Et. Glória Patri. Et.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 16, 24-27

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ

Homilia 32 in Evang.

QUia Dóminus ac Redémptor noster novus homo venit in mundum, nova præcépta dedit mundo. Vitæ étenim nostræ véteri in vítiis enutrítæ contrarietátem oppósuit novitátis suæ. Quid enim vetus, quid carnális homo nóverat, nisi sua retinére, aliéna rápere, si posset; concupíscere, si non posset? Sed cæléstis médicus síngulis quibúsque vítiis obviántia ádhibet medicaménta. Nam sicut arte medicínæ cálida frígidis, frígida cálidis curántur : ita Dóminus noster contrária oppósuit medicaménta peccátis, ut lúbricis continéntiam, tenácibus largitátem, iracúndis mansuetúdinem, elátis præcíperet humilitátem.

℟. Coróna áurea super caput ejus, * Expréssa signo sanctitátis, glória ho-

nóris, et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Expréssa.

Lectio viii

CErte, cum se sequéntibus nova mandáta propóneret, dixit : Nisi quis renuntiáverit ómnibus quæ pósidet, non potest meus esse discípulus. Ac si apérte dicat : Qui per vitam véterem aliéna concupíscitis, per novæ conversatiónis stúdium et vestra largímini. Quid vero in hac lectióne dicat, audiámus : Qui vult post me veníre, ábneget semetípsum. Ibi dícitur, ut abnegémus nostra : hic dícitur, ut abnegémus nos. Et fortásse laboriósum non est hómini relínquere sua; sed valde laboriósum est relínquere semetípsum. Minus quippe est abnegáre quod habet; valde autem multum est abnegáre quod est.

℟. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit : * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, sed ad cæléstia regna pervénit. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Qui. Glória Patri. Qui.

Vel ℟. Dómine, prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : * Posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. ℣. Vitam pétiit a te, et tribuísti ei longitúdinem diérum in sæculum sæculi. — Posuísti. Glória Patri. Posuísti.

Lectio ix

AD se autem nobis veniéntibus Dóminus præcépit, ut renuntiémus nostris : quia, quicúmque ad fídei agónem venímus, luctámen contra malígnos spíritus súmimus. Nihil autem malígni spíritus in hoc mundo próprium póssident : nudi ergo cum nudis luctári debémus. Nam si vestítus quisque cum nudo luctátur, cítius ad terram dejícitur, quia habet unde teneátur. Quid enim sunt terréna ómnia nisi quædam córporis induménta? Qui ergo contra diábolum ad certámen próperat, vestiménta abjíciat, ne succúmbat.

Te Deum laudámus.

III ALIA HOMILIA

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 10, 34-42

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Nolíte arbitrári, quia pacem vénerim míttere in terram : non veni pacem míttere, sed gládium. Et réliqua.

Homília sancti Hilárii Episcopi

Comment. in Matth., can. 10

QUÆ ista divísio est? inter prima enim legis præcépta accépimus : Honóra patrem tuum et matrem tuam; et ipse Dóminus ait : Pacem meam do vobis, pacem meam relínquo vobis. Quid sibi vult missus pótius gládius in terram, et separátus a patre fílius, et fília a matre, et nurus advérsus socrum, et hóminis doméstici ejus inimíci? Igitur exínde pública auctóritas impietáti proferétur. Ubíque ódia, ubíque bella, et gládius Dómini inter patrem et fílium, et inter fíliam matrémque desáviens.

℟. Coróna áurea super caput ejus, * Expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Expréssa.

Lectio viii

GLádius telórum ómnium telum acutíssimum est, in quo sit jus potestátis, et judícii sevéritas, et animadvérsio peccatórum. Et hujus quidem teli nómine novi Evangélii prædicatiónem appellátam frequens in Prophétis auctóritas est. Dei ígitur verbum nuncupátum meminérimus in gládio; qui gládius missus in terram est, idest, prædicátio ejus hóminum córdibus infúsa. Fitque gravis in domo una dissénsio, et doméstica novo hómini erunt inimíca; quia ille per verbum Dei divísus ab illis, manére et intérior et extérior, id est, et corpus et ánima, in spíritus novitáte gaudébit.

℟. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit : * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, sed ad cæléstia regna pervénit. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Qui. Glória. Qui.

Vel ℟. Dómine, prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : * Posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. ℣. Vitam pétiit a te, et tribuísti ei longitúdinem diérum in sæculum sæculi. — Posuísti. Glória Patri. Posuísti.

Lectio ix

PErgit deínde eódem præceptórum et intelligéntiæ decúrsu. Nam, posteáquam relinquénda ómnia, quæ in sæculo cariíssima sunt, imperáverat, adjécit : Qui non áccipit crucem suam, et séquitur me, non est me dignus; quia Qui Christi sunt, crucifixérunt corpus cum vítiis et concupiscéntia. Et indígnus est Christo, qui non crucem suam, in qua compátimur, commórimur, consepelímur, conresúrgimus, accípiens, Dóminum sit secútus, in hoc sacraménto fídei spíritus novitáte victúrus.

Te Deum laudámus.

IV ALIA HOMILIA

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 10, 26-32

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Nihil est opértum, quod non revelábitur; et occúltum, quod non sciétur. Et réliqua.

Homília sancti Hilárii Episcopi

Comment. in Matth., can. 10, post medium

DOminus diem judícii osténdit, quæ abstrúsam voluntátis nostræ consciéntiam prodet; et ea quæ nunc occúlta existimántur, luce cognitiónis públicæ déteget. Igitur non minas, non consília, non potestátes insectántium monet esse metuéndas; quia dies judícii nulla hæc fuísse, atque inánia revelábit. Et quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine; et quod in aure audítis, prædicáte super tecta. Non légimus Dóminum sólitum fuísse nóctibus sermocinári, et doctrínam in ténebris tradidísse : sed quia omnis sermo ejus carnálibus ténebræ sunt, et verbum ejus infidélibus nox est.

℟. Coróna áurea super caput ejus, * Expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. — Expréssa.

Lectio viii

ITaque id quod a se dictum est, cum libertáte fídei et confessiónis vult esse loquéndum. Idcírco, quæ in ténebris dicta sunt, prædicári jussit in lúmine; ut, quæ secréto áurium commissa sunt, super tecta, id est, excélso loquéntium præcónio audiántur. Constánter enim Dei ingerénda cognítio est, et profúndum doctrínæ evangélicæ secrétum in lúmine prædicatiónis apostólicæ

revelándum, non timéntes eos, quibus, cum sit licéntia in córpora, tamen in ánimam jus nullum est; sed timéntes pótius Deum, cui perdéndæ in gehénna et ánimæ et córporis sit potéstas.

℟. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit : * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, sed ad cæléstia regna pervénit. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Qui minas. Glória Patri. Qui minas.

Vel ℟. Dómine, prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : * Posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. ℣. Vitam pétiit a te, et tribuísti ei longitúdinem diérum in sæculum sæculi. — Posuísti. Glória Patri. Posuísti.

Lectio ix

Nolíte timére eos, qui occídunt corpus. Nullus ígitur córporum nostrórum casus est pertimescéndus, neque ullus interiméndæ carnis admitténdus est dolor; quando pro natúræ suæ atque orígnis conditióne resolúta, in substántiam spirituális ánimæ refundátur. Et quia doctrínis tálibus confirmátos opórtet líberam confiténdi Dei habére constántiam, étiam conditiónem, qua tenerémur, adjécit, negatúrum se eum Patri in cælis, qui se homínibus in terra negásset; eum porro, qui conféssus coram homínibus se fuísset, a se in cælis confiténdum; qualésque nos nóminis sui testes homínibus fuissémus, tali nos apud Deum Patrem testimónio ejus usúros.

Te Deum laudámus.

Commune plurimorum Martyrum

IN I VESPERIS

Ant. 1 Omnes Sancti, * quanta passi sunt torménta, ut secúri pervenírent ad palmam martýrii!

Psalmi ut in I Vesperis de Communi Apostolorum. [3]

2 Cum palma * ad regna pervenérunt Sancti, corónas decóris meruérunt de manu Dei.

3 Córpora Sanctórum * in pace sepúlta sunt : et vivent nómina eórum in ætérnum.

4 Mártyres Dómini, * Dóminum benedícite in ætérnum.

5 Mártyrum chorus, * laudáte Dóminum de cælis, allelúja.

Capitulum Sap. 3, 1-3

Justórum ánimæ in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum mortis. Visi sunt óculis insipiéntium mori; illi autem sunt in pace.

Hymnus

Sanctórum méritis ínclyta gáudia
Pangámus, sócii, géstaque fórtia :
Gliscens fert ánimus prómere cántibus
Victórum genus óptimum.

Hi sunt, quos fátue mundus abhórruit;
Hunc fructu vácuum, flóribus áridum
Contempsére tui nóminis ásseclæ,
Jesu, Rex bone cælitum.

Hi pro te fúrias atque minas truces
Calcárunt hóminum, sævaque vérbera :
His cessit lácerans fórtiter úngula,
Nec carpsit penetrália.

Cædúntur gládiis more bidéntium :
Non murmur résonat, non querimónia;
Sed corde impávido mens bene cónscia
Consérvat patiéntiam.

Quæ vox, quæ póterit lingua retéxere,
Quæ tu Martýribus múnera præparas?
Rubri nam flúido sánguine, fúlgidis
Cingunt témpora láureis.

Te, summa o Déitas, únaque póscimus :
Ut culpas ábigas, nóxia súbtrahas,
Des pacem fámulis; ut tibi glóriam,
Annórum in sériem, cánant. Amen.

℣. Lætámini in Dómino et exsultáte, justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Ad Magnif. Ant. Istórum est enim * regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad prǽmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

Pro pluribus Martyribus Pontificibus

1 — Oratio

Beatórum Mártyrum paritérque Pontíficum N. et N. nos, quæsumus, Dómine, festa tueántur : et eórum comméndet orátio veneránda. Per Dóminum.

Si non fuerint Pontifices

2 — Oratio

Deus, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum N. et N. natalítia cólere : da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum.

3 — Alia Oratio

Deus, qui nos ánnua sanctórum Mártyrum tuórum N. et N. solemnitáte lætíficas : concéde propitius; ut, quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis. Per Dóminum.

Completorium de Dominica.

AD MATUTINUM

Invit. Regem Mártyrum Dóminum, * Veníte, adorémus. Ps. 94 Veníte, exsultémus.

Hymnus

Christo profúsum sánguinem
Et Mártyrum victórias
Dignámque cælo láuream
Lætis sequámur vócibus.

Terróre victo sæculi
Pœnísque spretis córporis,
Mortis sacræ compéndio
Vitam beátam póssident.

Tradúntur igni Mártyres
Et bestiárum déntibus;

Armáta sævit úngulis
Tortóris insáni manus.

Nudáta pendent víscera,
Sanguis sacrátus fúnditur;
Sed pérmanent immóbiles
Vitæ perénnis grátia.

¶ Sequens Conclusio numquam mutatur.

Te nunc, Redémptor, quæsumus,
Ut Mártyrum consórtio
Jungas precántes sérvulos
In sempitérna sæcula.
Amen.

In I Nocturno

Ant. Secus decúrsus aquárum * plantávit víneam justórum, et in lege Dómini fuit volúntas eórum.

Psalmus 1

Beátus vir, qui non ábiit in consílio impiórum, et in via peccatórum non stetit, * et in cáthedra pestilentiæ non sedit :

Sed in lege Dómini volúntas ejus, * et in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantátum est secus decúrsus aquárum, * quod fructum suum dabit in témpore suo :

Et fólium ejus non défluet : * et ómnia quæcúmque fáciet, prosperabúntur.

Non sic ímpii, non sic : * sed tamquam pulvis, quem própicit ventus a fácie terræ.

Ideo non resúrgent ímpii in judício : * neque peccatóres in concílio justórum.

Quóniam novit Dóminus viam justórum : * et iter impiórum períbit.

Ant. Secus decúrsus aquárum plantávit víneam justórum, et in lege Dómini fuit volúntas eórum.

Ant. Tamquam aurum * in fornáce probávit eléctos Dóminus : et quasi holocáusta accépit eos in ætérnum.

Psalmus 2

Quare fremuérunt gentes, * et pópuli meditáti sunt inánia?

Astitérunt reges terræ, et príncipes convenérunt in unum * advérsus Dóminum, et advérsus Christum ejus.

Dirumpámus víncula eórum : * et projiciámus a nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in cælis, irridébit eos : * et Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquébar ad eos in ira sua, * et in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * prædicans præcéptum ejus.

Dóminus dixit ad me : * Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Póstula a me, et dabo tibi gentes hereditátem tuam, * et possessiónem tuam términos terræ.

Reges eos in virga férrea, * et tamquam vas fíguli confrínges eos.

Et nunc, reges, intellígite : * erudímini, qui judicátis terram.

Servíte Dómino in timóre : * et exsultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplínam, nequándo irascátur Dóminus, * et pereátis de via justa.

Cum exárserit in brevi ira ejus, * beáti omnes qui confídunt in eo.

Ant. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus : et quasi holocáusta accépit eos in ætérnum.

Ant. Si coram homínibus * torménta passi sunt, spes electórum est immortális in ætérnum.

Psalmus 3

Domine, quid multiplicáti sunt qui tríbulant me? * multi insúrgunt advérsum me.

Multi dicunt ánimæ meæ : * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem, Dómine, susceptor meus es, * glória mea, et exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum clamávi : * et exaudívit me de monte sancto suo.

Ego dormívi, et soporátus sum : * et exsurréxi, quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me : * exsúrge, Dómine, salvum me fac, Deus meus.

Quóniam tu percussísti omnes adversántes mihi sine causa : * dentes peccatórum contrivísti.

Dómini est salus : * et super pópulum tuum benedíctio tua.

Ant. Si coram homínibus torménta passi sunt, spes electórum est immortális in ætérnum.

℣. Lætámini in Dómino et exsultáte, justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Absolutio Exáudi Dómine.

Benedictio Benedictióne.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános

Lectio i Cap. 8, 12-19

Fratres : Debitóres sumus non carni, ut secúndum carnem vivámus. Si enim secúndum carnem vixéritis, moriémini : si autem spíritu facta carnis mortificavéritis, vivétis. Quicúmque enim spíritu Dei agúntur, ii sunt fílii Dei. Non enim accepístis spíritum servitútis íterum in timóre, sed accepístis spíritum adoptiónis filiórum, in quo clamámus : Abba (Pater). Ipse enim Spíritus testimónium reddit spirítui nostro, quod sumus fílii Dei. Si autem fílii, et herédes : herédes quidem Dei, coherédes autem Christi; si tamen compátimur, ut et conglorificémur. Exístimo enim quod non sunt condígnæ passiónes hujus témporis ad futúram glóriam, quæ revelábitur in nobis. Nam exspectátio creatúræ revelatiónem filiórum Dei exspéctat.

Pro pluribus Martyribus

℟. Abstérget Deus omnem lácrimam ab óculis Sanctórum : et jam non erit ámplius neque luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor : * Quóniam prióra transiérunt. ℣. Non esúrient, neque sítient ámplius, neque cadet super illos sol, neque ullus æstus. — Quóniam prióra.

Pro uno Mart. non Pont.

℟. Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit : * Fundátus enim erat supra firmam petram. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Fundátus.

Benedictio Unigénitus Dei.

Lectio ii Cap. 8, 28-39

Scimus autem quóniam diligéntibus Deum ómnia cooperántur in bonum, iis, qui secúndum propósitum vocáti sunt sancti. Nam quos præscívit, et prædestinávit confórmes fíeri imáginis Fílii sui, ut sit ipse primogénitus in multis frátribus. Quos autem prædestinávit, hos et vocávit : et quos vocávit, hos et justificávit : quos autem justificávit, illos et glorificávit. Quid ergo dicémus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui étiam próprio Fílio suo non pepércit, sed pro nobis ómnibus trádidit illum : quómodo non étiam cum illo ómnia nobis donávit? Quis accusábit advérsus eléctos Dei? Deus qui justíficat, quis est qui condémnet? Christus Jesus, qui mórtuus est, immo qui et resurréxit, qui est ad déxteram Dei, qui étiam interpéllat pro nobis.

Pro pluribus Martyribus

℟. Viri sancti gloriósum sánguinem fudérunt pro Dómino, amavérunt Christum in vita sua, imitáti sunt eum in morte sua : * Et ídeo corónas triumpháles meruérunt. ℣. Unus spíritus, et una fides erat in eis. — Et.

Pro uno Mart. non Pont.

℟. Justus germinábit sicut lílium : * Et florébit in ætérnum ante Dóminum. ℣. Plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri. — Et.

Benedictio Spíritus Sancti.

Lectio iii

QUis ergo nos separábit a caritáte Christi? tribulátio, an angústia, an fames, an núditas, an períc̃ulum, an persecútio, an gládius? (sicut scriptum est : Quia propter te mortificámur tota die : æstimáti sumus sicut oves occisiónis.) Sed in his ómnibus superámus propter eum, qui diléxit nos. Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principátus, neque Virtútes, neque instántia, neque futúra, neque fortitúdo, neque altitúdo, neque profúndum, neque creatúra ália póterit nos separáre a caritáte Dei, quæ est in Christo Jesu, Dómino nostro.

Pro pluribus Martyribus

℟. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia : * Et meruérunt habére corónas perpétuas. ℣. Isti sunt, qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni. — Et. Glória Patri. Et.

Pro uno Mart. non Pont.

℟. Iste cognóvit justitiam, et vidit mirabília magna, et exorávit Altíssimum : * Et invéntus est in número Sanctórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Et. Glória Patri. Et.

In II Nocturno

Ant. Dabo Sanctis meis * locum nominátum in regno Patris mei, dicit Dóminus.

Psalmus 14

DOmine, quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula, * et operátur justitiam :

Qui lóquitur veritátem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua :

Nec fecit próximo suo malum, * et oppróbrium non accépit advérsus próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu ejus malígnus : * timéntes autem Dóminum glorificat :

Qui jurat próximo suo, et non décipit, * qui pecúniam suam non dedit ad usúram, et múnera super innocéntem non accépit.

Qui facit hæc, * non movébitur in ætérnum.

Ant. Dabo Sanctis meis locum nominátum in regno Patris mei, dicit Dóminus.

Ant. Sanctis, qui in terra sunt ejus, * mirificávit omnes voluntátes meas inter illos.

Psalmus 15

CONsérva me, Dómine, quóniam sperávi in te. * Dixi Dómino : Deus meus es tu, quóniam bonórum meórum non eges.

Sanctis, qui sunt in terra ejus, * mirificávit omnes voluntátes meas in eis.

Multiplicátæ sunt infirmitátes eórum : * póstea acceleravérunt.

Non congregábo conventícula eórum de sanguínibus, * nec memor ero nóminum eórum per lábia mea.

Dóminus pars hereditátis meæ, et cálicis mei : * tu es, qui restítues hereditátem meam mihi.

Funes cecidérunt mihi in præcláris : * étenim heréditas mea præclára est mihi.

Benedícam Dóminum, qui tríbuit mihi intellléctum : * ínsuper et usque ad noctem increpuérunt me renes mei.

Providébam Dóminum in conspéctu meo semper : * quóniam a dextris est mihi, ne commóvear.

Propter hoc lætátum est cor meum, et exsultávit lingua mea : * ínsuper et caro mea requiéscet in spe.

Quóniam non derelínques ánimam meam in inférno : * nec dabis sanctum tuum vidére corruptiónem.

Notas mihi fecísti vias vitæ, adimplébis me lætítia cum vultu tuo : * delectatiónes in déxtera tua usque in finem.

Ant. Sanctis, qui in terra sunt ejus, mirificávit omnes voluntátes meas inter illos.

Ant. Sancti, qui sperant in Dómino, * habébunt fortitúdinem, assúment pennas ut áquilæ, volábunt et non defícient.

Psalmus 23

DOmini est terra, et plenitúdo ejus : * orbis terrárum, et univérsi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum : * et super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus et mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino : * et misericórdiam a Deo, salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini, portæ ætemáles : * et introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus fortis et potens : Dóminus potens in prœlio.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini, portæ ætemáles : * et introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est Rex glóriæ.

Ant. Sancti, qui sperant in Dómino, habébunt fortitúdinem, assúment pennas ut áquilæ, volábunt, et non defícient.

℣. Exsúltent justi in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in lætítia.

Absolutio Ipsíus píetas.

Benedictio Deus Pater.

Sermo sancti Augustíni Episcopi

Sermo 47 de Sanctis

Lectio iv

QUotiescúmque, fratres caríssimi, sanctórum Mártyrum solémnia celebrámus, ita, ipsis intercedéntibus, exspectémus a Dómino cónsequi temporália benefícia, ut ipsos Mártyres imitándo accípere mereámur ætérna. Ab ipsis enim sanctórum Mártyrum in veritáte festivitátum gáudia celebrántur, qui ipsórum Mártyrum exémpla sequúntur. Solemnitátes enim Mártyrum exhortatiónes sunt martyriórum; ut imitári non pígeat, quod celebráre deléctat.

℟. Sancti tui, Dómine, mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis : * Terra appáruit árida, et in Mari Rubro via sine impedimento. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, et torrentes inundavérunt. — Terra appáruit.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

SED nos vólumus gaudére cum Sanctis; et tribulatiónem mundi nólumus sustinére cum ipsis. Qui enim sanctos Mártyres, in quantum potúerit, imitári nolúerit, ad eórum beatitúdinem non póterit pervenire. Sed et Paulus Apóstolus prædicat, dicens : Si fuérimus sócii passiónum, érimus et consolatiónum. Et Dóminus

in Evangélio : Si mundus vos odit, scitóte, quia me priórem vobis ódio hábuit. Recúsat esse in córpore, qui ódium non vult sustinére cum cápite.

℟. Vérbera carnífícum non timuérunt Sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine : * Ut herédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. — Ut.

Bened. Ignem sui amóris.

Lectio vi

SED dicit áliquis : Et quis est qui possit beatórum Mártyrum vestígia sequi? Huic ego respóndeo, quia non solum Mártyres, sed étiam ipsum Dóminum cum ipsíus adjutório, si vólumus, póssumus imitári. Audi non me, sed ipsum Dóminum géneri humáno clamántem : Díscite a me, quia mitis sum et húmilis corde. Audi et Petrum Apóstolum admonéntem : Christus passus est pro nobis, relínquens nobis exémplum, ut sequámur vestígia ejus.

℟. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus, et quasi holocáusti hóstiam accépit illos; et in témpore erít respéctus illórum : * Quóniam donum et pax est eléctis Dei. ℣. Qui confídunt in illum, intélligent veritátem : et fidéles in dilectióne acquiéscent illi. — Quóniam. Glória Patri. Quóniam.

In III Nocturno

Ant. Justi autem * in perpétuum vivent, et apud Dóminum est merces eórum.

Psalmus 32

EXsultáte, justí, in Dómino : * rectos decet collaudátio.

Confitémini Dómino in cíthara : * in psaltério decem chordárum psállite illi.

Cantáte ei cánticum novum : * bene psállite ei in vociferatióne.

Quia rectum est verbum Dómini, * et ómnia ópera ejus in fide.

Díligit misericórdiam et judícium : * misericórdia Dómini plena est terra.

Verbo Dómini cæli firmáti sunt : * et spíritu oris ejus omnis virtus eórum.

Cóngregans sicut in utre aquas maris : * ponens in thesáuris abýssos.

Tímeat Dóminum omnis terra : * ab eo autem commoveántur omnes inhabitántes orbem.

Quóniam ipse dixit, et facta sunt : * ipse mandávit, et creáta sunt.

Dóminus díssipat consília géntium : * réprobat autem cogitatiónes populórum, et réprobat consília príncipum.

Consílium autem Dómini in ætérnum manet : * cogitatiónes cordis ejus in generatióne et generatiónem.

Beáta gens, cujus est Dóminus, Deus ejus : * pópulus, quem elégit in hereditátem sibi.

De cælo respéxit Dóminus : * vidit omnes fílios hóminum.

De præparáto habitáculo suo * respéxit super omnes, qui hábitant terram.

Qui finxit sigillátim corda eórum : * qui intélligit ómnia ópera eórum.

Non salvátur rex per multam virtútem : * et gigas non salvábitur in multitúdine virtútis suæ.

Fallax equus ad salútem : * in abundántia autem virtútis suæ non salvábitur.

Ecce, óculi Dómini super metuéntes eum : * et in eis, qui sperant super misericórdia ejus :

Ut éruat a morte ánimas eórum : * et alat eos in fame.

Anima nostra sústinet Dóminum : * quóniam adjútor et protéctor noster est.

Quia in eo lætábitur cor nostrum : * et in nómine sancto ejus sperávimus.

Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos : * quemádmodum sperávimus in te.

Ant. Justi autem in perpétuum vivent, et apud Dóminum est merces eórum.

Ant. Tradidérunt * córpora sua in mortem, ne servírent idólis : ídeo coronáti póssident palmam.

Psalmus 33

BEnedícam Dóminum in omni témpore : * semper laus ejus in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea : * áudiant mansuéti, et læténtur.

Magnificáte Dóminum mecum : * et exaltémus nomen ejus in idípsum.

Exquisívi Dóminum, et exaudívit me : * et ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

Accédite ad eum, et illumináminí : * et fácies vestræ non confundéntur.

Iste pauper clamávit, et Dóminus exaudivit eum : * et de ómnibus tribulatiónibus ejus salvávit eum.

Immíttet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum : * et erípiet eos.

Gustáte, et vidéte quóniam suávis est Dóminus : * beátus vir, qui sperat in eo.

Timéte Dóminum, omnes sancti ejus : * quóniam non est inópia timéntibus eum.

Dívites eguérunt et esuriérunt : * inquiréntes autem Dóminum non minuéntur omni bono.

Veníte, fílii, audíte me : * timórem Dómini docébo vos.

Quis est homo qui vult vitam : * díligit dies vidére bonos?

Próhibe linguam tuam a malo : * et lábia tua ne loquántur dolum.

Divérte a malo, et fac bonum : * inquíre pacem, et perséquere eam.

Oculi Dómini super justos : * et aures ejus in preces eórum.

Vultus autem Dómini super faciéntes mala : * ut perdat de terra memóriam eórum.

Clamavérunt justi, et Dóminus exaudívit eos : * et ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Juxta est Dóminus iis, qui tribuláto sunt corde : * et húmiles spíritu salvábit.

Multæ tribulatiónes justórum : * et de ómnibus his liberábit eos Dóminus.

Custódit Dóminus ómnia ossa eórum : * unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péssima : * et qui odérunt justum, delínquent.

Rédimet Dóminus ánimas servórum suórum : * et non delínquent omnes qui sperant in eo.

Ant. Tradidérunt córpora sua in mortem, ne servírent idólis : ídeo coronáti póssident palmam.

Ant. Ecce, merces * Sanctórum copiósa est apud Deum : ipsi vero mórtui sunt pro Christo, et vivent in ætérnum.

Psalmus 45

DEus noster refúgium, et virtus : * adjútor in tribulatiónibus, quæ invenérunt nos nimis.

Proptérea non timébimus dum turbábitur terra : * et transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt, et turbátæ sunt aquæ eórum : * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei : * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus in médio ejus, non commovébitur : * adjuvábit eam Deus mane dilúculo.

Conturbátæ sunt gentes, et inclináta sunt regna : * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * suscéptor noster Deus Jacob.

Veníte, et vidéte ópera Dómini, quæ pósuit prodígia super terram : * áu-

ferens bella usque ad finem terræ.

Arcum cónteret, et confrínget arma : * et scuta combúret igni.

Vacáte, et vidéte quóniam ego sum Deus : * exaltábor in géntibus, et exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * suscéptor noster Deus Jacob.

Ant. Ecce, merces Sanctórum copiósa est apud Deum : ipsi vero mórtui sunt pro Christo, et vivent in ætérnum.

℣. Justi autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dóminum est merces eórum.

Absolutio A vínculis.

Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 21, 9-19

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Cum audiéritis prœlia, et seditiónes, nolíte terréri : opórtet primum hæc fíeri, sed nondum statim finis. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ

Homilia 35 in Evangelia

DOminus ac Redémptor noster perítúri mundi præcurréntia mala denúntiat, ut eo minus pertúrbent veniéntia, quo fúerint præscíta. Minus enim jácula fériunt, quæ prævidéntur; et nos tolerabílius mundi mala suscípimus, si contra hæc per præsciéntiæ clýpeum munímur. Ecce enim dicit : Cum audiéritis prœlia et seditiónes, nolíte terréri; opórtet enim primum hæc fíeri, sed nondum statim finis. Pensánda sunt verba Redemptóris nostri, per quæ nos áliud intérius, áliud extérius passúros esse denúntiat. Bella quippe ad hostes pértinent, seditiónes ad cives. Ut ergo nos índicet intérius exteriúsque turbári, áliud nos fatétur ab hóstibus, áliud a frátribus pérpeti.

℟. Propter testaméntum Dómini et leges patérnas, Sancti Dei perstitérunt in amóre fraternitátis : * Quia unus fuit semper spíritus in eis, et una fides. ℣. Ecce quam bonum et quam jucúndum habitáre fratres in unum! — Quia.

Benedictio Quorum festum cólimus.

Lectio viii

SED, his malis præveniéntibus, quia non statim finis sequátur, adjúngit : Surget gens contra gentem, et regnum advérsus regnum; et terræmótus magni erunt per

loca, et pestiléntiæ, et fames, terrorésque de cælo et signa magna erunt. Ultima tribulátio multis tribulatiónibus prævenítur; et per crebra mala, quæ prævéniunt, indicántur mala perpétua, quæ subsequéntur. Et ideo post bella et seditiónes non statim finis; quia multa debent mala præcúrrere, ut malum váleant sine fine nuntiáre.

℟. Sancti mei, qui in carne pósiti, certámen habuístis : * Mercédem labóris ego reddam vobis. ℣. Veníte, benedícti Patris mei, percípite regnum. — Mercédem. Glória Patri. Mercédem.

Sequens Responsorium dicitur, loco præcedentis, in Officio plurimorum Martyrum Fratrum, etiam si ii recolantur cum Sociis; dummodo tamen Fratres vel numero sint plures, vel, si pares, primo loco nominentur.

℟. Hæc est vera fratérnitas, quæ numquam pótuit violári certámine : qui effúso sánguine secúti sunt Dóminum : * Contemnéntes aulam régiam, pervenérunt ad regna cæléstia. ℣. Ecce quam bonum et quam jucúndum habitáre fratres in unum! — Contemnéntes. Glória Patri. Contemnéntes.

Benedictio Ad societátem.

Lectio ix

SED cum tot signa perturbatiónis dicta sint, opórtet, ut eórum consideratiónem bréviter per síngula perstringámus; quia necésse est, utália e cælo,ália e terra,ália ab eleméntis,ália ab homínibus patiámur. Ait enim : Surget gens contra gentem, ecce perturbátio hóminum; erunt terræmótus magni per loca, ecce respéctus iræ désuper; erunt pestiléntiæ, ecce inæquálitas córporum; erit fames, ecce sterílitas terræ; terrorésque de cælo et tempestátes, ecce inæquálitas áëris. Quia ergo ómnia consummánda sunt, ante consummatiónem ómnia perturbántur; et qui in cunctis delíquimus, in cunctis ferímur, ut impleátur quod dícitur : Et pugnábit pro eo orbis terrárum contra insensátos.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

et per Horas, Añæ

1 Omnes Sancti, * quanta passi sunt torménta, ut secúri pervenírent ad palmam martýrii!

Psalmi de Dominica.

2 Cum palma * ad regna pervenérunt Sancti, corónas decóris meruérunt de manu Dei.

3 Córpora Sanctórum * in pace sepúlta sunt : et vivent nómina eórum in ætérnum.

4 Mártyres Dómini, * Dóminum benedícite in ætérnum.

5 Mártyrum chorus, * laudáte Dóminum de cælis, allelúja.

Capitulum Sap. 3, 1-3

JUstórum ánimæ in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum mortis. Visi sunt óculis insipiéntium mori; illi autem sunt in pace.

Hymnus

REX glorióse Mártyrum, Coróna confiténtium, Qui respuéntes térrea Perdúcis ad cæléstia :

Aurem benígnam prótinus Inténde nostris vócibus : Trophæa sacra pángimus : Ignósce quod delíquimus.

Tu vincis inter Mártyres Parcísque Confessóribus : Tu vince nostra crímina, Largítor indulgéntiæ.

* Deo Patri sit glória, Ejúsque soli Fílio, Cum Spíritu Paráclito, Nunc et per omne sæculum. Amen.

℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Ad Bened. Ant. Vestri capílli cápitis * omnes numeráti sunt : nolíte timére : multis passéribus melióres estis vos.

Pro pluribus Martyribus Pontificibus

1 — Oratio

BEatórum Mártyrum pariterque Pontíficum N. et N. nos, quæsumus, Dómine, festa tueántur : et eórum comméndet orátio veneránda. Per Dóminum.

Si non fuerint Pontifices

2 — Oratio

DEus, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum N. et N. natalítia cólere : da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum.

3 — Alia Oratio

DEus, qui nos ánnua sanctórum Mártyrum tuórum N. et N. solemnitáte lætíficas : concéde propítius; ut, quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis. Per Dóminum.

Ad Horas Psalmi de Dominica, ad Primam tamen ut in Festis.

AD TERTIAM

Capitulum Justórum, ut supra.

℟. br. Lætámini in Dómino, * Et exsultáte, justi. Lætámini. ℣. Et gloriámini, omnes recti corde.

Et exsultáte. Glória Patri. Lætámini. ℣. Exsúltent justi in conspéctu Dei. ℟. Et delectén tur in lætítia.

AD SEXTAM

Capitulum Sap. 10, 17

REddidit Deus mercédem labórum sanctórum suórum, et dedúxit illos in via mirábili : et fuit illis in velaménto diéi, et in luce stellárum nocte. ℟. br. Exsúltent justi * In conspéctu Dei. Exsúltent. ℣. Et delecténtur in lætítia. In. Glória Patri. Exsúltent. ℣. Justi autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dóminum est merces eórum.

AD NONAM

Capitulum Sap. 3, 7-8

FUlgébunt justi, et tamquam scintíllæ in arundinéto discúrrent. Judicábunt natiónes, et dominabúntur pópulis : et regnábit Dóminus illórum in perpétuum. ℟. br. Justi autem * In perpétuum vivent. Justi. ℣. Et apud Dóminum est merces eórum. In. Glória Patri. Justi. ℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

IN II VESPERIS

Ant. 1 Isti sunt Sancti, * qui pro testaménto Dei sua córpora tradidérunt, et in sánguine Agni lavérunt stolas suas.

Psalmi ut in I Vesperis de Communi Apostolorum [3], sed loco ultimi Ps. 115 Crédidi, ut infra.

2 Sancti per fidem * vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adépti sunt repromissiónes.

3 Sanctórum velut áquilæ * juvéntus renovábitur : florébunt sicut lílium in civitáte Dómini.

4 Abstérget Deus * omnem lácrimam ab óculis Sanctórum : et jam non erit ámplius neque luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor : quóniam prióra transiérunt.

5 In cæléstibus regnis * Sanctórum habitátio est, et in ætérnum réquies eórum.

Psalmus 115

GRédidi, propter quod locútus sum : * ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo : * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino, * pro ómnibus, quæ retríbuit mihi?

Cálicem salutáris accípiam : * et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus : * pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus :

O Dómine, quia ego servus tuus : * ego servus tuus, et fílius ancíllæ tuæ.

Dirupísti víncula mea : * tibi sacrificábo hóstiam laudis, et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli ejus : * in átriis domus Dómini, in médio tui, Jerúsalem.

Ant. In cæléstibus regnis Sanctórum habitátio est, et in ætérnum réquies eórum.

Capitulum Sap. 3, 1-3

JUstórum ánimæ in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum mortis. Visi sunt óculis insipiéntium mori; illi autem sunt in pace.

Hymnus

SAnctórum méritis íncly ta gáudia
Pangámus, sócii, gésta que fórtia :
Gliscens fert ánimus prómere cántibus
Victórum genus óptimum.

Hi sunt, quos fátue mundus abhórruit;
Hunc fructu vácuum, flóribus áridum
Contempsére tui nóminis ássecłæ,
Jesu, Rex bone cælitum.

Hi pro te fúrias atque minas truces
Calcárunt hóminum, sævaque vérbera :
His cessit lácerans fórtiter úngula,
Nec carpsit penetrália.

Cædúntur gládiis more bidéntium :
Non murmur résonat, non querimónia;
Sed corde impávido mens bene cónscia
Consérvat patiéntiam.

Quæ vox, quæ póterit lingua retéxere,
Quæ tu Martýribus múnera præparas?
Rubri nam flúido sánguine, fúlgidis
Cingunt témpora láureis.

Te, summa o Déitas, únaque póscimus :
Ut culpas ábigas, nóxia súbtrahas,
Des pacem fámulis; ut tibi glóriam,
Annórum in sériem, cánant. Amen.

℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Ad Magnif. Ant. Gaudent in cælis * ánimæ Sanctórum, qui Christi vestígia sunt secúti : et quia pro ejus amóre sánguinem suum fudérunt, ídeo cum Christo exsúltant sine fine.

Completorium de Dominica.

II ALIÆ LECTIONES

pro plur. Martyribus

In II Nocturno

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi

Sermo 1 de Martyribus, tom. 3

Lectio iv

NEmo est qui nésciat, Mártyrum glórias ad hoc divíno consílio a Dei pópulis frequentári, ut et illis débitus honor dicétur, et nobis virtútis exémpla, favénte Christo monstréntur : ut, dum hæc ita celebrári perspícimus, cognoscámus, quanta eos glória máneat in cælis, quorum natalítia táliter celebrántur in terris; quo possímus étiam ipsi tálibus provocári exémplis, virtúte pari, devotióne consímili ac fide; ut, Christo præstánte, dimicáre et víncere hostem possímus, ut, parta victória, cum iísdem Sanctis in regnis cæléstibus triumphémus.

℟. Sancti tui, Dómine, mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis : * Terra appáruit árida, et in Mari Rubro via sine impedimento. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, et torréntes inundavérunt. — Terra.

Lectio v

QUis est enim, qui, eórum volens mérito popolári, nisi prius constántiam eórum téneat, sectétur fidem, imitétur virtútem passiónis; eórum glóriam páribus vitæ lineaméntis aut invéniat aut exquírat? Qui etsi martýrio par esse non possit, tamen múneris tanti dignitáte se quisque bonis áctibus dignum præbeat. Adest enim clementíssimus Deus, qui desideréntibus suis aut martýrium præbeat, aut, sine martýrio, cum Sanctis prémia divina retríbuat.

℟. Vérbera carnificum non timuérunt Sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine : * Ut herédes fierent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. — Ut.

Lectio vi

UT enim infirmátur peccátor advérsis, ita justus tentatiónibus roborátur. Sic dimicárunt advérsus peccátum Sancti; sic et laborándo fortióres, et moriéndo victóres effécti sunt. Nullus athlétes sine certámine fórtior dici, nullus sine victória póterit coronári. Nemo miles sine

prœlio hostem subjécit; nemo sine bello imperatórem proméruit. Habes, christiáne, competéntia arma, quibus hostem expúgnes; habes fortíssima tela, quibus inimícum debélles.

℟. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus, et quasi holocáusti hóstiam accépit illos; et in témpore erit respéctus illórum : * Quóniam donum et pax est eléctis Dei. ℣. Qui confídunt in illum, intélligent veritátem : et fidéles in dilectióne acquiéscent illi. — Quóniam. Glória Patri. Quóniam.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 6, 17-23

IN illo témpore : Descéndens Jesus de monte, stetit in loco campéstri, et turba discipulórum ejus, et multitúdo copiósa plebis ab omni Judæa, et Jerúsalem, et marítima, et Tyri, et Sidónis. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi

Lib. 5 in Luc. cap. 6, post init.

DVérte ómnia diligénter, quómodo et cum Apóstolis ascéndat, et descéndat ad turbas. Quómodo enim turba nisi in húmili Christum vidéret? Non séquitur ad excélsa, non ascéndit ad sublímia. Dénique ubi descéndit, invénit infírmos; in excélsis enim infírmi esse non possunt. Hinc étiam Matthæus docet in inferióribus débiles esse sanátos. Prius enim unusquísque sanándus est, ut paulátim virtútibus procedéntibus ascéndere possit ad montem. Et ídeo quemque in inferióribus sanat, hoc est, a libídine révocat, injúriam cæcitátis avértit. Ad súlnera nostra descéndit; ut usu quodam et cópia suæ natúræ, compartícipes nos fáciat esse regni cæléstis.

℟. Propter testaméntum Dómini et leges patérnas, Sancti Dei perstitérunt in amóre fraternitátis : * Quia unus fuit semper spíritus in eis, et una fides. ℣. Ecce quam bonum et quam jucúndum habitáre fratres in unum! — Quia.

Lectio viii

BEáti páuperes, quia vestrum est regnum Dei. Quátuor tantum beatitúdines sanctus Lucas Domínicas pósuit, octo vero sanctus Matthæus; sed in illis octo istæ quátuor sunt, et in quátuor istis illæ octo. Hic enim quátuor

velut virtútes ampléxus est cardináles; ille in illis octo mýsticum númerum reserávit. Pro octáva enim multi inscribúntur Psalmi, et mandátum áccipis octo illis partem dare, fortásse benedictiónibus. Sicut enim spei nostræ octáva perféctio est, ita octáva summa virtútum est.

℟. Sancti mei, qui in carne pósiti, certámen habuístis : * Mercédem labóris ego reddam vobis. ℣. Veníte, benedícti Patris mei, percípite regnum. — Mercédem. Glória Patri. Mercédem.

Vel ℟. Hæc est vera fratérnitas, quæ numquam pótuit violári certámine : qui effúso sánguine secúti sunt Dóminum : * Contemnéntes aulam régiam, pervenérunt ad regna cæléstia. ℣. Ecce quam bonum et quam jucúndum habitáre fratres in unum! — Contemnéntes. Glória Patri. Contemnéntes.

Lectio ix

SED prius quæ sunt amplióra videámus. Beáti, inquit, páuperes, quóniam vestrum est regnum Dei. Primam benedictiónem hanc utérque Evangelísta pósuit. Ordine enim prima est, et parens quædam generatióque virtútum; quia qui contémpserit sæcularia, ipse merébitur sempitérna, nec potest quisquam méritum regni cæléstis adipísci, qui, mundi cupiditáte pressus, emergéndi non habet facultátem.

Te Deum laudámus.

III ALIA HOMILIA

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 12, 1-8

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Atténdite a ferménto pharisæórum, quod est hypócrisis. Et réliqua.

Homília sancti Bedæ Venerábilis Presbýteri

Lib. 4 in Luc. cap. 12

E hoc ferménto Apóstolus præcipit : Itaque epulémur, non in ferménto véteri, neque in ferménto malítiæ, et nequítiæ, sed in ázymis sinceritátis et veritátis. Nam sicut módicum ferméntum totam farínæ, cui injícitur, massam corrúmpit, universámque mox conspersiónem suo sapóre commáculat : sic nimírum simulátio, cujus semel ánimum imbúerit, tota virtútum sinceritáte et veritáte fraudábit. Est ergo sensus : Atténdite, ne æmulémini simulatóres, quia

véniet profécto tempus, in quo et vestra virtus ómnibus et eórum revelétur hypócrisis.

℟. Propter testaméntum Dómini et leges patérnas, Sancti Dei perstitérunt in amóre fraternitátis : * Quia unus fuit semper spíritus in eis, et una fides. ℣. Ecce quam bonum et quam jucúndum habitáre fratres in unum! — Quia.

Lectio viii

VErum quod séquitur : Quóniam quæ in ténebris dixístis, in lúmine dicéntur; non solum in futúro, quando cuncta córdium abscóndita proferéntur ad lucem, sed et in præsénti témpore potest congruénter áccipi. Quóniam quæ inter ténebras quondam pressurárum, carcerúmque umbras vel locúti, vel passi sunt Apóstoli, nunc, clarificáta per orbem Ecclésia, lectis eórum áctibus, públice prædicántur. Ne terreámini ab his, qui occídunt corpus. Si persecutóres Sanctórum, occísis corpóribus, non habent ámplius quid contra illos agant; ergo supervácua furunt insánia, qui mórtua Mártyrum membra feris avibúsque discerpénda projíciunt, cum nequáquam omnipoténtiæ Dei, quin ea resuscitándo vivíficet, obsístere possint.

℟. Sancti mei, qui in carne pósiti, certámen habuístis : * Mercédem labóris ego reddam vobis. ℣. Veníte, benedícti Patris mei, percípite regnum. — Mercédem. Glória Patri. Mercédem.

Vel ℟. Hæc est vera. [67]

Lectio ix

DUO autem sunt génera persecutórum : unum palam sæviéntium, álterum ficte fraudulentérque blandiéntium. Contra utrúmque nos muníre atque instituere volens Salvátor, et supra ab hypócrisi pharisæórum atténdere, et hic a carnífícum cæde præcipit non timére; quia vidélicet post mortem nec horum crudélitas, nec illórum váleat simulátio dúrare. Nonne quinque pásseres véneunt dipóndio? Si minutíssima, inquit, animália, et quæ quólibet per áëra feruntur volatília, Deus oblivísci non potest; vos, qui ad imáginem facti estis Creatóris, non debétis terréri ab his, qui occídunt corpus; quia, qui irrationabília animália gubérnat, rationabília curáre non désinit.

Te Deum laudámus.

Commune Confessoris Pontificis

IN I VESPERIS

Ant. 1 Ecce sacérdos magnus, * qui in diébus suis plácuit Deo, et invéntus est justus.

Psalmi ut in I Vesperis de Communi Apostolorum. [3]

2 Non est invéntus * símilis illi, qui conserváret legem Excélsi.

3 Ideo jurejurándo * fecit illum Dóminus créscere in plebem suam.

4 Sacerdótes Dei, * benedícite Dóminum : servi Dómini, hymnum dícite Deo, allelúja.

5 Serve bone * et fidélis, intra in gáudium Dómini tui.

In II Vesperis

Psalmus 131

MEménto, Dómine, David, * et omnis mansuetúdinis ejus :

Sicut jurávit Dómino, * votum vovit Deo Jacob :

Si introíero in tabernáculum domus meæ, * si ascéndero in lectum strati mei :

Si dédero somnum óculis meis, * et pálpebris meis dormitatiónem :

Et réquiem tempóribus meis : donec invéniam locum Dómino, * tabernáculum Deo Jacob.

Ecce audívimus eam in Ephrata : * invénimus eam in campis silvæ.

Introíbimus in tabernáculum ejus : * adorábimus in loco, ubi stetérunt pedes ejus.

Surge, Dómine, in réquiem tuam, * tu et arca sanctificatiónis tuæ.

Sacerdótes tui induántur justítiam : * et sancti tui exsúltent.

Propter David, servum tuum, * non avértas fáciem Christi tui.

Jurávit Dóminus David veritátem, et non frustrábitur eam : * De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Si custodíerint fílii tui testaméntum meum, * et testimónia mea hæc, quæ docébo eos :

Et fílii eórum usque in sæculum, * sedébunt super sedem tuam.

Quóniam elégit Dóminus Sion : * elégit eam in habitatiónem sibi.

Hæc réquies mea in sæculum sæculi : * hic habitábo quóniam elégi eam.

Víduam ejus benedícens benedícam : * páuperes ejus saturábo pánibus.

Sacerdótes ejus índuam salutári : * et sancti ejus exsultatióne exsultábunt.

Illuc prodúcam cornu David, * parávi lucérnam Christo meo.

Inimícos ejus índuam confusióne : * super ipsum autem efflorébit sanctificátio mea.

Ant. Serve bone et fidélis, intra in gáudium Dómini tui.

Capit. Eccli. 44, 16-17

ECce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo, et invéntus est justus : et in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio.

Hymnus

ISte Conféssor Dómini, coléntes
Quem pie laudant pópuli per orbem,
Hac die lætus méruit beátas
Scándere sedes.

Si non est dies obitus (quod litteræ m. t. v. indicant in Proprio), dicatur :

Hac die lætus méruit supremos
Laudis honóres.

Qui pius, prudens, húmilis, pudícus,
Sóbriam duxit sine labe vitam,
Donec humános animávit auræ
Spíritus artus.

Cujus ob præstans méritum frequénter,
Ægra quæ passim jacuére membra,
Víribus morbi dómitis, salúti
Restituúntur.

Noster hinc illi chorus obsequéntem
Cóncinit laudem celebrésque palmas,
Ut piis ejus précibus juvémur
Omne per ævum.

Sit salus illi, decus atque virtus,
Qui, super cæli sólio corúscans,
Tótius mundi sériem gubérnat
Trinus et unus. Amen.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Ad Magnif. Ant. Sacérdos et Póntifex, * et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo ora pro nobis Dóminum.

In II Vesperis

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Magnif. Ant. Amávit eum Dóminus, * et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

Pro Summis Pontificibus

Ant. Dum esset Summus Póntifex, * terréna non métuit, sed ad cæléstia regna gloriósus migrávit.

1 — Oratio

DA, quæsumus, omnípotens Deus : ut beáti N. Confessóris tui atque Pontíficis veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat et salútem. Per Dóminum.

2 — Alia Oratio

EXáudi, quæsumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti N. Confessóris tui atque Pontíficis solemnitáte deférimus : et, qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

Pro Doctoribus

In utrisque Vesperis

Ad Magnif. Ant. O Doctor óptime, * Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte N., divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

3 — Oratio

DEus, qui pópulo tuo ætérnæ salútis beátum N. minístrum tribuísti : præsta, quæsumus; ut, quem Doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cælis. Per Dóminum.

Completorium de Dominica.

AD MATUTINUM

Invitat. Regem Confessórum Dóminum, * Veníte, adorémus. Ps. 94 Veníte, exsultémus.

Hymnus Iste Conféssor, ut supra. [70]

In I Nocturno

Ant. Beátus vir, * qui in lege Dómini meditátur : volúntas ejus pérmanet die ac nocte, et ómnia quæcúmque fáciet, semper prosperabúntur.

Psalmus 1

BEátus vir, qui non ábiit in consílio impiórum, et in via peccatórum non stetit, *

et in cáthedra pestiléntiæ non sedit :

Sed in lege Dómini volúntas ejus, * et in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantátum est secus decúrsus aquárum, * quod fructum suum dabit in témpore suo :

Et fólium ejus non défluet : * et ómnia quæcúmque fáciet, prosperabúntur.

Non sic ímpii, non sic : * sed tamquam pulvis, quem prójicit ventus a fácie terræ.

Ideo non resúrgent ímpii in judício : * neque peccatóres in concílio justórum.

Quóniam novit Dóminus viam justórum : * et iter impiórum períbit.

Ant. Beátus vir, qui in lege Dómini meditátur : volúntas ejus pérmanet die ac nocte, et ómnia quæcúmque fáciet, semper prosperabúntur.

Ant. Beátus iste Sanctus, * qui confísus est in Dómino, prædicávit præcéptum Dómini, constitútus est in monte sancto ejus.

Psalmus 2

QUare fremuérunt gentes, * et pópuli meditáti sunt inánia?

Astitérunt reges terræ, et príncipes convenérunt in unum * advérsus Dóminum, et advérsus Christum ejus.

Dirumpámus víncula eórum : * et projiciámus a nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in cælis, irridébit eos : * et Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua, * et in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * prædicans præcéptum ejus.

Dóminus dixit ad me : * Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Póstula a me, et dabo tibi gentes hereditátem tuam, * et possessiónem tuam términos terræ.

Reges eos in virga férrea, * et tamquam vas fíguli confríges eos.

Et nunc, reges, intellígite : * erudímini, qui judicátis terram.

Servíte Dómino in timóre : * et exsultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplínam, nequándo irascátur Dóminus, * et pereátis de via justa.

Cum exárserit in brevi ira ejus, * beáti omnes qui confídunt in eo.

Ant. Beátus iste Sanctus, qui confísus est in Dómino, prædicávit præcéptum Dómini, constitútus est in monte sancto ejus.

Ant. Tu es glória mea, * tu es susceptor meus, Dómine : tu exáltans caput meum, et exaudísti me de monte sancto tuo.

Psalmus 3

DOmine, quid multiplicáti sunt qui tríbulant me? * multi insúrgunt advérsum me.

Multi dicunt ánimæ meæ : * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem, Dómine, susceptor meus es, * glória mea, et exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum clamávi : * et exaudívit me de monte sancto suo.

Ego dormivi, et soporátus sum : * et exsurréxi, quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me : * exsúrge, Dómine, salvum me fac, Deus meus.

Quóniam tu percussísti omnes adversántes mihi sine causa : * dentes peccatórum contrivísti.

Dómini est salus : * et super pópulum tuum benedíctio tua.

Ant. Tu es glória mea, tu es susceptor meus, Dómine : tu exáltans caput meum, et exaudísti me de monte sancto tuo.

Pro Conf. Pont. et non Pont.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Absolutio Exáudi, Dómine.
Benedictio Benedictióne.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum

Lectio i Cap. 3, 1-7

FIdélis sermo : Si quis episcopátum desíderat, bonum opus desíderat. Opórtet ergo epíscopum irreprehensibilem esse, uníus uxóris virum, sóbrium, prudéntem, ornátum, pudícum, hospitálem, doctórem, non vinoléntum, non percussórem, sed modéstum; non litigiósum, non cúpidum, sed suæ dómui bene præpósitum, fílios habéntem súbditos cum omni castitáte. Si quis autem dómui suæ præésse nescit, quómodo Ecclésiæ Dei diligéntiam habébit? Non neóphytum, ne, in supérbiam elátus, in judícium incidat diáboli. Opórtet autem illum et testimónium habére bonum ab iis qui foris sunt, ut non in oppróbrium incidat, et in láqueum diáboli.

℟. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam : * Intra in gáudium Dómini tui. ℣. Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecce,ália quinque superlucrátus sum. — Intra.

Benedictio Unigénitus Dei.

De Epístola ad Titum

Lectio ii Cap. 1, 7-11

OPórtet enim epíscopum sine crímine esse, sicut Dei dispensatórem : non supérbum, non iracúndum, non vinoléntum, non percussórem, non turpis lucri cúpidum; sed hospitálem, benígnum, sóbrium, justum, sanctum, continéntem, amplectántem eum, qui secúndum doctrínam est, fidélem sermónem : ut potens sit exhortári in doctrína sana, et eos, qui contradícunt, argúere. Sunt enim multi étiam inobediéntes, vaníloqui et seductóres : máxime qui de circumcisióne sunt : quos opórtet redárgui : qui univérsas domos subvértunt, docéntes quæ non opórtet, turpis lucri grátia.

℟. Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo : * Ideo jurejurándo fecit illum Dóminus créscere in plebem suam. ℣. Benedictiónem ómnium géntium dedit illi, et testaméntum suum confirmávit super caput ejus. — Ideo.

Benedictio Spíritus Sancti.

Lectio iii Cap. 2, 1-8

TU autem lóquere quæ decent sanam doctrínam : Senes ut sóbrii sint, pudíci, prudéntes, sani in fide, in dilectióne, in patiéntia : Anus simíliter in hábitu sancto, non criminatríces, non multo vino serviéntes, bene docéntes : ut prudéntiam dóceant adolescéntulas, ut viros suos ament, fílios suos díligant, prudéntes, castas, sóbrias, domus curam habéntes, benígnas, súbditas viris suis, ut non blasphemétur verbum Dei. Júvenes simíliter hortáre ut sóbrii sint. In ómnibus teípsum præbe exémplum bonórum óperum, in doctrína, in integritáte, in gravitáte, verbum sanum, irreprehensíbile : ut is, qui ex advérso est, vereátur, nihil habens malum dícere de nobis.

℟. Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum : * Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech. ℣. Dixit Dóminus Dómino meo : Sede a dextris meis. — Tu. Glória Patri. Tu.

In II Nocturno

Ant. Invocántem * exaudívit Dóminus Sanctum suum; Dóminus exaudívit eum, et constítuit eum in pace.

Psalmus 4

CUM invocárem exaudívit me Deus justítiæ meæ : * in tribulatióne dilatásti mihi.

Miserére mei, * et exáudi oratiónem meam.

Fílii hóminum, úsquequo gravi corde? * ut quid diligitis vanitátem, et quæritis mendácium?

Et scitóte quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum : * Dóminus exáudiet me cum clamávero ad eum.

Irascímini, et nolíte peccáre : * quæ dícitis in córdibus vestris, in cubílibus vestris compungímini.

Sacrificáte sacrifícium justítiæ, et speráte in Dómino. * Multi dicunt : Quis osténdit nobis bona?

Signátum est super nos lumen vultus tui, Dómine : * dedísti lætítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini, et ólei sui * multiplicáti sunt.

In pace in idípsum * dórmiam, et requiéscam;

Quóniam tu, Dómine, singulariter in spe * constituísti me.

Ant. Invocántem exaudívit Dóminus Sanctum suum; Dóminus exaudívit eum, et constituit eum in pace.

Ant. Læténtur omnes, * qui sperant in te, Dómine : quóniam tu benedixísti justo, scuto bonæ voluntátis tuæ coronásti eum.

Psalmus 5

VErba mea áuribus pércipe, Dómine, * intélli-ge clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ, * Rex meus et Deus meus.

Quóniam ad te orábo : * Dómine, mane exáudies vocem meam.

Mane astábo tibi et vidébo : * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malignus : * neque permanébunt injústi ante óculos tuos.

Odísti omnes, qui operántur iniquitátem : * perdes omnes, qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum et dolósum abominábitur Dóminus : * ego autem in multitúdine misericórdiæ tuæ.

Introibo in domum tuam : * adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dómine, deduc me in justítia tua : * propter inimícos meos dírige in conspéctu tuo viam meam.

Quóniam non est ín ore eórum véritas : * cor eórum vanum est.

Sepúlcrum patens est guttur eórum, linguis suis dolóse agébant, * júdica illos, Deus.

Décidant a cogitatiónibus suis, secúndum multitúdinem impietátum eórum expélle eos, * quóniam irritavérunt te, Dómine.

Et lætántur omnes, qui sperant in te, * in ætérnum exsultábunt : et habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes, qui díligunt nomen tuum, * quóniam tu benedíces justo.

Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ * coronásti nos.

Ant. Læténtur omnes, qui sperant in te, Dómine : quóniam tu benedixísti justo, scuto bonæ voluntátis tuæ coronásti eum.

Ant. Dómine, Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra! quia glória et honóre coronásti Sanctum tuum, et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Psalmus 8

DOmine, Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua, * super cælos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo cælos tuos, ópera digitórum tuórum : * lunam et stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulo minus ab Angelis, glória et honóre coronásti eum : * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves et boves univérsas : ínsuper et pécora campi.

Vólucres cæli, et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine, Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Ant. Dómine, Dóminus noster, quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra! quia glória et honóre coronásti Sanctum tuum, et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

℣. Elégit eum Dóminus sacerdótem sibi. ℟. Ad sacrificándum ei hóstiam laudis.

Pro Conf. non Pont.

℣. Os justi meditábitur sapiéntiam. ℟. Et lingua ejus loquétur judícium.

Absolutio Ipsíus piétas.

Benedictio Deus Pater.

Sermo sancti Máximi Epíscopi

Homilia 59, quæ est 2 de S. Eusebio Vercellensi

Lectio iv

QUod sancti ac beatíssimi Patris nostri N., cujus hódie festa celebrámus, laudes addidísse áliquid, decerpsísse est; síquidem virtútum ejus grátia non sermónibus exponénda est, sed opéribus comprobánda. Cum enim dicat Scriptúra : Glória patris est fílius sápiens; quantæ hujus sunt glóriæ, qui tantórum filiórum sapiéntia et devotióne lætátur? In Christo enim Jesu per Evangélium ipse nos génuit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. — Manus enim.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

QUidquid ígitur in hac sancta plebe potest esse virtútis et grátiæ, de hoc, quasi quodam fonte lucidíssimo, ómnium rivulórum púritas emanávit. Etenim, quia castitátis pollébat vigóre, quia abstinéntiæ gloriabátur angústiis, quia blandiméntis erat præditus lenitátis, ómnium cívium in Deum provocávit affectum; quia Pontificis administratióne fulgébat, plures e discipulis relíquit sui sacerdótii successóres.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Bened. Ignem sui amóris.

Lectio vi

BEne et cóngrue in hac die, quam nobis beáti Patris nostri N. ad paradísum tránsitus exsultábilem reddit, præséntis Psalmi versículum decantávimus : In memória ætérna erit justus. Digne enim in memóriam vértitur hóminum, qui ad gáudium tránsiit Angelórum. Dicit sermo divínus : Ne laudes hóminem in vita sua; tamquam si díceret : Lauda post vitam, magnífica post consummatiónem. Dúplici enim ex causa utílius est hóminum

magis memóriæ laudem dare, quam vitæ; ut illo potíssimum témpore mérita sanctitátis extóllas, quando nec laudántem adulátio movet, nec laudátum tentat elátio.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Ipse. Glória Patri. Ipse.

In III Nocturno

Ant. Dómine, * iste Sanctus habitábit in tabernáculo tuo, operátus est justítiam, requiéscet in monte sancto tuo.

Psalmus 14

Omine, quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula, * et operátur justítiam :

Qui lóquitur veritátem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua :

Nec fecit próximo suo malum, * et oppróbrium non accépit advérsus próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu ejus malígnus : * timéntes autem Dóminum glorificat :

Qui jurat próximo suo, et non décipit, * qui pecúniam suam non dedit ad usúram, et múnera super innocéntem non accépit.

Qui facit hæc, * non movébitur in ætérnum.

Ant. Dómine, iste Sanctus habitábit in tabernáculo tuo, operátus est justítiam, requiéscet in monte sancto tuo.

Ant. Vitam pétiit * a te, et tribuísti ei, Dómine : glóriam et magnum decórem imposuísti super eum : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Psalmus 20

Omine, in virtúte tua lætábitur rex : * et super salutáre tuum exsultábit veheménter.

Desidérium cordis ejus tribuísti ei : * et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : * posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Vitam pétiit a te : * et tribuísti ei longitúdinem diérum in sæculum, et in sæculum sæculi.

Magna est glória ejus in salutári tuo : * glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Quóniam dabis eum in benedictiónem in sæculum sæculi : * lætificábis eum in gáudio cum vultu tuo.

Quóniam rex sperat in Dómino : * et in misericórdia Altíssimi non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis : * déxtera tua invéniat omnes, qui te odérunt.

Pones eos ut clíbanum ignis in témpore vultus tui : * Dóminus in ira sua conturbábit eos, et devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terra perdes : * et semen eórum a fíliis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mala : * cogitavérunt consília, quæ non potuérunt stabilíre.

Quóniam pones eos dorsum : * in relíquiis tuis præparábis vultum eórum.

Exaltáre, Dómine, in virtúte tua : * cantábimus et psallémus virtútes tuas.

Ant. Vitam pétiit a te, et tribuísti ei, Dómine : glóriam et magnum decórem imposuísti super eum : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Ant. Hic accípiet * benedictiónem a Dómino, et misericórdiam a Deo salutári suo : quia hæc est generátio quæréntium Dóminum.

Psalmus 23

Omini est terra, et plenitúdo ejus : * orbis terrárum, et univérsi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum : * et super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus et mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino : * et misericórdiam a Deo, salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini, portæ ætemáles : * et introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus fortis et potens : Dóminus potens in prœlio.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini, portæ æternáles : * et introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est Rex glóriæ.

Ant. Hic accípiet benedictiónem a Dómino, et misericórdiam a Deo salutári suo; quia hæc est generátio quæréntium Dóminum.

℣. Tu es sacérdos in ætérnum. ℟. Secúndum órdinem Melchísedech.

Pro Conf. non Pont.

℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus. ℟. Et non supplantabúntur gressus ejus.

Absolutio A vínculis.

Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 25, 14-23

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Homo péregre proficíscens, vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ

Homilia 9 in Evang.

Lectio sancti Evangélii, fratrescarissimi, sollícite considerare nos ádmonet, ne nos, qui plus céteris in hoc mundo accepísse áliquid cérnimur, ab Auctóre mundi grávius inde judicémur. Cum enim augéntur dona, ratiónes crescunt donórum. Tanto ergo esse humílior atque ad serviéndum Deo prómptior quisque debet ex múnere, quanto se obligatiórem esse cónspicit in reddénda ratióne. Ecce homo, qui péregre proficíscitur, servos suos vocat eísque ad negótium talénta partítur. Post multum vero témporis positúrus ratiónem revértitur. Bene operántes pro apportáto lucro remúnerat, servum vero a bono ópere torpéntem damnat.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et.

Benedictio Cujus festum.

Lectio viii

Quis ítaque iste homo est, qui péregre proficíscitur, nisi Redémptor noster, qui in ea carne, quam assúmpserat, ábiit in cælum? Carnis enim locus próprius terra est; quæ quasi ad peregrína dúcitur, dum per Redemptórem nostrum in cælo collocátur. Sed homo iste, péregre proficíscens, servis suis bona sua trádidit, quia fidélibus suis spirituália dona concéssit. Et uni quidem quinque talénta, álii duo, álii vero commísit unum. Quinque étenim sunt córporis sensus, vidélicet : visus, auditus, gustus, odorátus et tactus. Quinque ergo taléntis donum quinque sénsuum, id est, exteriórum sciéntia exprímitur. Duóbus vero intellectus et operátio designá-

tur. Uníus autem talénti nómine intelléctus tantúmmodo designátur.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. — Et. Glória Patri. Et.

Benedictio Ad societátem.

Lectio ix

SED is, qui quinque talénta accéperat,ália quinque lucrátus est : quia sunt nonnúlli, qui, etsi intérna ac mýstica penetráre nésciunt, pro intentióne tamen supérnæ pátriæ docent recta quos possunt; de ipsis exterióribus, quæ accepérunt, duplum talén-tum portant; dumque se a carnis petulántia et a terrenárum rerum ámbitu atque a visibílium voluptáte custódiunt, ab his étiam álios admonéndo compéscunt. Et sunt nonnúlli, qui, quasi duóbus talántis ditáti, intelléctum atque operatiónem percípiunt, subtília de intérnis intélligunt, mira in exterióribus operántur. Cumque et intelligéndo et operándo áliis prædícant, quasi duplicátum de negótio lucrum repórtant. Te Deum.

AD LAUDES

et per Horas, Añæ

1 Ecce sacérdos magnus, * qui in diébus suis plácuit Deo, et invéntus est justus.

Psalmi de Dominica.

2 Non est invéntus * símilis illi, qui conserváret legem Excélsi.

3 Ideo jurejurándo * fecit illum Dóminus créscere in plebem suam.

4 Sacerdótes Dei, * benedícite Dóminum : servi Dómini, hymnum dícite Deo, allelúja.

5 Serve bone * et fidélis, intra in gáudium Dómini tui.

Capit. Eccli. 44, 16-17

ECce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo, et invéntus est justus : et in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio.

Hymnus

JEsu, Redémptor ómnium,
Perpes coróna Præsulum,
In hac die cleméntius
Indúlgeas precántibus,

Tui sacri qua nóminis
Conféssor almus cláruit :
Hujus celébrat ánnua
Devóta plebs solémnia

Qui rite mundi gáudia
Hujus cadúca réspuens,
Æternitátis prémio
Potítur inter Angelos.

Hujus benígnus ánnue
Nobis sequi vestígia :
Hujus precátu, sérvulis
Dimítte noxam críminis.

*Sit, Christe, Rex piíssime,
Tibi, Patríque glória,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc et per omne sæculum. Amen.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dícit Dóminus.

1 — Oratio

DA, quæsumus, omnípotens Deus : ut beáti N. Confessóris tui atque Pontíficis veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat et salútem. Per Dóminum.

2 — Alia Oratio

EXáudi, quæsumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti N. Confessóris tui atque Pontíficis solemnitáte deférimus : et, qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

3 — Pro Doctore Oratio

DEus, qui pópulo tuo ætérnæ salútis beátum N. minístrum tribuísti : præsta, quæsumus; ut, quem Doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cælis. Per Dóminum.

Ad Horas Psalmi de Dominica, ad Primam tamen ut in Festis.

AD TERTIAM

Capit. Eccli. 44, 16-17

ECce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo, et invéntus est justus : et in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio.

℟. br. Amávit eum Dóminus, * Et ornávit eum. Amávit. ℣. Stolam glóriæ induit eum. Et. Glória Patri. Amávit. ℣. Elégit eum Dóminus sacerdótem sibi. ℟. Ad sacrificándum ei hóstiam laudis.

AD SEXTAM

Capit. Eccli. 44, 20 et 22

NON est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excélsi : ideo jurejurándo fecit illum Dóminus créscere in plebem suam.

℟. br. Elégit eum Dóminus * Sacerdótem sibi. Elégit. ℣. Ad sacrificándum ei hóstiam laudis. Sacerdótem. Glória Patri. Elégit. ℣. Tu es sacérdos in ætérnum. ℟. Secúndum órdinem Melchísedech.

AD NONAM

Capit. Eccli. 45, 19-20

FUngi sacerdótio, et habére laudem in nómine ipsíus, et offérre illi incénsum dignum in odórem suavitátis.

℟. br. Tu es sacérdos * In ætérnum. Tu. ℣. Secúndum órdinem Melchísedech. In. Glória Patri. Tu. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

IN II VESPERIS

Omnia ut in I Vesperis [69], sed loco ultimi dicitur Psalmus 131 Meménto, ut ibidem pro II Vesperis notatur.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Magnif. Ant. Amávit eum Dóminus, * et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

Sequens Antiphona dicitur ad Magníficat in II Vesperis pro solis Summis Pontificibus. Si vero agenda sit Commemoratio alterius Summi Pontificis, sumitur Antiphona Amávit, ut supra.

Ant. Dum esset Summus Póntifex, * terréna non métuit, sed ad cæléstia regna gloriósus migrávit.

Completorium de Dominica.

Si occurrat celebrari Festum plurium Pontificum et Confessorum, Officium fit ut supra : sed in Oratione et Sermone ea, quæ habentur in singulari dicantur in plurali; et in I Nocturno legantur sequentes Lectiones de Scriptura.

De libro Ecclesiástici

Lectio i Cap. 44, 1-15

AUdémus viros gloriósos et paréntes nostros in generatióne sua. Multam glóriam fecit Dóminus magnificéntia sua a sæculo. Dominántes in potestátibus suis hómines magni virtúte, et prudéntia sua prædíti, nuntiántes in prophétis dignitátem prophetárum, et imperántes in præsénti pópulo, et virtúte prudéntiæ pópulis sanctíssima verba. In perítia sua requiréntes modos músicos, et narrántes cármina scripturárum. Pro Conf. Pont. et non Pont.

℟. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam : * Intra in gáudium Dómini tui. ℣. Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecceália quinque superlucrátus sum. — Intra.

Lectio ii

HOmines dívites in virtúte, pulchritúdinis stúdium habéntes, pacificántes in dómibus suis. Omnes isti in generatióni-

bus gentis suæ glóriam adépti sunt, et in diébus suis habéntur in láudibus. Qui de illis nati sunt, reliquérunt nomen narrándi laudes eórum : et sunt quorum non est memória : periérunt quasi qui non fúerint : et nati sunt, quasi non nati, et fílii ipsórum cum ipsis.

Pro Confessore Pontifice

℟. Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo : * Ideo jurejurándo fecit illum Dóminus créscere in plebem suam. ℣. Benedictiónem ómnium géntium dedit illi, et testaméntum suum confirmávit super caput ejus. — Ideo.

Pro Confessore non Pont.

℟. Justus germinábit sicut lílium : * Et florébit in ætérnum ante Dóminum. ℣. Plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri. — Et.

Lectio iii

SED illi viri misericórdiæ sunt, quorum pietátes non defuérunt : cum sémine eórum pérmanent bona, heréditas sancta nepótes eórum, et in testaméntis stetit semen eórum. Et fílii eórum propter illos usque in ætérnum manent : semen eórum et glória eórum non derelinquétur. Córpora ipsórum in pace sepúlta sunt, et nomen eórum vivit in generatiónem et generatiónem. Sapiéntiam ipsórum narrent pópuli, et laudem eórum núntiet Ecclésia.

Pro Confessore Pontifice

℟. Jurávit Dóminus, et non pænitébit eum : * Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech. ℣. Dixit Dóminus Dómino meo, Sede a dextris meis.— Tu. Glória. Tu.

Pro Confessore non Pont.

℟. Iste cognóvit justitiam, et vidit mirabília magna, et exorávit Altíssimum : * Et invéntus est in número Sanctórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Et. Glória Patri. Et.

II ALIÆ LECTIONES pro Confessore Pont.

In II Nocturno

Sermo sancti Máximi Episcopi

Homilia 59, de S. Eusebio 2

Lectio iv

SEáti Patris N. mérita, jam in tuto pósita, secúri magnificémus; qui, gubernáculum fídei viríliter tenens, ánchoram spei tranquílla jam in statióne compósuit, et plenam cæléstibus divítiis et ætérnis mércibus navem optáto in líttore collocávit; qui contra omnes adversários scutum timóris Dei támdiu infatigabíliter ténuit, donec ad victóriam perveníret. Quid enim fuit totus vitæ illíus cursus, nisi unius cum vígili hoste conflíctus?

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, et filius iniquitátis non nocébit ei. — Manus.

Lectio v

QUantis hic cæcis, a via veritátis errántibus et de summa jam in profúndum rupe pendéntibus, amíssum réddidit visum; et illum, quo Christus viderétur, reparávit intúitum? Quantórum áuribus surdis et infidelitátis obturatióne damnátis, ad percipiéndam vocem cæléstium mandatórum, pretiósum infúdit audítum; ut vocánti Deo ad misericórdiam respondérent per obediéntiam? Quantos intrínsecus vulnerátos, angélici oris arte et oratiónum, ab infirmitáte curávit?

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Lectio vi

QUantos, per longam incúriam peccáti labe resolútos et quadam lepræ contagióne perfúsos, castigatiónibus et exhortatiónibus expiándo, Deo in se operánte, mundávit? Quantórum ánimas, viéntes in córpore jam defúnctas et delictórum mole óbrutas ac sepúltas, ad emendatiónem tamquam ad lucem vocándo, Deo resuscitávit; ut, Dómini sui admirándus imitátor, jam mórtuas Deo, e contrário mortificet, vitáli morte, peccáto?

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Ipse. Glória Patri. Ipse.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 24, 42-47

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Vigiláte, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et réliqua.

Homilía sancti Hilárii Episcopi

Comment. in Matth. can. 26 in fine

IT ignorántiam illam diéi ómnibus táciti non sine útilis silentii ratióne esse scirémus, vigiláre nos Dóminus propter advéntum furis admónuit, et, oratiónum assiduitáte deténtos, ómnibus præceptórum suórum opéribus inhærére. Furem enim esse osténdit zábulum, ad detrahénda ex nobis spólia pervígilem et córporum nostrórum dómibus insidiántem; ut ea, incuriósis nobis et somno déditis, consiliórum suórum atque illecebrárum jáculis perfódiat. Parátos ígitur esse nos cónvenit, quia diéi ignorátio inténtam sollicitúdinem suspénsæ exspectatiónis exágitet.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio viii Can. 27

QUisnam est fidélis servus et prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam? Quamquam in commúne nos ad indefessam vigilántiæ curam adhortétur, speciálem tamen pópuli princípibus, id est, episcopis, in exspectatióne adventúque suo sollicitúdinem mandat. Hunc enim servum fidélem atque prudéntem, præpósitum famíliæ significat, cómmoda atque utilitátes commíssi sibi pópuli curántem. Qui, si dicto áudiens et præcéptis obédiens erit, id est, si doctrínæ opportunitáte et veritáte infírma confírmet, disrúpta consólidet, depraváta convértat et verbum vitæ in ætérnitátis cibum aléndæ famíliæ dispéndat, atque hæc agens hisque ímmorans deprehendátur; glóriam a Dómino tamquam dispensátor fidélis et villicus útilis consequétur, et super ómnia bona constituétur, id est, in Dei glória collocábitur, quia nihil sit ultra, quod mélius sit.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. — Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix

QUod si cóntuens longam Dei patiéntiam, quæ in profectum humánæ sa-

lútis exténditur, advérsum consérvos insoléscet, et sæculi malis vitiísque se tradet, præséntium tantum curam in cultu ventris exércens; desperáta die Dóminus advéniet, eúmque a bonis quæ spopónderat dívidet, portionémque ejus cum hypócritis in pœnæ ætérnitáte constítuet : quia advéntum desperáverit, quia mandátis non obtemperáverit, quia præséntibus studúerit, quia vita géntium víxerit, quia desperatióne judícii commíssam sibi famíliam fame, siti, cæde vexáverit.

Te Deum laudámus.

Commune Doctorum

Omnia de Communi Confessoris aut Pontificis [69] aut non Pontificis [94], juxta qualitatem Festi, præter sequentia :

Ad Magnif. in utrisque Vesp. Ant. O Doctor óptime, * Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte N., divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

Oratio

DEus, qui pópulo tuo ætérnæ salútis beátum N. minístrum tribuísti : præsta, quæsumus; ut, quem Doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cælis. Per Dóminum.

Si vero agenda sit Commemoratio alterius Doctoris, Antiphona in utrisque Vesperis et Oratio sumuntur de respectivo Communi Confessoris aut Pontificis aut non Pontificis, pro qualitate Festi.

In I Nocturno

De libro Ecclesiástici

Lectio i Cap. 39. 1-14

SApiéntiam ómnium antiquórum exquíret sápiens, et in prophétis vacábit. Narratiónem virórum nominatórum conservábit, et in versútias parabolárum simul introíbit. Occúlta proverbiórum exquíret, et in abscónditis parabolárum conversábitur. In médio magnatórum ministrábit, et in conspéctu præsidis apparébit. In terram alienigenárum géntium pertránsiet; bona enim et mala in homínibus tentábit.

℟. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam : * Intra in gáudium Dómini tui. ℣. Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecceália quinque superlucrátus sum. — Intra in gáudium Domini tui.

Lectio ii

COR suum tradet ad vigilándum dilúculo ad Dóminum, qui fecit illum, et in conspéctu Altíssimi deprecábitur. Apériet os suum in oratióne, et pro delíctis suis deprecábitur. Si enim Dóminus magnus volúerit, spíritu intelligéntiæ replébit illum : et ipse tamquam imbres mittet elóquia sapiéntiæ suæ, et in oratióne confitébitur Dómino : et ipse díriget consílium ejus, et disciplínam, et in abscónditis suis consiliábitur.

Pro Doctore Pontifice

℟. Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo : * Ideo jurejurándo fecit illum Dóminus créscere in plebem suam. ℣. Benedictiónem ómnium géntium dedit illi, et testaméntum suum confirmávit super caput ejus. — Ideo.

Pro Doctore non Pontifice

℟. Justus germinábit sicut lílium : * Et florébit in ætérnum ante Dóminum. ℣. Plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri. — Et.

Lectio iii

IPse palam fáciet disciplínam doctrínæ suæ, et in lege testaménti Dómini gloriábitur. Collaudábunt multi sapiéntiam ejus, et usque in sæculum non delébitur. Non recédet memória ejus, et nomen ejus requirétur a generatióne in generatiónem. Sapiéntiam ejus enarrábunt gentes, et laudem ejus enuntiábit Ecclésia.

Pro Doctore Pontifice

℟. Jurávit Dóminus, et non pænitébit eum : * Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech. ℣. Dixit Dóminus Dómino meo, Sede a dextris meis.— Tu. Glória. Tu.

Pro Doctore non Pontifice

℟. Iste cognóvit justítiam, et vidit mirabília magna, et exorávit Altíssimum : * Et invéntus est in número Sanctórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Et. Glória Patri. Et.

In II Nocturno

Ex libro Morálium sancti Gregórii Papæ

Lib. 9, cap. 6

Lectio iv

QUI post Oríonas, Hýadum nómine, nisi Doctóres sanctæ Ecclésiæ designántur? Qui, subdúctis Martýribus, eo jam témpore ad mundi notítiam venérunt, quo fides clárius elúcet et, représsa infidelitátis híeme, áltius per corda fidélium sol veritátis calet. Qui, remóta tempestáte persecutiónis, explétis longis nóctibus infidelitátis, tunc sanctæ Ecclésiæ orti sunt, cum ei jam per credulitátis vernum lucídior annus aperítur.

Pro Doctore Pontifice

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. — Manus.

Pro Doctore non Pontifice

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit illi.

Lectio v

NEC immérito Doctóres sancti Hyadum nuncupatióne signántur. Græco quippe elóquio hyetos plúvia vocátur, et Hyades nomen a plúviis accepérunt, quia ortæ procul dúbio imbres ferunt. Bene ergo Hyadum appellatióne expréssi sunt, qui, ad statum universális Ecclésiæ, quasi in cæli fáciem dedúcti, super aréntem terram humáni péctoris sanctæ prædicatiónis imbres fudérunt. Si enim prædicatiónis sermo plúvia non esset, Móyses mínime dixísset : Exspectétur sicut plúvia elóquium meum; et nequáquam per Isaíam Véritas díceret : Mandábo núbibus meis, ne pluant super eam imbrem; atque hoc, quod paulo ante protúlimus : Quam ob rem prohíbitæ sunt stellæ pluviárum.

Pro Doctore Pontifice

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Pro Doctore non Pontifice

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et ad portas.

Lectio vi

DUM ergo Hyades cum plúviis véniunt, ad cæli spátia altióra sol dúcitur : quia, apparénte Do-

ctórum sciéntia, dum mens nostra imbre prædicatiónis infúnditur, fídei calor augétur. Et perfúsa terra ad fructum próficit, cum lumen ætheris ignéscit : quia ubérius frugem boni óperis réddimus, dum per sacræ eruditiónis flammam in corde clárius ardémus. Dumque per eos diébus síngulis magis magísque sciéntia cæléstis osténditur, quasi intérni nobis lúminis vernum tempus aperítur; ut novus sol nostris méntibus rútilet, et, eórum verbis nobis cógnitus, seípso quotídie clárior micet. Urgénte étenim mundi fine, supérna sciéntia próficit, et lárgius cum témpore excréscit.

Pro Doctore Pontifice

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Ipse. Glória Patri. Ipse.

Pro Doctore non Pontifice

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Quia. Glória Patri. Quia.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 5, 13-19

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi

Liber 1 de Sermone Domini in monte, cap. 6

QUi Sténdit Dóminus, fátuos esse judicándos, qui, temporálium bonórum vel cópiam sectántes vel inópiam metuéntes, amíttunt ætérna, quæ nec dari possunt ab homínibus nec auférri. Itaque, si sal infatuátum fúerit, in quo saliétur? Id est, si vos, per quos condiéndi sunt quodámmodo pópuli, metu persecutiónum temporálium amiséritis regna cælórum; qui erunt hómines, per quos a vobis error auferátur, cum vos elégerit Deus, per quos errórem áuferat ceterórum?

Pro Doctore Pontifice

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et ad portas.

Pro Doctore non Pontifice

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. — Ipse.

Lectio viii

ERgo ad níhilum valet sal infatuátum, nisi ut mittátur foras et calcétur ab homínibus. Non ítaque calcátur ab homínibus, qui pátitur persecutiónem; sed qui, persecutiónem timéndo, infatuátur. Calcári enim non potest nisi inférior; sed inférior non est, qui, quamvis córpore multa in terra sustíneat, corde tamen fixus in cælo est.

℟. In médio Ecclésiæ apéruit os ejus, * Et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ et intelléctus. ℣. Jucunditátem et exsultatiónem thesaurizávit super eum. — Et implévit. Glória Patri. Et implévit.

Lectio ix

VOS estis lumen mundi. Quómodo dixit supérius sal terræ, sic nunc dicit lumen mundi. Nam neque supérius ista terra accipiénda est, quam pédibus corpóreis calcámus; sed hómines, qui in terra hábitant, vel étiam peccatóres, quorum condiéndis et exstinguéndis putóribus apostólicum salem Dóminus misit. Et hic mundum non cælum et terram, sed hómines, qui sunt in mundo, vel diligunt mundum, opórtet intélligi; quibus illuminándis Apóstoli missi sunt. Non potest cívitas abscóndi super montem pósita; id est, fundáta super insígnem magnámque justítiam, quam significat étiam ipse mons, in quo dísputat Dóminus.

Te Deum laudámus.

II ALIA HOMILIA

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 5, 13-19

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Et réliqua.

Homília sancti Hilárii Epíscopi

Comment. in Matth., can. 4

VOS estis sal terræ. Quod si sal infatuátum fúerit, ad níhilum valet id quod saliétur.

Sal, ut árbitror, terræ nullum est. Quómodo ergo Apóstolos sal terræ nuncupávit? Sed proprietas est quærénda dictórum, quam et Apostolórum officium et ipsius salis natúra monstrábit. Sal est in se uno cóntinens aquæ et ignis eleméntum, et hoc ex duóbus est unum.

Pro Doctore Pontifice

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et ad portas.

Pro Doctore non Pontifice

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. — Ipse.

Lectio viii

HIC igitur in omnem usum humáni géneris effáctus, incorruptiónem corpóribus, quibus fúerit aspérsus, impértit, et ad omnem sensum conditi sapóris aptissimus est. Apóstoli autem sunt rerum cæléstium prædicatóres et ætérnitátis velut satóres, immortalitátem ómnibus corpóribus, quibus eórum sermo aspérsus fúerit, conferéntes. Mérito igitur sal terræ nuncupáti sunt, per doctrínæ virtútem, saliéndi modo, ætérnitáti córpora reservántes.

℟. In médio Ecclésiæ apéruit os ejus, * Et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ et intelléctus. ℣. Jucunditátem et exsultatiónem thesaurizávit super eum. — Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix

SED natúra salis semper éadem est, nec immutári umquam potest. Verum quia conversióni homo súbjacet, et solus beátus, qui usque ad finem in ómnibus Dei opéribus permánserit; ideo eos, sal terræ nuncupátos, monet in tráditæ sibi potestátis virtúte persistere, ne infatuáti nihil sáliant, et ipsi, sensu accépti sapóris amisso, vivificáre corrúpta non possint, et projécti de Ecclésiæ promptuáriis, cum his quos salíerint, pédibus incedéntium proterántur.

Te Deum laudámus.

III ALIA HOMILIA

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 5, 13-19

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Et réliqua.

Homilia sancti Joánnis Chrysóstomi

Homilia 15 in Matth., sub medium

ETténdite, quid díxerit : Vos estis sal terræ; per quod osténdit, quam necessário ista præcípiat. Non enim de vestra, inquit, tantúmmodo vita, sed de univérso orbe vobis rátio reddénda est. Non ad duas quippe urbes aut decem aut vigínti, neque ad unam gentem vos mitto, sicut mittébam Prophétas; sed ad omnem terram prorsus ac mare totúmque mundum, et hunc váriis crimínibus oppréssum.

Pro Doctore Pontifice

℟. Amávit eum. [92]

Pro Doctore non Pontifice

℟. Iste est. [92]

Lectio viii

DIcéndo enim, Vos estis sal terræ, osténdit univérsam hóminum infatuátam esse natúram et peccatórum vi corrúptam; et idcírco illas ab eis virtútes requírit, quæ máxime ad multórum salútem procurándam necessáriæ sunt atque útiles. Nam, qui mansuétus est ac modéstus et miséricors et justus, non intra se tantúmmodo hæc recte facta conclúdit, verum in aliórum quoque utilitátem præcláros hos fáciet efflúere fontes. Igitur qui corde mundo est atque pacíficus, et persecutiónem pro veritáte pátitur, nihilóminus in commúne cómmodum vitam instítuit.

℟. In médio. [92]

Lectio ix

NE ígitur putétis, inquit, ad lévia vos ducéndos esse certámina, neque exiguárum rerum vobis ineúndam esse rationem, Vos estis sal terræ. Quid ígitur? Ipsíne putrefácta medicáti sunt? Nequáquam : neque enim fíeri potest, ut ea, quæ jam corrúpta sunt, salis perfricatióne reparéntur. Non ergo hoc fecérunt; sed ante renováta sibíque trádita atque ab illa jam putrédine liberáta aspergébant sale et in ea novitáte conservábant, quam a Dómino susciperant. Liberáre quippe a putrédine peccatórum, Christi virtútis est; ut autem ad illa íterum non revertántur, Apostolórum curæ est ac labóris.

Te Deum laudámus.

Commune Confessoris non Pont.

IN I VESPERIS

Ant. 1 Dómine, quinque talénta * tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum.

Psalmi ut in I Vesperis de Communi Apostolorum. [3]

2 Euge, serve bone, * in módico fidélis, intra in gáudium Dómini tui.

3 Fidélis servus * et prudens, quem constituit Dóminus super famíliam suam.

4 Beátus ille servus, * quem, cum vénerit Dóminus ejus et pulsáverit jánuam, invénerit vigilántem.

5 Serve bone * et fidélis, intra in gáudium Dómini tui.

Capitulum Eccli. 31, 8-9

BEátus vir, qui invéntus est sine mácula, et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia et thesáuris. Quis est hic, et laudábimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua.

Hymnus

ISte Conféssor Dómini, colléntes
Quem pie laudant pópuli per orbem,
Hac die lætus méruit beátas
Scándere sedes.

Si non est dies obitus (quod indicant in Proprio litteræ m. t. v.) dicatur

Hac die lætus méruit supremos
Laudis honóres
Qui pius, prudens, húmilis, pudicus,
Sóbriam duxit sine labe vitam,
Donec humános animávit auræ
Spíritus artus.
Cujus ob præstans méritum frequénter,
Ægra quæ passim jacuére membra,
Víribus morbi dómitis, salúti
Restituúntur.
Noster hinc illi chorus obsequéntem
Cóncinit laudem celebrésque palmas,
Ut piis ejus précibus juvémur
Omne per ævum.
Sit salus illi, decus atque virtus,
Qui, super cæli sólio corúscans,
Tótius mundi sériem gubérnat
Trinus et unus.
Amen.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Ad Magnif. Ant. Similábo eum * viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

In II Vesperis

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Magnif. Ant. Hic vir despíciens mundum * et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

1 — Oratio

DEus, qui nos beáti N. Confessóris tui ánnua solemnitáte lætíficas : concéde propítius; ut, cujus natalítia cólimus, étiam actiónes imitémur. Per Dóminum.

2 — Alia Oratio

ADésto, Dómine, supplicatiónibus nostris, quas in beáti N. Confessóris tui solemnitáte deférimus : ut, qui nostræ justítiæ fidúciam non habémus, ejus, qui tibi plácuit, précibus adjuvémur. Per Dóminum.

Pro Doctoribus

In utrisque Vesperis :

Ad Magnif. Ant. O Doctor óptime, * Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte N., divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Filium Dei.

3 — Oratio

DEus, qui pópulo tuo ætérnæ salútis beátum N. minístrum tribuísti : præsta, quæsumus; ut, quem Doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cælis. Per Dóminum.

Si fuerit Abbas

4 — Oratio

INtercéssio nos, quæsumus, Dómine, beáti N. Abbátis comméndet : ut, quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum.

Completorium de Dominica.

AD MATUTINUM

Invitat. Regem Confessórum Dóminum, * Venite, adorémus. Ps. 94 Veníte, exsultémus.

Hymnus Iste Conféssor, ut supra. [94]

Anæ et Psalmi trium Nocturnorum dicuntur ut in Communi Conf. Pont. [71]; Versus ut (ibidem et) infra.

In I Nocturno

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Absolutio Exáudi, Dómine.
Benedictio Benedictióne.

De libro Ecclesiástici

Lectio i Cap. 31, 8-11

Beátus vir, qui invéntus est sine mácula, et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia et thesáuris. Quis est hic, et laudábimus eum? fecit enim mirabília in vita sua. Qui probátus est in illo et perféctus est, erit illi glória ætérna. Qui pótuit tránsgredi, et non est transgréssus; fácere mala, et non fecit : ídeo stabilíta sunt bona illíus in Dómino, et eleemósynas illíus enarrábit omnis ecclésia sanctórum.

℟. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam : * Intra in gáudium Dómini tui. ℣. Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum. — Intra.

Benedictio Unigénitus Dei.

Lectio ii

Cap. 32, 18-20, 28; 33, 1-3

Qui timet Dóminum, excípiet doctrínam ejus : et qui vigiláverint ad illum, invénient benedictiónem. Qui quærit legem, replébitur ab ea : et qui insidióse agit, scandalizábitur in ea. Qui timent Dóminum, invénient judícium justum, et justítias quasi lumen accéndent. Qui credit Deo, atténdit mandátis : et qui confídit in illo, non minorábitur. Timénti Dóminum non occúrrent mala; sed in tentatióne Deus illum conservábit, et liberábit a malis. Sápiens non odit mandáta et justítias, et non illidétur quasi in procélla navis. Homo sensátus credit legi Dei, et lex illi fidélis.

℟. Justus germinábit sicut lílium : * Et florébit in ætérnum ante Dóminum. ℣. Plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri. — Et florébit.

Benedictio Spíritus Sancti.

Lectio iii Cap. 34, 14-20

Spíritus timéntium Deum quæritur, et in respéctu illíus benedicétur. Spes enim illórum in salvántem illos, et óculi Dei in diligéntes se. Qui timet Dóminum, nihil trepidábit, et non pavébit : quóniam ipse est spes ejus. Timéntis Dóminum beáta est ánima ejus. Ad quem réspicit, et quis est fortitúdo ejus? Oculi Dómini super timéntes eum : protéctor poténtiæ, firmaméntum virtútis, tégimen ardóris, et umbráculum meridiáni, deprecátio offensiónis et adjutórium casus, exáltans ánimam et illúminans óculos, dans sanitátem et vitam et benedictiónem.

℟. Iste cognóvit justítiam, et vidit mirabília magna, et exorávit Altíssimum : * Et invéntus est in número Sanctórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Et invéntus. Glória Patri. Et invéntus.

In II Nocturno

℣. Os justi meditábitur sapiéntiam. ℟. Et lingua ejus loquétur judícium.

Absol. Ipsíus píetas.
Benedictio Deus Pater.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi

Oratio de S. Philogonio

Lectio iv

Beáti N. dies, cujus festivitátem celebrámus, ad ipsíus recte factórum enarratiónem linguam nostram evocávit. Síquidem hódie Beátus iste ad tranquíllam omnísque perturbatiónis expértem vitam tránsiit; eóque navígium áppulit, ubi deínceps non póterit metúere naufrágium, nec ullam ánimi perturbatiónem aut dolórem. Et quid mirum est, si locus ille purus est ab omni moléstia ánimi, cum Paulus, homínibus adhuc in hac vita degéntibus loquens, dicat : Semper gaudéte, sine intermissióne oráte?

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

Quod si hic, ubi morbi, ubi insectatiónes, ubi præmatúræ mortes, ubi calúmniæ, ubi invídiæ, ubi perturbatiónes, ubi iræ, ubi cupiditátes, ubi innumerábiles insídiæ, ubi quotidiánæ sollicitúdines, ubi perpétua sibíque succedéntia mala sunt, innúmeros ex omni parte dolóres afferéntia, Paulus dixit fieri posse, ut semper gaudeámus, si quis páululum ex rerum mundanárum flúctibus eréxerit caput vitámque suam recte composúerit; multomagis, postquam hinc demigravérimus, fácile cómpotes érimus ejus boni, cum hæc ómnia subláta fúerint, advérsa valetúdo, morbi, peccándi matéria; ubi non est meum ac tuum, frígidum illud verbum, et quidquid est malórum in vitam nostram ínvehens, innuméraque gignens bella.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fidei, et ornávit eum. — Et.

Bened. Ignem sui amóris.

Lectio vi

Quam ob rem maximópere grátulor hujus Sancti felicitáti, quod, quamquam translátus est atque hanc, quæ apud nos est, civitátem relíquit, tamen in álteram adscríptus est civitátem, nempe Dei. Et, digréssus ab hac Ecclésia, ad illam pervénit, quæ est primogenitórum descriptórum in cælis; ac, relíctis hisce festis, tránsiit ad celebritátem Angelórum. Etenim, quod et cívitas sursum sit, et Ecclésia, et celébritas, audi Paulum dicéntem : Accessístis ad civitátem Dei vivéntis, Jerúsalem cæléstem, et Ecclésiam primitivórum, qui conscrípti sunt in cælis, et ad multórum míllium Angelórum frequéntiam.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Quia. Glória Patri. Quia.

In III Nocturno

℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus. ℟. Et non supplantabúntur gressus ejus.

Absolutio A vínculis.
Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 12, 35-40

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ

Homilia 13 in Evangelia

Sancti Evangélii, fratres caríssimi, apérta vobis est léctio recitáta. Sed, ne alíquibus ipsa ejus planities alta fortásse videátur, eam sub brevitáte transcúrrimus, quátenus ejus expósitio ita nesciéntibus fiat cógnita, ut tamen sciéntibus non sit onerósa. Dóminus dicit : Sint lumbi vestri præcíncti. Lumbos enim præcíngimus, cum carnis luxúriam per continéntiam coarctámus. Sed, quia minus est mala non ágere, nisi étiam quisque stúdeat et bonis opéribus insudáre, prótinus ádditur : Et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris. Lucérnas quippe ardéntes in mánibus tenémus, cum per bona ópera próximis nostris lucis exémpla monstrámus. De quibus profécto opéribus Dóminus dicit : Lúceat lux vestra coram homínibus, ut vídeant ópera vestra bona et glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.

Pro Confessore non Pont.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. — Ipse.

Pro Confessore Pontifice

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et ad portas.

Benedictio Cujus festum.

Lectio viii

DUO autem sunt, quæ jubéntur : et lumbos restríngere, et lucérnas tenére; ut et mundítia sit castitátis in córpore, et lumen veritátis in operatióne. Redemptóri étenim nostro unum sine áltero placére nequáquam potest; si, aut is qui bona agit, adhuc luxúriæ inquinaménta non déserit, aut is qui castitáte præéminet, necdum se per bona ópera exércet. Nec cástitas ergo magna est sine bono ópere, nec opus bonum est áliquod sine castitáte. Sed, et si utrúmque ágitur, restat, ut, quisquis ille est, spe ad supérnam pátriam tendat, et nequáquam se a vítiis pro mundi hujus honestáte contíneat.

Pro Conf. Pont. et non Pont.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. — Et vos símiles. Glória Patri. Et vos símiles.

Benedictio Ad societátem.

Lectio ix

ET vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis; ut, cum vénerit et pulsáverit, confréstim apériant ei. Venit quippe Dóminus, cum ad judícium próperat; pulsat vero, cum jam per ægritúdinis moléstias esse mortem vicínam desígnat. Cui confréstim aperímus, si hunc cum amóre suscípimus. Aperíre enim júdici pulsánti non vult, qui exíre de córpore trépidat, et vidére eum, quem contempsísse se méminit, júdicem formídat. Qui autem de sua spe et operatióne secúrus est, pulsánti confréstim áperit, quia lætus júdicem sústinet; et, cum tempus propínquæ mortis advénerit, de glória retributiónis hilarésci t.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

et per Horas, Añæ

1 Dómine, quinque talénta * tradidísti mihi, ecceália quinque superlucrátus sum.

Psalmi de Dominica.

2 Euge, serve bone, * in módico fidélis, intra in gáudium Dómini tui.

3 Fidélis servus * et prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam.

4 Beátus ille servus, * quem, cum vénerit Dóminus ejus et pulsáverit jánuam, invénerit vigilántem.

5 Serve bone * et fidélis, intra in gáudium Dómini tui.

Capitulum Eccli. 31, 8-9

BEátus vir, qui invéntus est sine mácula, et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia et thesáuris. Quis est hic, et laudábimus eum? fecit enim mirabília in vita sua.

Hymnus

JEsu, coróna célsior,
Et véritas sublímior,
Qui confiténti sérvulo
Reddis perénne prǽmium :

Da supplicánti cœtui,
Hujus rogátu, nóxii
Remissiónem criminis,
Rumpéndo nexum vínculi.

Anni revérso témpore,
Dies refúlsit lúmine,
Quo Sanctus hic de córpore
Migrávit inter sídera.

Hic, vana terræ gáudia
Et luculénta prǽdia
Pollúta sorde députans,
Ovans tenet cæléstia.

Te, Christe, Rex piíssime,
Hic confiténdo júgiter,
Calcávit artes dǽmonum
Sævúmque avérni príncipem.

Virtúte clarus et fide,
Confessióne sédulus,
Jejúna membra déferens,
Dapes supérnas óbtinet.

Proínde te, piissime,
Precámur omnes súpplices,
Nobis ut hujus grátia
Pœnas remíttas débitas.

* Patri perénnis glória,
Natóque Patris único,
Sanctóque sit Paráclito,
Peromne sempersæculum.
Amen.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supramulta te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

1 — Oratio

DEus, qui nos beáti N. Confessóris tui ánnua solemnitáte lætíficas : concéde propítius; ut, cujus natalítia cólimus, étiam actiónes imitémur. Per Dóminum.

2 — Alia Oratio

ADésto, Dómine, supplicatiónibus nostris, quas in beáti N. Confessóris tui solemnitáte deférimus : ut, qui nostræ justítiæ fidúciam non habémus, ejus, qui tibi plácuit, précibus adjuvémur. Per Dóminum.

Pro Doctore non Pontifice

3 — Oratio

DEus, qui pópulo tuo ætérnæ salútis beátum N. ministrum tribuísti : præsta, quæsumus; ut, quem Doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cælis. Per Dóminum.

Si fuerit Abbas

4 — Oratio

INtercéssio nos, quæsumus, Dómine, beáti N. Abbátis comméndet : ut, quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum.

Ad Horas Psalmi de Dominica, ad Primam tamen ut in Festis.

AD TERTIAM

Capitulum Eccli. 31, 8-9

BEátus vir, qui invéntus est sine mácula, et qui post aurum non ábiit, nec

sperávit in pecúnia et thesáuris. Quis est hic, et laudábimus eum? fecit enim mirabília in vita sua. ℟. br. Amávit eum Dóminus, * Et ornávit eum. Amávit. ℣. Stolam glóriæ induit eum. Et. Glória Patri. Amávit. ℣. Os justi meditábitur sapiéntiam. ℟. Et lingua ejus loquétur judícium.

AD SEXTAM

Capitulum Eccli. 39, 6

JUstus cor suum trádidit ad vigilándum dilúculo ad Dóminum, qui fecit illum, et in conspéctu Altíssimi deprecábitur.

℟. br. Os justi * Meditábitur sapiéntiam. Os. ℣. Et lingua ejus loquétur judícium. Meditábitur. Glória Patri. Os. ℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus. ℟. Et non supplantabúntur gressus ejus.

AD NONAM

Capitulum Sap. 10, 10

JUstum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam sanctórum; honestávit illum in labóribus, et complévit labóres illíus.

℟. br. Lex Dei ejus * In corde ipsíus. Lex. ℣. Et non supplantabúntur gressus ejus. In. Glória Patri. Lex. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

IN II VESPERIS

Omnia ut in I Vesperis [94], præter

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Magnif. Ant. Hic vir despíciens mundum * et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

Completorium de Dominica.

Si celebrari occurrat Festum plurium Confessorum non Pontificum, Officium fit ut supra : sed in Oratione et Sermone, ea quæ habentur in singulari, dicantur in plurali; et in I Nocturno sumantur Lectiones **Laudémus viros gloriósos,** quæ in Communi Confessoris Pontificis 2 loco pluribus Pontificibus sunt assignatæ [83], cum Responsoriis tamen de Communi Confessoris non Pontificis, ut ibidem.

II ALIÆ LECTIONES pro Conf. non Pontifice

In I Nocturno

De libro Sapiéntiæ

Cap. 4, 7-20; 5, 1-5

Lectio i

Ustus si morte præoccupátus fúerit, in refrigério erit. Senéctus enim venerábilis est

non diutúrna, neque annórum número computáta; cani autem sunt sensus hóminis, et ætas senectútis vita immaculáta. Placens Deo factus est diléctus, et vivens inter peccatóres translátus est. Raptus est, ne malítia mutáret intellectum ejus aut ne fictio deciperet ánimam illíus. Fascinátio enim nugacitátis obscúrat bona, et inconstántia concupiscéntiæ transvértit sensum sine malítia. Consummátus in brevi explévit témpora multa; plácita enim erat Deo ánima illíus, propter hoc properávit edúcere illum de médio iniquitátum.

℟. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam : * Intra in gáudium Dómini tui. ℣. Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecceália quinque superlucrátus sum. — Intra.

Lectio ii

POpuli autem vidéntes et non intelligéntes, nec ponéntes in præcórdiis tália : quóniam grátia Dei et misericórdia est in sanctos ejus, et respéctus in eléctos illíus. Condémnat autem justus mórtuus vivos ímpios, et juvéntus celérius consummáta longam vitam injústi. Vidébunt enim finem sapiéntis et non intélligent, quid cogitáverit de illo Deus et quare munírit illum Dóminus. Vidébunt et contémnent eum; illos autem Dóminus irridébit. Et erunt post hæc decidéntes sine honóre, et in contumélia inter mórtuos in perpétuum : quóniam disrúmpet illos inflátos sine voce, et commovébit illos a fundaméntis, et usque ad suprémum desolabúntur.

℟. Justus germinábit sicut lílium : * Et florébit in ætérnum ante Dóminum. ℣. Plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri. — Et.

Lectio iii

GT erunt geméntes, et memória illórum períbit. Vénient in cogitatióne peccatórum suórum tími-di, et tradúcent illos ex advérso iniquitátes ipsórum. Tunc stabunt justi in magna constántia advérsus eos, qui se angustiavérunt et qui abstulérunt labóres eórum. Vidéntes turbabúntur timóre horríbili, et mirabúntur in subitatióne insperátæ salútis; dicéntes intra se, pæniténtiam agéntes, et præ angústia spíritus geméntes : Hi sunt, quos habúimus aliquándo in derísum et in similitúdinem impropérii. Nos insensáti vitam illórum æstimabámus insániam et finem illórum sine honóre : ecce, quómodo computáti sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illórum est.

℟. Iste cognóvit justitiam, et vidit mirabilia magna, et exorávit Altíssimum : * Et invéntus est in número Sanctórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Et invéntus. Glória Patri. Et invéntus.

In II Nocturno

Ex libro Morálium sancti Gregórii Papæ

Liber 10, cap. 16, in c. 12 Job

Lectio iv

Eridétur justi simplicitas. Hujus mundi sapiéntia est : cor machinatiónibus tégere, sensum verbis veláre : quæ falsa sunt, vera osténdere; quæ vera sunt, falsa demonstráre. Hæc nimírum prudéntia usu a juvénibus scitur, hæc a púeris prétio discitur : hanc qui sciunt, céteros despiciéndo supérbiunt : hanc qui nésciunt, subjécti et timidi in áliis mirántur; quia ab eis hæc éadem duplicitátis iniquitas, nómine palliáta, diligitur, dum mentis perversitas urbánitas vocátur. Hæc sibi obsequéntibus præcipit honórum cúlmina quærere; adépta temporális glóriæ vanitáte gaudére; irrogáta ab áliis mala multiplícius réddere : cum vires súppetunt, nullis resisténtibus cédere; cum virtútis possibilitas deest, quidquid explére per malítiam non valent, hoc in pacífica bonitáte simuláre.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et.

Lectio v

AT contra, sapiéntia justórum est : nil per ostensiónem fíngere, sensum verbis aperire, vera ut sunt diligere, falsa devitáre; bona gratis exhibére, mala libéntius toleráre quam fácere; nullam injúriæ ultiónem quærere, pro veritáte contuméliam lucrum putáre. Sed hæc justórum simplicitas deridétur; quia ab hujus mundi sapiéntibus puritátis virtus fatúitas créditur. Omne enim, quod innocénter ágitur, ab eis proculdúbio stultum putátur; et quidquid in ópere véritas ápprobat, carnáli sapiéntiæ

fátuum sonat. Quid namque stúltius vidétur mundo quam mentem verbis osténdere, nil cállida machinatióne simuláre, nullas injúriis contumélias réddere, pro maledicéntibus oráre, paupertátem quærere, posséssa relinquere, rapiénti non resistere, percutiénti álteram maxillam præbére?

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ induit eum, * Et ad portas paradisi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fidei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vi

Cap. 17, post initium

LAmpas contémpta apud cogitatiónes dívitum. Sæpe contíngit, ut eléctus quisque, qui ad ætérnam felicitátem dúcitur, contínua hic adversitáte deprimátur; non hunc rerum abundántia fúlciat, non dignitátum glória honorábilem osténdat, nulla ei obsequéntium frequéntia súppetat, nulla hunc humánis óculis véstium pompa compónat. A cunctis vero despicábilis cérnitur, et hujus mundi grátia indignus æstimátur; sed tamen ante occúlti júdicis óculos virtútibus émicat, vitæ méritis corúscat : honorári métuit, déspici non réfugit : corpus continéntia áfficit, sola in ánimo dilectióne pinguéscit : mentem semper ad patiéntiam præparat, et, eréctus pro justitia, de percéptis contuméliis exsúltat : afflictis ex corde compátitur, de bonórum prosperitátibus quasi de própriis lætátur, sacri verbi pábula in mente sollícitus rúminat, et, inquisítus, quódlibet éloqui dupliciter ignórat.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Quia. Glória Patri. Quia.

In III Noeturno

Léctio sancti Evangélii
secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 12, 32-34

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Nolíte timére, pusillus grex, quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Et réliqua.

Homilia sancti Bedæ
Venerábilis Presbýteri

Liber 4 cap. 54 in Luc. 12

Usíllum gregem electórum, vel ob comparatiónem majóris números reprobórum, vel

pótius ob humilitátis devotiónem nóminat; quia vidélicet Ecclésiam suam, quantálibet numerositáte jam dilatátam, tamen usque ad finem mundi humilitáte vult créscere, et ad promíssum regnum humilitáte pervenire. Ideóque ejus labóres blande consolátus, quam regnum Dei tantum quærere præcipit, eidem regnum a Patre dandum complácita benignitáte promittit.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. — Ipse.

Lectio viii

VEndite quæ possidétis, et date eleemósynam. Nolite, inquit, timére, ne propter regnum Dei militántibus, hujus vitæ necessária desint; quin étiam posséssa propter eleemósynam véndite. Quod tunc digne fit, quando quis, semel pro Dómino suis ómnibus spretis, nihilóminus post hæc labóre mánuum, unde et victum transígere et eleemósynam dare queat, operátur. Unde gloriátur Apóstolus, dicens : Argéntum aut aurum aut vestem nullíus concupivi; ipsi scitis quóniam ad ea quæ mihi opus erant, et his qui mecum sunt, ministravérunt manus istæ. Omnia osténdi vobis, quóniam sic laborántes opórtet suscípere infirmos.

℟. Sint lumbi vestri præcincti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. — Et vos símiles. Glória Patri. Et.

Lectio ix

FAcite vobis sácculos, qui non veteráscunt; eleemósynas vidélicet operándo, quarum merces in ætérnum máneat. Ubi non hoc præcéptum esse putándum est, ut nil pecúniæ reservétur a sanctis, vel suis scilicet vel páuperum úsibus suggeréndæ; cum et ipse Dóminus, cui minstrábant Angeli, tamen ad informándam Ecclésiam suam lóculos habuísse legátur, et a fidélibus obláta consérvans, et suórum necessitátibus aliísque indigéntibus tríbuens; sed, ne Deo propter ista serviátur, et ob inópiæ timórem justítia deserátur. Te Deum.

Commune Abbatum

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis [94], præter Orationem et Lectiones III Nocturni, ut infra.

Oratio

INtercéssio nos, quæsumus, Dómine, beáti N. Abbátis comméndet : ut, quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum.

In III Noeturno

Léctio sancti Evangélii
secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 19, 27-29

IN illo témpore : Dixit Petrus ad Jesum : Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te : quid ergo erit nobis? Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi
Presbýteri

Liber 3 in Matth. cap. 19

Randis fidúcia! Petrus piscátor erat, dives non fúerat, cibos manu et arte quærébat; et tamen lóquitur confidénter : Relíquimus ómnia. Et quia non súfficit tantum relínquere, jungit quod perféctum est : Et secúti sumus te. Fécimus quod jussísti : quid ígitur nobis dabis prǽmii? Jesus autem dixit illis : Amen dico vobis quod vos, qui secúti estis me, in regeneratióne, cum séderit Fílius hóminis in sede majestátis suæ, sedébitis et vos super sedes duódecim, judicántes duódecim tribus Israël. Non dixit : Qui reliquistis ómnia; hoc enim et Crates fecit philósophus, et multi álii divítias contempsérunt : sed, Qui secúti estis me; quod próprie Apostolórum est atque credéntium.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. — Ipse intercédat.

Lectio viii

IN regeneratióne, cum séderit Fílius hóminis in sede majestátis suæ (quando et mórtui de corruptióne resúrgent incorrúpti), sedébitis et vos in sóliis judicántium, condemnántes duódecim tribus Israël; quia, vobis credéntibus, illi crédere noluérunt. Et

omnis, qui relíquerit domum, vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut fílios, aut agros propter nomen meum, céntuplum accípiet, et vitam ætérnam possidébit. Locus iste cum illa senténtia congruit, in qua Salvátor lóquitur : Non veni pacem míttere, sed gládium. Veni enim separáre hóminem a patre suo, et matrem a fília, et nurum a socru : et inimíci hóminis doméstici ejus. Qui ergo, propter fidem Christi et prædicatiónem Evangélii, omnes affféctus contémpserint atque divítias et sæculi voluptátes : isti céntuplum recípient, et vitam ætérnam possidébunt.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. — Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix

EX occasióne hujus senténtiæ quidam introdúcunt mille annos post resurrectiónem, dicéntes, tunc nobis céntuplum ómnium rerum quas dimísimus, et vitam ætérnam esse reddéndam; non intelligéntes, quod, si in céteris digna sit repromíssio, in uxóribus appáreat turpitúdo, ut, qui unam pro Dómino dimíserit, centum recípiat in futúro. Sensus ergo iste est : Qui carnália pro Salvatóre dimíserit, spirituália recípiet; quæ comparatióne et mérito sui ita erunt, quasi si parvo número centenárius número comparétur.

Te Deum laudámus.

II ALIA HOMILIA

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 11, 25-30

IN illo témpore : Respóndens Jesus dixit : Confíteor tibi, Pater, Dómine cæli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Et réliqua.

Homília sancti Augustini Epíscopi

Sermo 10 de verbis Domini

VEníte ad me, omnes qui laborátis. Quare enim omnes laborámus, nisi quia sumus hómines mortáles, frágiles, infírmi, lútea vasa portántes, quæ fáciunt ínvicem angústias? Sed, si angustiántur vasa carnis, dilaténtur spátia caritátis.

Quid ergo dicit, Veníte ad me, omnes qui laborátis, nisi ut non laborétis? Dénique promíssio ejus in promptu est; quóniam laborántes vocávit, quærent forte, qua mercéde vocáti sunt. Et ego vos, inquit, refíciam. Tóllite jugum meum super vos, et díscite a me, non mundum fabricáre, non cuncta visíbilia et invisibília creáre, non in ipso mundo mirabília fácere et mórtuos suscitáre; sed, Quóniam mitis sum et húmilis corde.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. — Ipse.

Lectio viii

QUod est fastígium construéndæ fábricæ, quam molímur? quo perventúrum est cacúmen ædifícii? Cito dico, usque ad conspéctum Dei. Vidétis, quam excélsum est, quanta res est conspícere Deum. Qui desíderat, et quod dico et quod audit intélligit. Promíttitur nobis conspéctus Dei, veri Dei, summi Dei. Hoc enim bonum est, Vidéntem vidére. Nam, qui colunt falsos deos, fácile illos vident; sed eos vident, qui óculos habent et non vident. Nobis autem promíttitur vísio Dei vivéntis et vidéntis.

Te Deum laudámus.

III ALIA HOMILIA

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 19, 27-29

IN illo témpore : Dixit Petrus ad Jesum : Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te : quid ergo erit nobis? Et réliqua.

Homília sancti Bedæ Venerábilis Presbýteri

Homilia in Natali S. Benedicti Ep.

QUO sunt órdines electórum in judício futúri : unus judicántium cum Dómino, de quibus hoc loco mémorat, qui reliquérunt ómnia et secúti sunt illum. Alius judicandórum a Dómino, qui non quidem ómnia sua páriter reliquérunt, sed de his tamen, quæ habébant, quotidiánas dare eleemósynas Christi paupéribus curábant; unde et auditúri sunt in judício : Veníte, benedícti Patris mei, possidéte præparátum vobis regnum a constitutióne mundi; esurívi enim, et dedístis mihi manducáre; sitívi, et dedístis mihi bíbere.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. — Ipse.

Lectio viii

SED et reprobórum duos ibi futúros órdines, Dómino narránte, comperímus : unum eórum, qui, fídei christiánæ mystériis initiáti, ópera fídei exercére contémnunt; quibus in judício testátur : Discédite a me, maledícti, in ignem ætérnum, qui præparátus est diábolo et ángelis ejus; esurívi enim, et non dedístis mihi manducáre. Alterum eórum, qui fidem et mystéria Christi vel numquam suscepére, vel suscéptam per apostásiam deseruére; de quibus dicit : Qui autem non credit, jam judicátus est, quia non credit in nómine unigéniti Fílii Dei.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescitis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. — Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix

VErum, his cum timóre et pavóre débito paulísper commemorátis, ad

lætíssima pótius Dómini et Salvatóris nostri promíssa convertámus audítum. Videámus quæ tantæ grátia pietátis : non ætérnæ tantúmmodo vitæ prǽmia suis sequácibus, sed et præséntis múnera pollicétur exímia. Et omnis, inquit, qui relíquerit domum, vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut fílios, aut agros propter nomen meum, céntuplum accípiet, et vitam ætérnam possidébit. Qui enim terrénis afféctibus sive possessiónibus pro Christi discipulátu renuntiáverit; quo plus in ejus amórem profécerit, eo plures invéniet, qui se intérno suscípere afféctu et suis gáudeant sustentáre substántiis.

Te Deum laudámus.

Commune Virginum

IN I VESPERIS

Ant. 1 Hæc est Virgo sápiens, * et una de número prudéntum.

Psalmi ut in Communi Festorum B. Mariæ Virg. [174]

2 Hæc est Virgo sápiens, * quam Dóminus vigilántem invénit.

3 Hæc est quæ nescívit * torum in delicto : habébit fructum in respectióne animárum sanctárum.

4 Veni, elécta mea, * et ponam in te thronum meum, allelúja.

5 Ista est speciósa * inter fílias Jerúsalem.

Capit. 2 Cor. 10, 17-18

FRatres : Qui gloriátur, in Dómino gloriétur. Non enim qui seípsum comméndat, ille probátus est; sed quem Deus comméndat.

Hymnus

JEsu, coróna Vírginum,
Quem Mater illa cóncipit,
Quæ sola Virgo párturit,
Hæc vota clemens áccipe :

Qui pergis inter lília,
Septus choréis Vírginum,
Sponsus decórus glória
Sponsísque reddens prǽmia.

Quocúmque tendis, Vírgines
Sequúntur, atque láudibus
Post te canéntes cúrsitant,
Hymnósque dulces pérsonant.

Te deprecámur súpplices,
Nostris ut addas sénsibus

Nescíre prorsus ómnia
Corruptiónis vúlnera.

* Virtus, honor, laus, glória
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sæculórum sǽcula.
Amen.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

In II Vesperis

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

In utrisque Vesperis

Ad Magnif. Ant. Veni, Sponsa Christi, * áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

Pro Virgine Martyre

1 — Oratio

DEus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula étiam in sexu frágili victóriam martýrii contulísti : concéde propítius; ut, qui beátæ N. Vírginis et Mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

2 — Alia Oratio

INdulgéntiam nobis, quǽsumus, Dómine, beáta N. Virgo et Martyr implóret : quæ tibi grata semper éxstitit, et mérito castitátis et tuæ professióne virtútis. Per Dóminum.

Pro Virgine non Martyre

3 — Oratio

GXáudi nos, Deus, salutáris noster : ut, sicut de beátæ N. Vírginis tuæ festivitáte gaudémus; ita piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per Dóminum.

Si fuerint plures Virgines Martyres, in utrisque Vesperis Versus, Antiphona ad Magnificat et Oratio, ut sequitur :

℣. Adducéntur Regi Vírgines post eam. ℟. Próximæ ejus afferéntur tibi.

Ad Magnif. Ant. Prudéntes Vírgines, * aptáte vestras lámpades : ecce Sponsus venit, exíte óbviam ei.

4 — Oratio

DA nobis, quǽsumus, Dómine, Deus noster, sanctárum Vírginum et Mártyrum tuárum N. et N. palmas incessábili devotióne venerári : ut, quas digna mente non póssumus celebráre; humílibus saltem frequentémus obséquiis. Per Dóminum.

Completorium de Dominica.

AD MATUTINUM

Invitat. Regem Vírginum Dóminum, * Veníte, adorémus. Ps. 94 Veníte, exsultémus.

Hymnus

Pro Virgine Martyre

VIrginis Proles Opiféxque Matris,
Virgo quem gessit, peperítque Virgo;
Vírginis festum cánimus beátæ,
Accipe votum.

Hujus orátu, Deus alme, nobis
Débitas pœnas scélerum remitte;
Ut tibi puro resonémus almum
Péctore carmen.

Sit decus Patri, genitǽque Proli,
Et tibi, compar utriúsque virtus,
Spíritus semper, Deus unus, omni
Témporis ævo. Amen.

Pro Virgine non Martyre

VIrginis Proles Opiféxque Matris,
Virgo quem gessit, peperítque Virgo;
Vírginis festum cánimus beátæ,
Accipe votum.

Hujus orátu, Deus alme, nobis
Débitas pœnas scélerum remitte;
Ut tibi puro resonémus almum
Péctore carmen.

Sit decus Patri, genitǽque Proli,
Et tibi, compar utriúsque virtus,
Spíritus semper, Deus unus, omni
Témporis ævo. Amen.

In I Nocturno

Ant. O quam pulchra * est casta generátio cum claritáte!

Psalmus 8

Omine, Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua, * super cælos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo cælos tuos, ópera digitórum tuórum : * lunam et stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulo minus ab Angelis, glória et honóre coronásti eum : * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves et boves univérsas : ínsuper et pécora campi.

Vólucres cæli, et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine, Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Ant. O quam pulchra est casta generátio cum claritáte!

Ant. Ante torum * hujus Vírginis frequentáte nobis dúlcia cántica drámatis.

Pro non Virgine

Ant. Læva ejus * sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me.

Psalmus 18

Cæli enárrant glóriam Dei, * et ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum, * et nox noctiíndicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ, neque sermónes, * quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exivit sonus eórum : * et in fines orbis terræ verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum : * et ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo :

Exsultávit ut gigas ad curréndam viam, * a summo cælo egréssio ejus :

Et occúrsus ejus usque ad summum ejus : * nec est qui se abscóndat a calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta, convértens ánimas : * testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

Justítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda : * præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in sæculum sæculi : * judícia Dómini vera, justificáta in semetípsa.

Desiderabília super aurum et lápidem pretiósum multum : * et dulcióra super mel et favum.

Etenim servus tuus custódit ea, * in custodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? ab occúltis meis munda me : * et ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint dominnáti, tunc immaculátus

ero : * et emundábor a delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei : * et meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Dómine, adjútor meus, * et redémptor meus.

Ant. Ante torum hujus Vírginis frequentáte nobis dúlcia cántica drámatis.

Pro non Virgine

Ant. Læva ejus sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me.

Ant. Revértere, * revértere, Sunamítis; revértere, revértere, ut intueámur te.

Psalmus 23

Domini est terra, et plenitúdo ejus : * orbis terrárum, et univérsi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum : * et super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus et mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino : * et misericórdiam a Deo, salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini, portæ æternáles : * et introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus fortis et potens : Dóminus potens in prœlio.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini, portæ æternáles : * et introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est Rex glóriæ.

Ant. Revértere, revértere, Sunamítis; revértere, revértere, ut intueámur te.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Absolutio Exáudi, Dómine.

Benedictio Benedictióne.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios

Lectio i Cap. 7, 25-40

De virgínibus præcéptum Dómini non hábeo : consílium autem do, tamquam misericórdiam consecútus a Dómino, ut sim fidélis. Exístimo ergo hoc bonum esse propter instántem necessitátem, quóniam bonum est hómini sic esse. Alligátus es uxóri? noli quærere solutiónem. Solútus es ab uxóre? noli quærere uxórem. Si autem accéperis uxórem, non peccásti. Et si núpserit virgo, non peccávit. Tribulatiónem tamen carnis habébunt hujúsmodi. Ego autem vobis parco. Hoc ítaque dico, fratres : Tempus breve est : réliquum est, ut et qui habent uxóres, tamquam non habéntes sint; et qui flent, tamquam non flentes; et qui gaudent, tamquam non gaudéntes; et qui emunt, tamquam non possidéntes; et qui utúntur hoc mundo, tamquam non utántur; præterit enim figúra hujus mundi.

Pro Virgine Martyre

℟. Veni, Sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum; pro cujus amóre sánguinem tuum fudísti, * Et cum Angelis in paradisum introísti. ℣. Veni, elécta mea, et ponam in te thronum meum; quia concupívit Rex spéciem tuam. — Et.

Pro Virgine non Martyre

℟. Veni, elécta mea, et ponam in te thronum meum : * Quia concupívit Rex spéciem tuam. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. — Quia.

Bened. Unigénitus Dei.

Lectio ii

Volo autem vos sine sollicitúdine esse. Qui sine uxóre est, sollícitus est quæ Dómini sunt, quómodo pláceat Deo. Qui autem cum uxóre est, sollícitus est quæ sunt mundi, quómodo pláceat uxóri, et divísus est. Et múlier innúpta, et virgo cógitat quæ Dómini sunt, ut sit sancta córpore et spíritu. Quæ autem nupta est, cógitat quæ sunt mundi, quómodo pláceat viro. Porro hoc ad utilitátem vestram dico, non ut láqueum vobis injíciam, sed ad id, quod honéstum est, et quod facultátem præbeat sine impedimento Dóminum obsecrándi.

℟. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, * Propterea benedíxit te Deus in ætérnum. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. — Propterea.

Bened. Spiritus Sancti.

Lectio iii

Si quis autem turpem se vidéri exístimat super vírgine sua, quod sit superadúlta, et ita opórtet fieri; quod vult fáciat : non peccat, si nubat. Nam qui státuit in corde suo firmus, non habens necessitátem, potestátem autem habens suæ voluntátis, et hoc judicávit in corde suo, ser-

váre vírginem suam, bene facit. Igitur et qui matrimónio jungit vírginem suam, bene facit; et qui non jungit, mélius facit. Múlier alligáta est legi quanto témpore vir ejus vivit. Quod si dormíerit vir ejus, liberáta est : cui vult nubat, tantum in Dómino. Beátior autem erit, si sic permánserit, secúndum meum consílium; puto autem quod et ego Spíritum Dei hábeam.

℟. Spécie tua et pulchritúdine tua * Inténde, próspere procéde, et regna. ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. — Inténde. Glória Patri. Inténde.

In II Nocturno

Ant. Spécie tua * et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.

Psalmus 44

Eructávit cor meum verbum bonum : * dico ego ópera mea Regi.

Lingua mea cálamus scribæ, * velóciter scribéntis.

Speciósus forma præ fíliis hóminum, diffúsa est grátia in lábiis tuis : * proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum, * potentíssime,

Spécie tua et pulchritúdine tua * inténde, próspere procéde, et regna.

Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagíttæ tuæ acútæ, pópuli sub te cadent, * in corda inimicórum Regis.

Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi : * virga directiónis virga regni tui.

Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha, et gutta, et cásia a vestiméntis tuis, a dómibus ebúrneis : * ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo.

Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto : * circúmdata varietáte.

Audi, fília, et vide, et inclína aurem tuam : * et oblivíscere pópulum tuum, et domum patris tui.

Et concupíscet Rex decórem tuum : * quóniam ipse est Dóminus, Deus tuus, et adorábunt eum.

Et fíliæ Tyri in munéribus * vultum tuum deprecabúntur : omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus fíliæ Regis ab intus, * in fímbriis áureis circumamícta varietátibus.

Adducéntur Regi vírgines post eam : * próximæ ejus afferéntur tibi.

Afferéntur in lætítia et exsultatióne : * adducéntur in templum Regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii : * constítues eos príncipes super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui : * in omni generatióne et generatiónem.

Proptérea pópuli confitebúntur tibi in ætérnum : * et in sæculum sæculi.

Ant. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.

Ant. Adjuvábit eam * Deus vultu suo : Deus in médio ejus, non commovébitur.

Psalmus 45

Deus noster refúgium, et virtus : * adjútor in tribulatiónibus, quæ invenérunt nos nimis.

Proptérea non timébimus dum turbábitur terra : * et transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt, et turbátæ sunt aquæ eórum : * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei : * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus in médio ejus, non commovébitur : * adjuvábit eam Deus mane dilúculo.

Conturbátæ sunt gentes, et inclináta sunt regna : * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * suscéptor noster Deus Jacob.

Venite, et vidéte ópera Dómini, quæ pósuit prodígia super terram : * áuferens bella usque ad finem terræ.

Arcum cónteret, et confrínget arma : * et scuta combúret igni.

Vacáte, et vidéte quóniam ego sum Deus : * exaltábor in géntibus, et exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * suscéptor noster Deus Jacob.

Ant. Adjuvábit eam Deus vultu suo : Deus in médio ejus, non commovébitur.

Ant. Aquæ multæ * non potuérunt exstínguere caritátem.

Psalmus 47

Magnus Dóminus, et laudábilis nimis * in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus.

Fundátur exsultatióne univérsæ terræ mons Sion, * látera Aquilónis, cívitas Regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoscétur, * cum suscípiet eam.

Quóniam ecce reges terræ congregáti sunt : * convenérunt in unum.

Ipsi vidéntes sic admiráti sunt, conturbáti sunt, commóti sunt : * tremor apprehéndit eos.

Ibi dolóres ut parturiéntis : * in spíritu veheménti cónteres naves Tharsis.

Sicut audívimus, sic vídimus in civitáte Dómini virtútum, in civitáte Dei nostri : * Deus fundávit eam in ætérnum.

Suscépimus, Deus, misericórdiam tuam, * in médio templi tui.

Secúndum nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terræ : * justítia plena est déxtera tua.

Lætétur mons Sion, et exsúltent fíliæ Juda, * propter judícia tua, Dómine.

Circúmdate Sion, et complectímini eam : * narráte in túrribus ejus.

Pónite corda vestra in virtúte ejus : * et distribúite domos ejus, ut enarrétis in progénie áltera.

Quóniam hic est Deus, Deus noster in ætérnum, et in sæculum sæculi : * ipse reget nos in sæcula.

Ant. Aquæ multæ non potuérunt exstínguere caritátem.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

Absolutio Ipsíus píetas.
Benedictio Deus Pater.

Sermo sancti Ambrósii Epíscopi
Liber 1 de Virg., circa init.

Lectio iv

Quóniam hódie natális est Vírginis, invitat nunc integritátis amor, ut áliquid de virginitáte dicámus; ne véluti tránsitu quodam præstricta videátur, quæ principális est virtus. Non enim ídeo laudábilis virgínitas, quia in Martýribus reperítur; sed quia ipsa Mártyres fáciat. Quis autem humáno eam possit ingénio comprehéndere, quam nec natúra suis inclúsit légibus? aut quis naturáli voce complécti, quod supra usum natúræ sit? E cælo accersívit, quod imitarétur in terris. Necimmérito vivéndi sibi usum quæsívit e cælo, quæ Sponsum sibi invénit in cælo.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. — Et.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

Hæc nubes, áëra, Angelos, sidéraque transgrédiens, Verbum Dei in ipso sinu Patris invénit, et

toto hausit péctore. Nam quis tantum, cum invénerit, relínquat boni? Unguéntum enim exinanítum est nomen tuum : proptérea adolescéntulæ dilexérunt te et attraxérunt te. Postrémo, non meum est illud quóniam, Quæ non nubunt neque nubéntur, erunt sicut Angeli Dei in cælo. Nemo ergo mirétur, si Angelis comparéntur, quæ Angelórum Dómino copulántur.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea.

Bened. Ignem sui amóris.

Lectio vi

QUis ígitur neget hanc vitam fluxísse de cælo, quam non fácile invenímus in terris, nisi postquam Deus in hæc terréni córporis membra descéndit? Tunc in útero Virgo concépit, et Verbum caro factum est, ut caro fíeret Deus. Dicet áliquis : Sed étiam Elías nullíus corpórei cóitus fuísse permíxtus cupiditátibus invenítur. Ideo ergo curru raptus ad cælum; ídeo cum Dómino appáret in glória; ídeo Domínici ventúrus est præcúrsor advéntus.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus * Afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. — Afferéntur tibi. Glória Patri. Afferéntur tibi.

In III Nocturno

Ant. Nigra sum, * sed formósa, fíliæ Jerúsalem; ídeo diléxit me Rex, et introdúxit me in cubículum suum.

Psalmus 95

CAntáte Dómino cánticum novum : * cantáte Dómino, omnis terra.

Cantáte Dómino, et benedícite nómini ejus : * annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus.

Quóniam magnus Dóminus, et laudábilis nimis : * terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii géntium dæmónia : * Dóminus autem cælos fecit.

Conféssio, et pulchritúdo in conspéctu ejus : * sanctimónia et magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afférte Dómino, pátriæ géntium, afférte Dómino glóriam et honórem : * afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, et introite in átria ejus : * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur a fácie ejus univérsa terra : * dícite in géntibus quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terræ qui non commovébitur : * judicábit pópulos in æquitáte.

Læténtur cæli, et exsúltet terra : commoveátur mare, et plenitúdo ejus : * gaudébunt campi, et ómnia quæ in eis sunt.

Tunc exsultábunt ómnia ligna silvárum a fácie Dómini, quia venit : * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte, * et pópulos in veritáte sua.

Ant. Nigra sum, sed formósa, fíliæ Jerúsalem; ideo diléxit me Rex, et introdúxit me in cubículum suum.

Ant. Trahe me post te, * in odórem currémus unguentórum tuórum : óleum effúsum nomen tuum.

Psalmus 96

DOminus regnávit, exsúltet terra : * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes, et calígo in circúitu ejus : * justítia, et judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet, * et inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ : * vidit, et commóta est terra.

Montes, sicut cera fluxérunt a fácie Dómini : * a fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cæli justítiam ejus : * et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes, qui adórant sculptília : * et qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum, omnes Angeli ejus : * audívit, et lætáta est Sion.

Et exsultavérunt fíliæ Judæ, * propter judícia tua, Dómine :

Quóniam tu Dóminus Altíssimus super omnem terram : * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum : * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde lætítia.

Lætámini, justi, in Dómino : * et confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

Ant. Trahe me post te, in odórem currémus unguentórum tuórum : óleum effúsum nomen tuum.

Ant. Veni, Sponsa Christi, * áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

Psalmus 97

CAntáte Dómino cánticum novum : * quia mirabília fecit.

Salvávit sibi déxtera ejus : * et bráchium sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus salutáre suum : * in conspéctu géntium revelávit justítiam suam.

Recordátus est misericórdiæ suæ, * et veritátis suæ dómui Israël.

Vidérunt omnes términi terræ * salutáre Dei nostri.

Jubiláte Deo, omnis terra : * cantáte, et exsultáte, et psállite.

Psállite Dómino in cíthara, in cíthara et voce psalmi : * in tubis ductílibus, et voce tubæ córneæ.

Jubiláte in conspéctu regis Dómini : * moveátur mare, et plenitúdo ejus : orbis terrárum, et qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, simul montes exsultábunt a conspéctu Dómini : * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in justítia, * et pópulos in æquitáte.

Ant. Veni, Sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

Absolutio A vínculis.

Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 25, 1-13

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Símile erit regnum cælórum decem virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ

Homilia 12 in Evang.

SÆpe vos, fratres caríssimi, admóneo prava ópera fúgere, mundi hujus inquinaménta devitáre, sed hodiérna sancti Evangélii lectióne compéllor dícere, ut et bona, quæ ágitis, cum magna cautéla teneátis; ne per hoc, quod a vobis rectum géritur, favor aut grátia humána requirátur; ne appetítus laudis subrépat, et quod foris osténditur, intus a mercéde vacuétur. Ecce enim Redemptóris voce decem vírgines, et omnes dicúntur vírgines, et tamen intra beatitúdinis já-

nuam non omnes sunt recéptæ; quia eárum quædam, dum de virginitáte sua glóriam foris éxpetunt, in vasis suis óleum habére noluérunt.

℟. Hæc est Virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit, quæ accéptis lampádibus sumpsit secum óleum : * Et veniénte Dómino, introívit cum eo ad núptias. ℣. Média nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. — Et.

Benedictio Cujus vel Quarum festum cólimus.

Lectio viii

SED prius quæréndum nobis est, quid sit regnum cælórum, aut cur decem virgínibus comparétur, quæ étiam vírgines prudéntes et fátuæ dicántur. Dum enim cælórum regnum constat, quia reprobórum nullus ingréditur, étiam fátuis virgínibus cur símile esse perhibétur? Sed sciéndum nobis est, quod sæpe in sacro elóquio regnum cælórum præséntis témporis Ecclésia dícitur. De quo álio in loco Dóminus dicit : Mittet Fílius hóminis Angelos suos, et cólligent de regno ejus ómnia scándala. Neque enim in illo regno beatitúdinis, in quo pax summa est, inveníri scándala póterunt, quæ colligántur.

℟. Média nocte clamor factus est : * Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. ℣. Prudéntes vírgines, aptáte vestras lámpades. — Ecce. Glória Patri. Ecce.

Benedictio Ad societátem.

Lectio ix

IN quinque autem córporis sénsibus unusquisque subsistit; geminátus autem quinárius denárium pérficit. Et quia ex utróque sexu fidélium multitúdo collígitur, sancta Ecclésia decem virgínibus símilis esse denuntiátur. In qua quia mali cum bonis et réprobi cum eléctis admíxti sunt, recte símilis virgínibus prudéntibus et fátuis esse perhibétur. Sunt namque pleríque continéntes, qui ab appetítu se exterióri custódiunt et spe ad interióra rapiúntur, carnem mácerant, et toto desidério ad supérnam pátriam anhélant, ætérna prǽmia éxpetunt, pro labóribus suis recípere laudes humánas nolunt. Hi nimírum glóriam suam non in ore hóminum ponunt, sed intra consciéntiam cóntegunt. Et sunt pleríque, qui corpus per abstinéntiam afflígunt, sed de ipsa sua abstinéntia

humános favóres éxpetunt.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

et per Horas, Añæ

1 Hæc est Virgo sápiens, * et una de número prudéntum.

Psalmi de Dominica.

2 Hæc est Virgo sápiens, * quam Dóminus vigilántem invénit.

3 Hæc est quæ nescívit * torum in delicto : habébit fructum in respectióne animárum sanctárum.

4 Veni, elécta mea, * et ponam in te thronum meum, allelúja.

5 Ista est speciósa * inter fílias Jerúsalem.

Capit. 2 Cor. 10, 17-18

FRatres : Qui gloriátur, in Dómino gloriétur. Non enim qui seipsum comméndat, ille probátus est; sed quem Deus comméndat.

Hymnus

JEsu, coróna Vírginum,
Quem Mater illa concípit,
Quæ sola Virgo párturit,
Hæc vota clemens áccipe :

Qui pergis inter lilia,
Septus choréis Vírginum,
Sponsus decórus glória
Sponsísque reddens prǽmia.

Quocúmque tendis, Vírgines
Sequúntur, atque láudibus
Post te canéntes cúrsitant,
Hymnósque dulces pérsonant;

Te deprecámur súpplices,
Nostris ut addas sénsibus
Nescíre prorsus ómnia
Corruptiónis vúlnera.

* Virtus, honor, laus, glória
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sæculórum sǽcula.
Amen.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Propterea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Bened. Ant. Simile est regnum cælórum * hómini negotiatóri quærénti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

Pro Virgine Martyre

1 — Oratio

DEus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula étiam in sexu frágili victóriam martýrii contulísti : concéde propitius; ut, qui beátæ N. Vírginis et Mártyris tuæ natalitia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

2 — Alia Oratio

INdulgéntiam nobis, quæsumus, Dómine, beáta N. Virgo et Martyr implóret : quæ tibi grata semper éxstitit, et mérito castitátis et tuæ professióne virtútis. Per Dóminum.

Pro Virgine non Martyre

3 — Oratio

GXáudi nos, Deus, salutáris noster : ut, sicut de beátæ N. Vírginis tuæ festivitáte gaudémus; ita piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per Dóminum.

Si fuerint plures Virgines Martyres :

℣. Adducéntur Regi Vírgines post eam. ℟. Próximæ ejus afferéntur tibi.

Ad Bened. Ant. Prudéntes Vírgines, * aptáte vestras lámpades : ecce Sponsus venit, exíte óbviam ei.

4 — Oratio

DA nobis, quæsumus, Dómine, Deus noster, sanctárum Vírginum et Mártyrum tuárum N. et N. palmas incessábili devotióne venerári : ut, quas digna mente non póssumus celebráre; humílibus saltem frequentémus obséquiis. Per Dóminum.

Ad Horas Psalmi de Dominica, ad Primam tamen ut in Festis.

AD TERTIAM

Capit. Fratres. [124]

℟. br. Spécie tua * Et pulchritúdine tua. Spécie. ℣. Inténde, próspere procéde, et regna. Et. Glória Patri. Spécie. ℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

AD SEXTAM

Capitulum 2 Cor. 11, 2

AMulor enim vos Dei æmulatióne. Despóndi enim vos uni viro vírginem castam exhibére Christo.

℟. br. Adjuvábit eam * Deus vultu suo. Adjuvábit. ℣. Deus in médio ejus, non commovébitur. Deus vultu suo. Glória Patri. Adjuvábit. ℣. Elégit eam Deus, et prælégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

AD NONAM

Pro Virgine Martyre

Capit. Eccli. 51, 13-14

DOmine, Deus meus, exaltásti super terram habitatiónem meam, et pro morte defluénte deprecáta sum. Invocávi Dóminum, Patrem Dómini mei, ut non derelínquat me in die tribulatiónis meæ, et in témpore superbórum sine adjutório.

Pro Virgine non Martyre

Capitulum Sap. 4, 1

O Quam pulchra est casta generátio cum claritáte! immortális est enim memória illíus : quóniam apud Deum nota est, et apud hómines.

℟. br. Elégit eam Deus * Et præelégit eam. Elégit. ℣. In tabernáculo suo habitáre facit eam. Et. Glória Patri. Elégit.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

IN II VESPERIS

Omnia ut in I Vesperis [111], præter

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Magnif. Ant. Veni, Sponsa Christi, * áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

Si fuerint plures Virgines Martyres, Versus, Antiphona ad Magnificat et Oratio ut supra. [112] vel [124]

Completorium de Dominica.

II ALIÆ LECTIONES pro Virginibus

Pro Virgine Martyre, Lectiones I Nocturni dicuntur etiam ut infra :

De libro Ecclesiástici

Lectio i Cap. 51, 1-17

Onfitébor tibi, Dómine, Rex, et collaudábo te Deum, Salvatórem meum. Confitébor nómini tuo : quóniam adjútor et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditióne, a láqueo linguæ iníquæ et a lábiis operántium mendácium, et in conspéctu astántium factus es mihi adjútor. Et liberásti me secúndum multitúdinem misericórdiæ nóminis tui a rugiéntibus præparátis ad escam, de mánibus quæréntium ánimam meam, et de portis tribulatiónum, quæ circumdedérunt me : a pressúra flammæ, quæ circúmdedit me, et in médio ignis non sum æstuáta : de altitúdine ventris ínferi, et a lingua coinquináta, et a verbo mendácii, a rege iníquo, et a lingua injústa.

℟. Veni, Sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum; pro cujus amóre sánguinem tuum fudísti, * Et cum Angelis in paradísum introísti. ℣. Veni, elécta mea, et ponam in te thronum meum; quia concupívit Rex spéciem tuam. — Et.

Lectio ii

Laudábit usque ad mortem ánima mea Dóminum, et vita mea appropinquans erat in inférno deórsum. Circumdedérunt me úndique, et non erat qui adjuváret. Respiciens eram ad adjutórium hóminum, et non erat. Memorátasum misericórdiæ tuæ, Dómine, et operatiónis tuæ, quæ a sæculo sunt : quóniam éruis sustinéntes te, Dómine, et liberas eos de mánibus géntium.

℟. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, * Proptérea benedixit te Deus in ætérnum. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. — Proptérea.

Lectio iii

Exaltásti super terram habitatiónem meam, et pro morte defluénte deprecáta sum. Invocávi Dóminum, Patrem Dómini mei, ut non derelinquat me in die tribulatiónis meæ, et in témpore superbórum sine adjutório. Laudábo nomen tuum assidue, et collaudábo illud in confessióne, et exaudita est orátio mea. Et liberásti me de perditióne, et eripuisti me de témpore iniquo. Proptérea confitébor, et laudem dicam tibi, et benedícam nómini Dómini.

℟. Spécie tua et pulchritúdine tua * Inténde, próspere procéde, et regna. ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. — Inténde. Glória Patri. Inténde.

Pro Virgine Martyre et non Martyre leguntur etiam sequentes :

In II Noeturno

Ex libro sancti Cypriáni, Episcopi et Mártyris, de disciplina et hábitu Virginum Num. 3-5

Lectio iv

Nunc nobis ad virgines sermo est; quarum quo sublímior glória est, major et cura est. Flos est ille ecclesiástici gérminis, decus atque ornaméntum grátiæ spiritális, læta índoles, laudis et honóris opus íntegrum atque incorrúptum, Dei imágo respóndens ad sanctimóniam Dómini, illústrior pórtio gregis Christi. Gaudet per illas atque in illis lárgiter floret Ecclésiæ matris gloriósa fecúnditas; quantóque plus copiósa virginitas número suo addit, tanto plus gáudium matris augéscit. Ad has lóquimur, has adhortámur affectióne pótius quam potestáte; non quod extrémi et minimi, et humilitátis nostræ ádmodum cónscii, áliquid ad censúram licéntiæ vindicémus, sed quod ad sollicitúdinem magiscauti, plus de diáboli infestatióne timeámus.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. — Et.

Lectio v

Neque inánis hæc cáutio est et vana formído, quæ ad salútis viam cónsulit, quæ Domínica et vitália præcépta custódit, ut, quæ se Christo dicáverint, et a carnáli concupiscéntia recedéntes, tam carne quam mente se Deo vóverint, consúmment opus suum magno prǽmio destinátum; nec ornári jam aut placére cuiquam, nisi Dómino suo, stúdeant, a quo et mercédem virginitátis exspéctant, dicénte ipso : Non omnes cápiunt verbum, sed illi quibus datum est. Sunt enim spadónes, qui ex útero matris sic nati sunt; et sunt spadónes, qui coácti sunt ab homínibus; et sunt spadónes, qui seípsos castravérunt propter regnum cælórum.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea.

Lectio vi

Denuo quoque per hanc Angeli vocem continéntiæ munus osténditur, virgínitas prædicátur : Hi sunt, qui cum muliéribus se non coinquinavérunt; vírgines enim permansérunt : hi sunt qui sequúntur Agnum quocúmque íerit. Neque enim tantum másculis continéntiæ grátiam Dóminus repromíttit, et féminas prætérit; sed, quóniam fémina viri pórtio est et ex eo sumpta atque formáta est, in Scriptúris fere ómnibus ad protoplástum Deus lóquitur, quia sunt duo in carne una, et in másculo simul significátur et fémina. Quod si Christum continéntia séquitur, et regno Dei virgínitas destinátur; quid est illis cum terréno cultu et cum ornaméntis, quibus, dum homínibus placére géstiunt, Deum offéndunt?

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus * Afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. — Afferéntur tibi. Glória Patri. Afferéntur tibi.

In III Nocturno Homilia in Evangelium Símile est regnum cælórum thesáuro, ut infra in Communi non Virginum [134], cum Responsoriis pro Virgine ibi notatis.

III ALIA HOMILIA

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 19, 3-12

IN illo témpore : Accessérunt ad Jesum pharisæi, tentántes eum et dicéntes : Si licet hómini dimittere uxórem suam quacúmque ex causa? Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi

Homilia 63 in Matth., sub medium

DOminus noster, quia ad virginitátem hortári grave esse videbátur, a necessitáte legis de non solvéndo matrimónio, eos ad cupiditátem illius tráhere studet. Deínde, ut eam esse possibilem osténdat, sic inquit : Sunt eunúchi qui ex ventre matris ita nati sunt, et sunt qui ab homínibus eunúchi facti sunt, et sunt qui seípsos castravérunt propter regnum cælórum. Quibus verbis laténter eos ad eligéndam virginitátem indúcit, dum eam virtútem esse possíbilem ástruit.

℟. Hæc est Virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit, quæ accéptis lampádibus sumpsit secum óleum : * Et veniénte Dómino, introívit cum eo ad núptias. ℣. Média nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. — Et.

Lectio viii

ID autem hoc fere modo confírmat : Cógita tecum, si aut a natúra talis esses, aut ab homínibus eam injúriam passus, quid fáceres, cum et ejúsmodi voluptáte caréres, et nullam, caréndo, mercédem consequeréris? Grátias igitur nunc Deo agas, quod cum mercéde atque corónis idem sústines, quodillisine corónis ac prǽmio tólerant. Immo vero non idem, sed multo lévius; tum quia spe erigeris et consciéntia recte facti, tum quia non ita ingéntibus concupiscéntiæ flúctibus jactáris.

℟. Média nocte clamor factus est : * Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. ℣. Prudéntes virgines, aptáte vestras lámpades. — Ecce. Glória Patri. Ecce.

Lectio ix

CUM ergo de illis eunúchis dixerit, qui, nisi étiam ipsi mente se contineant, frustra et inutíliter tales sunt, ac de illis, qui, ut regnum cælórum consequántur, se cóntinent; subjúnxit rursus, dicens : Qui potest cápere, cápiat; ut alacrióres effíciat eo ipso, quod grave esse opus osténdit, et ineffábili benignitáte sua nóluit eam rem intra necessitátem legis conclúdere. Idque dicéndo, adhuc magis possíbilem esse demónstrat, ut voluntátis stúdium plus augeátur.

Te Deum laudámus.

Commune non Virginum

IN I VESPERIS

Ant. 1 Dum esset Rex * in accúbitu suo, nardus mea dedit odórem suavitátis.

Psalmi ut in Communi Festorum B. Mariæ Virg. [174]

2 In odórem * unguentórum tuórum cúrrimus : adolescéntulæ dilexérunt te nimis.

3 Jam hiems tránsiit, * imber ábiit et recéssit : surge, amíca mea, et veni.

4 Veni, elécta mea, * et ponam in te thronum meum, allelúja.

5 Ista est speciósa * inter fílias Jerúsalem.

Pro Martyre tantum

Capitulum Eccli. 51, 1-3

CONfitébor tibi, Dómine, Rex, et collaudábo te Deum, Salvatórem meum. Confitébor nómini tuo : quóniam adjútor et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditióne.

Pro nec Virg. nec Martyre

Capit. Prov. 31, 10-11

MUlíerem fortem quis invéniet? Procul et de últimis fínibus prétium ejus. Confídit in ea cor viri sui, et spóliis non indigébit.

Hymnus

FOrtem viríli péctore
Laudémus omnes féminam,
Quæ sanctitátis glória
Ubíque fulget ínclita.

Hæc sancto amóre sáucia,
Dum mundi amórem nóxium
Horréscit, ad cæléstia
Iter perégit árduum.

Carnem domans jejúniis,
Dulcíque mentem pábulo
Oratiónis nútriens,
Cæli potítur gáudiis.

Rex Christe, virtus fórtium,
Qui magna solus éfficis,
Hujus precátu, quǽsumus,
Audi benígnus súpplices.

* Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc et per omne sæculum. Amen.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Ad Magnif. Ant. Símile est regnum cælórum * hómini negotiatóri quærénti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

In II Vesperis

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Magnif. Ant. Manum suam * apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem, et panem otiósa non comédit.

Pro Martyre tantum

1 — Oratio

DEus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula étiam in sexu frágili victóriam martýrii contulísti : concéde propítius; ut, qui beátæ N. Mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

Pro nec Virgine nec Mart.

2 — Oratio

GXáudi nos, Deus, salutáris noster : ut, sicut de beátæ N. festivitáte gaudémus; ita piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per Dóminum.

Si fuerint plures Martyres non Virgines, in utrisque Vesperis Versus, Ant. ad Magnificat et Oratio, ut sequitur :

℣. Glória et honóre coronásti eas, Dómine. ℟. Et constituísti eas super ópera mánuum tuárum.

Ad Magnif. Ant. Istárum est enim * regnum cælórum, quæ contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad prǽmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

3 — Oratio

DA nobis, quǽsumus, Dómine, Deus noster, sanctárum Mártyrum tuárum N. et N. palmas incessábili devotióne venerári : ut, quas digna mente non póssumus celebráre; humílibus saltem frequentémus obséquiis. Per Dóminum.

Completorium de Dominica.

AD MATUTINUM

Invitat. Laudémus Deum nostrum * In confessióne beátæ N.

Si fuerint plures non Virg. :

Invitat. Laudémus Deum nostrum * In confessióne beatárum N. et N. Ps. 94 Veníte, exsultémus.

Hymnus

HUjus orátu, Deus alme, nobis
Débitas pœnas scélerum remítte;
Ut tibi puro resonémus almum
Péctore carmen.

Sit decus Patri, genitæque Proli,
Et tibi, compar utriúsque virtus,
Spíritus semper, Deus unus, omni
Témporis ævo. Amen.

Añæ Psalmi et Versus trium Nocturnorum dicuntur ut in Communi Virginum [113] excepta secunda Ant. I Nocturni cujus loco dicitur Ant. Læva ejus, ut ibi notatur.

In I Nocturno

Pro Martyre tantum Lectiones Confitébor, ut in Communi Virginum 2 loco cum suis Responsoriis. [126]

Pro nce Virgine nec Mart. ut sequuntur :

De Parábolis Salomónis

Lectio i Cap. 31, 10-31

MUlierem fortem quis invéniet? Procul et de últimis fínibus prétium ejus. Confídit in ea cor viri sui, et spóliis non indigébit. Reddet ei bonum, et non malum, ómnibus diébus vitæ suæ. Quæsívit lanam et linum, et operáta est consílio mánuum suárum. Facta est quasi navis institóris, de longe portans panem suum. Et de nocte surréxit, dedítque prædam doméstici suis, et cibária ancíllis suis. Considerávit agrum, et emit eum; de fructu mánuum suárum plantávit víneam. Accínxit fortitúdine lumbos suos, et roborávit bráchium suum.

℟. Veni, elécta mea, et ponam in te thronum meum; * Quia concupívit Rex spéciem tuam. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. — Quia.

Benedictio Unigénitus Dei.

Lectio ii

GUstávit, et vidit quia bona est negotiátio ejus : non exstinguétur in nocte lucérna ejus. Manum suam misit ad fórtia, et dígiti ejus apprehendérunt fusum. Manum suam apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem. Non timébit dómui suæ a frigóribus nivis : omnes enim doméstici ejus vestíti sunt duplícibus. Stragulátam vestem fecit sibi : byssus et púrpura induméntum ejus. Nóbilis in portis vir

ejus, quando séderit cum senatóribus terræ. Síndonem fecit et véndidit, et cíngulum trádidit Chananæo.

℟. Diffúsa est grátia in lábiis tuis : * Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. — Proptérea.

Benedictio Spíritus Sancti.

Lectio iii

FOrtitúdo et decor indumméntum ejus, et ridébit in die novíssimo. Os suum apéruit sapiéntiæ, et lex cleméntiæ in lingua ejus. Considerávit sémitas domus suæ, et panem otiósa non comédit. Surrexérunt fílii ejus, et beatíssimam prædicavérunt : vir ejus, et laudávit eam. Multæ fíliæ congregavérunt divítias : tu supergréssa es univérsas. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo : múlier timens Dóminum, ipsa laudábitur. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus.

℟. Spécie tua et pulchritúdine tua * Inténde, próspere procéde, et regna. ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. — Inténde. Glória Patri. Inténde.

In II Nocturno

Ex libro sancti Ambrósii Episcopi de Víduis

Prope finem

Lectio iv

GRum hunc Ecclésiæ féritilem cerno, nunc integritátis flore vernántem, nunc viduitátis gravitáte polléntem, nunc étiam conjúgii frúctibus redundántem. Nam etsi divérsi, unius tamen agri fructus sunt : nec tanta hortórum lília, quantæ áristæ ségetum, méssium spicæ; compluriúmque spátia campórum recipiéndis aptántur semínibus, quam rédditis nováles frúctibus feriántur. Bona ergo vidúitas, quæ tóties apostólico judício prædicátur. Hæc enim magístra fídei, magístra est castitátis.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. — Et.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

UNde et illi, qui deórum suórum adultéria et probra venerántur, cælibátus et viduitátis statuére

pœnas, ut æmuli críminum mulctárent stúdia virtútum, spécie quidem, qua fecunditátem quærerent, sed stúdio, quo propósitum castitátis abolérent. Nam confféctis et miles stipéndiis arma depónit, et relícto offício quod gerébat, ad própria veteránus rura dimíttitur, ut et ipse exércitæ labóribus vitæ réquiem consequátur et álios spes futúræ quiétis subeúndis fáciat opéribus promptióres. Agrícola quoque matúrior torquéndam áliis stivam commíttit, et, juvenáli gravátus ópere, providéntiam curæ senílis explórat : vitem facílius tondére quam prémere, ut juvenescéntem luxúriam réprimat, et adolescéntem lascíviam falce succídat; parcórum quamdam pártuum castitátem docens étiam in vítibus expeténdam.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea.

Bened. Ignem sui amóris.

Lectio vi

SImilis huic vídua, velut eméritis veterána stipéndiis castitátis, et si conjúgii arma depónat, domus tamen totíus pacem gubérnat; et si vehéndis onéribus otiósa, maritándis tamen junióribus próvida, ubi cultus utílior, ubi fructus ubérior sit, quarum cópulam aptiórem seníli gravitáte dispónit. Itaque si maturióribus quam junióribus committitur ager, cur putes utiliórem nuptam esse quam víduam? Quod si persecutóres fídei persecutóres fuérunt étiam viduitátis, útique fidem sequéntibus vidúitas non pro supplício fugiénda est, sed tenénda pro prǽmio.

℟. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo : * Múlier timens Deum, ipsa laudábitur. ℣. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus. — Múlier. Glória Patri. Múlier.

In III Nocturno

Absolutio A vínculis.

Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 13, 44-52

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Símile est regnum cælórum thesáuro abscóndito in agro. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ

Homilia 11 in Evang.

GÆlórum regnum, fratres caríssimi, idcírco terrénis rebus símile dícitur, ut ex his, quæ ánimus novit, surgat ad incógnita, quæ non novit : quátenus exémplo visibílium se ad invisibília rápiat, et per ea, quæ usu dídicit, quasi confricátus incaléscat; ut per hoc, quod scit notum dilígere, discat et incógnita amáre. Ecce enim cælórum regnum thesáuro abscóndito in agro comparátur; quem, qui invénit homo, abscóndit, et præ gáudio illíus vadit, et vendit univérsa quæ habet, et emit agrum illum.

Pro non Virgine

℟. Os suum apéruit sapiéntiæ, et lex cleméntiæ in lingua ejus : consideravit sémitas domus suæ, * Et panem otiósa non comédit. ℣. Gustávit et vidit quia bona est negotiátio ejus : non exstinguétur in nocte lucérna ejus. — Et.

Pro Virgine

℟. Hæc est Virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit, quæ accéptis lampádibus sumpsit secum óleum : * Et veniénte Dómino, introívit cum eo ad núptias. ℣. Média nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. — Et.

Bened. Cujus vel Quarum festum cólimus.

Lectio viii

QUA in re hoc quoque notándum est, quod invéntus thesáurus abscónditur, ut servétur : quia stúdium cæléstis desidérii a malígnis spirítibus custodíre non súfficit, qui hoc ab humánis láudibus non abscóndit. In præsénti étenim vita quasi in via sumus, qua ad pátriam pérgimus. Malígni autem spíritus iter nostrum quasi quidam latrúnculi óbsident. Deprædári ergo desíderat, qui thesáurum públice portat in via. Hoc autem dico, non ut próximi ópera nostra bona non vídeant, cum scriptum sit : Vídeant ópera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est; sed ut per hoc, quod ágimus, laudes extérius non quærámus. Sic autem sit opus in público, quátenus inténtio máneat in occúlto : ut et de bono ópere próximis præbeámus exémplum, et tamen per intentiónem, qua Deo soli placére quærimus, semper optémus secrétum.

Pro non Virgine

℟. Regnum mundi et omnem ornátum sæculi contémpsi, propter amórem Dómini mei Jesu Christi : * Quem vidi, quem amávi, in quem crédidi, quem diléxi. ℣. Eructávit cor meum verbum bonum : dico ego ópera mea Regi. — Quem. Glória Patri. Quem.

Pro Virgine

℟. Média nocte clamor factus est : * Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. ℣. Prudéntes vírgines, aptáte vestras lámpades. — Ecce. Glória Patri. Ecce.

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

THesáurus autem cæléste est desidérium; ager vero, in quo thesáurus abscónditur, disciplína stúdii cæléstis. Quem profécto agrum, vénditis ómnibus, cómparat, qui, voluptátibus carnis renúntians, cuncta sua terréna desidéria per disciplínæ cæléstis custódiam calcat : ut nihil jam, quod caro blandítur, líbeat; nihil, quod carnálem vitam trucídat, spíritus perhorréscat. Te Deum laudámus.

AD LAUDES

Añæ 1 Dum esset Rex * in accúbitu suo, nardus mea dedit odórem suavitátis.

Psalmi de Dominica.

2 In odórem * unguentórum tuórum cúrrimus : adolescéntulæ dilexérunt te nimis.

3 Jam hiems tránsiit, * imber ábiit et recéssit : surge, amíca mea, et veni.

4 Veni, elécta mea, * et ponam in te thronum meum, allelúja.

5 Ista est speciósa * inter fílias Jerúsalem.

Pro Martyre tantum

Capitulum Eccli. 51, 1-3

GOnfitébor tibi, Dómine, Rex, et collaudábo te Deum, Salvatórem meum. Confitébor nómini tuo : quóniam adjútor et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditióne.

Pro nec Virgine nec Mart.

Capit. Prov. 31, 10-11

MUlíerem fortem quis invéniet? Procul et de últimis fínibus prétium ejus. Confídit in ea cor viri sui, et spóliis non indigébit.

Hymnus

FOrtem viríli péctore
Laudémus omnes féminam,
Quæ sanctitátis glória
Ubíque fulget ínclita.

Hæc sancto amóre sáucia,
Dum mundi amórem nóxium
Horréscit, ad cæléstia
Iter perégit árduum.

Carnem domans jejúniis,
Dulcíque mentem pábulo
Oratiónis nútriens,
Cæli potítur gáudiis.

Rex Christe, virtus fórtium,
Qui magna solus éfficis,
Hujus precátu, quæsumus,
Audi benígnus súpplices.

* Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc et per omne sæculum. Amen.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Bened. Ant. Date ei * de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus.

Pro Martyre tantum

1 — Oratio

DEus, qui inter cétera poténtiæ tuæ miracula étiam in sexu frágili victóriam martýrii contulísti : concéde propítius; ut, qui beátæ N. Mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

Pro nec Virgine nec Mart.

2 — Oratio

EXáudi nos, Deus, salutáris noster : ut, sicut de beátæ N. festivitáte gaudémus; ita piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per Dóminum.

Si fuerint plures Martyres non Virgines :

℣. Glória et honóre coronásti eas, Dómine. ℟. Et constituísti eas super ópera mánuum tuárum.

Ad Bened. Ant. Istárum est enim * regnum cælórum, quæ contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad prémia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

3 — Oratio

DA nobis, quæsumus, Dómine, Deus noster, sanctárum Mártyrum tuárum N. et N. palmas incessábili devotióne venerári : ut, quas digna mente non póssumus celebráre; humílibus saltem frequentémus obséquiis. Per Dóminum.

Ad Horas Psalmi de Dominica, ad Primam tamen ut in Festis.

AD TERTIAM

Pro Martyre tantum

Capit. Confitébor. [136]

Pro nec Virgine nec Mart.

Capit. Mulíerem. [136]

℟. br. Spécie tua * Et pulchritúdine tua. Spécie. ℣. Inténde, próspere procéde, et regna. Et. Glória Patri. Spécie. ℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

AD SEXTAM

Pro Martyre tantum

Capitulum Eccli. 51, 4-5

LIberásti me secúndum multitúdinem misericórdiæ nóminis tui a rugiéntibus, præparátis ad escam, de mánibus quæréntium ánimam meam, et de multis tribulatiónibus quæ circumdedérunt me.

Pro nec Virgine nec Mart.

Capit. Prov. 31, 20-21

MAnum suam apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem. Non timébit dómui suæ a frigóribus nivis.

℟. br. Adjuvábit eam * Deus vultu suo. Adjuvábit. ℣. Deus in médio ejus, non commovébitur. Deus vultu suo. Glória Patri. Adjuvábit. ℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

AD NONAM

Pro Martyre tantum

Capit. Eccli. 51, 8 et 12

LAudábit usque ad mortem ánima mea Dóminum, quóniam éruis sustinéntes te, et líberas eos de manu angústiæ, Dómine, Deus noster.

Pro nec Virgine nec Mart.

Capit. Prov. 31, 29-30

MUltæ fíliæ congregavérunt divítias : tu supergréssa es univérsas. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo : múlier timens Dóminum, ipsa laudábitur.

℟. br. Elégit eam Deus, * Et præelégit eam. Elégit. ℣. In tabernáculo suo habitáre facit eam. Et. Glória Patri. Elégit. ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

IN II VESPERIS

Omnia ut in I Vesperis [130], præter

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Magnif. Ant. Manum suam * apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem, et panem otiósa non comédit.

Si fuerint plures Martyres non Virgines, Versus, Antiphona ad Magnificat et Oratio ut supra. [131] vel [137]

Completorium de Dominica.

II ALIÆ LECTIONES

pro Martyre tantum

In II Nocturno

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi

Sermo 67 de diversis novi Testamenti locis

Lectio iv

GO máxime commemoratiónes díligo Mártyrum, díligo et ampléctor; atque omnes quidem, sed tum præcípue, cum mulíerum certámina proponúntur. Quanto enim infírmius est vas, tanto major est grátia, tanto illústrius est trophæum, tanto insígnior est victória, non ob imbecillitátem sexus athletárum, sed quod per ea, quibus vícerat inimícus, nunc étiam vincátur.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. — Et.

Lectio v

PER mulíerem vicit, per mulíerem superátus est. Hoc illíus ántea telum erat, hoc illíus nunc cædis factum est instruméntum, hoc vas appáruit insuperábile. Peccávit illa prior, et mórtua est : ista mórtua est, ne peccáret. Illa, tum fútilis promíssi spe inflàta, Dei leges violávit : hæc vitam præséntem contémpsit, ne fidem in suum benefactórem ejuráret. Quam ígitur deínceps speráre póterunt excusatiónem viri, si molles sint et ignávi; quam vero véniam, cum fórtiter ac viríliter se gerant mulíeres, cum ádeo se generóse ad certámina pietátis accíngant?

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea.

Lectio vi

FUit illi corpus imbecíllum, et obnóxius sexus injúriæ; verúmtamen ómnium horum imbecillitátem advéniens grátia occultávit. Nihil enim est, nihil plane poténtius est eo, qui magno cum stúdio Deí timórem hábeat in mente defíxum; sed quamvis ignes, quamvis ferrum, quamvis béstias, quamvis áliud quidvis miséntur hostes, ómnia nullo negótio contémnit; quod útique Beáta ísta étiam fecit.

℟. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo : * Múlier timens Deum, ipsa laudábitur. ℣. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus. — Múlier. Glória Patri. Múlier timens Deum, ipsa laudábitur.

Commune Dedicationis Ecclesiæ

IN I VESPERIS

Ant. Domum tuam, Dómine, * decet sanctitúdo in longitúdinem diérum.

Psalmus 109

IXit Dóminus Dómino meo : * Sede a dextris meis :

Donec ponam inimícos tuos, * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion : * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum : * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, et non pænitébit eum : * Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

Dóminus a dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruinas : * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet : * proptérea exaltábit caput.

Ant. Domum tuam, Dómine, decet sanctitúdo in longitúdinem diérum.

Ant. Domus mea * domus oratiónis vocábitur.

Psalmus 110

CONfitébor tibi, Dómine, in toto corde meo : * in consílio justórum, et congregatióne.

Magna ópera Dómini : * exquisíta in omnes voluntátes ejus.

Conféssio et magnificéntia opus ejus : * et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Memóriam fecit mirabílium suórum, miséricors et miserátor Dóminus : * escam dedit timéntibus se.

Memor erit in sæculum testaménti sui : * virtútem óperum suórum annuntiábit pópulo suo :

Ut det illis hereditátem géntium : * ópera mánuum ejus véritas, et judícium.

Fidélia ómnia mandáta ejus : confirmáta in sæculum sæculi, * facta in veritáte et æquitáte.

Redemptiónem misit pópulo suo : * mandávit in ætérnum testaméntum suum.

Sanctum, et terribile nomen ejus : * inítium sapiéntiæ timor Dómini.

Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum : * laudátio ejus manet in sæculum sæculi.

Ant. Domus mea domus oratiónis vocábitur.

Ant. Hæc est domus Dómini * firmiter ædificáta, bene fundáta est supra firmam petram.

Psalmus 111

BEátus vir, qui timet Dóminum : * in mandátis ejus volet nimis.

Potens in terra erit semen ejus : * generátio rectórum benedicétur.

Glória, et divitiæ in domo ejus : * et justitia ejus manet in sæculum sæculi.

Exórtum est in ténebris lumen rectis : * miséricors, et miserátor, et justus.

Jucúndus homo qui miserétur et cómmodat, dispónet sermónes suos in judicio : * quia in ætérnum non commovébitur.

In memória ætérna erit justus : * ab auditióne mala non timébit.

Parátum cor ejus speráre in Dómino, confirmátum est cor ejus : * non commovébitur donec despíciat inimicos suos.

Dispérsit, dedit paupéribus : justitia ejus manet in sæculum sæculi, * cornu ejus exaltábitur in glória.

Peccátor vidébit, et irascétur, déntibus suis fremet et tabéscet : * desidérium peccatórum peribit.

Ant. Hæc est domus Dómini firmiter ædificáta, bene fundáta est supra firmam petram.

Ant. Bene fundáta est * domus Dómini supra firmam petram.

Psalmus 112

LAudáte, púeri, Dóminum : * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedictum, * ex hoc nunc, et usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes gentes Dóminus, * et super cælos glória ejus.

Quis sicut Dóminus, Deus noster, qui in altis hábitat, * et humília réspicit in cælo et in terra?

Súscitans a terra ínopem, * et de stércore érigens páuperem :

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum lætántem.

Ant. Bene fundáta est domus Dómini supra firmam petram.

Ant. Lápides pretiósi * omnes muri tui, et turres Jerúsalem gemmis ædificabúntur.

Psalmus 147

LAuda, Jerúsalem, Dóminum : * lauda Deum tuum, Sion.

Quóniam confortávit seras portárum tuárum : * benedíxit fíliis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pacem : * et ádipe fruménti sátiat te.

Qui emíttit elóquium suum terræ : * velóciter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam : * nébulam sicut cinerem spargit.

Mittit crystállum suam sicut buccéllas : * ante fáciem frígoris ejus quis sustinébit?

Emíttet verbum suum, et liquefáciet ea : * flabit spíritus ejus, et fluent aquæ.

Qui annúntiat verbum suum Jacob : * justítias, et judícia sua Israël.

Non fecit táliter omni natióni : * et judícia sua non manifestávit eis.

Ant. Lápides pretiósi omnes muri tui, et turres Jerúsalem gemmis ædificabúntur.

Capitulum Apoc. 21, 2

VIdi civitátem sanctam, Jerúsalem novam, descendéntem de cælo a Deo, parátam sicut sponsam ornátam viro suo.

Hymnus

CÆléstis urbs Jerúsalem,
Beáta pacis vísio,
Quæ celsa de vivéntibus
Saxis ad astra tólleris,
Sponsæque ritu cíngeris
Mille Angelórum míllibus.

O sorte nupta próspera,
Dotáta Patris glória,
Respérsa Sponsi grátia,
Regína formosíssima,
Christo jugáta Príncipi,
Cæli corúsca cívitas.

Hic margarítis émicant
Paténtque cunctis óstia;
Virtúte namque prævia
Mortális illuc dúcitur,
Amóre Christi pércitus
Torménta quisquis sústinet.

Scalpri salúbris íctibus
Et tunsióne plúrima,
Fabri políta málleo
Hanc saxa molem cónstruunt,
Aptísque juncta néxibus
Locántur in fastígio.

Decus Parénti débitum
Sit usquequáque Altíssimo,

Natóque Patris único,
Et ínclito Paráclito,
Cui laus, potéstas, glória
Ætérna sit per sæcula.
Amen.

℣. Hæc est domus Dómini fírmiter ædificáta. ℟. Bene fundáta est supra firmam petram.

Ad Magnif. Ant. Sanctificávit Dóminus * tabernáculum suum : quia hæc est domus Dei, in qua invocábitur nomen ejus, de quo scriptum est : Et erit nomen meum ibi, dicit Dóminus.

In II Vesperis

℣. Domum tuam, Dómine, decet sanctitúdo. ℟. In longitúdinem diérum.

Ad Magnif. Ant. O quam metuéndus est * locus iste : vere non est hic áliud, nisi domus Dei et porta cæli.

In Anniversario Dedicationis Ecclesiæ :

Oratio

DEus, qui nobis per síngulos annos hujus sancti templi tui consecratiónis réparas diem, et sacris semper mystériis repræséntas incólumes : exáudi preces pópuli tui, et præsta; ut, quisquis hoc templum benefícia petitúrus ingréditur, cuncta se impetrásse lætétur. Per Dóminum.

In ipso die Dedicationis Ecclesiæ et per Octavam, et quando varianda est Oratio, dicitur sequens

Oratio

DEus, qui invisibíliter ómnia cóntines, et tamen pro salúte géneris humáni signa tuæ poténtiæ visibíliter osténdis : templum hoc poténtia tuæ inhabitatiónis illústra, et concéde; ut omnes, qui huc deprecatúri convéniunt, ex quacúmque tribulatióne ad te clamáverint, consolatiónis tuæ benefícia consequántur. Per Dóminum.

Completorium de Dominica.

AD MATUTINUM

Invitat. Domum Dei decet sanctitúdo : * Sponsum ejus Christum adorémus in ea. Ps. 94 Veníte, exsultémus.

Hymnus Cæléstis urbs, ut supra. [142]

In I Nocturno

Ant. Tóllite portas, * príncipes, vestras, et elevámini, portæ ætemáles.

Psalmus 23

Omini est terra, et plenitúdo ejus : * orbis terrárum, et univérsi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum : * et super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus et mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino : * et misericórdiam a Deo, salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini, portæ æternáles : * et introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus fortis et potens : Dóminus potens in prœlio.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini, portæ æternáles : * et introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est Rex glóriæ.

Ant. Tóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini, portæ æternáles.

Ant. Erit mihi Dóminus * in Deum, et lapis iste vocábitur domus Dei.

Psalmus 45

DEus noster refúgium, et virtus : * adjútor in tribulatiónibus, quæ invenérunt nos nimis.

Proptérea non timébimus dum turbábitur terra : * et transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt, et turbátæ sunt aquæ eórum : * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei : * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus in médio ejus, non commovébitur : * adjuvábit eam Deus mane dilúculo.

Conturbátæ sunt gentes, et inclináta sunt regna : * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * suscéptor noster Deus Jacob.

Venite, et vidéte ópera Dómini, quæ pósuit prodígia super terram : * áuferens bella usque ad finem terræ.

Arcum cónteret, et confrínget arma : * et scuta combúret igni.

Vacáte, et vidéte quóniam ego sum Deus : * exaltábor in géntibus, et exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * suscéptor noster Deus Jacob.

Ant. Erit mihi Dóminus in Deum, et lapis iste vocábitur domus Dei.

Ant. Ædificávit * Móyses altáre Dómino Deo.

Psalmus 47

MAgnus Dóminus, et laudábilis nimis * in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus.

Fundátur exsultatióne univérsæ terræ mons Sion, * látera Aquilónis, cívitas Regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoscétur, * cum suscípiet eam.

Quóniam ecce reges terræ congregáti sunt : * convenérunt in unum.

Ipsi vidéntes sic admiráti sunt, conturbáti sunt, commóti sunt : * tremor apprehéndit eos.

Ibi dolóres ut parturiéntis : * in spíritu veheménti cónteres naves Tharsis.

Sicut audívimus, sic vídimus in civitáte Dómini virtútum, in civitáte Dei nostri : * Deus fundávit eam in ætérnum.

Suscépimus, Deus, misericórdiam tuam, * in médio templi tui.

Secúndum nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terræ : * justítia plena est déxtera tua.

Lætétur mons Sion, et exsúltent fíliæ Judæ * propter judícia tua, Dómine.

Circúmdate Sion, et complectímini eam : * narráte in túrribus ejus.

Pónite corda vestra in virtúte ejus : * et distribúite domos ejus, ut enarrétis in progénie áltera.

Quóniam hic est Deus, Deus noster in ætérnum, et in sæculum sæculi : * ipse reget nos in sæcula.

Ant. Ædificávit Móyses altáre Dómino Deo.

℣. Domum tuam, Dómine, decet sanctitúdo. ℟. In longitúdinem diérum.

Absolutio Exáudi, Dómine.

Benedictio Benedictióne.

De libro secúndo Paralipómenon

Lectio i Cap. 7, 1-16

UM complésset Sálomon fundens preces, ignis descéndit de cælo, et devorávit holocáusta et víctimas : et majéstas Dómini implévit domum. Nec póterant sacerdótes ingredi templum Dómini, eo quod implésset majéstas Dómini templum Dómini. Sed et omnes fílii Israël vidébant descendéntem ignem, et glóriam Dómini super domum : et corruéntes proni in terram super paviméntum stratum lápide, adoravérunt et laudavérunt Dóminum : Quóniam bonus, quóniam in sæculum misericórdia ejus. Rex autem et omnis pópulus immolábant víctimas coram Dómino. Mactávit ígitur rex Sálomon hóstias, boum vigínti duo míllia, aríetum centum vigínti míllia : et dedicávit domum Dei rex et univérsus pópulus.

℟. In dedicatióne templi decantábat pópulus laudem : * Et in ore eórum dulcis resonábat sonus. ℣. Fundáta est domus Dómini supra vérticem móntium, et exaltáta est super omnes colles : * Et vénient ad eam omnes gentes, et dicent : Glória tibi, Dómine. ℣. Veniéntes autem vénient cum exsultatióne, portántes manípulos suos. — Et.

Benedictio Unigénitus Dei.

Lectio ii

SAcerdótes autem stabant in offíciis suis, et Levítæ in órganis cárminum Dómini, quæ fecit David rex ad laudándum Dóminum : Quóniam in ætérnum misericórdia ejus; hymnos David caléntes per manus suas : porro sacerdótes canébant tubis ante eos, cunctúsque Israël stabat. Sanctificávit quoque Sálomon médium átrii ante templum Dómini; obtúlerat enim ibi holocáusta, et ádipes pacificórum : quia altáre æneum, quod fécerat, non póterat sustinére holocáusta et sacrifícia et ádipes. Fecit ergo Sálomon solemnitátem in témpore illo septem diébus, et omnis Israël cum eo, ecclésia magna valde ab intróitu Emath usque ad Torréntem Ægýpti. Fecítque die octávo colléctam, eo quod dedicásset altáre septem diébus, et solemnitátem celebrásset diébus septem.

℟. Fundáta est domus Dómini supra vérticem móntium, et exaltáta est super omnes colles : * Et vénient ad eam omnes gentes, et dicent : Glória tibi, Dómine. ℣. Veniéntes autem vénient cum exsultatióne, portántes manípulos suos. — Et.

Benedictio Spíritus Sancti.

Lectio iii

COmplevítque Sálomon domum Dómini, et domum regis, et ómnia quæ disposúerat in corde suo, ut fáceret in domo Dómini et in domo sua, et prosperátus est. Appáruit autem ei Dóminus nocte, et ait : Audívi oratiónem tuam, et elégi locum istum mihi in domum sacrifícii. Si cláusero cælum, et plúvia non flúxerit, et mandávero et præcépero locústæ, ut dévoret terram, et mísero pestiléntiam in pópulum meum : convérsus autem pópulus meus, super quos invocátum est nomen meum, deprecátus me fúerit, et exquisíerit fáciem meam, et égerit pæniténtiam a viis suis péssimis : et ego exáudiam de cælo, et propítius ero peccátis eórum, et sanábo terram eórum. Oculi quoque mei

erunt apérti, et aures meæ eréctæ ad oratiónem ejus qui in loco isto oráverit. Elégi enim et sanctificávi locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempitérnum, et permáneant óculi mei et cor meum ibi cunctis diébus.

℟. Bénedic, Dómine, domum istam, quam ædificávi nómini tuo : veniéntium in loco isto, * Exáudi preces in excélso sólio glóriæ tuæ. ℣. Dómine, si convérsus fúerit pópulus tuus, et oráverit ad sanctuárium tuum. — Exáudi. Glória Patri. Exáudi.

In II Nocturno

Ant. Non est hic áliud, * nisi domus Dei et porta cæli.

Psalmus 83

QUam dilécta tabernácula tua, Dómine virtútum : * concupíscit, et déficit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum, et caro mea * exsultavérunt in Deum vivum.

Etenim passer invénit sibi domum : * et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altária tua, Dómine virtútum : * Rex meus, et Deus meus.

Beáti, qui hábitant in domo tua, Dómine : * in sæcula sæculórum laudábunt te.

Beátus vir, cujus est auxilium abs te : * ascensiónes in corde suo dispósuit, in valle lacrimárum in loco, quem pósuit.

Etenim benedictiónem dabit legislátor, ibunt de virtúte in virtútem : * vidébitur Deus deórum in Sion.

Dómine, Deus virtútum, exáudi oratiónem meam :* áuribus pércipe, Deus Jacob.

Protéctor noster, áspice, Deus : * et réspice in fáciem Christi tui :

Quia mélior est dies una in átriis tuis, * super míllia.

Elégi abjéctus esse in domo Dei mei : * magis quam habitáre in tabernáculis peccatórum.

Quia misericórdiam, et veritátem díligit Deus : * grátiam et glóriam dabit Dóminus.

Non privábit bonis eos, qui ámbulant in innocéntia : * Dómine virtútum, beátus homo, qui sperat in te.

Ant. Non est hic áliud, nisi domus Dei et porta cæli.

Ant. Vidit Jacob scalam, * súmmitas ejus cælos tangébat, et descendéntes Angelos, et dixit : Vere locus iste sanctus est.

Psalmus 86

FUndaménta ejus in móntibus sanctis : * díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob.

Gloriósa dicta sunt de te, * cívitas Dei.

Memor ero Rahab, et Babylónis * sciéntium me.

Ecce alienígenæ, et Tyrus, et pópulus Æthiópum, * hi fuérunt illic.

Numquid Sion dicet : Homo, et homo natus est in ea : * et ipse fundávit eam Altíssimus?

Dóminus narrábit in scriptúris populórum, et príncipum : * horum, qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium ómnium * habitátio est in te.

Ant. Vidit Jacob scalam, súmmitas ejus cælos tangébat, et descendéntes Angelos, et dixit : Vere locus iste sanctus est.

Ant. Eréxit Jacob * lápidem in títulum, fundens óleum désuper.

Psalmus 87

DOmine, Deus salútis meæ : * in die clamávi, et nocte coram te.

Intret in conspéctu tuo orátio mea : * inclína aurem tuam ad precem meam :

Quia repléta est malis ánima mea : * et vita mea inférno appropinquávit.

Æstimátus sum cum descendéntibus in lacum : * factus sum sicut homo sine adjutório, inter mórtuos liber.

Sicut vulneráti dormiéntes in sepúlcris, quorum non es memor ámplius : * et ipsi de manu tua repúlsi sunt.

Posuérunt me in lacu inferióri : * in tenebrósis, et in umbra mortis.

Super me confirmátus est furor tuus : * et omnes fluctus tuos induxísti super me.

Longe fecísti notos meos a me : * posuérunt me abominatiónem sibi.

Tráditus sum, et non egrediébar : * óculi mei languérunt præ inópia.

Clamávi ad te, Dómine, tota die : * expándi ad te manus meas.

Numquid mórtuis fácies mirabília : * aut médici suscitábunt, et confitebúntur tibi?

Numquid narrábit áliquis in sepúlcro misericórdiam tuam, * et veritátem tuam in perditióne?

Numquid cognoscéntur in ténebris mirabília tua, * et justítia tua in terra oblivióni?

Et ego ad te, Dómine, clamávi : * et mane orátio mea prævéniet te.

Ut quid, Dómine, repéllis oratiónem meam : * avértis fáciem tuam a me?

Pauper sum ego, et in labóribus a juventúte mea :* exaltátus autem, humiliátus sum et conturbátus.

In me transiérunt iræ tuæ : * et terróres tui conturbavérunt me.

Circumdedérunt me sicut aqua tota die : * circumdedérunt me simul.

Elongásti a me amícum et próximum : * et notos meos a miséria.

Ant. Eréxit Jacob lápidem in títulum, fundens óleum désuper.

℣. Domus mea. ℟. Domus oratiónis vocábitur.

Absolutio Ipsíus píetas.
Benedictio Deus Pater.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi

Sermo 252 de Tempore

Lectio iv

QUotiescúmque, fratres caríssimi, altáris vel templi festivitátem cólimus, si fidéliter ac diligénter atténdimus et sancte ac juste vívimus, quidquid in templis manufáctis ágitur, totum in nobis spirituáli ædificatióne complétur. Non enim mentítus est ille, qui dixit : Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos; et íterum : Nescítis, quia córpora vestra templum sunt Spíritus Sancti, qui in vobis est? Et ídeo, fratres caríssimi, quia, nullis præcedéntibus méritis, per grátiam Dei merúimus fíeri templum Dei, quantum póssumus, cum ipsíus adjutório laborémus, ne Dóminus noster in templo suo, hoc est, in nobis ipsis, invéniat quod óculos suæ majestátis offéndat.

℟. Oránti bus in loco isto, * Dimítte peccáta pópuli tui, Deus, et osténde eis viam bonam, per quam ámbulent, et da glóriam in loco isto. ℣. Qui regis Israël, inténde, qui dedúcis velut ovem Joseph, qui sedes super Chérubim. — Dimítte.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

SED habitáculum cordis nostri evacuétur vítiis, et virtútibus repleátur; claudátur diábolo, et aperiátur Christo. Et ita laborémus, ut nobis bonórum óperum clávibus jánuam regni cæléstis aperíre possímus. Sicut enim malis opéribus, quasi quibúsdam seris ac véctibus, vitæ nobis jánua cláuditur : ita, absque dúbio, bonis opéribus aperítur. Et ídeo, fratres caríssimi, unusquísque consíderet conscientiam suam, et, quando se áliquo crímine vul-

nerátum esse cognóverit, prius oratiónibus, jejúniis vel eleemósynis stúdeat mundáre consciéntiam suam; et sic Eucharístiam præsúmat accípere.

℟. O quam metuéndus est locus iste : * Vere non est hic áliud, nisi domus Dei et porta cæli. ℣. Hæc est domus Dómini fírmiter ædificáta, bene fundáta est supra firmam petram. — Vere.

Bened. Ignem sui amóris.

Lectio vi

SI enim, agnóscens reátum suum, ipse se a divíno altári subtráxerit, cito ad indulgéntiam divínæ misericórdiæ pervéniet. Quia sicut, qui se exáltat, humiliábitur : ita, e contrário, qui se humíliat, exaltábitur. Qui enim, sicut dixi, agnóscens reátum suum, ipse se humíliter ab altári Ecclésiæ pro emendatióne vitæ removére volúerit, ab ætérno illo et cælésti convívio excommunicári pénitus non timébit.

℟. Mane surgens Jacob erigébat lápidem in títulum, fundens óleum désuper; votum vovit Dómino : * Vere locus iste sanctus est, et ego nesciébam. ℣. Cumque evigilásset Jacob de somno, ait. — Vere. Glória Patri. Vere.

In III Nocturno

Ant. Qui hábitat * in adjutório Altíssimi, in protectióne Dei cæli commorábitur.

Quando hæc Antiphona dicitur integra, tunc incipitur Psalmus idem a secundo Versu : Dicet Dómino.

Psalmus 90

QUI hábitat in adjutório Altíssimi, * in protectióne Dei cæli commorábitur.

DIcet Dómino : Suscéptor meus es tu, et refúgium meum : * Deus meus, sperábo in eum.

Quóniam ipse liberávit me de láqueo venántium, * et a verbo áspero.

Scápulis suis obumbrábit tibi : * et sub pennis ejus sperábis.

Scuto circúmdabit te véritas ejus : * non timébis a timóre noctúrno.

A sagítta volánte in die, a negótio perambulánte in ténebris : * ab incúrsu, et dæmónio meridiáno.

Cadent a látere tuo mille, et decem míllia a dextris tuis : * ad te autem non appropinquábit.

Verúmtamen óculis tuis considerábis : * et retributiónem peccatórum vidébis.

Quóniam tu es, Dómine, spes mea : * Altíssimum posuísti refúgium tuum.

Non accédet ad te malum : * et flagéllum non appropinquábit tabernáculo tuo.

Quóniam Angelis suis mandávit de te : * ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

In mánibus portábunt te : * ne forte offéndas ad lápidem pedem tuum.

Super áspidem, et basilíscum ambulábis : * et conculcábis leónem et dracónem.

Quóniam in me sperávit liberábo eum : * prótegam eum, quóniam cognóvit nomen meum.

Clamábit ad me, et ego exáudiam eum : * cum ipso sum in tribulatióne : erípiam eum et glorificábo eum.

Longitúdine diérum replébo eum : * et osténdam illi salutáre meum.

Ant. Qui hábitat in adjutório Altíssimi, in protectióne Dei cæli commorábitur.

Ant. Templum Dómini * sanctum est, Dei structúra est, Dei ædificátio est.

Psalmus 95

CAntáte Dómino cánticum novum : * cantáte Dómino, omnis terra.

Cantáte Dómino, et benedícite nómini ejus : * annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus.

Quóniam magnus Dóminus, et laudábilis nimis : * terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii géntium dæmónia : * Dóminus autem cælos fecit.

Conféssio, et pulchritúdo in conspéctu ejus : * sanctimónia et magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afférte Dómino, pátriæ géntium, afférte Dómino glóriam et honórem : * afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, et introíte in átria ejus : * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur a fácie ejus univérsa terra : * dícite in géntibus quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terræ qui non commovébitur : * judicábit pópulos in æquitáte.

Læténtur cæli, et exsúltet terra : commoveátur mare, et plenitúdo ejus : * gaudébunt campi, et ómnia quæ in eis sunt.

Tunc exsultábunt ómnia ligna silvárum a fácie Dómini, quia venit : * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte, * et pópulos in veritáte sua. Gl.

Ant. Templum Dómini sanctum est, Dei structúra est, Dei ædificátio est.

Ant. Benedícta * glória Dómini, de loco sancto suo, allelúja.

Psalmus 98

DOminus regnávit, irascántur pópuli : * qui sedet super Chérubim, moveátur terra.

Dóminus in Sion magnus : * et excélsus super omnes pópulos.

Confiteántur nómini tuo magno : quóniam terríbile, et sanctum est : * et honor regis judícium díligit.

Tu parásti directiónes : * judícium et justítiam in Jacob tu fecísti.

Exaltáte Dóminum, Deum nostrum, et adoráte scabéllum pedum ejus : * quóniam sanctum est.

Móyses et Aaron in sacerdótibus ejus : * et Sámuel inter eos, qui invocant nomen ejus :

Invocábant Dóminum, et ipse exaudiébat eos : * in colúmna nubis loquebátur ad eos.

Custodiébant testimónia ejus, * et præcéptum quod dedit illis.

Dómine, Deus noster, tu exaudiébas eos : * Deus, tu propítius fuísti eis, et ulciscens in omnes adinventiónes eórum.

Exaltáte Dóminum, Deum nostrum, et adoráte in monte sancto ejus : * quóniam sanctus Dóminus, Deus noster.

Ant. Benedícta glória Dómini, de loco sancto suo, allelúja.

℣. Hæc est domus Dómini fírmiter ædificáta. ℟. Bene fundáta est supra firmam petram.

Absolutio A vínculis.

Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 19, 1-10

IN illo témpore : Ingrédiens Jesus perambulábat Jéricho. Et ecce vir nómine Zachæus : et hic princeps erat publicanórum, et ipse dives. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi

Liber 8 in Luc., prope finem

ZAchæus, statúra pusíllus, hoc est, nulla nobilitátis ingénitæ dignitáte sublímis, exíguus méritis sicut pópulus natiónum, audíto Dómini Salvatóris advéntu, quem sui non recéperant, vidére cupiébat. Sed nemo fácile Jesum videt; nemo potest Jesum vidére constitútus in terra. Et, quia non Prophétas, non Legem habébat, tamquam formæ grátiam naturális, ascéndit

in sycómorum, vanitátem scílicet Judæórum vestígio suo próterens, erráta quoque córrigens superióris ætátis. Et ídeo Jesum in interióris domus recépit hospítio.

℟. Domus mea domus oratiónis vocábitur, dicit Dóminus : in ea omnis qui petit, áccipit; et qui quærit, ínvenit; * Et pulsánti aperiétur. ℣. Pétite, et accipiétis; quærite, et inveniétis. — Et.

Bened. Divínum auxílium.

Lectio viii

ET bene ascéndit in árborem, ut arbor bona bonos fructus fáceret, ac, naturáli excísus oleástro et contra natúram insértus in bonam olívam, fructum posset Legis afférre. Radix enim sancta, etsi rami inútiles. Quorum infructuósam glóriam plebs géntium, fide resurrectiónis, quasi quadam córporis elevatióne, transcéndit. Zachæus ergo in sycómoro, cæcus in via : quorum álterum Dóminus miseratúrus exspéctat, álterum mansiónis suæ claritáte nobílitat; álterum sanatúrus intérrogat, apud álterum se, non invitátus, invítat. Sciébat enim úberem hospítii sui esse mercédem. Sed tamen, etsi nondum vocem invitántis audíerat, jam víderat affé-ctum.

℟. Lápides pretiósi omnes muri tui, * Et turres Jerúsalem gemmis ædificabúntur. ℣. Portæ Jerúsalem ex sapphíro et smarágdo ædificabúntur, et ex lápide pretióso omnis circúitus muri ejus. — Et. Glória Patri. Et.

Benedictio Ad societátem.

Lectio ix

VErum, ne cæcum illum, tamquam fastidiósi páuperum, cito reliquísse videámur et transísse ad dívitem, exspectémus eum, quia exspectávit et Dóminus; interrogémus eum, quia interrogávit et Christus. Nos interrogémus, quia nescímus : ille, quia nóverat. Nos interrogémus, ut sciámus unde iste curátus sit : ille interrogávit, ut in uno plures discerémus unde Dóminum vidére mereámur. Interrogávit enim, ut crederémus, néminem, nisi confiténtem, posse salvári. Te Deum laudámus.

AD LAUDES

et per Horas, Añæ

1 Domum tuam, Dómine, * decet sanctitúdo in longitúdinem diérum.

Psalmi de Dominica.

2 Domus mea * domus oratiónis vocábitur.

3 Hæc est domus Dómini * firmiter ædificáta, bene fundáta est supra firmam petram.

4 Bene fundáta est * domus Dómini supra firmam petram.

5 Lápides pretiósi * omnes muri tui, et turres Jerúsalem gemmis ædificabúntur.

Capitulum Apoc. 21, 2

VIdi civitátem sanctam, Jerúsalem novam, descendéntem de cælo a Deo, parátam sicut sponsam ornátam viro suo.

Hymnus

ALto ex Olýmpi vértice
Summi Paréntis Fílius,
Ceu monte deséctus lapis
Terras in imas décidens,
Domus supérnæ et ínfimæ
Utrúmque junxit ángulum.

Sed illa sedes cælitum
Semper resúltat láudibus,
Deúmque trinum et únicum
Jugi canóre prædicat :
Illi canéntes júngimur
Almæ Siónis æmuli.

Hæc templa, Rex cæléstium,
Imple benígno lúmine :
Huc, o rogátus, ádveni,
Plebísque vota súscipe,
Et nostra corda júgiter
Perfúnde cæli grátia.

Hic ímpetrent fidélium
Voces precésque súpplicum
Domus beátæ múnera,
Partísque donis gáudeant :
Donec, solúti córpore,
Sedes beátas ímpleant.

Decus Parénti débitum
Sit usquequáque Altíssimo,
Natóque Patris único,
Et ínclyto Paráclito,
Cui laus, potéstas, glória
Ætérna sit per sæcula.
Amen.

℣. Hæc est domus Dómini fírmiter ædificáta. ℟. Bene fundáta est supra firmam petram.

Ad Bened. Ant. Zachæe, * festínans descénde, quia hódie in domo tua opórtet me manére. At ille festínans descéndit, et suscépit illum gaudens in domum suam. Hódie huic dómui salus a Deo facta est, allelúja.

In Anniversario Dedicationis Ecclesiæ :

Oratio

DEus, qui nobis per síngulos annos hujus sancti templi tui consecratiónis réparas diem, et sacris semper mystériis repræséntas incólumes : exáudi preces pópuli tui, et præsta; ut, quisquis hoc templum benefícia petitúrus ingréditur, cuncta se impetrásse lætétur. Per Dóminum.

In ipso die Dedicationis Ecclesiæ et per Octavam, et quando varianda est Oratio, dicitur sequens

Oratio

DEus, qui invisibíliter ómnia cóntines, et tamen pro salúte géneris humáni signa tuæ poténtiæ visibíliter osténdis : templum hoc poténtia tuæ inhabitatiónis illústra, et concéde; ut omnes, qui huc deprecatúri convéniunt, ex quacúmque tribulatióne ad te clamáverint, consolatiónis tuæ benefícia consequántur. Per Dóminum.

Ad Horas Psalmi de Dominica, ad Primam tamen ut in Festis.

AD PRIMAM

Ant. Domum tuam, Dómine, * decet sanctitúdo in longitúdinem diérum.

Capit. Vidi civitátem. [154]

℟. br. Domum tuam, Dómine, * Decet sanctitúdo. Domum. ℣. In longitúdinem diérum. Decet. Glória Patri. Domum. ℣. Locus iste sanctus est, in quo orat sacérdos. ℟. Pro delíctis et peccátis pópuli.

AD TERTIAM

Ant. Domus mea * domus oratiónis vocábitur.

Capit. Vidi civitátem.

℟. br. Hæc est domus Dómini * Fírmiter ædificáta. Hæc. ℣. Bene fundáta est supra firmam petram. Fírmiter. Glória Patri. Hæc. ℣. Bene fundáta est domus Dómini. ℟. Supra firmam petram.

AD SEXTAM

Capitulum Apoc. 21, 3

ET audívi vocem magnam de throno dicéntem : Ecce tabernáculum Dei cum homínibus, et habitábit cum eis; et ipsi pópulus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eórum Deus.

℟. br. Locus iste sanctus est, * In quo orat sacérdos. Locus. ℣. Pro delíctis et peccátis pópuli. In. Glória Patri. Locus. ℣. Hæc est domus Dómini fírmiter ædificáta. ℟. Bene fundáta est supra firmam petram.

AD NONAM

Capitulum Apoc. 21, 4-5

ET abstérget Deus omnem lácrimam ab óculis eórum : et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abiérunt. Et dixit qui sedébat in throno : Ecce nova fácio ómnia.

℟. br. Hæc est domus Dómini * Fírmiter ædificáta. Hæc. ℣. Bene fundáta est supra firmam petram. Fírmiter. Glória Patri. Hæc. ℣. Bene fundáta est domus Dómini. ℟. Supra firmam petram.

IN II VESPERIS

Omnia ut in I Vesperis [140], præter

℣. Domum tuam, Dómine, decet sanctitúdo. ℟. In longitúdinem diérum.

Ad Magnif. Ant. O quam metuéndus est * locus iste : vere non est hic áliud, nisi domus Dei et porta cæli.

Completorium de Dominica. Infra Octavam et in die Octava Antiphonæ et Psalmi ad omnes Horas et Versus Nocturnorum de occurrenti hebdomadæ die, ut in Psalterio; reliqua ut in Festo præter Lectiones, quæ in I Nocturno dicuntur de Scriptura occurrenti cum suis Responsoriis de Tempore, in II et III pro singulis diebus assignantur propriæ.

DIE II INFRA OCTAVAM

Semiduplex

In II Nocturno

Ex Tractátu sancti Augustíni Epíscopi super Psalmos. In Psalm. 121

Lectio iv

Erúsalem, quæ ædificátur ut cívitas. Fratres, quando dicébat ista David, perfécta erat illa cívitas, non ædificabátur. Néscio quam ergo civitátem dicit, quæ modo ædificátur, ad quam currunt in fide lápides vivi; de quibus dicit Petrus : Et vos tamquam lápides vivi coædificámini in domum spiritálem, id est, templum Dei sanctum. Quid est, Lápides vivi coædificámini? Vivis, si credis : si autem credis, efficiéris templum Dei; quia dicit Apóstolus Paulus : Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.

℟. Oránti bus in loco isto, * Dimítte peccáta pópuli tui, Deus, et osténde eis viam bonam, per quam ámbulent, et da glóriam in loco isto. ℣. Qui regis Israël, inténde, qui dedúcis velut ovem Joseph, qui sedes super Chérubim. — Dimítte.

Lectio v

Ipsa ergo modo cívitas ædificátur. Præcidúntur de móntibus lápides per manus prædicántium veritátem, conquadrántur, ut intrent in structúram sempitérnam. Adhuc multi lápides in mánibus artíficis sunt : non cadant de mánibus artíficis, ut possint perfécti coædificári in structúram templi. Est ergo ista Jerúsalem, quæ ædificátur ut cívitas; fundaméntum ipsíus Christus est. Dicit Apóstolus Paulus : Fundaméntum áliud

nemo potest pónere præter id quod pósitum est, quod est Christus Jesus.

℟. O quam metuéndus est locus iste : * Vere non est hic áliud, nisi domus Dei et porta cæli. ℣. Hæc est domus Dómini fírmiter ædificáta, bene fundáta est supra firmam petram. — Vere.

Lectio vi

Fundaméntum quando pónitur in terra, désuper ædificántur paríetes; et pondus paríetum ad ima tendit, quia in imo pósitum est fundaméntum. Si autem fundaméntum nostrum in cælo est, ad cælum ædificémur. Córpora ædificavérunt istam structúram, quam vidétis amplam surrexísse hujus basílicæ; et quia córpora ædificavérunt, fundaméntum in imo posuérunt. Quia vero spiritáliter ædificámur, fundaméntum nostrum in summo pósitum est. Illuc ergo currámus, ibi ædificémur, quia de ipsa Jerúsalem dictum est : Stantes erant pedes nostri in átriis tuis, Jerúsalem.

℟. Mane surgens Jacob erigébat lápidem in titulum, fundens óleum désuper; votum vovit Dómino : * Vere locus iste sanctus est, et ego nesciébam.

℣. Cumque evigilásset Jacob de somno, ait. — Vere. Glória Patri. Vere.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 19, 1-10

In illo témpore : Ingréssus Jesus perambulábat Jéricho. Et ecce vir nómine Zachæus : et hic princeps erat publicanórum, et ipse dives. Et réliqua.

De Homília sancti Ambrósii Epíscopi

Liber 8 in Lucam, in fine

Et conféstim, inquit, vidit, et sequebátur illum, magníficans Dóminum. Aliter enim non vidéret, nisi sequerétur Christum, nisi Dóminum prædicáret, nisi sæculum præteríret. Cum divítibus quoque in grátiam revertámur. Nólumus enim offéndere dívites, qui vólumus, si fieri potest, sanáre omnes; ne in caméli comparatióne præstricti et in Zachæo cítius quam opórtuit, derelícti, justæ hábeant commotiónis offénsam.

℟. Domus mea domus oratiónis vocábitur, dicit Dóminus : in ea omnis qui petit, áccipit; et qui quærit, ínvenit; * Et pulsánti aperiétur. ℣. Pétite, et

accipiétis; quærite, et inveniétis. — Et pulsánti aperiétur.

Lectio viii

Discant dívites non in facultátibus crimen hærére, sed in iis, qui uti nésciant facultátibus. Nam divítiæ ut impedimenta ímprobis, ita bonis sunt adjumenta virtútis. Dives certe Zachæus, et eléctus a Christo; sed dimidium bonórum suórum paupéribus largiéndo, redděndo étiam in quádruplum, quæ fraude sustúlerat (álterum enim non sat est nec habet grátiam liberálitas, si injúria persevérat; quia non spólia, sed bona quærúntur), uberiórem mercédem quam conferébat, accépit.

℟. Lápides pretiósi omnes muri tui, * Et turres Jerúsalem gemmis ædificabúntur. ℣. Portæ Jerúsalem ex sapphíro et smarágdo ædificabúntur, et ex lápide pretióso omnis circúitus muri ejus. — Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix

Et bene princeps indúcitur publicanórum. Quis jam de se despéret, quando et iste, cui census ex fraude, ad salútem pervénit? Et ipse, inquit, dives. Ut scias non omnes dívites, avaros. Quia statúra pusíllus erat. Quid sibi vult, quod nullíus altérius statúram Scriptúra, nisi hujus expréssit? Vide, ne forte malítia pusíllus, aut adhuc pusíllus fide. Nondum enim réddere promíserat, nondum víderat Christum; mérito adhuc pusíllus. Joánnes autem magnus, quia et Christum vidit, et Spíritum sicut colúmbam super Christum manéntem, sicut ipse ait : Vidi Spíritum descendéntem sicut colúmbam, et manéntem super eum.

Te Deum laudámus.

DIE III INFRA OCTAVAM

Semiduplex

In II Nocturno

Sermo sancti Augustíni Epíscopi

Sermo 256 de Tempore

Lectio iv

Elébritas hujus congregatiónis, dedicátio est domus oratiónis. Domus ergo nostrárum oratiónum ista, domus autem Dei nos ipsi. Si domus Dei nos ipsi, nos in hoc sæculo ædificámur, ut in fine sæculi dedicémur. Ædifícium, immo ædificátio habet labórem; dedicátio exsultatiónem. Quod hic fiébat, quando

ista surgébant; hoc fit modo, cum congregántur credéntes in Christum. Credéndo enim, quasi de silvis et móntibus ligna et lápides præcidúntur; cum vero catechizántur, baptizántur, formántur, tamquam inter manus fabrórum et opificum dolántur, collineántur, complanántur. Verúmtamen domum Dómini non fáciunt, nisi quando caritáte compaginántur.

℟. Orántibus in loco isto, * Dimítte peccáta pópuli tui, Deus, et osténde eis viam bonam, per quam ámbulent, et da glóriam in loco isto. ℣. Qui regis Israël, inténde, qui dedúcis velut ovem Joseph, qui sedes super Chérubim. — Dimitte.

Lectio v

Igna ista et lápides si non sibi certo órdine cohærérent, si non se pacifice innécterent, si non se invicem, cohæréndo sibi, quodámmodo amárent, nemo huc intráret. Dénique quando vides in áliqua fábrica lápides et ligna bene sibi cohærére, secúrus intras, ruinam non times. Volens ergo Dóminus Christus intráre, et in nobis habitáre, tamquam ædificándo dicébat : Mandátum novum do vobis, ut vos invicem diligátis. Mandátum, inquit, novum do vobis. Véteres enim erátis, domum mihi nondum faciebátis, in vestra ruína jacebátis. Ergo, ut eruámini a vestræ ruínæ vetustáte, vos invicem amáte.

℟. O quam metuéndus est locus iste : * Vere non est hic áliud, nisi domus Dei et porta cæli. ℣. Hæc est domus Dómini fírmiter ædificáta, bene fundáta est supra firmam petram. — Vere.

Lectio vi

Consíderet ergo cáritas vestra, ædificári adhuc istam domum totu, sicut prædictum est et promissum, orbe terrárum. Cum enim ædificátur domus post captivitátem, sicut habet álius Psálmus, dícitur : Cantáte Dómino cánticum novum : cantáte Dómino, omnis terra. Quod ibi dixit, Cánticum novum; hoc Dóminus dixit, Mandátum novum. Quid enim habet cánticum novum, nisi amórem novum? Cantáre amántis est. Vox hujus cantóris, fervor est sancti amóris. Amémus, gratis amémus; Dóminum enim amámus, quo nihil mélius invenímus : ipsum amémus propter ipsum, et nos in ipso, tamen propter ipsum.

℟. Mane surgens Jacob erigébat lápidem in títulum, fundens óleum désuper; votum vovit Dómino : * Vere locus iste sanctus est, et ego nesciébam. ℣. Cumque evigilásset Jacob de somno, ait. — Vere. Glória Patri. Vere.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 19, 1-10

In illo témpore : Ingréssus Jesus perambulábat Jéricho. Et ecce vir nómine Zachæus : et hic princeps erat publicanórum, et ipse dives. Et réliqua.

De Homília sancti Ambrósii Epíscopi

Liber 8 in Luc., prope finem

Quæ autem turba, nisi imperítæ confúsio multitúdinis, quæ vérticem nequit vidére sapiéntiæ? Ergo Zachæus quámdiu in turba est, non videt Christum; supra turbam ascéndit, et vidit : hoc est, plebis jam transgréssus inscítiam, méruit quem desiderábat, aspícere. Pulchre autem áddidit : Quia illa parte erat transitúrus Dóminus : vel ubi sycómorus, vel ubi creditúrus; ut et mystérium serváret, et grátiam semináret. Sic enim vénerat, ut per Judæos transíret ad gentes.

℟. Domus mea domus oratiónis vocábitur, dicit Dóminus : in ea omnis qui petit, áccipit; et qui quærit, ínvenit : * Et pulsánti aperiétur. ℣. Pétite, et accipiétis; quærite, et inveniétis. — Et.

Lectio viii

Vidit ítaque Zachæum sursum. Jam enim sublimitáte fídei inter fructus novórum óperum, velut fecúndæ altitúdine árboris, eminébat. Et quóniam de typo ad morália defléximus, inter tot credéntium voluptátes Domínica die relaxáre ánimum, festivitátem admiscére deléctat. Zachæus in sycómoro, novum vidélicet novi témporis pomum, ut in hoc quoque complerétur illud : Arbor fici produxit grossos suos.

℟. Lápides pretiósi omnes muri tui, * Et turres Jerúsalem gemmis ædificabúntur. ℣. Portæ Jerúsalem ex sapphíro et smarágdo ædificabúntur, et ex lápide pretióso omnis circúitus muri ejus. — Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix

Ad hoc enim Christus advénit, ut ex lignis non poma, sed hómines nascerántur. Légimus áli-

bi : Cum esses sub árbore fici, vidi te. Ergo Nathánaël sub árbore, hoc est, supra radícem, quia justus; radix enim sancta. Sub árbore tamen Nathánaël, quia sub lege : Zachæus supra árborem, quia supra legem. Ille Dómini occúltus defénsor, hic públicus prædicátor. Ille adhuc Christum ex lege quærébat : iste jam supra legem relinquébat sua et Dóminum sequebátur.

Te Deum laudámus.

DIE IV INFRA OCTAVAM

Semiduplex

In II Nocturno

De Sermóne sancti Augustíni Epíscopi

Sermo 256 de Tempore

Lectio iv

Atténdite in psalmo dedicatiónis, quem modo cantávimus, ex ruína ædificiórum. Conscidísti saccum meum : hoc pértinet ad ruínam. Quid ergo ad ædifícium? Et accinxísti me lætítia. Vox dedicatiónis : Ut cantet tibi glória mea, et non compúngar. Quis est, qui lóquitur? In verbis ejus agnóscite. Si expóno, obscúrum est. Ergo verba ejus dicam, contínuo agnoscétis loquéntem, ut amétis alloquéntem. Quis est, qui dícere pótuit : Eruísti, Dómine, ab ínferis ánimam meam?

℟. Orántibus in loco isto, * Dimítte peccáta pópuli tui, Deus, et osténde eis viam bonam, per quam ámbulent, et da glóriam in loco isto. ℣. Qui regis Israël, inténde, qui dedúcis velut ovem Joseph, qui sedes super Chérubim. — Dimítte.

Lectio v

Cujus ánima jam ab ínferis éruta est, nisi de qua dictum est álio loco : Non derelínques ánimam meam in inférno? Propónitur dedicátio, et cantátur liberátio, cánticum dedicatiónis domus, et dícitur : Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me : et non jucundásti inimicos meos super me. Atténdite Judæos inimícos, qui se putábant occidísse Christum, vicísse tamquam inimícum, perdidísse quasi hóminem céteris símilem atque mortálem.

℟. O quam metuéndus est locus iste : * Vere non est hic áliud, nisi domus Dei et porta cæli. ℣. Hæc est domus Dómini fírmiter ædificáta, bene fundáta est supra firmam petram. — Vere non est.

Lectio vi

RESurréxit tértia die, et ejus vox est : Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me. Atténdite Apóstolum dicéntem : Propter quod eum exaltávit. Et non jucundásti inimícos meos super me. Ipsi quidem in Christi morte jucundabántur, sed in ejus resurrectióne, ascensióne, prædicatióne áliqui compungebántur. In ejus ergo prædicatióne, et per Apostolórum constántiæ diffamatiónem áliqui compungebántur et convertebántur; áliqui obdurabántur et confundebántur; nulli tamen jucundabántur.

℟. Mane surgens Jacob erigébat lápidem in títulum, fundens óleum désuper; votum vovit Dómino : * Vere locus iste sanctus est, et ego nesciébam. ℣. Cumque evigilásset Jacob de somno ait. — Vere. Glória Patri. Vere.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 19, 1-10

IN illo témpore : Ingrédiens Jesus perambulábat Jéricho. Et ecce vir nómine Zachæus : et hic princeps erat publicanórum, et ipse dives. Et réliqua.

Homília sancti Máximi Epíscopi

Sermo 100, de Zachæo 1

PÉruit Zacháeus divítibus quibúsque cæléstem jánuam, dum eos dócuit hoc ipso pervenire ad regnum, quo arcebátur a regno; scílicet ut substántia, quæ eis exprobrabátur ad perníciem, proficeret ad salútem. Multum ergo Zacháeus divítibus cóntulit, ut eos fáceret in ætérnum suas divítias possidére, ut qui hic numquam páuperes fuérunt, nec essent in futúro mendíci, sed quadam lucratíva commutatióne recíperent pro parvis magna, pro terrénis cæléstia, pro temporálibus sempitérna. Lucratíva plane commutátio est nolle habére quod póssides, ut possis obtinére quod non habes, et jactúram fácere quamdam relinquéndæ pecúniæ, ut quæstum cápias semper grátiæ possidéndæ.

℟. Domus mea domus oratiónis vocábitur, dicit Dóminus : in ea omnis qui petit, áccipit; et qui quærit, ínvenit; * Et pulsánti aperiétur. ℣. Pétite, et accipiétis; quærite, et inveniétis. — Et.

Lectio viii

ZAcháeus ergo, cum esset publicánus, et pecúnias fænerándo magnas divítias usurárum fraude quæsísset, súbito videns Christum, ita convérsus est, ut majóri concupiscéntia grátiam spirituálem quæreret, quam quæsíerat pecúniam sæculárem. Ita, inquam, convérsus est, ut anteácta sua respíciens, fraudes suas ipse damnáret, et emúndans concupiscéntiam, emundáret et primitus consciéntiam. Ait enim : Ecce dimídium bonórum meórum do paupéribus, et si cui quid tuli, quádruplum reddo.

℟. Lápides pretiósi omnes muri tui, * Et turres Jerúsalem gemmis ædificabúntur. ℣. Portæ Jerúsalem ex sapphíro et smarágdo ædificabúntur, et ex lápide pretióso omnis circúitus muri ejus. — Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix

DIcet fortásse áliquis, cur vir sanctus et Salvatórem præséntem videns, non totum paupéribus, sed dimídium sit largítus; quia scriptum est : Si vis perféctus esse, vende ómnia tua, et da paupéribus, et veni, séquere me. Verum, si diligénter atténdas, iste persecútus est, quia non dimídium, sed totum dedit. Nam tolle aliéna de médio, et Zachæo nihil rémanet. Dénique vir justus, ut accépta esset ejus liberálitas, scivit juste dispónere, scílicet aliéna restituéndo. Hæc est enim apud Dóminum grata eleemósyna, quæ ex vernácula exhibétur substántia, non quæ fraudulénta præda tribúitur.

Te Deum laudámus.

DIE V INFRA OCTAVAM

Semiduplex

In II Nocturno

De Sermóne sancti Augustíni Epíscopi

Sermo 256 de Tempore

Lectio iv

ODo, quando impléntur ecclésiæ, putámus jucundári Judæos? Ecclésiæ ædificántur, dedicántur, impléntur; quómodo illi jucundántur? Non solum non jucundántur, sed étiam confundúntur, et implétur vox exsultántis : Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me : et non jucundásti inimícos meos super me. Non jucundásti super me : si mihi credant, jucundábis in me. Ne multa dicámus, ad illa, quæ cantávimus, aliquándo veniámus. Quómodo dicit Christus : Conscidísti saccum meum, et accinxísti me lætítia? Saccus ejus erat similitúdo carnis peccáti.

℟. Oránibus in loco isto, * Dimítte peccáta pópuli tui, Deus, et osténde eis viam bonam, per quam ámbulent, et da glóriam in loco isto. ℣. Qui regis Israël, inténde, qui dedúcis velut ovem Joseph, qui sedes super Chérubim. — Dimítte.

Lectio v

NON tibi viléscat, quod ait, Saccum meum : ibi erat inclúsum prétium tuum. Conscidísti saccum meum. Evásimus ad saccum istum. Conscidísti saccum meum. In passióne conscíssus est. Quómodo ergo Deo Patri dícitur : Conscidísti saccum meum? Quómodo Patri dicátur, vis audíre : Concidísti saccum meum? Quia próprio Fílio non pepércit, sed pro nobis ómnibus trádidit illum. Fecit enim per Judæos nesciéntes, unde redimeréntur sciéntes et confunderéntur negántes. Nésciunt enim quid boni nobis operáti sunt malo suo. Suspénsus est saccus, et quasi lætátus est ímpius. Conscídit saccum láncea persecútor, et fudit prétium nostrum Redémptor.

℟. O quam metuéndus est locus iste : * Vere non est hic áliud, nisi domus Dei et porta cæli. ℣. Hæc est domus Dómini fírmiter ædificáta, bene fundáta est supra firmam petram. — Vere.

Lectio vi

CAntet Christus Redémptor, gemat Judas vénditor, erubéscat Judæus emptor. Ecce Judas véndidit, Judæus emit; malum negótium egérunt, ambo damnáti sunt, seípsos perdidérunt vénditor et emptor. Dicat ergo caput nostrum, dicat pro córpore occíso, pro córpore dedicáto. Dicat, audiámus : Conscidísti saccum meum, et accinxísti me lætítia : id est, conscidísti mortalitátem meam, et accinxísti me immortalitáte et incorruptióne. Ut cantet tibi glória mea, et non compúngar. Quid est, Non compúngar? Jam contra me non ferat lánceam persecútor, Ut non compúngar. Christus enim surgens a mórtuis, jam non móritur, et mors illi ultra non domináb itur.

℟. Mane surgens Jacob erigébat lápidem in títulum, fundens óleum désuper; votum vovit Dómino : * Vere locus iste sanctus est, et ego nescié-

bam. ℣. Cumque evigilásset Jacob de somno, ait. — Vere. Glória Patri. Vere.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 19, 1-10

IN illo témpore : Ingrédiens Jesus perambulábat Jéricho. Et ecce vir nómine Zachæus : et hic princeps erat publicanórum, et ipse dives. Et réliqua.

Homília sancti Bedæ Venerábilis Presbýteri

Liber 5, cap. 77 in Luc. 19

QUÆ impossibília sunt apud hómines, possibília sunt apud Deum. Ecce enim camélus, depósita gibbi sárcina, per forámen acus transit, hoc est, dives et publicánus, relícto ónere divitiárum, contémpto censu fraudum, angústam portam arctámque viam, quæ ad vitam ducit, ascéndit. Qui, mira devotióne fídei, ad vidéndum Salvatórem, quod natúra minus habúerat, ascénsu supplet árboris, atque ídeo juste, quamvis ipse rogáre non áudeat, benedictiónem Domínicæ susceptiónis, quam desiderábat, accépit.

℟. Domus mea domus oratiónis vocábitur, dicit Dóminus : in ea omnis qui petit, áccipit; et qui quærit, ínvenit; * Et pulsánti aperiétur. ℣. Pétite, et accipiétis; quærite, et inveniétis. — Et pulsánti.

Lectio viii

MYstice autem Zachæus, qui interpretátur justificátus, credéntem ex géntibus pópulum significat. Qui, quanto curis sæculáribus occupátior, tanto flagítiis depriméntibus erat factus humílior. Sed ablútus est, sed sanctificátus, sed justificátus in nómine Dómini nostri Jesu Christi et in Spíritu Dei nostri. Qui intrántem Jéricho Salvatórem vidére quærébat, sed præ turba non póterat; quia grátiæ fídei, quam mundo Salvátor áttulit, participáre cupiébat, sed inólita vitiórum consuetúdo, ne ad votum perveníret, obstiterat.

℟. Lápides pretiósi omnes muri tui, * Et turres Jerúsalem gemmis ædificabúntur. ℣. Portæ Jerúsalem ex sapphíro et smarágdo ædificabúntur, et ex lápide pretióso omnis circúitus muri ejus. — Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix

EAdem namque turba nóxiæ consuetúdinis, quæ supra cæcum clamántem, ne lumen péteret, increpábat; étiam suspicién-

tem publicánum, ne Jesum vídeat, tardat. Sed sicut cæcus turbárum voces magis ac magis clamándo devícit : ita pusíllus necésse est turbæ nocéntis obstáculum altióra peténdo transcéndat, terréna relínquat, árborem crucis ascéndat. Sycómorus namque (quæ est arbor fóliis moro símilis, sed altitúdine præstans, unde et a Latínis celsa nuncupátur), ficus fátua dícitur. Et éadem Domínica Crux, quæ credéntes alit ut ficus, ab incrédulis irridétur ut fátua.

Te Deum laudámus.

DIE VI INFRA OCTAVAM

Semiduplex

In II Nocturno

De Sermóne sancti Augustíni Epíscopi

Sermo 256 de Tempore

Lectio iv

ERgo, dum novam constructiónem sanctæ hujus ecclésiæ libénter atténdimus, quam divíno nómini hódie dedicámus, invenímus a nobis debéri et Deo nostro máximam laudem, et sanctitáti vestræ cóngruum de divínæ domus ædificatióne sermónem. Tunc autem sermo noster cóngruus erit, si in se áliquid ædificatiónis habeat, quod utilitáti animárum vestrárum, Deo vos intérius ædificánte, profíciat. Quod hic factum corporáliter vidémus in pariétibus, spiritáliter fiat in méntibus; et, quod hic perféctum cérnimus in lapídibus et lignis, hoc, ædificánte grátia Dei, perficiátur in corpóribus vestris.

℟. Orántibus in loco isto, * Dimítte peccáta pópuli tui, Deus, et osténde eis viam bonam, per quam ámbulent, et da glóriam in loco isto. ℣. Qui regis Israël, inténde, qui dedúcis velut ovem Joseph, qui sedes super Chérubim. — Dimítte.

Lectio v

PRincipáliter ergo grátias agámus Dómino, Deo nostro, a quo est omne datum óptimum et omne donum perféctum : et ejus bonitátem tota cordis alacritáte laudémus, quóniam ad construéndam istam domum oratiónis, fidélium suórum visitávit ánimum, excitávit affféctum, surrogávit auxílium, inspirávit necdum voléntibus ut vellent, adjúvit bonæ voluntátis conátus ut fácerent. Ac per hoc Deus, qui operátur in suis et velle et perfícere pro bona voluntáte, hæc ómnia ipse cœpit, ipse perfécit.

℟. O quam metuéndus est locus iste : * Vere non est hic áliud, nisi domus Dei et porta cæli. ℣. Hæc est domus Dómini fírmiter ædificáta, bene fundáta est supra firmam petram. — Vere.

Lectio vi

ET quia ópera bona in conspéctu suo numquam esse permíttit ináni, fidélibus suis, quibus operántibus præbuit virtútis suæ favórem, tríbuet condígnam pro tanta operatióne mercédem. Adhuc ámplius agéndæ sunt grátiæ Deo nostro; hanc enim ecclésiam, quam fecit nómini suo cónstrui, fecit étiam sanctórum Mártyrum relíquiis ámplius honorári.

℟. Mane surgens Jacob erigébat lápidem in títulum, fundens óleum désuper; votum vovit Dómino : * Vere locus iste sanctus est, et ego nesciébam. ℣. Cumque evigilásset Jacob de somno, ait. — Vere. Glória Patri. Vere.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 19, 1-10

IN illo témpore : Ingrédiens Jesus perambulábat Jéricho. Et ecce vir nómine Zachæus : et hic princeps erat publicanórum, et ipse dives. Et réliqua.

De Homília sancti Bedæ Venerábilis Presbýteri

Liber 5, cap. 77 in Luc. 19

ET cum venísset ad locum, suspíciens Jesus vidit illum. Perámbulans Jéricho Salvátor, venit ad locum, ubi præcúrrens Zachæus sycómorum conscénderat : quia, missis per mundum sui verbi præcónibus, in quibus ipse nimírum et loquebátur et ibat, venit ad pópulum natiónum, qui passiónis ejus fide jam sublímis exsístens, étiam divinitátis ejus ardébat ágnita fácie beári. Suspíciens vidit illum, quia per grátiam fídei a terrénis cupiditátibus elevátum, turbisque infidélibus præeminéntem elégit. Vidére enim Dei, eligere vel amáre est; unde est illud : Oculi Dómini super justos. Nam et nos quæ amámus, vidére; ab his, quæ exsecrámur, intúitum festinámus avértere.

℟. Domus mea domus oratiónis vocábitur, dicit Dóminus : in ea omnis qui petit, áccipit; et qui quærit, ínvenit; * Et pulsánti aperiétur. ℣. Pétite, et accipiétis; quærite, et inveniétis. — Et.

Lectio viii

VIdit ergo Jesus vidéntem se, quia elégit eligéntem se, et amávit amántem. Hunc sane órdinem proficiéndi, hoc est, per fidem Domínicæ incarnatiónis ad cognitiónem divinitátis perveniéndi, quasi per sycómorum Jesu fáciem speculándi, Doctor egrégius osténdit, cum ait : Non enim judicávi scire me áliquid inter vos, nisi Christum Jesum, et hunc crucifíxum. Itémque áliis éxprobrans : Facti estis, inquit, quibus lacte opus sit, non sólido cibo; lac infírma temporáriæ dispensatiónis, sólidum cibum árdua perpétuæ majestátis appéllans.

℟. Lápides pretiósi omnes muri tui, * Et turres Jerúsalem gemmis ædificabúntur. ℣. Portæ Jerúsalem ex sapphíro et smarágdo ædificabúntur, et ex lápide pretióso omnis circúitus muri ejus. — Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix

ET dixit ad eum : Zachæe, festínans descénde, quia hódie in domo tua opórtet me manére. Et festínans descéndit, et excépit illum gaudens. Manébat aliquándo Dóminus in domo príncipis pharisæórum, hoc est, in Judæórum synagóga docébat. Sed quia non baptizátum ante prándium, sábbato curántem, publicános et peccatóres recipiéntem, contra avarítiam disputántem, et cétera digna Deo geréntem, lingua venenáta carpébant; pertæsus eórum facínora, discéssit et aufúgit, dicens : Relinquétur vobis domus vestra deserta. Hódie autem in domo pusílli Zachæi opórtet illum manére : hoc est, novæ lucis grátia coruscánte, in húmili credéntium natiónum corde quiéscere.

Te Deum laudámus.

DIE VII INFRA OCTAVAM

Semiduplex

In II Nocturno

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi

Homilia 33 in cap. 9 Matth.

Lectio iv

COmmúnis ómnium domus est ecclésia, in quam, vobis prius ingréssis, nos intrámus, discipulórum formam retinéntes. Ideóque commúniter ómnibus statim atque ingréssi fuérimus, ut illis datam legem sequámur, pacem offérimus. Nemo ígitur socórdia tórpeat, nemo sæculáribus

rebus suspénsum ánimum hábeat, cum jam ad prædicándum sacerdótes intráverint; non enim parva huic rei ímminet pœna. Equidem míllies pótius malim in domum alicújus vestrum ingréssus destítui, quam hic prædicans non audíri. Hoc mihi moléstius esset quam illud, quandóquidem magis própria hæc est quam illa.

℟. Orántibus in loco isto, * Dimítte peccáta pópuli tui, Deus, et osténde eis viam bonam, per quam ámbulent, et da glóriam in loco isto. ℣. Qui regis Israël, inténde, qui dedúcis velut ovem Joseph, qui sedes super Chérubim. — Dimítte.

Lectio v

NAM hic magnæ illæ nostræ opes pósitæ sunt, hic spes nostra omnis. Quid enim hoc loco non magnum est et admirándum? Nam hæc mensa longe pretiósior est atque jucúndior, et lucérna hæc quam illa; ut norunt qui, cum fide óleo perúncti, a morbis liberáti sunt. Arca étiam hæc multo mélior magísque necessária; non enim vestes, sed misericórdiam inclúsam cóntinet : quamvis pauci sint, qui eam possídeant. Hic et léctulus est valde illo præstántior; divinárum enim Scripturárum réquies quovis lecto suávior est.

℟. O quam metuéndus est locus iste : * Vere non est hic áliud, nisi domus Dei et porta cæli. ℣. Hæc est domus Dómini fírmiter ædificáta, bene fundáta est supra firmam petram. — Vere.

Lectio vi

ET quidem si concórdia perfécte servarétur a nobis, nullam áliam domum præter hanc haberémus. Hoc autem quod dixi, non esse durum, testántur illa tria míllia et quinque míllia hóminum, quibus et domus una, et mensa una, et ánima una erat. Multitúdinis enim credéntium, inquit, unum erat cor, et ánima una. Sed quia longe ab illórum virtúte ábsumus et per domos disjúncti sumus, saltem, quando huc convenímus, id omni stúdio faciámus. Nam etsi in áliis rebus páuperes et ínopes sumus, hoc loco saltem, cum huc ad vos intrámus, cum caritáte nos suscípite; cumque, Pax vobis, dico, Et cum spíritu tuo, non voce solum, sed ánimo quoque respondéte.

℟. Mane surgens Jacob erigébat lápidem in títulum, fundens óleum désuper; votum vovit Dómino : * Vere locus iste sanctus est, et ego nesciébam. ℣. Cumque evigilásset Jacob de somno, ait. — Vere. Glória Patri. Vere.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 19, 1-10

IN illo témpore : Ingréssus Jesus perambulábat Jéricho. Et ecce vir nómine Zachæus : et hic princeps erat publicanórum, et ipse dives. Et réliqua.

De Homília sancti Bedæ Venerábilis Presbýteri

Paulo post prædicta

COm vidérent omnes, murmurábant, dicéntes, quod ad hóminem peccatórem divertísset. Maniféstum est, Judæos semper géntium odísse salútem. Scriptum est enim : Sequénti vero Sábbato pene univérsa cívitas convénit audíre verbum Dei; vidéntes autem turbas Judæi, repléti sunt zelo, et contradicébant iis, quæ a Paulo dicebántur. Et álibi, fidéles étiam fratres advérsus Apostolórum Príncipem disceptábant, dicéntes : Quare introísti ad viros præpútium habéntes, et manducásti cum illis?

℟. Domus mea domus oratiónis vocábitur, dicit Dóminus : in ea omnis qui petit, áccipit; et qui quærit, ínvenit; * Et pulsánti aperiétur. ℣. Pétite, et accipiétis; quærite, et inveniétis. — Et.

Lectio viii

STans autem Zachæus, dixit ad Dóminum : Ecce dimídium bonórum meórum, Dómine, do paupéribus; et si quid áliquem defraudávi, reddo quádruplum. Aliis calumniántibus hóminem peccatórem, ipse Zachæus stans, id est, in ea quam cœperat fídei veritáte persístens, non solum se ex peccatóre convérsum, sed étiam inter perfectos probat esse conversátum. Dicénte enim Dómino : Si vis perféctus esse, vade, vende ómnia quæ habes, et da paupéribus; quisquis ante conversiónem innocénter vixit, ómnia convérsus potest dare paupéribus.

℟. Lápides pretiósi omnes muri tui, * Et turres Jerúsalem gemmis ædificabúntur. ℣. Portæ Jerúsalem ex sapphíro et smarágdo ædificabúntur, et ex lápide pretióso omnis circúitus muri ejus. — Et. Glória Patri. Et turres Jerúsalem gemmis ædificabúntur.

Lectio ix

AT qui áliqua fraude sústulit, primo hæc juxta legem réddere, deínde quod sibi remánserit, debet dare paupéribus. Ac sic et ipse, quia sibi nil rétinet, ómnia sua dispérgit, dat paupéribus, justítia ejus manet in sæculum sæculi. Et hæc est sápiens illa stultítia, quam de sycómoro publicánus quasi fructum vitæ légerat; rapta vidélicet réddere, própria relínquere, visibília contémnere, pro invisibílibus étiam mori desideráre, seípsum abnegáre, et ejus, qui necdum videátur, Dómini vestígia sequi concupíscere.

Te Deum laudámus.

Vesperæ de sequenti die Octava.

IN OCTAVA
DEDICATIONIS ECCLESIÆ

Duplex majus

In II Nocturno

Ex Epístola prima sancti Felicis Papæ quarti

De Consecr. dist. 1 cap. 2

Lectio iv

Abernáculum Móysen, Dómino præcipiénte, fecísse et sacrásse, cum mensa et altári ejus, et céteris vasis et utensílibus ad divínum cultum expléndum, légimus; et non solum divínis précibus ea sacrásse, sed étiam sancti ólei unctióne, Dómino jubénte, perlinísse nóvimus. Quáliter autem hæc facta sint, et quómodo ipsa sacra non álii quam sacerdótes, sacra unctióne delibúti Dominóque cum véstibus sanctis sacráti, et Levítæ tractábant, ferébant, erigébant et deponébant; in ipsis institutiónibus, quæ, jubénte Dómino, conscríptæ sunt per Móysen, in lege Dómini repéritur.

℟. Orántibus in loco isto, * Dimítte peccáta pópuli tui, Deus, et osténde eis viam bonam, per quam ámbulent, et da glóriam in loco isto. ℣. Qui regis Israël, inténde, qui dedúcis velut ovem Joseph, qui sedes super Chérubim. — Dimítte.

Lectio v

QUáliter ergo David, regum piíssimus, amplificáverit cultum Dei, et templum Dómino ædificáre volúerit, sed propter multum sánguinem quem effúderat prohíbitus est, et ipse collégerat expénsas; Sálomon quoque, fílius ejus, idípsum, quod ipse fácere optáverat, jubénte et auxiliánte Deo, perfécit, et templum cum altári, et

réliqua ad divínum cultum peragéndum consecrávit; in libro Regum légitur : Fecit ergo Sálomon in témpore illo festivitátem célebrem et omnis Israël cum eo, multitúdo magna ab intróitu Emath usque ad rivum Ægýpti, coram Dómino, Deo nostro, septem diébus et septem diébus, id est, quatuórdecim diébus, et in die octáva dimísit pópulos.

℟. O quam metuéndus est locus iste : * Vere non est hic áliud, nisi domus Dei et porta cæli. ℣. Hæc est domus Dómini fírmiter ædificáta, bene fundáta est supra firmam petram. — Vere.

Lectio vi

De Consecr. dist. 1 cap. 17

SOlemnitátes dedicatiónum ecclesiárum et sacerdótum, per singulos annos solémniter sunt celebrándæ, ipso Dómino exémplum dante, qui ad festum dedicatiónis templi, ómnibus id faciéndi dans formam, cum réliquis pópulis, eámdem festivitátem celebratúrus, venit; sicut scriptum est : Facta sunt encænia in Jerosólymis, et hiems erat, et ambulábat Jesus in templo in pórticu Salomónis. Quod autem octo diébus encænia sint celebránda, in libro Regum, perácta dedicatióne templi, reperiétis.

℟. Mane surgens Jacob erigébat lápidem in títulum, fundens óleum désuper; votum vovit Dómino : * Vere locus iste sanctus est, et ego nesciébam. ℣. Cumque evigilásset Jacob de somno, ait. — Vere. Glória Patri. Vere.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 19, 1-10

IN illo témpore : Ingréssus Jesus perambulábat Jéricho. Et ecce vir nómine Zachæus : et hic princeps erat publicanórum, et ipse dives. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ

Liber 27 Moralium, cap. 27, post medium

SI veráciter sapiéntes esse atque ipsam sapiéntiam contemplári appétimus, stultos nos humíliter cognoscámus. Relinquámus nóxiam sapiéntiam, discámus laudábilem fatuitátem. Hinc quippe scriptum est : Stulta mundi elégit Deus, ut confúndat sapiéntes. Hinc rursum dícitur : Si quis vidétur inter vos sápiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sápiens. Hinc evangélicæ históriæ verba

testántur, quia Zachæus, cum vidére præ turba nihil posset, sycómori árborem ascéndit, ut transeúntem Dóminum cérneret. Sycómorus quippe ficus fátua dícitur.

℟. Domus mea domus oratiónis vocábitur, dicit Dóminus : in ea omnis qui petit, áccipit; et qui quærit, ínvenit; * Et pulsánti aperiétur. ℣. Pétite, et accipiétis; quærite, et inveniétis. — Et.

Lectio viii

PUsíllus ítaque Zachæus sycómorum súbiit et Dóminum vidit : quia, qui mundi stultítiam humíliter éligunt, ipsi Dei sapiéntiam subtíliter contemplántur. Pusillitátem namque nostram ad vidéndum Dóminum turba præpedit; quia infirmitátem humánæ mentis, ne lucem veritátis inténdat, curárum sæculárium tumúltus premit. Sed prudénter sycómorum ascéndimus, si próvide eam quæ divínitus præcípitur stultítiam mente ténemus. Quid enim in hoc mundo stúltius quam amíssa non quærere, posséssa rapiéntibus relaxáre, nullam pro accéptis injúriis injúriam réddere, immo adjúnctis áliis patiéntiam præbére?

℟. Lápides pretiósi omnes muri tui, * Et turres Jerúsalem gemmis ædificabúntur. ℣. Portæ Jerúsalem ex sapphíro et smarágdo ædificabúntur, et ex lápide pretióso omnis circúitus muri ejus. — Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix

QUasi enim sycómorum nos ascéndere Dóminus præcípit, cum dicit : Qui aufert quæ tua sunt, ne répetas; et rursum : Si quis te percússerit in déxteram maxíllam, præbe illi et álteram. Per sycómorum Dóminus tránsiens cérnitur : quia per hanc sapiéntem stultítiam, etsi necdum, ut est, sólide, jam tamen per contemplatiónis lumen Dei sapiéntia quasi in tránsitu vidétur, quam vidére néqueunt qui sibi sapiéntes esse vidéntur; quia ad conspiciéndum Dóminum, in eláta cogitatiónum suárum turba deprehénsi, adhuc sycómori árborem non invenérunt.

Te Deum laudámus.

Commune Festorum B. Mariæ Virg.

IN I VESPERIS

Ant. Dum esset Rex * in accúbitu suo, nardus mea dedit odórem suavitátis.

Psalmus 109

DIxit Dóminus Dómino meo : * Sede a dextris meis :

Donec ponam inimícos tuos, * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion : * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum : * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum : * Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

Dóminus a dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas : * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet : * proptérea exaltábit caput.

Ant. Dum esset Rex in accúbitu suo, nardus mea dedit odórem suavitátis.

Ant. Læva ejus * sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me.

Psalmus 112

LAudáte, púeri, Dóminum : * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum, * ex hoc nunc, et usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes gentes Dóminus, * et super cælos glória ejus.

Quis sicut Dóminus, Deus noster, qui in altis hábitat, * et humília réspicit in cælo et in terra?

Súscitans a terra ínopem, * et de stércore érigens páuperem :

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum lætántem.

Ant. Læva ejus sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me.

Ant. Nigra sum, * sed formósa, fíliæ Jerúsalem; ídeo diléxit me Rex, et introdúxit me in cubículum suum.

Psalmus 121

LÆtátus sum in his, quæ dicta sunt mihi : * In domum Dómini íbimus.

Stantes erant pedes nostri, * in átriis tuis, Jerúsalem.

Jerúsalem, quæ ædificátur ut cívitas : * cujus participátio ejus in idípsum.

Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini : * testimónium Israël ad confiténdum nómini Dómini.

Quia illic sedérunt sedes in judício, * sedes super domum David.

Rogáte quæ ad pacem sunt Jerúsalem : * et abundántia diligéntibus te :

Fiat pax in virtúte tua : * et abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos, et próximos meos, * loquébar pacem de te :

Propter domum Dómini, Dei nostri, * quæsívi bona tibi.

Ant. Nigra sum, sed formósa, fíliæ Jerúsalem; ídeo diléxit me Rex, et introdúxit me in cubículum suum.

Ant. Jam hiems tránsiit, * imber ábiit et recéssit : surge, amíca mea, et veni.

Psalmus 126

NIsi Dóminus ædificáverit domum, * in vanum laboravérunt qui ædíficant eam.

Nisi Dóminus custodíerit civitátem, * frustra vígilat qui custódit eam.

Vanum est vobis ante lucem súrgere : * súrgite postquam sedéritis, qui manducátis panem dolóris.

Cum déderit diléctis suis somnum : * ecce heréditas Dómini fílii : merces, fructus ventris.

Sicut sagíttæ in manu poténtis : * ita fílii excussórum.

Beátus vir qui implévit desidérium suum ex ipsis : * non confundétur cum loquétur inimícis suis in porta.

Ant. Jam hiems tránsiit, imber ábiit et recéssit : surge, amíca mea, et veni.

Ant. Speciósa * facta es et suávis in delíciis tuis, sancta Dei Génitrix.

Psalmus 147

LAuda, Jerúsalem, Dóminum : * lauda Deum tuum, Sion.

Quóniam confortávit seras portárum tuárum : * benedíxit fíliis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pacem : * et ádipe fruménti sátiat te.

Qui emíttit elóquium suum terræ : * velóciter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam : * nébulam sicut cinerem spargit.

Mittit crystállum suam sicut buccéllas : * ante fáciem frígoris ejus quis sustinébit?

Emíttet verbum suum, et liquefáciet ea : * flabit spíritus ejus, et fluent aquæ.

Qui annúntiat verbum suum Jacob : * justítias, et judícia sua Israël.

Non fecit táliter omni natióni : * et judícia sua non manifestávit eis.

Ant. Speciósa facta es et suávis in delíciis tuis, sancta Dei Génitrix.

Capitulum Eccli. 24, 14

AB inítio et ante sæcula creáta sum, et usque ad futúrum sæculum non désinam, et in habitatióne sancta coram ipso minístrávi.

Prima stropha sequentis Hymni dicitur flexis genibus.

Hymnus

AVE, maris stella,
Dei Mater alma,
Atque semper Virgo,
Felix cæli porta.

Sumens illud Ave
Gabriélis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Hevæ nomen.

Solve vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.

Monstra te esse matrem,
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus
Tulit esse tuus.

Virgo singuláris,
Inter omnes mitis,
Nos, culpis solútos,
Mites fac et castos.

Vitam præsta puram,
Iter para tutum,
Ut, vidéntes Jesum,
Semper collætémur.

Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spirítui Sancto,
Tribus honor unus. Amen.

℣. Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta. ℟. Da mihi virtútem contra hostes tuos.

Ad Magnif. Ant. Sancta Maria, * succúrre míseris, juva pusillánimes, réfove flébiles, ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu : séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam festivitátem.

In II Vesperis

Ad Magnif. Ant. Beátam me dicent * omnes generatiónes, quia ancíllam húmilem respéxit Deus.

Oratio

COncéde nos fámulos tuos, quæsumus, Dómine Deus, perpétua mentis et córporis sanitáte gaudére : et, gloriósa beátæ Maríæ semper Vír-

ginis intercessióne, a præsénti liberári tristítia et ætérna pérfrui lætítia. Per Dóminum.

Completorium de Dominica.

Conclusio Hymnorum ad omnes Horas, etiam per Octavas communes, erit sequens :

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

AD MATUTINUM

Invitat. Sancta María, Dei Génitrix Virgo, * Intercéde pro nobis. Ps. 94 Veníte, exsultémus.

Hymnus

QUem terra, pontus, sídera
Colunt, adórant, prædicant,
Trinam regéntem máchinam,
Claustrum Maríæ bájulat.

Cui luna, sol et ómnia
Desérviunt per témpora,
Perfúsa cæli grátia,
Gestant puéllæ víscera.

Beáta Mater múnere,
Cujus, supérnus Artifex
Mundum pugíllo cóntinens,
Ventris sub arca clausus est.

Beáta cæli núntio,
Fecúnda Sancto Spíritu,
Desideratus géntibus
Cujus per alvum fusus est.

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

In I Nocturno

Ant. Benedícta tu * in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui.

Psalmus 8

DOmine, Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua, * super cælos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo cælos tuos, ópera digitórum tuórum : * lunam et stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulo minus ab Angelis, glória et honóre coronásti eum : * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves et boves

univérsas : ínsuper et pécora campi.

Vólucres cæli, et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine, Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Ant. Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui.

Ant. Sicut myrrha * elécta odórem dedísti suavitátis, sancta Dei Génitrix.

Psalmus 18

CÆli enárrant glóriam Dei, * et ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum, * et nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ, neque sermónes, * quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum : * et in fines orbis terræ verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum : * et ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo :

Exsultávit ut gigas ad curréndam viam : * a summo cælo egréssio ejus :

Et occúrsus ejus usque ad summum ejus : * nec est qui se abscóndat a calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta, convértens ánimas : * testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

Justítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda : * præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in sæculum sæculi : * judícia Dómini vera, justificáta in semetípsa.

Desiderabília super aurum et lápidem pretiósum multum : * et dulcióra super mel et favum.

Etenim servus tuus custódit ea, * in custodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? ab occúltis meis munda me : * et ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint domináti, tunc immaculátus ero : * et emundábor a delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei : * et meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Dómine, adjútor meus, * et redémptor meus.

Ant. Sicut myrrha elécta odórem dedísti suavitátis, sancta Dei Génitrix.

Ant. Ante torum * hujus Vírginis frequentáte nobis dúlcia cántica drámatis.

Psalmus 23

DOmini est terra, et plenitúdo ejus : * orbis terrárum, et univérsi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum : * et super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus et mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino : * et misericórdiam a Deo, salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite, portas, príncipes, vestras, et elevámini, portæ æternáles : * et introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus fortis et potens : Dóminus potens in prœlio.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini, portæ æternáles : * et introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est Rex glóriæ.

Ant. Ante torum hujus Vírginis frequentáte nobis dúlcia cántica drámatis.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Absolutio Exáudi, Dómine.

Benedictio Benedictióne.

De Parábolis Salomónis

Lectio i Cap. 8, 12-25

EGO sapiéntia hábito in consílio, et erudítis intérsum cogitatiónibus. Timor Dómini odit malum : arrogántiam, et supérbiam, et viam pravam, et os bilíngue detéstor. Meum est consílium et æquitas, mea est prudéntia, mea est fortitúdo. Per me reges regnant, et legum conditóres justa decérnunt; per me príncipes ímperant, et poténtes decérnunt justítiam. Ego diligéntes me díligo; et qui mane vígilant ad me, invénient me.

℟. Sancta et immaculáta virgínitas, quibus te láudibus éfferam, néscio : * Quia quem cæli cápere non póterant, tuo grémio contulísti. ℣. Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui. — Quia.

Benedictio Unigénitus Dei.

Lectio ii

MEcum sunt divítiæ et glória, opes supérbæ et justítia. Mélior est enim fructus meus auro et lápide pretióso, et genímina mea argénto elécto. In viis justítiæ ámbulo, in médio semitárum judícii, ut ditem diligéntes me, et thesáuros eórum répleam. Dóminus

possédit me in inítio viárum suárum, ántequam quidquam fáceret a princípio. Ab ætérno ordináta sum et ex antíquis, ántequam terra fíeret. Nondum erant abýssi, et ego jam concépta eram; necdum fontes aquárum erúperant; necdum montes gravi mole constíterant; ante colles ego parturiébar.

℟. Congratulámini mihi, omnes, qui dilígitis Dóminum : quia, cum essem párvula, plácui Altíssimo, * Et de meis viscéribus génui Deum et hóminem. ℣. Beátam me dicent omnes generatiónes, quia ancíllam húmilem respéxit Deus. –– Et.

Benedictio Spíritus Sancti.

Lectio iii

Cap. 8, 34-36 et 9, 1-5

BEátus homo qui audit me, et qui vígilat ad fores meas quotídie, et obsérvat ad postes óstii mei. Qui me invénerit, invéniet vitam, et háuriet salútem a Dómino; qui autem in me peccáverit, lædet ánimam suam. Omnes, qui me odérunt, díligunt mortem. Sapiéntia ædificávit sibi domum, excídit colúmnas septem. Immolávit víctimas suas, míscuit vinum et propósuit mensam suam. Misit ancíllas suas, ut vocárent ad arcem et ad mœnia civitátis : Si quis est párvulus, véniat ad me. Et insipiéntibus locúta est : Veníte, comédite panem meum, et bíbite vinum quod míscui vobis.

℟. Beáta es, Virgo María, quæ Dóminum portásti, Creatórem mundi : * Genuísti qui te fecit, et in ætérnum pérmanes Virgo. ℣. Ave, María, grátia plena; Dóminus tecum. — Genuísti. Glória Patri. Genuísti.

In II Nocturno

Ant. Spécie tua * et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.

Psalmus 44

ERuctávit cor meum verbum bonum : * dico ego ópera mea Regi.

Lingua mea cálamus scribæ, * velóciter scribéntis.

Speciósus forma præ fíliis hóminum, diffúsa est grátia in lábiis tuis : * propterea benedíxit te Deus in ætérnum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum, * potentíssime.

Spécie tua et pulchritúdine tua * inténde, próspere procéde, et regna.

Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagíttæ tuæ acútæ, pópuli sub te cadent, * in corda inimicórum Regis.

Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi : * virga directiónis virga regni tui.

Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * propterea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha, et gutta, et cásia a vestiméntis tuis, a dómibus ebúrneis : * ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo.

Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto : * circúmdata varietáte.

Audi, fília, et vide, et inclína aurem tuam : * et oblivíscere pópulum tuum, et domum patris tui.

Et concupíscet Rex decórem tuum : * quóniam ipse est Dóminus, Deus tuus, et adorábunt eum.

Et fíliæ Tyri in munéribus * vultum tuum deprecabúntur : omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus fíliæ Regis ab intus, * in fímbriis áureis circumamícta varietátibus.

Adducéntur Regi vírgines post eam : * próximæ ejus afferéntur tibi.

Afferéntur in lætítia et exsultatióne : * adducéntur in templum Regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii : * constítues eos príncipes super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui : * in omni generatióne et generatiónem.

Proptérea pópuli confitebúntur tibi in ætérnum : * et in sæculum sæculi.

Ant. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.

Ant. Adjuvábit eam * Deus vultu suo : Deus in médio ejus, non commovébitur.

Psalmus 45

DEus noster refúgium, et virtus : * adjútor in tribulatiónibus, quæ invenérunt nos nimis.

Proptérea non timébimus dum turbábitur terra : * et transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt, et turbátæ sunt aquæ eórum : * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætificat civitátem Dei : * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus in médio ejus, non commovébitur : * adjuvábit eam Deus mane dilúculo.

Conturbátæ sunt gentes, et inclináta sunt regna : * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * suscéptor noster Deus Jacob.

Veníte, et vidéte ópera Dómini, quæ pósuit prodígia super terram : * áuferens bella usque ad fínem terræ.

Arcum cónteret, et confrínget arma : * et scuta combúret igni.

Vacáte, et vidéte quóniam ego sum Deus : * exaltábor in géntibus, et exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíscum : * suscéptor noster Deus Jacob.

Ant. Adjuvábit eam Deus vultu suo : Deus in médio ejus, non commovébitur.

Ant. Sicut lætántium * ómnium nostrum habitátio est in te, sancta Dei Génitrix.

Psalmus 86

FUndaménta ejus in móntibus sanctis : * díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob.

Gloriósa dicta sunt de te, * cívitas Dei.

Memor ero Rahab, et Babylónis * sciéntium me.

Ecce alienígenæ, et Tyrus, et pópulus Æthiópum, * hi fuérunt illic.

Numquid Sion dicet : Homo, et homo natus est in ea : * et ipse fundávit eam Altíssimus?

Dóminus narrábit in scriptúris populórum, et príncipum : * horum, qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium ómnium * habitátio est in te.

Ant. Sicut lætántium ómnium nostrum habitátio est in te, sancta Dei Génitrix.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

Absolutio Ipsíus píetas.

Benedictio Deus Pater.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi

Apud Metaphrasten

Lectio iv

DEi Fílius non dívitem aut locuplétem áliquam féminam sibi matrem elégit, sed beátam Vírginem illam, cujus ánima virtútibus ornáta erat. Cum enim beáta María supra omnem humánam natúram castitátem serváret, proptérea Christum Dóminum in ventre concépit. Ad hanc ígitur sanctíssimam Vírginem et Dei Matrem accurréntes, ejus patrocínii utilitátem assequámur. Itaque, quæcúmque estis vírgines, ad Matrem Dómini confúgite; illa enim pulchérrimam, pretiosíssimam et incorruptíbilem

possessiónem, patrocínio suo, vobis conservábit.

℟. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, et sicut cypréssus in monte Sion : quasi myrrha elécta, * Dedi suavitátem odóris. ℣. Et sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans. — Dedi.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

MAgnum revéra miráculum, fratres dilectíssimi, fuit beáta semper Virgo María. Quid namque illa majus aut illústrius ullo umquam témpore invéntum est, seu aliquándo inveníri póterit? Hæc sola cælum ac terram amplitúdine superávit. Quidnam illa sánctius? Non Prophétæ, non Apóstoli, non Mártyres, non Patriárchæ, non Angeli, non Throni, non Dominatiónes, non Séraphim, non Chérubim; non dénique áliud quídpiam inter creátas res visíbiles aut invisíbiles majus aut excelléntius inveníri potest. Eadem ancílla Dei est et mater; éadem Virgo et Génitrix.

℟. Quæ est ista, quæ procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam fíliæ Sion, et beátam dixérunt, et regínæ laudavérunt eam. ℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum et lília convállium. — Vidérunt.

Bened. Ignem sui amóris.

Lectio vi

HÆC ejus mater est, qui a Patre ante omne princípium génitus fuit, quem Angeli et hómines agnóscunt Dóminum rerum ómnium. Visne cognóscere, quanto Virgo hæc præstántior sit cæléstibus Poténtiis? Illæ cum timóre et tremóre assístunt, fáciem velántes suam : hæc humánum genus illi offert, quem génuit. Per hanc et peccatórum véniam consequimur. Ave ígitur, mater, cælum, puélla, virgo, thronus, Ecclésiæ nostræ decus, glória et firmaméntum : assídue pro nobis precáre Jesum, Fílium tuum et Dóminum nostrum, ut per te misericórdiam inveníre in die judícii, et quæ repósita sunt iis, qui díligunt Deum, bona cónsequi possímus, grátia et benignitáte Dómini nostri Jesu Christi : cum quo Patri simul et Sancto Spirítui glória, et honor, et impérium, nunc et semper in sæcula sæculórum. Amen.

℟. Ornátam monílibus fíliam Jerúsalem Dóminus concupívit : * Et vidéntes eam fíliæ Sion, beatíssimam prædicavérunt, dicéntes : * Unguéntum effúsum nomen tuum. ℣. Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte. — Et vidéntes eam fíliæ Sion, beatíssimam prædicavérunt dicéntes. Glória Patri. Unguéntum.

In III Nocturno

Ant. Gaude, María Virgo : * cunctas hæreses sola interemísti in univérso mundo.

Psalmus 95

CAntáte Dómino cánticum novum : * cantáte Dómino, omnis terra.

Cantáte Dómino, et benedícite nómini ejus : * annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus.

Quóniam magnus Dóminus, et laudábilis nimis : * terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii géntium dæmónia : * Dóminus autem cælos fecit.

Conféssio, et pulchritúdo in conspéctu ejus : * sanctimónia et magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afférte Dómino, pátriæ géntium, afférte Dómino glóriam et honórem : * afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, et introíte in átria ejus : * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur a fácie ejus univérsa terra : * dícite in géntibus quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terræ qui non commovébitur : * judicábit pópulos in æquitáte.

Læténtur cæli, et exsúltet terra : commoveátur mare, et plenitúdo ejus : * gaudébunt campi, et ómnia quæ in eis sunt.

Tunc exsultábunt ómnia ligna silvárum a fácie Dómini, quia venit : * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte, * et pópulos in veritáte sua.

Ant. Gaude, María Virgo : cunctas hæreses sola interemísti in univérso mundo.

Ant. Dignáre me * laudáre te, Virgo sacráta : da mihi virtútem contra hostes tuos.

Psalmus 96

DOminus regnávit, exsúltet terra : * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes, et calígo in circúitu ejus : * justitia, et judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet, * et inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ : * vidit, et commóta est terra.

Montes, sicut cera fluxérunt a fácie Dómini : * a fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cæli justítiam ejus : * et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes, qui adórant sculptília : * et qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum, omnes Angeli ejus : * audívit, et lætáta est Sion.

Et exsultavérunt fíliæ Judæ, * propter judícia tua, Dómine :

Quóniam tu Dóminus Altissimus super omnem terram : * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum : * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde lætitia.

Lætámini, justi, in Dómino : * et confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

Ant. Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta : da mihi virtútem contra hostes tuos.

Ant. Post partum, * Virgo, invioláta permansísti : Dei Génitrix, intercéde pro nobis.

Psalmus 97

CAntáte Dómino cánticum novum : * quia mirabília fecit.

Salvávit sibi déxtera ejus : * et bráchium sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus salutáre suum : * in conspéctu géntium revelávit justítiam suam.

Recordátus est misericórdiæ suæ, * et veritátis suæ dómui Israël.

Vidérunt omnes términi terræ * salutáre Dei nostri.

Jubiláte Deo, omnis terra : * cantáte, et exsultáte, et psállite.

Psállite Dómino in cíthara, in cithara et voce psalmi : * in tubis ductílibus, et voce tubæ córneæ.

Jubiláte in conspéctu regis Dómini : * moveátur mare, et plenitúdo ejus : orbis terrárum, et qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, simul montes exsultábunt a conspéctu Dómini : * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in justítia, * et pópulos in æquitáte.

Ant. Post partum, Virgo, invioláta permansísti : Dei Génitrix, intercéde pro nobis.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

Absolutio A vínculis.

Benedictio Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 11, 27-28

IN illo témpore : Loquénte Jesu ad turbas, extóllens vocem quædam múlier de turba dixit illi : Beátus venter qui te portávit. Et réliqua.

Homília sancti Bedæ Venerábilis Presbýteri

Liber 4, cap. 49 in Luc. 11

MAgnæ devotiónis et fídei hæc múlier osténditur, quæ, scribis et pharisæis Dóminum tentántibus simul et blasphemántibus, tanta ejus incarnatiónem præ ómnibus sinceritáte cognóscit, tanta fidúcia confitétur, ut et præséntium prócerum calúmniam, et futurórum confúndat hæreticórum perfídiam. Nam, sicut tunc Judæi, Sancti Spíritus ópera blasphemándo, verum consubstantialémque Patri Dei Fílium negábant : sic hærétici póstea, negándo Maríam semper Vírginem, Sancti Spíritus operánte virtúte, nascitúro cum humánis membris Unigénito Dei, carnis suæ matériam ministrásse, verum consubstantialémque matri Fílium hóminis fatéri non debére dixérunt.

℟. Felix namque es, sacra Virgo María, et omni laude digníssima : * Quia ex te ortus est sol justítiæ, Christus, Deus noster. ℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu : séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam festivitátem. — Quia.

Die 16 Julii in Festo B. M. V. de Monte Carmelo dicitur :

Solémnem Commemoratiónem.

Bened. Cujus festum cólimus, ipsa Virgo vírginum.

Lectio viii

SED, si caro Verbi Dei secúndum carnem nascéntis a carne Vírginis matris pronuntiátur extránea, sine causa venter qui eam portásset, úbera quæ lactássent, beatificántur. Dicit autem Apóstolus : Quia misit Deus Fílium suum factum ex muliére, factum sub lege. Neque audiéndi sunt, qui legéndum putant : Natum ex muliére, factum sub lege, sed, Factum ex muliére : quia concéptus ex útero virgináli, carnem non de níhilo, non aliúnde, sed matérna traxit ex carne. Alióquin nec vere Fílius hóminis dicerétur, qui oríginem non habéret ex hómine. Et nos ígitur, his contra Eutychen dictis, extollámus vocem cum Ecclésia cathólica, cujus hæc múlier typum gessit, extollámus et mentem de médio turbárum, dicamúsque Salvatóri : Beátus venter qui te portávit, et úbera quæ suxísti. Vere enim beáta parens, quæ, sicut quidam ait, Enixa est puérpera Regem, qui cælum terrámque tenet per sæcula.

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes : * Quia fecit mihi Dóminus magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. ℣. Et misericórdia ejus a progénie in progénies timéntibus eum. — Quia. Glória. Quia.

Benedictio Ad societátem.

Lectio ix

QUinímmo beáti qui áudiunt verbum Dei et custódiunt. Pulchre Salvátor attestatióni mulíeris ánnuit, non eam tantúmmodo quæ Verbum Dei corporáliter generáre merúerat, sed et omnes qui idem Verbum spiritáliter audítu fídei concípere, et boni óperis custódia vel in suo vel in proximórum corde párere et quasi álere studúerint, assevérans esse beátos; quia, et éadem Dei Génitrix, et inde quidem beáta, quia Verbi incarnándi minístra facta est temporális; sed inde multo beátior, quia ejúsdem semper amándi custos manébat ætérna.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

et per Horas, Añæ

1 Dum esset Rex * in accúbitu suo, nardus mea dedit odórem suavitátis.

Psalmi de Dominica.

2 Læva ejus * sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me.

3 Nigra sum, * sed formósa, fíliæ Jerúsalem; ídeo diléxit me Rex, et introdúxit me in cubículum suum.

4 Jam hiems tránsiit, * imber ábiit et recéssit : surge, amíca mea, et veni.

5 Speciósa * facta es et suávis in delíciis tuis, sancta Dei Génitrix.

Capitulum Eccli. 24, 14

AB initio et ante sæcula creáta sum, et usque ad futúrum sæculum non désinam, et in habitatióne sancta coram ipso ministrávi.

Hymnus

O Gloriósa vírginum,
Sublímis inter sídera,
Qui te creávit, párvulum
Lacténte nutris úbere.

Quod Heva tristis ábstulit,
Tu reddis almo gérmine :
Intrent ut astra flébiles,
Cæli reclúdis cárdines.

Tu Regis alti jánua
Et aula lucis fúlgida :
Vitam datam per Vírginem,
Gentes redémptæ, pláudite.

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Bened. Ant. Beáta es, * María, quæ credidísti : perficiéntur in te, quæ dicta sunt tibi a Dómino, allelúja.

Oratio

GOncéde nos fámulos tuos, quæsumus, Dómine Deus, perpétua mentis et córporis sanitáte gaudére : et, gloriósa beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, a præsénti liberári tristítia et ætérna pérfrui lætítia. Per Dóminum.

Ad Horas Psalmi de Dominica, ad Primam tamen ut in Festis.

AD PRIMAM

Ant. Dum esset Rex * in accúbitu suo, nardus mea dedit odórem suavitátis.

In ℟. br., etiam per Octavas communes, dicitur ℟. Qui natus es de María Vírgine.

AD TERTIAM

Ant. Læva ejus * sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me.

Capitulum Eccli. 24, 14

AB initio et ante sæcula creáta sum, et usque ad futúrum sæculum non désinam, et in habitatióne sancta coram ipso ministrávi.

℟. br. Spécie tua * Et pulchritúdine tua. Spécie. ℣. Inténde, próspere procéde, et regna. Et. Glória Patri. Spécie.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

AD SEXTAM

Ant. Nigra sum, * sed formósa, fíliæ Jerúsalem; ideo diléxit me Rex, et introdúxit me in cubículum suum.

Capit. Eccli. 24, 15-16

ET sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi,

et in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei heréditas illíus, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea.

℟. br. Adjuvábit eam * Deus vultu suo. Adjuvábit. ℣. Deus in médio ejus, non commovébitur. Deus vultu suo. Glória Patri. Adjuvábit.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

AD NONAM

Ant. Speciósa * facta es et suávis in delíciis tuis, sancta Dei Génitrix.

Capit. Eccli. 24, 19-20

IN platéis sicut cinnámomum et bálsamum aromatízans odórem dedi : quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris.

℟. br. Elégit eam Deus, * Et præelégit eam. Elégit. ℣. In tabernáculo suo habitáre facit eam. Et. Glória Patri. Elégit.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

IN II VESPERIS

Omnia ut in I Vesperis [174], præter

℣. Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta. ℟. Da mihi virtútem contra hostes tuos.

Ad Magnif. Ant. Beátam me dicent * omnes generatiónes, quia ancíllam húmilem respéxit Deus.

Completorium de Dominica.

OFFICIUM SANCTÆ MARIÆ IN SABBATO

Simplex

Omnibus Sabbatis, nisi agendum fuerit de aliquo Festo duplici, etiam translato, aut semiduplici, vel de Octava aut Vigilia occurrenti, fit Officium de sancta Maria, in quo, sumptis Antiphonis et Psalmis de Feria VI et Sabbato occurrentibus, reliqua dicuntur ut infra.

IN VESPERIS

Antiphonæ et Psalmi ut supra. 230

Capit. Ab inítio. [188]

Prima stropha sequentis Hymni dicitur flexis genibus.

Hymnus

AVE, maris stella,
Dei Mater alma,
Atque semper Virgo,
Felix cæli porta.

Sumens illud Ave
Gabriélis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Hevæ nomen.

Solve vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.

Monstra te esse matrem,
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus
Tulit esse tuus.

Virgo singuláris,
Inter omnes mitis,
Nos, culpis solútos,
Mites fac et castos.

Vitam præsta puram,
Iter para tutum,
Ut, vidéntes Jesum,
Semper collætémur.

Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spirítui Sancto,
Tribus honor unus. Amen.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

¶ Si tamen præcedens Versus dictus jam fuerit in Officio de Communi Virginum vel non Virginum, tunc dicatur sequens

℣. Benedícta tu in muliéribus. ℟. Et benedíctus fructus ventris tui.

Ad Magnif. Ant. Beáta Mater * et intácta Virgo, gloriósa Regína mundi, intercéde pro nobis ad Dóminum.

Oratio

GOncéde nos fámulos tuos, quæsumus, Dómine Deus, perpétua mentis et córporis sanitáte gaudére : et, gloriósa beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, a præsénti liberári tristítia et ætérna pérfrui lætítia. Per Dóminum.

Suffragium de omnibus Sanctis, ut infra ad Laudes. [192]

Ad Completorium et ad omnes Horas usque ad Nonam inclusive, in fine Hymnorum dicitur :

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

AD MATUTINUM

Invit. Ave, María, grátia plena; * Dóminus tecum. Ps. 94 Veníte, exsultémus.

Hymnus

QUem terra, pontus, sídera
Colunt, adórant, prædicant,
Trinam regéntem máchinam,
Claustrum Maríæ bájulat.

Cui luna, sol et ómnia
Desérviunt per témpora,
Perfúsa cæli grátia,
Gestant puéllæ víscera.

Beáta Mater múnere,
Cujus, supérnus Artifex
Mundum pugíllo cóntinens,
Ventris sub arca clausus est.

Beáta cæli núntio,
Fecúnda Sancto Spíritu,
Desideratus géntibus
Cujus per alvum fusus est.

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

In Nocturno Antiphonæ, Psalmi et Versus de Sabbato. 238

Deinde Pater noster secreto usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Absolutio

PRécibus et méritis beátæ Maríæ semper Vírginis et ómnium Sanctórum, perdúcat nos Dóminus ad regna cælórum.
℟. Amen.
℣. Jube, domne.

Pro I Lect. Bened. Nos cum prole pia benedícat Virgo María. ℟. Amen.

Lectio I et II dicuntur de Scriptura occurrenti, cum suis Responsoriis de Tempore; Lectio vero III erit una ex inferius [193]-[194] positis, juxta ordinem mensium.

Pro II Lect. Bened. Ipsa Virgo vírginum intercédat pro nobis ad Dóminum. ℟. Amen.

Pro III Lect. Bened. Per Vírginem matrem concédat nobis Dóminus salútem et pacem. ℟. Amen.

Post III Lectionem dicitur Hymnus Te Deum.

AD LAUDES

Antiphonæ cum Psalmis de Sabbato 1 loco. 245

Capitulum Eccli. 24, 14

AB inítio et ante sæcula creáta sum, et usque ad futúrum sæculum non désinam, et in habitatióne sancta coram ipso minístrávi.

Hymnus

O Gloriósa vírginum,
Sublímis inter sídera,
Qui te creávit, párvulum
Lacténte nutris úbere.

Quod Heva tristis ábstulit,
Tu reddis almo gérmine :
Intrent ut astra flébiles,
Cæli reclúdis cárdines.

Tu Regis alti jánua
Et aula lucis fúlgida :
Vitam datam per Vírginem,
Gentes redémptæ, pláudite.

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Benedícta tu in muliéribus. ℟. Et benedíctus fructus ventris tui.

Ad Bened. Ant. Beáta Dei Génitrix, María, * Virgo perpétua, templum Dómini, sacrárium Spíritus Sancti, sola sine exémplo placuísti Dómino nostro Jesu Christo : ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu.

Oratio

COncéde nos fámulos tuos, quæsumus, Dómine Deus, perpétua mentis et córporis sanitáte gaudére : et, gloriósa beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, a præsénti liberári tristítia et ætérna pérfrui lætítia. Per Dóminum.

Suffragium de omnibus Sanctis

Ant. Sancti omnes intercédant pro nobis ad Dóminum.

℣. Mirificávit Dóminus Sanctos suos. ℟. Et exaudívit eos clamántes ad se.

Orémus. Oratio

ACunctis nos, quæsumus, Dómine, mentis et córporis defénde perículis : et, intercedénte beáto Joseph, cum beátis Apóstolis tuis Petro et Paulo, atque beáto N. et ómnibus Sanctis, salútem nobis tríbue benígnus et pacem; ut, destrúctis adversitátibus et erróribus univérsis, Ecclésia tua secúra tibi sérviat libertáte. Per Dóminum. ℟. Amen.

Ad Primam in ℟. br. ℣. Qui natus es de María Vírgine, et ad absolutionem Capituli Lectio brevis In platéis, ut infra ad Nonam.

AD TERTIAM

Capitulum Eccli. 24, 14

AB inítio et ante sæcula creáta sum, et usque ad futúrum sæculum non désinam, et in habitatióne sancta coram ipso ministrávi.

℟. br. Spécie tua * Et pulchritúdine tua. Spécie. ℣. Inténde, próspere procéde, et regna. Et. Glória Patri. Spécie. ℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

AD SEXTAM

Capit. Eccli. 24, 15-16

ET sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei heréditas illíus, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea.

℟. br. Adjuvábit eam * Deus vultu suo. Adjuvábit. ℣. Deus in médio ejus, non commovébitur. Deus vultu suo. Glória Patri. Adjuvábit. ℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre fecit eam.

AD NONAM

Capit. Eccli. 24, 19-20

IN platéis sicut cinnámomum et bálsamum aromatízans odórem dedi : quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris.

℟. br. Elégit eam Deus, * Et præelégit eam. Elégit. ℣. In tabernáculo suo habitáre facit eam. Et. Glória Patri. Elégit.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Propterea benedíxit te Deus in ætérnum.

Post Nonam terminatur Officium sanctæ Mariæ in Sabbato.

Lectiones sequentes dicuntur singulis mensibus in Officio sanctæ Mariæ in Sabbato, ordine subscripto :

Mense Majo

Ex Tractátu sancti Augustíni Epíscopi de Símbolo ad Catechúmenos

Liber 3, cap. 4, in fine

Lectio iii

PER féminam mors, per féminam vita : per Hevam intéritus, per Maríam salus. Illa, corrúpta, secúta est seductórem : hæc, íntegra, péperit Salvatórem. Illa póculum a serpénte propinátum líbenter accépit et viro trádidit, ex quo simul mereréntur occídi : hæc, grátia cælésti désuper infúsa, vitam prótulit, per quam caro mórtua possit resuscitári. Quis est qui hæc operátus est, nisi Vírginis Fílius et vírginum Sponsus, qui áttulit Matri fecunditátem, sed non ábstulit integritátem?

Te Deum laudámus.

Mense Junio

Sermo sancti Bernárdi Abbátis

De verbis Apocalypsis cap. 12 Signum magnum

Lectio iii

VEheménter quidem nobis, dilectíssimi, vir unus et múlier una nocére; sed, grátias Deo, per unum níhilóminus virum et mulíerem unam ómnia restaurántur, nec sine magno fénore gratiárum. Neque enim sicut delíctum, ita et donum; sed excédit damni æstimatiónem benefícii magnitúdo. Sic nimírum prudentíssimus et clementíssimus ártifex, quod quassátum fúerat, non confrégit, sed utílius omnino refécit, ut vidélicet nobis novum formáret Adam ex véteri, Hevam transfúnderet in Maríam.

Te Deum laudámus.

Mense Julio

Ex Epístola sancti Ambrósii Epíscopi ad Sirícium Papam

Epist. 81, alias 7, circa med.

Lectio iii

NON excédit fidem, quod homo exívit de vírgine, quando petra fontem prófluum scaturívit, ferrum super aquas natávit, ambulávit homo super aquas. Ergo si hóminem unda portávit, non pótuit hóminem virgo generáre, atque hóminem, de quo légimus : Et mittet illis Dóminus hóminem, qui salvos fáciet eos, et notus erit Dóminus Ægýptiis? In véteri ítaque Testaménto virgo Hebræórum per mare duxit exércitum : in novo Testaménto Virgo, géneris aula cæléstis, elécta est ad salútem.

Te Deum laudámus.

Mense Augusto

De Expositióne sancti Gregórii Papæ in libros Regum In 1 Reg. 1

Lectio iii

FUit vir unus de Ramáthaim Sophim, de monte Ephraim. Potest

hujus montis nómine beatíssima semper Virgo María, Dei Génitrix, designári. Mons quippe fuit, quæ omnem eléctæ creatúræ altitúdinem, electiónis suæ dignitáte, transcéndit. An non mons sublímis María, quæ, ut ad conceptiónem ætérni Verbi pertíngeret, meritórum vérticem, supra omnes Angelórum choros, usque ad sólium Deitátis eréxit? Hujus enim montis præcellentíssimam dignitátem Isaías vatícinans, ait : Erit in novíssimis diébus præparátus mons domus Dómini in vértice móntium. Mons quippe in vértice móntium fuit, quia altitúdo Maríæ supra omnes Sanctos refúlsit.

Te Deum laudámus.

Mense Septembri

Ex Epístola sancti Leónis Papæ ad Pulchériam Augústam

Epistola 13 ante medium

Lectio iii

SAcraméntum reconciliatiónis nostræ, ante témpora ætérna dispósitum, nullæ implébant figúræ; quia nondum supervénerat Spíritus Sanctus in Vírginem nec virtus Altíssimi obumbráverat ei, ut et intra inteme-

ráta víscera, ædificánte sibi Sapiéntia domum, Verbum caro fíeret, et, forma Dei ac forma servi in unam conveniénte persónam, Creátor témporum nascerétur in témpore, et, per quem facta sunt ómnia, ipse inter ómnia gignerétur. Nisi enim novus homo, factus in similitúdinem carnis peccáti, nostram suscíperet vetustátem, et, consubstantiális Patri, consubstantiális esse dignarétur et matri, naturámque sibi nostram solus a peccáto liber uníret; sub jugo diáboli generáliter tenerétur humána captívitas.

Te Deum laudámus.

OFFICIUM PARVUM B. MARIÆ VIRGINIS

IN VESPERIS

Ave María secreto, quod dicitur semper in principio omnium Horarum.

℣. Deus, in adjutórium meum inténde. ℟. Dómine, ad adjuvándum me festína.

Glória Patri. Sicut erat. Allelúja.

Antiphonæ, quæ in toto Officio parvo non duplicantur, Psalmi, Capitulum et Hymnus, ut supra in Communi Festorum B. Mariæ Virginis. [174]

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Magnif. Ant. Beáta Mater * et intácta Virgo, gloriósa Regina mundi, intercéde pro nobis ad Dóminum.

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Oratio

GOncéde nos fámulos tuos, quæsumus, Dómine Deus, perpétua mentis et córporis sanitáte gaudére : et, gloriósa beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, a præsénti liberári tristítia et ætérna pérfrui lætítia. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio de Sanctis :

Ant. Sancti Dei omnes, intercédere dignémini pro nostra omniúmque salúte.

℣. Lætámini in Dómino et exsultáte, justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Oratio

PRótege, Dómine, pópulum tuum, et, Apostolórum tuórum Petri et Pauli et aliórum Apostolórum patrocínio confidéntem, perpétua defensióne consérva.

OMnes Sancti tui, quæsumus, Dómine, nos ubíque ádjuvent : ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus : et pacem tuam nostris concéde tempóribus, et ab Ecclésia tua cunctam repélle nequítiam; iter, actus et voluntátes nostras, et ómnium famulórum tuórum, in salútis tuæ prosperitáte dispóne, benefactóribus nostris sempitérna bona retríbue, et ómnibus fidélibus defúnctis réquiem ætérnam concéde. Per Dóminum.

AD COMPLETORIUM

Ave María, ut supra.

℣. Convérte nos, Deus, salutáris noster. ℟. Et avérte iram tuam a nobis.

℣. Deus, in adjutórium.

Ps. 128 Sæpe expugnavérunt, Ps. 129 De profúndis, et Ps. 130 Dómine, non est exaltátum, ut in Vesperis Feriæ IV. 161

Hymnus

MEménto, rerum Cónditor,
Nostri quod olim córporis,
Sacráta ab alvo Vírginis
Nascéndo, formam súmpseris.

María, Mater grátiæ,
Dulcis Parens cleméntiæ,
Tu nos ab hoste prótege
Et mortis hora súscipe.

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

Capitulum Eccli. 24, 24

EGO mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei.

℟. Deo grátias.

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Génitrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Nunc dimittis Ant. Sub tuum præsídium * confúgimus, sancta Dei Génitrix : nostras deprecatiónes ne despícias in necessitátibus, sed a perículis cunctis líbera nos semper, Virgo gloriósa et benedícta.

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Oratio

BEátæ et gloriósæ semper Vírginis Maríæ, quæsumus, Dómine, intercéssio gloriósa nos próte-

gat : et ad vitam perdúcat ætérnam. Per Dóminum.

AD MATUTINUM

Ave María, ut supra.

℣. Dómine, lábia mea apéries. ℟. Et os meum annuntiábit laudem tuam.

℣. Deus, in adjutórium.

Invitat. Ave, María, grátia plena; * Dóminus tecum. Ps. 94 Veníte, exsultémus.

Hymn. Quem terra. [177]

In Nocturno

Antiphonæ et Psalmi ut in Communi Festorum beatæ Mariæ Virginis, scilicet :

Dominica, Feria II et V : De I Nocturno. [177]

Feria III et VI : De II Nocturno. [180]

Feria IV et Sabbato : De III Nocturno. [184]

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Pater noster secreto usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Absolutio

PRécibus et méritis beátæ Maríæ semper Vírginis et ómnium Sanctórum, perdúcat nos Dóminus ad regna cælórum.

℟. Amen.

℣. Jube, domne, benedícere. Bened. Nos cum prole pia benedícat Virgo María. ℟. Amen.

Lectio i Eccli. 24, 11-13

IN ómnibus réquiem quæsívi, et in hereditáte Dómini morábor. Tunc præcépit et dixit mihi Creátor ómnium, et, qui creávit me, requiévit in tabernáculo meo, et dixit mihi : In Jacob inhábita, et in Israël hereditáre, et in eléctis meis mitte radíces. Tu autem, Dómine, miserére nobis.

℟. Deo grátias.

℣. Sancta et immaculáta virgínitas, quibus te láudibus éfferam, néscio : * Quia quem cæli cápere non póterant, tuo grémio contulísti. ℣. Benedicta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui. — Quia.

℣. Jube, domne, benedícere. Bened. Ipsa Virgo vírginum intercédat pro nobis ad Dóminum.

℟. Amen.

Lectio ii Eccli. 24, 15-20

ET sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei heréditas illíus, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea. Tu autem.

℟. Beáta es, Virgo María, quæ Dóminum portásti, Creatórem mundi : * Genuísti qui te fecit, et in ætérnum pérmanes virgo. ℣. Ave, María, grátia plena; Dóminus tecum. — Genuísti. Glória Patri. Genuísti.

℣. Jube, domne, benedícere. Bened. Per Vírginem Matrem concédat nobis Dóminus salútem et pacem. ℟. Amen.

Lectio iii

QUasi cedrus exaltáta sum in Líbano, et quasi cypréssus in monte Sion : quasi palma exaltáta sum in Cades, et quasi plantátio rosæ in Jéricho : quasi olíva speciósa in campis, et quasi plátanus exaltáta sum juxta aquam in platéis. Sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans odórem dedi; quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris. Tu autem.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Deus, in adjutórium.

Ant. 1 Assúmpta est María in cælum : * gaudent Angeli, laudántes benedícunt Dóminum.

Psalmi de Dominica.

2 María Virgo assúmpta est * ad æthéreum thálamum, in quo Rex regum stelláto sedet sólio.

3 In odórem * unguentórum tuórum cúrrimus : adolescéntulæ dilexérunt te nimis.

4 Benedícta * fília tu a Dómino : quia per te fructum vitæ communicávimus.

5 Pulchra es * et decóra, fília Jerúsalem, terríbilis ut castrórum ácies ordináta.

Capitulum Cant. 6, 8

VIdérunt eam fíliæ Sion, et beatíssimam prædicavérunt, et regínæ laudavérunt eam. ℟. Deo grátias.

Hymnus O gloriósa. [191]

℣. Benedícta tu in muliéribus. ℟. Et benedíctus fructus ventris tui.

Ad Bened. Ant. Beáta Dei Génitrix, María, * Virgo perpétua, templum Dómini, sacrárium Spíritus Sancti, sola sine exémplo placuísti Dómino nostro Jesu Christo : ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu.

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Oratio

DEus, qui de beátæ Maríæ Vírginis útero Verbum tuum, Angelo nuntiánte, carnem suscípere voluísti : præsta supplícibus tuis; ut, qui vere eam Genitrícem Dei crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Commemoratio de Sanctis, ut supra ad Vesperas. [195]

AD PRIMAM

Ave María, ut supra.

℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus

MEménto, rerum Cónditor,
Nostri quod olim córporis,
Sacráta ab alvo Vírginis
Nascéndo, formam súmpseris.

María, Mater grátiæ,
Dulcis Parens clementiæ,
Tu nos ab hoste prótege
Et mortis hora súscipe.

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

Ant. Assúmpta est María in cælum.

Ps. 53 Deus in nómine tuo 154; Ps. 84 Benedixísti 214; Ps. 116 Laudáte Dóminum, omnes gentes. 74

Ant. Assúmpta est María in cælum : gaudent Angeli, laudántes benedícunt Dóminum.

Capitulum Cant. 6, 9

QUÆ est ista, quæ prógreditur quasi auróra consúrgens, pulchra ut luna, elécta ut sol, terríbilis ut castrórum ácies ordináta? ℟. Deo grátias.

℣. Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta. ℟. Da mihi virtútem contra hostes tuos.

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Oratio

DEus, qui virgináli aulam beátæ Maríæ, in qua habitáres, elígere dignátus es : da, quæsumus; ut, sua nos defensióne munítos, jucúndos fácias suæ interésse commemoratióni : Qui vivis.

AD TERTIAM

Ave María, ut supra.

℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus Meménto, ut supra.

Ant. María Virgo assúmpta est.

Ps. 119 Ad Dóminum cum tribulárer 93; Ps. 120 Levávi óculos meos ibid.; Ps. 121 Lætátus sum 94.

Ant. María Virgo assúmpta est ad æthéreum thálamum, in quo Rex regum stelláto sedet sólio.

Capitulum Eccli. 24, 15

ET sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. ℟. Deo grátias.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Oratio

DEus, qui salútis ætérnæ, beátæ Maríæ virginitáte fecúnda, humáno géneri prémia præstitísti : tríbue quæsumus; ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus, per quam merúimus auctórem vitæ suscípere, Dóminum nostrum Jesum Christum, Fílium tuum : Qui tecum vivit.

AD SEXTAM

Ave María, ut supra.

℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus Meménto. [199]

Ant. Pulchra es.

Ps. 125 In converténdo 126; Ps. 126 Nisi Dóminus 127; Ps. 127 Beáti omnes. 161

Ant. Pulchra es et decóra, fília Jerúsalem, terríbilis ut castrórum ácies ordináta.

Capitulum Eccli. 24, 16

ET radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei heréditas illíus, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea. ℟. Deo grátias.

℣. Benedícta tu in muliéribus. ℟. Et benedíctus fructus ventris tui.

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Oratio

CONcéde, miséricors Deus, fragilitáti nostræ præsídium : ut, qui sanctæ Dei Genitrícis memóriam ágimus; intercessiónis ejus auxílio, a nostris iniquitátibus resurgámus. Per eúmdem Dóminum.

AD NONAM

Ave María, ut supra.

℣. Deus, in adjutórium.

Hymnus Meménto. [199]

Ant. Pulchra es.

Ps. 125 In converténdo 126; Ps. 126 Nisi Dóminus 127; Ps. 127 Beáti omnes. 161

Ant. Pulchra es et decóra, fília Jerúsalem, terrí-

bilis ut castrórum ácies ordináta.

Capit. Eccli. 24, 19-20

IN platéis sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans odórem dedi : quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris.

℟. Deo grátias.

℣. Postpartum, Virgo, inviolata permansísti. ℟. Dei Génitrix, intercéde pro nobis.

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Oratio

FAmulórum tuórum, quæsumus, Dómine, delíctis ignósce : ut, qui tibi placére de áctibus nostris non valémus; Genitrícis Fílii tui, Dómini nostri, intercessióne salvémur : Qui tecum vivit.

Officium Defunctorum

DIcitur in Choro in die depositionis et aliis diebus pro temporis opportunitate et ecclesiarum consuetudine : Vesperæ post Vesperas diei; Matutinum cum Laudibus post Laudes diei, immediate post ℣. Benedicámus Dómino et Deo grátias. Et non duplicantur Antiphonæ præterquam in die depositionis, in die post acceptum mortis nuntium, et tertio, septimo, trigesimo, et anniversario, etiam late sumpto; et quoties solemniter celebratur Officium. In fine vero omnium Psalmorum semper dicitur : Réquiem ætérnam * dona eis, Dómine. Et lux perpétua * lúceat eis etiam si pro uno tantum fiat Officium.

AD VESPERAS

Quoties Vesperæ vel delationem cadaveris ad ecclesiam ac Responsorium Subvenite vel Officium diei currentis immediate non sequantur, dicitur secreto Pater noster et Ave María; secus absolute incipitur ab

Ant. Placébo Dómino * in regióne vivórum.

Psalmus 114

DIléxi, quóniam exáudiet Dóminus * vocem oratiónis meæ.

Quia inclinávit aurem suam mihi : * et in diébus meis invocábo.

Circumdedérunt me dolóres mortis : * et perícula inférni invenérunt me.

Tribulatiónem et dolórem invéni : * et nomen Dómini invocávi.

O Dómine, líbera ánimam meam : * miséricors Dóminus, et justus, et Deus noster miserétur.

Custódiens párvulos Dóminus : * humiliátus sum, et liberávit me.

Convértere, ánima mea, in réquiem tuam : * quia Dóminus benefécit tibi.

Quia erípuit ánimam meam de morte : * óculos meos a lácrimis, pedes meos a lapsu.

Placébo Dómino : * in regióne vivórum.

Réquiem ætérnam.

Ant. Placébo Dómino in regióne vivórum.

Ant. Hei mihi, Dómine, * quia incolátus meus prolongátus est.

Psalmus 119

AD Dóminum cum tribulárer clamávi : * et exaudívit me.

Dómine, líbera ánimam meam a lábiis iníquis, * et a lingua dolósa.

Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi * ad linguam dolósam?

Sagíttæ poténtis acútæ, * cum carbónibus desolatóriis.

Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus est : habitávi cum habitántibus Cedar : * multum íncola fuit ánima mea.

Cum his, qui odérunt pacem, eram pacíficus : * cum loquébar illis, impugnábant me gratis.

Réquiem ætérnam.

Ant. Hei mihi, Dómine, quia incolátus meus prolongátus est.

Ant. Dóminus custódit te * ab omni malo : custódiat ánimam tuam Dóminus.

Psalmus 120

LEvávi óculos meos in montes, * unde véniet auxílium mihi.

Auxílium meum a Dómino, * qui fecit cælum et terram.

Non det in commotiónem pedem tuum : * neque dormitet qui custódit te.

Ecce non dormitábit neque dórmiet, * qui custódit Israël.

Dóminus custódit te, Dóminus protéctio tua, * super manum déxteram tuam.

Per diem sol non uret te :* neque luna per noctem.

Dóminus custódit te ab omni malo : * custódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus custódiat intróitum tuum, et éxitum tuum : * ex hoc nunc, et usque in sæculum.

Réquiem ætérnam.

Ant. Dóminus custódit te ab omni malo : custódiat ánimam tuam Dóminus.

Ant. Si iniquitátes * observáveris, Dómine : Dómine, quis sustinébit?

Psalmus 129

DE profúndis clamávi ad te, Dómine : * Dómine, exáudi vocem meam :

Fiant aures tuæ intendéntes, * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes observáveris, Dómine : * Dómine, quis sustinébit?

Quia apud te propitiátio est : * et propter legem tuam sustínui te, Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus : * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem : * speret Israël in Dómino.

Quia apud Dóminum misericórdia : * et copiósa apud eum redémptio.

Et ipse rédimet Israël, * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Réquiem ætérnam.

Ant. Si iniquitátes observáveris, Dómine : Dómine, quis sustinébit?

Ant. Opera * mánuum tuárum, Dómine, ne despícias.

Psalmus 137

CONfitébor tibi, Dómine, in toto corde meo : * quóniam audísti verba oris mei.

In conspéctu Angelórum psallam tibi : * adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

Super misericórdia tua, et veritáte tua : * quóniam magnificásti super omne, nomen sanctum tuum.

In quacúmque die invocávero te, exáudi me : * multiplicábis in ánima mea virtútem.

Confiteántur tibi, Dómine, omnes reges terræ : * quia audiérunt ómnia verba oris tui :

Et cantent in viis Dómini : * quóniam magna est glória Dómini.

Quóniam excélsus Dóminus, et humília réspicit : * et alta a longe cognóscit.

Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me : * et super iram inimicórum meórum extendísti manum tuam, et salvum me fecit déxtera tua.

Dóminus retríbuet pro me : * Dómine, misericórdia tua in sæculum : ópera mánuum tuárum ne despícias.

Réquiem ætérnam.

Ant. Opera mánuum tuárum, Dómine, ne despícias.

℣. Audívi vocem de cælo dicéntem mihi. ℟. Beáti mórtui qui in Dómino moriúntur.

Ad Magnif. Ant. Omne * quod dat mihi Pater, ad me véniet; et eum qui venit ad me, non ejíciam foras.

Canticum B. Mariæ V.
Luc. 1, 46-55

MAgnificat * ánima mea Dóminum :

Et exsultávit spíritus meus * in Deo, salutári meo.

Quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ : * ecce enim, ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes.

Quia fecit mihi magna qui potens est : * et sanctum nomen ejus.

Et misericórdia ejus a progénie in progénies * timéntibus eum.

Fecit poténtiam in bráchio suo : * dispérsit supérbos mente cordis sui.

Depósuit poténtes de sede, * et exaltávit húmiles.

Esuriéntes implévit bonis : * et dívites dimísit inánes.

Suscépit Israël, púerum suum, * recordátus misericórdiæ suæ.

Sicut locútus est ad patres nostros, * Abraham, et sémini ejus in sæcula.

Réquiem ætérnam.

Ant. Omne quod dat mihi Pater, ad me véniet; et eum qui venit ad me, non ejíciam foras.

Preces infrascriptæ dicuntur flexis genibus; sim liter et ad Laudes.

Pater noster secreto usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

¶ Sequens Ps. Lauda, ánima mea, non dicitur in die obitus seu depositionis defuncti, neque quandocumque Officium recitatur ritu duplici.

Psalmus 145

LAuda, ánima mea, Dóminum, laudábo Dóminum in vita mea : * psallam Deo meo quámdiu úero.

Nolíte confídere in princípibus : * in fíliis hóminum, in quibus non est salus.

Exíbit spíritus ejus, et revertétur in terram suam : * in illa die períbunt omnes cogitatiónes eórum.

Beátus, cujus Deus Jacob adjútor ejus, spes ejus in Dómino, Deo ipsíus : * qui fecit cælum et terram, mare, et ómnia, quæ in eis sunt.

Qui custódit veritátem in sæculum, facit judícium injúriam patiéntibus : * dat escam esuriéntibus.

Dóminus solvit compedítos : * Dóminus illúminat cæcos.

Dóminus érigit elísos, * Dóminus díligit justos.

Dóminus custódit ádvenas, pupíllum et víduam suscípiet : * et vias peccatórum dispérdet.

Regnábit Dóminus in sæcula, Deus tuus, Sion, * in generatiónem et generatiónem.

Réquiem ætérnam.

Deinde : ℣. A porta ínferi. ℟. Erue, Dómine, ánimam ejus (ánimas eórum).

℣. Requiésca(n)t in pace. ℟. Amen.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Dicitur Oratio conveniens ex iis, quæ sequuntur; deinde ℣. Réquiem ætérnam, cum reliquis, ut infra. [208]

In die depositionis defuncti
Oratio

ABsólve, quæsumus, Dómine, ánimam fámuli tui N. (fámulæ tuæ N.), ut defúnctus (-a) sæculo tibi vivat : et, quæ per fragilitátem carnis humána conversatióne commisit, tu vénia misericordíssimæ pietátis abstérge. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Fílium tuum : qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Vel alia Oratio

DEus, cui próprium est miseréri semper et párcere, te súpplices exorámus pro ánima fámuli tui N. (fámulæ tuæ N.), quam hódie de hoc sæculo migráre jussísti : ut non tradas eam in manus inimíci, neque obliviscáris in finem, sed júbeas eam a sanctis Angelis súscipi, et ad pátriam paradísi perdúci; ut, quia in te sperávit et crédidit, non pœnas inférni sustíneat, sed gáudia ætérna possídeat. Per Dóminum.

In die tertio, septimo et trigesimo depositionis defuncti
Oratio

QUæsumus, Dómine, ut ánimæ fámuli tui N. (fámulæ tuæ N.), cujus depositiónis diem tértium (vel séptimum, vel trigésimum) commemorámus, Sanctórum atque electórum tuórum largíri dignéris consórtium; et rorem misericórdiæ tuæ perénnem infúndas. Per Dóminum.

In Anniversario
Oratio

DEus, indulgentiárum Dómine : da ánimæ fámuli tui N. (fámulæ tuæ N., vel animábus famulórum famularúmque tuárum), cujus (quorum) anniversárium depositiónis diem commemorámus, refrigérii sedem, quiétis beatitúdinem, et lúminis claritátem. Per Dóminum.

Pro defuncto Summo Pontifice
Oratio

DEus, qui inter summos sacerdótes fámulum tuum N. ineffábili tua dis-

positióne connumerári voluísti : præsta, quǽsumus; ut, qui unigéniti Fílii tui vices in terris gerébat, sanctórum tuórum Pontíficum consórtio perpétuo aggregétur. Per eúmdem Dóminum.

Pro defuncto Episcopo

Oratio

DEus, qui inter apostólicos sacerdótes fámulum tuum N. (fámulos tuos N. et N.) pontificáli fecísti dignitáte vigére : præsta, quǽsumus; ut eórum quoque perpétuo aggregé(n)tur consórtio. Per Dóminum.

Pro Episcopo Cardinali defuncto dicatur fámulum tuum N. Episcopum Cardinálem pontificáli fecísti dignitáte.

Pro Presbytero Cardinali (Episcopo) defuncto : fámulum tuum N. Presbýterum Cardinálem pontificáli fecísti.

Pro Presbytero (vel Diácono) Cardinali (Sacerdote) defuncto : fámulum tuum N. Presbýterum (Diáconum) Cardinálem sacerdotáli fecísti.

Pro Diacono autem Cardinali, qui in ordine Presbyteratus non fuerit constitutus, dicatur Oratio Inclína, Dómine, quæ habetur paulo infra, hoc modo : ut ánimam famúli tui N. Diáconi Cardinális, quam de hoc sæculo etc.

Pro defuncto Sacerdote

Oratio

DEus, qui inter apostólicos sacerdótes fámulum tuum N. (fámulos tuos N. et N.) sacerdotáli fecísti dignitáte vigére : præsta, quǽsumus; ut eórum quoque perpétuo aggregé(n)tur consórtio. Per Dóminum.

Alia Oratio

PRæsta, quǽsumus, Dómine : ut ánima fámuli tui N. Sacerdótis, quem, in hoc sæculo commorántem, sacris munéribus decorásti, in cælésti sede gloriósa semper exsúltet. Per Dóminum.

Pro uno defuncto

Oratio

INclína, Dómine, aurem tuam ad preces nostras, quibus misericórdiam tuam súpplices deprecámur : ut ánimam fámuli tui N., quam de hoc sæculo migráre jussísti, in pacis ac lucis regióne constítuas, et Sanctórum tuórum júbeas esse consórtem. Per Dóminum.

Pro una defuncta

Oratio

QUǽsumus, Dómine, pro tua pietáte miserére ánimæ fámulæ tuæ N. : et a contágiis mortalitátis exútam, in ætérnæ salvatiónis partem restítue. Per Dóminum.

Pro defunctis fratribus, propinquis et benefactoribus

Oratio

DEus, véniæ largítor et humánæ salútis amátor : quǽsumus cleméntiam tuam; ut nostræ congregatiónis fratres, propínquos et benefactóres, qui ex hoc sæculo transiérunt, beáta María semper Vírgine intercedénte cum ómnibus Sanctis tuis, ad perpétuæ beatitúdinis consórtium perveníre concédas. Per Dóminum.

Pro patre et matre

Oratio

DEus, qui nos patrem et matrem honoráre præcepísti : miserérecleménter animábus patris et matris meæ, corúmque peccáta dimítte; meque eos in ætérnæ claritátis gáudio fac vidére. Per Dóminum.

Si fit pro pluribus, dicatur : animábus paréntum nostrórum, et, ubi dicitur meque, dicatur nosque.

Si pro patre tantum, dicatur ánimæ patris mei, vel nostri.

Si pro matre tantum, dicatur ánimæ matris meæ, vel nostræ.

In Officio Defunctorum per Annum

Oratio

DEus, qui inter apostólicos sacerdótes fámulos tuos pontificáli seu sacerdotáli fecísti dignitáte vigére : præsta, quǽsumus; ut eórum quoque perpétuo aggregéntur consórtio.

DEus, véniæ largítor et humánæ salútis amátor : quǽsumus cleméntiam tuam; ut nostræ congregatiónis fratres, propínquos et benefactóres, qui ex hoc sæculo transiérunt, beáta María semper Vírgine intercedénte cum ómnibus Sanctis tuis, ad perpétuæ beatitúdinis consórtium perveníre concédas.

FIdélium, Deus, ómnium Cónditor et Redémptor, animábus famulórum famularúmque tuárum remissiónem cunctórum tríbue peccatórum : ut indulgéntiam, quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequántur : Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritus Sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Post Orationem dicitur (semper plurali numero) :

℣. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine. ℟. Et lux perpétua lúceat eis.

℣. Requiéscant in pace. ℟. Amen.

AD MATUTINUM

Quoties Matutinum vel delationem cadaveris ad ecclesiam ac Responsorium Subveníte, vel Matutinum et Laudes diei currentis immediate non sequatur, dicitur secreto Pater noster, Ave María et Credo; secus absolute incipitur ab Invitatorio, vel ab Antiphona Nocturni.

Sequens Invitatorium dicitur semper in Officio Defunctorum, quando persolvitur cum tribus Nocturnis, etiam sub ritu semiduplici, aut cum unico quidem Nocturno, sed sub ritu duplici. In reliquis vero casibus omittitur.

Nocturni enim inferius positi omnes dici possunt vel etiam unus tantum, ita tamen, ut extra diem depositionis, in qua semper dicitur primus Nocturnus, Dominica, Feria II et V dicatur primus, Feria III et VI secundus, et Feria IV et Sabbato tertius Nocturnus.

Invitat. Regem, cui ómnia vivunt, * Veníte, adorémus.

Repet. Regem, cui ómnia vivunt, veníte, adorémus.

Psalmus 94

VEníte, exsultémus Dómino, jubilémus Deo, salutári nostro : præoccupémus fáciem ejus in confessióne, et in psalmis jubilémus ei.

Regem, cui ómnia vivunt, veníte, adorémus.

Quóniam Deus magnus Dóminus, et Rex magnus super omnes deos : quóniam non repéllet Dóminus plebem suam : quia in manu ejus sunt omnes fines terræ, et altitúdines móntium ipse cónspicit.

Veníte, adorémus.

Quóniam ipsíus est mare, et ipse fecit illud, et áridam fundavérunt manus ejus : veníte, adorémus, et procidámus ante Deum : plorémus coram Dómino, qui fecit nos, quia ipse est Dóminus, Deus noster; nos autem pópulus ejus, et oves páscuæ ejus.

Regem, cui ómnia vivunt, veníte, adorémus.

Hódie, si vocem ejus audiéritis, nolíte obduráre corda vestra, sicut in exacerbatióne secúndum diem tentatiónis in desérto : ubi tentavérunt me patres vestri, probavérunt et vidérunt ópera mea.

Veníte, adorémus.

Quadragínta annis próximus fui generatióni huic, et dixi : Semper hi errant corde; ipsi vero non cognovérunt vias meas : quibus jurávi in ira mea : Si introíbunt in réquiem meam.

Regem, cui ómnia vivunt, veníte, adorémus.

Réquiem ætérnam dona eis, Dómine : et lux perpétua lúceat eis.

Veníte, adorémus.

Regem, cui ómnia vivunt, veníte, adorémus.

In I Nocturno

Pro Dominica, Feria II et V

Ant. Dírige, * Dómine, Deus meus, in conspéctu tuo viam meam.

Psalmus 5

Erba mea áuribus pércipe, Dómine, * intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ, * Rex meus et Deus meus.

Quóniam ad te orábo : * Dómine, mane exáudies vocem meam.

Mane astábo tibi et vidébo : * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malignus : * neque permanébunt injústi ante óculos tuos.

Odísti omnes, qui operántur iniquitátem : * perdes omnes, qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum et dolósum abominábitur Dóminus : * ego autem in multitúdine misericórdiæ tuæ,

Introíbo in domum tuam : * adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dómine, deduc me in justítia tua : * propter inimícos meos dírige in conspéctu tuo viam meam.

Quóniam non est in ore eórum véritas : * cor eórum vanum est.

Sepúlcrum patens est guttur eórum, linguis suis dolóse agébant, * júdica illos, Deus.

Décidant a cogitatiónibus suis, secúndum multitúdinem impietátum eórum expélle eos, * quóniam irritavérunt te, Dómine.

Et læténtur omnes, qui sperant in te, * in ætérnum exsultábunt : et habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes, qui díligunt nomen tuum, * quóniam tu benedíces justo.

Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ * coronásti nos.

Réquiem ætérnam.

Ant. Dírige, Dómine, Deus meus, in conspéctu tuo viam meam.

Ant. Convértere, * Dómine, et éripe ánimam meam : quóniam non est in morte, qui memor sit tui.

Psalmus 6

DOmine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.

Miserére mei, Dómine, quóniam infírmus sum : * sana me, Dómine, quóniam conturbáta sunt ossa mea.

Et ánima mea turbáta est valde : * sed tu, Dómine, úsquequo?

Convértere, Dómine, et éripe ánimam meam : * salvum me fac propter misericórdiam tuam.

Quóniam non est in morte qui memor sit tui : * in inférno autem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo, lavábo per síngulas noctes lectum meum : * lácrimis meis stratum meum rigábo.

Turbátus est a furóre óculus meus : * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Discédite a me, omnes, qui operámini iniquitátem : * quóniam exaudívit Dóminus vocem fletus mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam, * Dóminus oratiónem meam suscépit.

Erubéscant, et conturbéntur veheménter omnes inimíci mei : * convertántur et erubéscant valde velóciter.

Réquiem ætérnam.

Ant. Convértere, Dómine, et éripe ánimam meam : quóniam non est in morte, qui memor sit tui.

Ant. Nequándo rápiat * ut leo ánimam meam, dum non est qui rédimat, neque qui salvum fáciat.

Psalmus 7

DOmine, Deus meus, in te sperávi : * salvum me fac ex ómnibus persequéntibus me, et líbera me.

Nequándo rápiat ut leo ánimam meam, * dum non est qui rédimat, neque qui salvum fáciat.

Dómine, Deus meus, si feci istud, * si est iníquitas in mánibus meis :

Si réddidi retribuéntibus mihi mala, * décidam mérito ab inimícis meis inánis.

Persequátur inimicus ánimam meam, et comprehéndat, et concúlcet in terra vitam meam, * et glóriam meam in púlverem dedúcat.

Exsúrge, Dómine, in ira tua : * et exaltáre in finibus inimicórum meórum.

Et exsúrge, Dómine, Deus meus, in præcépto quod mandásti : * et synagóga populórum circúmdabit te.

Et propter hanc in altum regrédere : * Dóminus júdicat pópulos.

Júdica me, Dómine, secúndum justítiam meam, * et secúndum innocéntiam meam super me.

Consumétur nequítia peccatórum, et díriges justum, * scrutans corda et renes, Deus.

Justum adjutórium meum a Dómino, * qui salvos facit rectos corde.

Deus judex justus, fortis, et pátiens : * numquid iráscitur per síngulos dies?

Nisi convérsi fuéritis, gládium suum vibrábit : * arcum suum teténdit, et parávit illum.

Et in eo parávit vasa mortis : * sagíttas suas ardéntibus effécit.

Ecce partúriit injustítiam : * concépit dolórem, et péperit iniquitátem.

Lacum apéruit, et effódit eum : * et incidit in fóveam quam fecit.

Convertétur dolor ejus in caput ejus : * et in vérticem ipsíus iníquitas ejus descéndet.

Confitébor Dómino secúndum justítiam ejus : * et psallam nómini Dómini altíssimi.

Réquiem ætérnam.

Ant. Nequándo rápiat ut leo ánimam meam, dum non est qui rédimat, neque qui salvum fáciat.

℣. A porta ínferi. ℟. Erue, Dómine, ánimas eórum.

Pater noster, totum secreto.

Lectiones leguntur sine Absolutione, Benedictionibus et Titulo.

Lectio i Job 7, 16-21

Arce mihi, Dómine; nihil enim sunt dies mei. Quid est homo, quia magníficas eum? aut quid appónis erga eum cor tuum? Vísitas eum dilúculo, et súbito probas illum. Úsquequo non parcis mihi, nec dimíttis me, ut glútiam salívam meam? Peccávi, quid fáciam tibi, o custos hóminum? quare posuísti me contrárium tibi, et factus sum mihimetipsi gravis? Cur non tollis peccátum meum, et quare non aufers iniquitátem meam? Ecce nunc in púlvere dórmiam : et si mane me quæséris, non subsístam.

Lectiones terminantur sine Tu autem, vel alia conclusione.

℟. Credo quod Redémptor meus vivit, et in novíssimo die de terra surrectúrus sum, * Et in carne mea vidébo Deum, Salvatórem meum. ℣. Quem visúrus sum ego ipse, et non álius; et óculi mei conspectúri sunt. — Et.

Lectio ii Job 10, 1-12

TÆdet ánimam meam vitæ meæ, dimíttam advérsum me elóquium meum, loquar in amaritúdine ánimæ meæ. Dicam Deo : Noli me condemnáre : índica mihi, cur me ita

júdices. Numquid bonum tibi vidétur, si calumniéris me, et ópprimas me, opus mánuum tuárum, et consílium impiórum ádjuves? Numquid óculi cárnei tibi sunt; aut, sicut videt homo, et tu vidébis? Numquid sicut dies hóminis dies tui, et anni tui sicut humána sunt témpora, ut quæras iniquitátem meam, et peccátum meum scrutéris? Et scias quia nihil ímpium fécerim, cum sit nemo qui de manu tua possit erúere.

℟. Qui Lázarum resuscitásti a monuménto fétidum, * Tu eis, Dómine, dona réquiem, et locum indulgéntiæ. ℣. Qui ventúrus es judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem. — Tu.

Lectio iii

MAnus tuæ fecérunt me, et plasmavérunt me totum in circúitu : et sic repénte præcípitas me? Meménto, quæso, quod sicut lutum féceris me, et in púlverem redúces me. Nonne sicut lac mulsísti me, et sicut cáseum me coagulásti? Pelle et cárnibus vestísti me, óssibus et nervis compegísti me. Vitam et misericórdiam tribuísti mihi, et visitátio tua custodívit spíritum meum.

℟. Dómine, quando véneris judicáre terram, ubi me abscóndam a vultu iræ tuæ? * Quia peccávi nimis in vita mea. ℣. Commíssa mea pavésco, et ante te erubésco : dum véneris judicáre, noli me condemnáre. — Quia. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine : et lux perpétua lúceat eis. Quia.

Postea ad Laudes, ut infra [222], quando dicitur unum tantum Nocturnum.

Quando tamen in die depositionis defuncti Laudes non dicuntur, post III Responsorium dicuntur Pater noster, et Preces, ut supra ad Vesperas. [205]

In II Nocturno

Pro Feria III et VI

Ant. In loco páscuæ * ibi me collocávit.

Psalmus 22

DOminus regit me, et nihil mihi déerit : * in loco páscuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me : * ánimam meam convértit.

Dedúxit me super sémitas justítiæ, * propter nomen suum.

Nam, et si ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala : * quóniam tu mecum es.

Virga tua, et báculus tuus : * ipsa me consoláta sunt.

Parásti in conspéctu meo mensam, * advérsus eos, qui tríbulant me.

Impinguásti in óleo caput meum : * et calix meus inébrians quam præclárus est!

Et misericórdia tua subsequétur me * ómnibus diébus vitæ meæ :

Et ut inhábitem in domo Dómini, * in longitúdinem diérum.

Réquiem ætérnam.

Ant. In loco páscuæ ibi me collocávit.

Ant. Delícta * juventútis meæ, et ignorántias meas ne memíneris, Dómine.

Psalmus 24

AD te, Dómine, levávi ánimam meam : * Deus meus, in te confído, non erubéscam.

Neque irrídeant me inimíci mei : * étenim univérsi, qui sústinent te, non confundéntur.

Confundántur omnes iníqua agéntes * supervácue.

Vias tuas, Dómine, demónstra mihi : * et sémitas tuas édoce me.

Dírige me in veritáte tua, et doce me : * quia tu es, Deus, salvátor meus, et te sustínui tota die.

Reminíscere miseratiónum tuárum, Dómine, * et misericordiárum tuárum, quæ a sæculo sunt.

Delícta juventútis meæ, * et ignorántias meas ne memíneris.

Secúndum misericórdiam tuam meménto mei tu : * propter bonitátem tuam, Dómine.

Dulcis et rectus Dóminus : * propter hoc legem dabit delinquéntibus in via.

Díriget mansuétos in judício : * docébit mites vias suas.

Univérsæ viæ Dómini, misericórdia et véritas, * requiréntibus testaméntum ejus et testimónia ejus.

Propter nomen tuum, Dómine, propitiáberis peccáto meo : * multum est enim.

Quis est homo qui timet Dóminum? * legem státuit ei in via, quam elégit.

Anima ejus in bonis demorábitur : * et semen ejus hereditábit terram.

Firmaméntum est Dóminus timéntibus eum : * et testaméntum ipsíus ut manifestétur illis.

Oculi mei semper ad Dóminum : * quóniam ipse evéllet de láqueo pedes meos.

Réspice in me, et miserére mei : * quia únicus et pauper sum ego.

Tribulatiónes cordis mei multiplicátæ sunt : * de necessitátibus meis érue me.

Vide humilitátem meam, et labórem meum : * et dimítte univérsa delícta mea.

Réspice inimícos meos quóniam multiplicáti sunt, * et ódio iníquo odérunt me.

Custódi ánimam meam, et érue me : * non erubéscam quóniam sperávi in te.

Innocéntes et recti adhæsérunt mihi : * quia sustínui te.

Líbera, Deus, Israël, * ex ómnibus tribulatiónibus suis.

Réquiem ætérnam.

Ant. Delícta juventútis meæ, et ignorántias meas ne memíneris, Dómine.

Ant. Credo vidére * bona Dómini in terra vivéntium.

Psalmus 26

DOminus illuminátio mea, et salus mea, * quem timébo?

Dóminus protéctor vitæ meæ, * a quo trepidábo?

Dum apprópiant super me nocéntes, * ut edant carnes meas :

Qui tribulant me inimíci mei, * ipsi infirmáti sunt, et cecidérunt.

Si consístant advérsum me castra, * non timébit cor meum.

Si exsúrgat advérsum me prœlium, * in hoc ego sperábo.

Unam pétii a Dómino, hanc requíram, * ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ :

Ut vídeam voluptátem Dómini, * et vísitem templum ejus.

Quóniam abscóndit me in tabernáculo suo : * in die malórum protéxit me in abscóndito tabernáculi sui.

In petra exaltávit me : * et nunc exaltávit caput meum super inimícos meos.

Circuívi, et immolávi in tabernáculo ejus hóstiam vociferatiónis : * cantábo, et psalmum dicam Dómino.

Exáudi, Dómine, vocem meam, qua clamávi ad te : * miserére mei, et exáudi me.

Tibi dixit cor meum, exquisívit te fácies mea : * fáciem tuam, Dómine, requíram.

Ne avértas fáciem tuam a me : * ne declínes in ira a servo tuo.

Adjútor meus esto : * ne derelínquas me, neque despícias me, Deus, salutáris meus.

Quóniam pater meus, et mater mea dereliquérunt me : * Dóminus autem assúmpsit me.

Legem pone mihi, Dómine, in via tua : * et dírige me in sémitam rectam propter inimícos meos.

Ne tradíderis me in ánimas tribulántium me : * quóniam insurrexérunt in me testes iníqui, et mentíta est iníquitas sibi.

Credo vidére bona Dómini * in terra vivéntium.

Exspécta Dóminum, viríliter age : * et confortétur cor tuum, et sústine Dóminum.

Réquiem ætérnam.

Ant. Credo vidére bona Dómini in terra vivéntium.

℣. Cóllocet eos Dóminus cum princípibus. ℟. Cum princípibus pópuli sui.

Pater noster, totum secreto.

Lectio iv Job 13, 22-28

Espónde mihi : Quantas hábeo iniquitátes et peccáta, scélera mea et delícta osténde mihi. Cur fáciem tuam abscóndis, et arbitráris me inimícum tuum? Contra fólium, quod vento rápitur, osténdis poténtiam tuam, et stípulam siccam perséqueris. Scribis enim contra me amaritúdines, et consúmere me vis peccátis adolescéntiæ meæ. Posuísti in nervo pedem meum, et observásti omnes sémitas meas, et vestígia pedum meórum considerásti; qui quasi pútrédo consuméndus sum, et quasi vestiméntum, quod coméditur a tinea.

℟. Meménto mei, Deus, quia ventus est vita mea, * Nec aspíciat me visus hóminis. ℣. De profúndis clamávi ad te, Dómine : Dómine, exáudi vocem meam. — Nec.

Lectio v Job 14, 1-6

Homo natus de muliere, brevi vivens témpore, replétur multis misériis. Qui quasi flos egréditur et contéritur, et fugit velut umbra, et numquam in eódem statu pérmanet. Et dignum ducis super hujuscémodi aperíre óculos tuos, et addúcere eum tecum in judícium? Qui potest fácere mundum de immúndo concéptum sémine? Nonne tu qui solus es? Breves dies hóminis sunt, número rus ménsium ejus apud te est : constituísti términos ejus, qui præteríri non póterunt. Recéde páululum ab eo, ut quiéscat, donec optáta véniat, sicut mercenárii, dies ejus.

℟. Hei mihi, Dómine, quia peccávi nimis in vita mea : Quid fáciam, miser? ubi fúgiam, nisi ad te, Deus meus? * Miserére mei, dum véneris in novíssimo die. ℣. Anima mea turbáta est valde, sed tu, Dómine, succúrre ei. — Miserére mei, dum véneris in novíssimo die.

Lectio vi Job 14, 13-16

Quis mihi hoc tribuat, ut in inférno prótegas me et abscóndas me, donec pertránseat furor tuus, et constítuas mihi tempus in quo recordéris mei? Putásne mórtuus homo rursum vivat? Cunctis diébus quibus nunc mílito, exspécto donec véniat immutátio mea. Vocábis me, et ego respondébo tibi; óperi mánuum tuárum pórriges déxteram. Tu quidem gressus meos dinumerásti, sed parce peccátis meis.

℟. Ne recordéris peccáta mea, Dómine, * Dum véneris judicáre sæculum per ignem. ℣. Dírige, Dómine, Deus meus, in conspéctu tuo viam meam. — Dum. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine : et lux perpétua lúceat eis. Dum.

Postea ad Laudes, ut infra [222], quando dicitur unum tantum Nocturnum.

In III Nocturno

Pro Feria IV et Sabbato

Ant. Compláceat * tibi, Dómine, ut erípias me : Dómine, ad adjuvándum me réspice.

Psalmus 39

Exspéctans exspectávi Dóminum, * et inténdit mihi.

Et exaudívit preces meas : * et edúxit me de lacu miséria, et de luto fæcis.

Et státuit super petram pedes meos : * et diréxit gressus meos.

Et immísit in os meum cánticum novum, * carmen Deo nostro.

Vidébunt multi, et timébunt : * et sperábunt in Dómino.

Beátus vir, cujus est nomen Dómini spes ejus : * et non respéxit in vanitátes et insánias falsas.

Multa fecísti tu, Dómine, Deus meus, mirabília tua : * et cogitatiónibus tuis non est qui símilis sit tibi.

Annuntiávi et locútus sum : * multiplicáti sunt super número rum.

Sacrifícium et oblatiónem noluísti : * aures autem perfecísti mihi.

Holocáustum et pro peccáto non postulásti : * tunc dixi : Ecce, vénio.

In cápite libri scriptum est de me ut fácerem voluntátem tuam : * Deus meus, vólui, et legem tuam in médio cordis mei.

Annuntiávi justítiam tuam in ecclésia magna, * ecce lábia mea non prohibébo : Dómine, tu scisti.

Justítiam tuam non abscóndi in corde meo : * veritátem tuam et salutáre tuum dixi.

Non abscóndi misericórdiam tuam et veritátem tuam * a concílio multo.

Tu autem, Dómine, ne longe fácias miseratiónes tuas a me : * misericórdia tua et véritas tua semper suscepérunt me.

Quóniam circumdedérunt me mala, quorum non est número rus : * comprehendérunt me iniquitátes meæ, et non pótui ut vidérem.

Multiplicátæ sunt super capíllos cápitis mei : * et cor meum derelíquit me.

Compláceat tibi, Dómine, ut éruas me : * Dómine, ad adjuvándum me réspice.

Confundántur et revereántur simul, qui quærunt ánimam meam, * ut áuferant eam.

Convertántur retrórsum, et revereántur, * qui volunt mihi mala.

Ferant conféstim confusiónem suam, * qui dicunt mihi : Euge, euge.

Exsúltent et læténtur super te omnes quæréntes te : * et dicant semper : Magnificétur Dóminus : qui díligunt salutáre tuum.

Ego autem mendícus sum, et pauper : * Dóminus sollícitus est mei.

Adjútor meus, et protéctor meus tu es : * Deus meus, ne tardáveris.

Réquiem ætérnam.

Ant. Compláceat tibi, Dómine, ut erípias me : Dómine, ad adjuvándum me réspice.

Ant. Sana, Dómine, * ánimam meam, quia peccávi tibi.

Psalmus 40

Beátus qui intélligit super egénum, et páuperem : * in die mala liberábit eum Dóminus.

Dóminus consérvet eum, et vivíficet eum, et beátum fáciat eum in terra : * et non tradat eum in ánimam inimicórum ejus.

Dóminus opem ferat illi super lectum dolóris ejus : * univérsum stratum ejus versásti in infirmitáte ejus.

Ego dixi : Dómine, miserére mei : * sana ánimam meam, quia peccávi tibi.

Inimíci mei dixérunt mala mihi : * Quando moriétur, et peribit nomen ejus?

Et si ingrediebátur ut vidéret, vana loquebátur : * cor ejus congregávit iniquitátem sibi.

Egrediebátur foras, * et loquebátur in idípsum.

Advérsum me susurrábant omnes inimíci mei : * advérsum me cogitábant mala mihi.

Verbum iníquum constituérunt advérsum me : * Numquid qui dormit non adjíciet ut resúrgat?

Etenim homo pacis meæ, in quo sperávi : * qui edébat panes meos, magnificávit super me supplantatiónem.

Tu autem, Dómine, miserére mei, et resúscita me : * et retríbuam eis.

In hoc cognóvi quóniam voluísti me : * quóniam non gaudébit inimícus meus super me.

Me autem propter innocéntiam suscepísti : * et confirmásti me in conspéctu tuo in ætérnum.

Benedíctus Dóminus, Deus Israël, a sæculo et usque in sæculum : * fiat, fiat.

Réquiem ætérnam.

Ant. Sana, Dómine, ánimam meam, quia peccávi tibi.

Ant. Sitívit * ánima mea ad Deum vivum : quando véniam, et apparébo ante fáciem Dómini?

Psalmus 41

QUemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum : * ita desíderat ánima mea ad te, Deus.

Sitívit ánima mea ad Deum fortem vivum : * quando véniam, et apparébo ante fáciem Dei?

Fuérunt mihi lácrimæ meæ panes die ac nocte : * dum dícitur mihi quotídie : Ubi est Deus tuus?

Hæc recordátus sum, et effúdi in me ánimam meam : * quóniam transíbo in locum tabernáculi admirábilis, usque ad domum Dei.

In voce exsultatiónis, et confessiónis : * sonus epulántis.

Quare tristis es, ánima mea? * et quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultus mei, et Deus meus.

Ad meípsum ánima mea conturbáta est : * propterea memor ero tui de terra Jordánis, et Hermóniim a monte módico.

Abýssus abýssum invocat, * in voce cataractárum tuárum.

Omnia excélsa tua, et fluctus tui * super me transiérunt.

In die mandávit Dóminus misericórdiam suam : * et nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitæ meæ, * dicam Deo : Suscéptor meus es.

Quare oblítus es mei? * et quare contristátus incédo, dum afflígit me inimícus?

Dum confringúntur ossa mea, * exprobravérunt mihi qui tríbulant me inimíci mei.

Dum dicunt mihi per síngulos dies : Ubi est Deus tuus? * quare tristis es, ánima mea? et quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultus mei, et Deus meus.

Réquiem ætérnam.

Ant. Sitívit ánima mea ad Deum vivum : quando véniam, et apparébo ante fáciem Dómini?

℣. Ne tradas béstiis ánimas confiténtes tibi. ℟. Et ánimas páuperum tuórum ne obliviscáris in finem.

Pater noster, totum secreto.

Lectio vii
Job 17, 1-3; 11-15

SPíritus meus attenuábitur, dies mei breviabúntur, et solum mihi súperest sepúlcrum. Non peccávi, et in amaritudínibus morátur óculus meus. Líbera me, Dómine, et pone me juxta te, et cujúsvis manus pugnet contra me. Dies mei transiérunt, cogitatiónes meæ dissipátæ sunt, torquéntes cor meum. Noctem vertérunt in diem, et rursum post ténebras spero lucem. Si sustinúero, inférnus domus mea est, et in ténebris stravi léctulum meum. Putrédini dixi : Pater meus es; mater mea et soror mea, vérmibus. Ubi est ergo nunc præstolátio mea, et patiéntiam meam quis considerat?

℟. Peccántem me quotídie, et non me pæniténtem, timor mortis contúrbat me : * Quia in inférno nulla est redémptio, miserére mei, Deus, et salva me. ℣. Deus, in nómine tuo salvum me fac, et in virtúte tua líbera me. — Quia.

Lectio viii
Job 19, 20-27

PElli meæ, consúmptis cárnibus, adhæsit os meum, et derelícta sunt tantúmmodo lábia circa dentes meos. Miserémini mei, miserémini mei, saltem vos, amíci mei, quia manus Dómini tétigit me. Quare persequímini me sicut Deus, et cárnibus meis saturámini? Quis mihi tríbuat, ut scribántur sermónes mei? quis mihi det, ut exaréntur in libro, stilo férreo et plumbi lámina, vel celte sculpántur in sílice? Scio enim quod redémptor meus vivit, et in novíssimo die de terra surrectúrus sum : et rursum circúmdabor pelle mea, et in carne mea vidébo Deum meum. Quem visúrus sum ego ipse, et óculi mei conspectúri sunt, et non álius : repósita est hæc spes mea in sinu meo.

℟. Dómine, secúndum actum meum noli me judicáre : nihil dignum in conspéctu tuo egi; ídeo déprecor majestátem tuam, * Ut tu, Deus, déleas iniquitátem meam. ℣. Amplius lava me, Dómine, ab injustítia mea, et a delícto meo munda me. — Ut.

Lectio ix
Job 10, 18-22

QUare de vulva eduxísti me? qui útinam consúmptus essem ne óculus me vidéret. Fuíssem quasi non essem, de útero translátus ad túmulum. Numquid non páucitas diérum meórum finiétur brevi? Dimítte ergo me, ut plangam páululum dolórem meum, ántequam vadam, et non revértar, ad terram tenebrósam et opértam mortis calígine; terram miséria et tenebrárum, ubi umbra mortis et nullus ordo, sed sempitérnus horror inhábitat.

Sequens Responsorium tunc ponitur, quando dictus fuerit tertius tantum Nocturnus pro Defunctis.

℟. Líbera me, Dómine, de viis inférni, qui portas æreas confregísti, et visitásti infernum, et dedísti eis lumen, ut vidérent te * Qui erant in pœnis tenebrárum. ℣. Clamántes et dicéntes : Advenísti, Redémptor noster. — Qui. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine : et lux perpétua lúceat eis. Qui.

Sequens Responsorium ponitur loco præcedentis, quando tres Nocturni dicti fuerint pro Defunctis.

℟. Líbera me, Dómine, de morte ætérna in die illa treménda, * Quando cæli movéndi sunt et terra, * Dum véneris judicáre sæculum per ignem. ℣. Tremens factus sum ego et tímeo, dum discússio vénerit atque ventúra ira. Quando. ℣. Dies illa, dies iræ, calamitátis et miséria, dies magna et amára valde. — Dum. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine : et lux perpétua lúceat eis. Líbera me, usque ad primum ℣. Tremens exclusive.

Si Matutinum, cum unico vel tribus Nocturnis, in privata recitatione a Laudibus separetur, post ultimum Responsorium subjungitur :

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Deinde dicitur Oratio (seu dicuntur Orationes), ut supra in Vesperis [206], additis sequentibus :

℣. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine. ℟. Et lux perpétua lúceat eis.

℣. Requiéscant in pace. ℟. Amen.

Laudes vero, dictis secreto Pater noster et Ave María,

absolute inchoantur ab Antiphona Exsultábunt Dómino.

Sed in recitatione publica vel privata, si Laudes omnino omittantur, post ultimum Responsorium dicuntur Preces, ut infra ad Laudes. [226]

AD LAUDES

Absolute incipitur ab

Ant. Exsultábunt Dómino * ossa humiliáta.

Psalmus 50

Iserére mei, Deus, * secúndum magnam misericórdiam tuam.

Et secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum, * dele iniquitátem meam.

Amplius lava me ab iniquitáte mea : * et a peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognósco : * et peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, et malum coram te feci : * ut justificéris in sermónibus tuis, et vincas cum judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus sum : * et in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexísti : * incérta et occúlta sapiéntiæ tuæ manifestásti mihi.

Aspérges me hyssópo, et mundábor : * lavábis me, et super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium et lætítiam : * et exsultábunt ossa humiliáta.

Avérte fáciem tuam a peccátis meis : * et omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus : * et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

Ne projícias me a fácie tua : * et spíritum sanctum tuum ne áuferas a me.

Redde mihi lætítiam salutáris tui : * et spíritu principáli confírma me.

Docébo iníquos vias tuas : * et ímpii ad te converténtur.

Líbera me de sanguínibus, Deus, Deus salútis meæ : * et exsultábit lingua mea justítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries : * et os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam si voluísses sacrifícium, dedíssem útique : * holocáustis non delectáberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribulátus : * cor contrítum, et humiliátum, Deus, non despícies.

Benígne fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion : * ut ædificéntur muri Jerúsalem.

Tunc acceptábis sacrifícium justítiæ, oblatiónes, et holocásta : * tunc ímponent super altáre tuum vítulos.

Réquiem ætérnam.

Ant. Exsultábunt Dómino ossa humiliáta.

Ant. Exáudi, Dómine, * oratiónem meam : ad te omnis caro véniet.

Psalmus 64

TE decet hymnus, Deus, in Sion : * et tibi reddétur votum in Jerúsalem.

Exáudi oratiónem meam : * ad te omnis caro véniet.

Verba iniquórum prævaluérunt super nos : * et impietátibus nostris tu propitiáberis.

Beátus, quem elegísti, et assumpsísti : * inhabitábit in átriis tuis.

Replébimur in bonis domus tuæ : * sanctum est templum tuum, mirábile in æquitáte.

Exáudi nos, Deus, salutáris noster, * spes ómnium fínium terræ, et in mari longe.

Præparans montes in virtúte tua, accínctus poténtia : * qui contúrbas profúndum maris sonum flúctuum ejus.

Turbabúntur gentes, et timébunt qui hábitant términos a signis tuis : * éxitus matutíni, et véspere delectábis.

Visitásti terram, et inebriásti eam : * multiplicásti locupletáre eam.

Flumen Dei replétum est aquis, parásti cibum illórum : * quóniam ita est præparátio ejus.

Rivos ejus inébria, multíplica genímina ejus : * in stillicídiis ejus lætábitur gérminans.

Benedíces corónæ anni benignitátis tuæ : * et campi tui replebúntur ubertáte.

Pinguéscent speciósa desérti : * et exsultatióne colles accingéntur.

Indúti sunt aríetes óvium, et valles abundábunt fruménto : * clamábunt, étenim hymnum dicent.

Réquiem ætérnam.

Ant. Exáudi, Dómine, oratiónem meam : ad te omnis caro véniet.

Ant. Me suscépit * déxtera tua, Dómine.

Psalmus 62

DEus, Deus meus, * ad te de luce vígilo.

Sitívit in te ánima mea, * quam multipliciter tibi caro mea.

In terra desérta, et ínvia, et inaquósa : * sic in sancto appárui tibi, ut vidérem virtútem tuam, et glóriam tuam.

Quóniam mélior est misericórdia tua super vitas : * lábia mea laudábunt te.

Sic benedícam te in vita mea : * et in nómine tuo levábo manus meas.

Sicut ádipe et pinguédine repleátur ánima mea : * et lábiis exsultatiónis laudábit os meum.

Si memor fui tui super stratum meum, in matutínis meditábor in te : * quia fuísti adjútor meus.

Et in velaménto alárum tuárum exsultábo, adhæsit ánima mea post te : * me suscépit déxtera tua.

Ipsi vero in vanum quæsiérunt ánimam meam, introíbunt in inferióra terræ : * tradéntur in manus gládii, partes vúlpium erunt.

Rex vero lætábitur in Deo, laudabúntur omnes qui jurant in eo : * quia obstrúctum est os loquéntium iníqua.

Réquiem ætérnam.

Ant. Me suscépit déxtera tua, Dómine.

Ant. A porta ínferi * érue, Dómine, ánimam meam.

Canticum Ezechiæ
Is. 38, 10-20

EGO dixi : In dimidio diérum meórum * vadam ad portas ínferi.

Quæsívi resíduum annórum meórum. * Dixi : Non vidébo Dóminum Deum in terra vivéntium.

Non aspíciam hóminem ultra, * et habitatórem quiétis.

Generátio mea ablàta est, et convolúta est a me, * quasi tabernáculum pastórum.

Præcísa est velut a texénte vita mea : dum adhuc ordírer, succídit me : * de mane usque ad vésperam fínies me.

Sperábam usque ad mane, * quasi leo sic contrívit ómnia ossa mea :

De mane usque ad vésperam fínies me : * sicut pullus hirúndinis sic clamábo, meditábor ut colúmba :

Attenuáti sunt óculi mei,* suspiciéntes in excélsum :

Dómine, vim pátior, respónde pro me. * Quid dicam, aut quid respondébit mihi, cum ípse fécerit?

Recogitábo tibi omnes annos meos * in amaritúdine ánimæ meæ.

Dómine, si sic vívitur, et in tálibus vita spíritus mei, corrípies me, et vivificábis me. * Ecce in pace amaritúdo mea amarissima :

Tu autem eruísti ánimam meam ut non períret : * projecísti post tergum tuum ómnia peccáta mea.

Quia non inférnus confitébitur tibi, neque mors laudábit te : * non exspectábunt qui descéndunt in lacum, veritátem tuam.

Vivens vivens ipse confitébitur tibi, sicut et ego hódie : * pater filiis notam fáciet veritátem tuam.

Dómine, salvum me fac, * et psalmos nostros cantábimus cunctis diébus vitæ nostræ in domo Dómini.

Réquiem ætérnam.

Ant. A porta ínferi érue, Dómine, ánimam meam.

Ant. Omnis spíritus * laudet Dóminum.

Psalmus 150

LAudáte Dóminum in sanctis ejus : * laudáte eum in firmaménto virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus : * laudáte eum secúndum multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in sono tubæ : * laudáte eum in psaltério, et cithara.

Laudáte eum in týmpano, et choro : * laudáte eum in chordis, et órgano.

Laudáte eum in cýmbalis benesonántibus : laudáte eum in cýmbalis jubilatiónis : * omnis spíritus laudet Dóminum.

Réquiem ætérnam.

Ant. Omnis spíritus laudet Dóminum.

℣. Audivi vocem de cælo dicéntem mihi. ℟. Beáti mórtui qui in Dómino moriúntur.

Ad Bened. Ant. Ego sum * resurréctio et vita : qui credit in me, étiam si mórtuus fúerit, vivet; et omnis qui vivit et credit in me, non moriétur in ætérnum.

Canticum Zachariæ
Luc. 1, 68-79

BEnedictus Dóminus, Deus Israël, * quia visitávit, et fecit redemptiónem plebis suæ :

Et eréxit cornu salútis nobis : * in domo David, púeri sui.

Sicut locútus est per os sanctórum, * qui a sæculo sunt, Prophetárum ejus :

Salútem ex inimícis nostris, * et de manu ómnium, qui odérunt nos :

Ad faciéndam misericórdiam cum pátribus nostris : * et memorári testaménti sui sancti.

Jusjurándum, quod jurávit ad Abraham, patrem nostrum, * datúrum se nobis :

Ut sine timóre, de manu inimicórum nostrórum liberáti, * serviámus illi.

In sanctitáte, et justítia coram ipso, * ómnibus diébus nostris.

Et tu, puer, Prophéta Altíssimi vocáberis : * præibis enim ante fáciem Dómini paráre vias ejus :

Ad dandam sciéntiam salútis plebi ejus : * in remissiónem peccatórum eórum :

Per víscera misericórdiæ Dei nostri : * in quibus visitávit nos, óriens ex alto :

Illumináre his, qui in ténebris, et in umbra mortis sedent : * ad dirigéndos pedes nostros in viam pacis.

Réquiem ætérnam.

Ant. Ego sum resurréctio et vita : qui credit in me, étiam si mórtuus fúerit, vivet; et omnis qui vivit et credit in me, non moriétur in ætérnum.

Deinde flexis genibus :

Pater noster secreto usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Psalmus 129

Qui non dicitur in die obitus seu depositionis defuncti, nec quandocumque Officium recitatur sub ritu duplici.

DE profúndis clamávi ad te, Dómine : * Dómine, exáudi vocem meam :

Fiant aures tuæ intendéntes, * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes observáveris, Dómine : * Dómine, quis sustinébit?

Quia apud te propitiátio est : * et propter legem tuam sustínui te, Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus : * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem : * speret Israël in Dómino.

Quia apud Dóminum misericórdia : * et copiósa apud eum redémptio.

Et ipse rédimet Israël, * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Réquiem ætérnam.

Deinde : ℣. A porta ínferi. ℟. Erue, Dómine, ánimam ejus (ánimas eórum).

℣. Requiésca(n)t in pace.

℟. Amen.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Dicitur Oratio conveniens ut supra in Vesperis. [206]

Post Orationem dicitur (semper plurali numero) :

℣. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine. ℟. Et lux perpétua lúceat eis.

℣. Requiéscant in pace.

℟. Amen.

PSALMI GRADUALES

Sicubi recitentur in Choro, congrue dicuntur ante Matutinum diei; extra Chorum vero pro temporis opportunitate.

Primi quinque Psalmi dicuntur sine Glória Patri; sed in fine ultimi dicitur Réquiem ætérnam.

Incipiuntur absolute sine Antiphona.

Ps. 119 Ad Dóminum cum tribulárer, 93;

Ps. 120 Leváví, ibíd.;

Ps. 121 Lætátus sum, 94;

Ps. 122 Ad te leváví, 125;

Ps. 123 Nisi quía, 126.

Réquiem ætérnam * dona eis, Dómine.

Et lux perpétua * lúceat eis.

Deinde dicitur flexis genibus :

Pater noster secreto usque ad ℣. Et ne nos indúcas ín tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. A porta ínferi. ℟. Erue, Dómine, ánimas eórum.

℣. Requiéscant ín pace.

℟. Amen.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio

ABsólve, quæsumus, Dómine, ánimas famulórum famularúmque tuárum et ómnium fidélium defunctórum, ab omni vínculo delictórum : ut ín resurrectiónis glória ínter Sanctos et Eléctos tuos resuscitáti respírent. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Post Orationem statim dicuntur alii Psalmi Graduales qui sequuntur; et in fine cujuslibet Psalmi dicitur Glória Patri.

Psalmus 124 Qui confídunt, 126;

Ps. 125 In converténdo, ibíd.;

Ps. 126 Nisi Dóminus, 127;

Ps. 127 Beáti omnes, 161;

Ps. 128 Sæpe expugnavérunt, ibid.

Postea dicitur flexis genibus :

Kýrie, eléison. Chriſte, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad ℣. Et ne nos indúcas ín tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Meménto Congregatiónis tuæ. ℟. Quam possedísti ab ínitio.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio

DEus, cui próprium est miseréri semper et párcere : súscipe deprecatiónem nostram; ut nos, et omnes fámulos tuos, quos delictórum caténa constríngit, miserátio tuæ pietátis cleménter absólvat. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Post Orationem statim dicuntur alii Psalmi Graduales qui sequuntur; et in fine cujuslibet Psalmi dicitur Glória Patri.

Psalmus 129 De profúndis, 161;

Ps. 130 Dómine, non est exaltátum, 162;

Ps. 131 Meménto, Dómine, ibid.;

Ps. 132 Ecce quam bonum, 194;

Ps. 133 Ecce nunc benedícite. 62

Deinde dicitur flexis genibus :

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Salvos fac servos tuos. ℟. Deus meus, sperántes in te.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio

PRæténde, Dómine, fámulis et famulábus tuis déxteram cæléstis auxílii : ut te toto corde perquírant, et, quæ digne póstulant, cónsequi mereántur. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

SEPTEM PSALMI PÆNITENTIALES

CUM LITANIIS

Sicubi recitentur in Choro, congrue dicuntur post Matutinum et Laudes diei flexis genibus, dicto Benedicámus Dómino et Deo grátias; extra Chorum pro temporis opportunitate.

Litaniæ similiter, quando dicendæ sunt sine Psalmis Pœnitentialibus, dicuntur extra Processionem, flexis genibus in Choro post Matutinum et Laudes diei, dicto Benedicámus Dómino et Deo grátias; extra Chorum vero pro temporis opportunitate. Sed neque in Choro neque extra Chorum anticipari possunt de sero

Ant. Ne reminiscáris.

Psalmus 6

DOmine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.

Miserére mei, Dómine, quóniam infírmus sum : * sana me, Dómine, quóniam conturbáta sunt ossa mea.

Et ánima mea turbáta est valde : * sed tu, Dómine, úsquequo?

Convértere, Dómine, et éripe ánimam meam : * salvum me fac propter misericórdiam tuam.

Quóniam non est in morte qui memor sit tui : * in inférno autem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo, lavábo per síngulas noctes lectum meum : * lácrimis meis stratum meum rigábo.

Turbátus est a furóre óculus meus : * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Discédite a me, omnes qui operámini iniquitátem : * quóniam exaudívit Dóminus vocem fletus mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam, * Dóminus oratiónem meam suscépit.

Erubéscant, et conturbéntur veheménter omnes inimíci mei : * convertántur et erubéscant valde velóciter.

Glória Patri.

Psalmus 31

BEáti quorum remissæ sunt iniquitátes : * et quorum tecta sunt peccáta.

Beátus vir, cui non imputávit Dóminus peccátum, * nec est in spíritu ejus dolus.

Quóniam tácui, inveteravérunt ossa mea, * dum clamárem tota die.

Quóniam die ac nocte graváta est super me manus tua : * convérsus sum in ærúmna mea, dum confígitur spina.

Delíctum meum cógnitum tibi feci : * et injustítiam meam non abscóndi.

Dixi : Confitébor advérsum me injustítiam meam Dómino : * et tu remisísti impietátem peccáti mei.

Pro hac orábit ad te omnis sanctus, * in témpore opportúno.

Verúmtamen in dilúvio aquárum multárum, * ad eum non approximábunt.

Tu es refúgium meum a tribulatióne, quæ circúmdedit me : * exsultátio mea, érue me a circumdántibus me.

Intelléctum tibi dabo, et ínstruam te in via hac, qua gradiéris : * firmábo super te óculos meos.

Nolíte fíeri sicut equus et mulus, * quibus non est intelléctus.

In camo et freno maxíllas eórum constrínge, * qui non appróximant ad te.

Multa flagélla peccatóris, * sperántem autem in Dómino misericórdia circúmdabit.

Lætámini in Dómino et exsultáte, justi, * et gloriámini, omnes recti corde.

Glória Patri.

Psalmus 37

DOmine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.

Quóniam sagíttæ tuæ infíxæ sunt mihi : * et confirmásti super me manum tuam.

Non est sánitas in carne mea a fácie iræ tuæ : * non est pax óssibus meis a fácie peccatórum meórum.

Quóniam iniquitátes meæ supergréssæ sunt caput meum : * et sicut onus grave gravátæ sunt super me.

Putruérunt et corrúptæ sunt cicatríces meæ, * a fácie insipiéntiæ meæ.

Miser factus sum, et curvátus sum usque in finem : * tota die contristátus ingrediébar.

Quóniam lumbi mei impléti sunt illusiónibus : * et non est sánitas in carne mea.

Afflíctus sum, et humiliátus sum nimis : * rugiébam a gémitu cordis mei.

Dómine, ante te omne desidérium meum : * et gémitus meus a te non est abscónditus.

Cor meum conturbátum est, derelíquit me virtus mea : * et lumen oculórum meórum, et ipsum non est mecum.

Amíci mei, et próximi mei * advérsum me appropinquavérunt, et stetérunt.

Et qui juxta me erant, de longe stetérunt : * et vim faciébant qui quærébant ánimam meam.

Et qui inquirébant mala mihi, locúti sunt vanitátes : * et dolos tota die meditabántur.

Ego autem tamquam surdus non audiébam : * et sicut mutus non apériens os suum.

Et factus sum sicut homo non áudiens : * et non habens in ore suo redargutiónes.

Quóniam in te, Dómine, sperávi : * tu exáudies me, Dómine, Deus meus.

Quia dixi : Nequándo supergáudeant mihi inimici mei : * et dum commovén-

tur pedes mei, super me magna locúti sunt.

Quóniam ego in flagélla parátus sum : * et dolor meus in conspéctu meo semper.

Quóniam iniquitátem meam annuntiábo : * et cogitábo pro peccáto meo.

Inimíci autem mei vivunt, et confirmáti sunt super me : * et multiplicáti sunt qui odérunt me iníque.

Qui retríbuunt mala pro bonis, detrahébant mihi : * quóniam sequébar bonitátem.

Ne derelínquas me, Dómine, Deus meus : * ne discésseris a me.

Inténde in adjutórium meum, * Dómine, Deus salútis meæ.

Glória Patri.

Psalmus 50

Miserére mei, Deus, * secúndum magnam misericórdiam tuam.

Et secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum, * dele iniquitátem meam.

Amplius lava me ab iniquitáte mea : * et a peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognósco : * et peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, et malum coram te feci : * ut justificéris in sermónibus tuis, et vincas cum judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus sum : * et in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexísti : * incérta et occúlta sapiéntiæ tuæ manifestásti mihi.

Aspérges me hyssópo, et mundábor : * lavábis me, et super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium et lætítiam : * et exsultábunt ossa humiliáta.

Avérte fáciem tuam a peccátis meis : * et omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus : * et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

Ne projícias me a fácie tua : * et spíritum sanctum tuum ne áuferas a me.

Redde mihi lætítiam salutáris tui : * et spíritu principáli confírma me.

Docébo iníquos vias tuas : * et ímpii ad te converténtur.

Líbera me de sanguínibus, Deus, Deus salútis meæ : * et exsultábit lingua mea justítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries : * et os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam si voluísses sacrifícium, dedíssem útique : * holocáustis non delectáberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribulátus : * cor contrítum, et humiliátum, Deus, non despícies.

Benígne fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion : * ut ædificéntur muri Jerúsalem.

Tunc acceptábis sacrifícium justítiæ, oblatiónes, et holocáusta : * tunc impónent super altáre tuum vítulos.

Glória Patri.

Psalmus 101

Domine, exáudi oratiónem meam : * et clamor meus ad te véniat.

Non avértas fáciem tuam a me : * in quacúmque die tríbulor, inclína ad me aurem tuam.

In quacúmque die invocávero te, * velóciter exáudi me.

Quia defecérunt sicut fumus dies mei : * et ossa mea sicut crémium aruérunt.

Percússus sum ut fœnum, et áruit cor meum : * quia oblítus sum comédere panem meum.

A voce gémitus mei * adhæsit os meum carni meæ.

Símilis factus sum pellicáno solitúdinis : * factus sum sicut nyctícorax in domicílio.

Vigilávi, * et factus sum sicut passer solitárius in tecto.

Tota die exprobrábant mihi inimíci mei : * et qui laudábant me, advérsum me jurábant.

Quia cinerem tamquam panem manducábam, * et potum meum cum fletu miscébam.

A fácie iræ et indignatiónis tuæ : * quia élevans allisísti me.

Dies mei sicut umbra declinavérunt : * et ego sicut fœnum árui.

Tu autem Dómine, in ætérnum pérmanes : * et memoriále tuum in generatiónem et generatiónem.

Tu exsúrgens miserébéris Sion : * quia tempus miseréndi ejus, quia venit tempus.

Quóniam placuérunt servis tuis lápides ejus : * et terræ ejus miserebúntur.

Et timébunt gentes nomen tuum, Dómine, * et omnes reges terræ glóriam tuam.

Quia ædificávit Dóminus Sion : * et vidébitur in glória sua.

Respéxit in oratiónem humílium : * et non sprevit precem eórum.

Scribántur hæc in generatióne áltera : * et pópulus, qui creábitur, laudábit Dóminum :

Quia prospéxit de excélso sancto suo : * Dóminus de cælo in terram aspéxit :

Ut audíret gémitus compeditórum : * ut sólveret fílios interemptórum :

Ut annúntient in Sion nomen Dómini : * et laudem ejus in Jerúsalem.

In conveniéndo pópulos in unum, * et reges ut sérviant Dómino.

Respóndit ei in via virtútis suæ : * Paucitátem diérum meórum núntia mihi.

Ne révoces me in dimídio diérum meórum : * in generatiónem et generatiónem anni tui.

Inítio tu, Dómine, terram fundásti : * et ópera mánuum tuárum sunt cæli.

Ipsi períbunt, tu autem pérmanes : * et omnes sicut vestiméntum veterascent.

Et sicut opertórium mutábis eos, et mutabúntur : * tu autem idem ipse es, et anni tui non defícient.

Fílii servórum tuórum habitábunt : * et semen eórum in sæculum dirigétur.

Glória Patri.

Psalmus 129

De profúndis clamávi ad te, Dómine : * Dómine, exáudi vocem meam :

Fiant aures tuæ intendéntes, * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes observáveris, Dómine : * Dómine, quis sustinébit?

Quia apud te propitiátio est : * et propter legem tuam sustínui te, Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus : * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem : * speret Israël in Dómino.

Quia apud Dóminum misericórdia : * et copiósa apud eum redémptio.

Et ipse rédimet Israël, * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Glória Patri.

Psalmus 142

Domine, exáudi oratiónem meam : áuribus pércipe obsecratiónem meam in veritáte tua : * exáudi me in tua justítia.

Et non intres in judícium cum servo tuo : * quia non justificábitur in conspéctu tuo omnis vivens.

Quia persecútus est inimícus ánimam meam : * humiliávit in terra vitam meam.

Collocávit me in obscúris sicut mórtuos sæculi : * et anxiátus est super me spíritus meus, in me turbátum est cor meum.

Memor fui diérum antiquórum, meditátus sum in ómnibus opéribus tuis : * in factis mánuum tuárum meditábar.

Expándi manus meas ad te : * ánima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velóciter exáudi me, Dómine : * defécit spíritus meus.

Non avértas fáciem tuam a me : * et símilis ero descendéntibus in lacum.

Audítam fac mihi mane misericórdiam tuam : * quia in te sperávi.

Notam fac mihi viam, in qua ámbulem : * quia ad te levávi ánimam meam.

Eripe me de inimícis meis, Dómine, ad te confúgi : * doce me fácere voluntátem tuam, quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam : * propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me, in æquitáte tua.

Edúces de tribulatióne ánimam meam : * et in misericórdia tua dispérdes inimícos meos.

Et perdes omnes, qui tríbulant ánimam meam : * quóniam ego servus tuus sum.

Glória Patri.

Ant. Ne reminiscáris, Dómine, delicta nostra vel paréntum nostrórum, neque vindíctam sumas de peccátis nostris.

LITANIÆ

Kyrie, eléison.
Christe, eléison.
Kýrie, eléison.
Christe, audi nos.
Christe, exáudi nos.
Pater de cælis Deus, miserére nobis.
Fili, Redémptor mundi, Deus, miserére nobis.
Spíritus Sancte, Deus, miserére nobis.
Sancta Trínitas, unus Deus, miserére nobis.
Sancta María, ora pro nobis.
Sancta Dei Génitrix, ora.
Sancta Virgo vírginum, ora pro nobis.
Sancte Míchaël, ora.
Sancte Gábriel, ora.
Sancte Ráphaël, ora.
Omnes sancti Angeli et Archángeli, oráte.
Omnes sancti beatórum Spirítuum órdines, oráte.
Sancte Joánnes Baptísta, ora pro nobis.
Sancte Joseph, ora.
Omnes sancti Patriárchæ et Prophétæ, oráte.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andréa, ora.
Sancte Jacóbe, ora.
Sancte Joánnes, ora.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Jacóbe, ora.
Sancte Philíppe, ora.
Sancte Bartholomæe, ora.
Sancte Matthæe, ora.
Sancte Simon, ora.

Sancte Thaddæe, ora pro nobis.
Sancte Matthía, ora.
Sancte Bárnaba, ora.
Sancte Luca, ora.
Sancte Marce, ora.
Omnes sancti Apóstoli et Evangelistæ, oráte.
Omnes sancti Discípuli Dómini, oráte.
Omnes sancti Innocéntes, oráte.
Sancte Stéphane, ora.
Sancte Laurénti, ora.
Sancte Vincénti, ora.
Sancti Fabiáne et Sebastiáne, oráte.
Sancti Joánnes et Paule, oráte.
Sancti Cosma et Damiáne, oráte.
Sancti Gervási et Protási, oráte.
Omnes sancti Mártyres, oráte.
Sancte Silvéster, ora.
Sancte Gregóri, ora.
Sancte Ambrósi, ora.
Sancte Augustíne, ora.
Sancte Hierónyme, ora.
Sancte Martíne, ora.
Sancte Nicoláe, ora.
Omnes sancti Pontífices et Confessóres, oráte.
Omnes sancti Doctóres, oráte.
Sancte Antóni, ora.
Sancte Benedícte, ora.
Sancte Bernárde, ora.
Sancte Domínice, ora.
Sancte Francísce, ora.
Omnes sancti Sacerdótes et Levítæ, oráte.
Omnes sancti Mónachi et Eremítæ, oráte.
Sancta María Magdaléna, ora.
Sancta Agatha, ora.
Sancta Lúcia, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Cæcília, ora.
Sancta Catharína, ora.
Sancta Anastásia, ora.
Omnes sanctæ Vírgines et Víduæ, oráte.
Omnes Sancti et Sanctæ Dei, intercédite pro nobis.
Propítius esto, parce nobis, Dómine.
Propítius esto, exáudi nos, Dómine.
Ab omni malo, líbera nos, Dómine.
Ab omni peccáto, libera.
Ab ira tua, líbera.
A subitánea et improvísa morte, líbera.
Ab insídiis diáboli, líbera.
Ab ira, et ódio, et omni mala voluntáte, líbera.
A spíritu fornicatiónis, líbera.
A fúlgure et tempestáte, líbera.
A flagéllo terræmótus, líbera.
A peste, fame et bello, líbera.
A morte perpétua, líbera.
Per mystérium sanctæ Incarnatiónis tuæ, líbera.
Per advéntum tuum, líbera.
Per nativitátem tuam, líbera nos, Dómine.

Per baptísmum et sanctum jejúnium tuum, líbera nos, Dómine.
Per crucem et passiónem tuam, líbera.
Per mortem et sepultúram tuam, líbera.
Per sanctam resurrectiónem tuam, líbera.
Per admirábilem ascensiónem tuam, líbera.
Per advéntum Spíritus Sancti Parácliti, líbera.
In die judícii, líbera.
Peccatóres, te rogámus, audi nos.
Ut nobis parcas, te rogámus.
Ut nobis indúlgeas, te rogámus.
Ut ad veram pæniténtiam nos perdúcere dignéris, te rogámus.
Ut Ecclésiam tuam sanctam régere et conserváre dignéris, te rogámus.
Ut domnum Apostólicum et omnes ecclesiásticos órdines in sancta religióne conserváre dignéris, te rogámus.
Ut inimícos sanctæ Ecclésiæ humiliáre dignéris, te rogámus.
Ut régibus et princípibus christiánis pacem et veram concórdiam donáre dignéris, te rogámus.
Ut cuncto pópulo christiáno pacem et unitátem largíri dignéris, te rogámus.
Ut omnes errántes ad unitátem Ecclésiæ revocáre, et infidéles univérsos ad Evangélii lumen perdúcere dignéris, te rogámus.
Ut nosmetípsos in tuo sancto servítio confortáre et conserváre dignéris, te rogámus.
Ut mentes nostras ad cæléstia desidéria érigas, te rogámus.
Ut ómnibus benefactóribus nostris sempitérna bona retríbuas, te rogámus, audi nos.
Ut ánimas nostras, fratrum, propinquórum et benefactórum nostrórum ab ætérna damnatióne erípias, te rogámus, audi nos.
Ut fructus terræ dare et conserváre dignéris, te rogámus.
Ut ómnibus fidélibus defúnctis réquiem ætérnam donáre dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut nos exaudíre dignéris, te rogámus.
Fili Dei, te rogámus.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, parce nobis, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, exáudi nos, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, miserére nobis.

Christe, audi nos.
Christe, exáudi nos.

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Psalmus 69

EUs, in adjutórium meum inténde : * Dómine, ad adjuvándum me festína.

Confundántur et revereántur, * qui quærunt ánimam meam.

Avertántur retrórsum, et erubéscant, * qui volunt mihi mala.

Avertántur statim erubescéntes, * qui dicunt mihi : Euge, euge.

Exsúltent et læténtur in te omnes qui quærunt te, * et dicant semper : Magnificétur Dóminus : qui díligunt salutáre tuum.

Ego vero egénus, et pauper sum : * Deus, ádjuva me.

Adjútor meus, et liberátor meus es tu : * Dómine, ne moréris.

Glória Patri. Sicut erat.

℣. Salvos fac servos tuos. ℟. Deus meus, sperántes in te.

℣. Esto nobis, Dómine, turris fortitúdinis. ℟. A fácie inimíci.

℣. Nihil proficiat inimícus in nobis. ℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére nobis.

℣. Dómine, non secúndum peccáta nostra fácias nobis. ℟. Neque secúndum iniquitátes nostras retríbuas nobis.

℣. Orémus pro Pontífice nostro N. ℟. Dóminus consérvet eum, et vivíficet eum, et beátum fáciat eum in terra, et non tradat eum in ánimam inimicórum ejus.

℣. Orémus pro benefactóribus nostris. ℟. Retribúere dignáre, Dómine, ómnibus, nobis bona faciéntibus propter nomen tuum, vitam ætérnam. Amen.

℣. Orémus pro fidélibus defúnctis. ℟. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine, et lux perpétua lúceat eis.

℣. Requiéscant in pace.
℟. Amen.

℣. Pro frátribus nostris abséntibus. ℟. Salvos fac servos tuos, Deus meus, sperántes in te.

℣. Mitte eis, Dómine, auxílium de sancto. ℟. Et de Sion tuére eos.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio

DEus, cui próprium est miseréri semper et párcere : súscipe deprecatiónem nostram, ut nos, et omnes fámulos tuos, quos delictórum caténa constríngit, miserátio tuæ pietátis cleménter absólvat.

EXáudi, quæsumus, Dómine, súpplicum preces, et confiténtium tibi parce peccátis : ut páriter nobis indulgéntiam tríbuas benígnus et pacem.

INeffábilem nobis, Dómine, misericórdiam tuam cleménter osténde : ut simul nos et a peccátis ómnibus éxuas, et a pœnis, quas pro his merémur, erípias.

DEus, qui culpa offénderis, pæniténtia placáris : preces pópuli tui supplicántis propítius réspice; et flagélla tuæ iracúndiæ, quæ pro peccátis nostris merémur, avérte.

OMnípotens sempitérne Deus, miserére fámulo tuo Pontífici nostro N., et dírige eum secúndum tuam cleméntiam in viam salútis ætérnæ : ut, te donánte, tibi plácita cúpiat, et tota virtúte perfíciat.

DEus, a quo sancta desidéria, recta consília et justa sunt ópera : da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem; ut et corda nostra mandátis tuis dédita, et, hóstium subláta formídine, témpora sint, tua protectióne, tranquílla.

QUE igne Sancti Spíritus renes nostros et cor nostrum, Dómine : ut tibi casto córpore serviámus, et mundo corde placeámus.

FIdélium, Deus, ómnium Cónditor et Redémptor, animábus famulórum famularúmque tuárum remissiónem cunctórum tríbue peccatórum : ut indulgéntiam, quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequántur.

ACtiónes nostras, quæsumus, Dómine, aspirándo præveni et adjuvándo proséquere : ut cuncta nostra orátio et operátio a te semper incípiat, et per te cœpta finiátur.

OMnípotens sempitérne Deus, qui vivórum domináris simul et mortuórum, omniúmque miseréris quos tuos fide et ópere futúros esse prænóscis : te súpplices exorámus; ut, pro quibus effúndere preces decrévimus, quosque vel præsens sæculum adhuc in carne rétinet vel futúrum jam exútos córpore suscépit, intercedéntibus ómnibus Sanctis tuis, pietátis tuæ cleméntia, ómnium delictórum suórum véniam consequántur. Per Dóminum nostrum.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Exáudiat nos omnípotens et miséricors Dóminus. ℟. Amen.
℣. Et fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace.
℟. Amen.

ORDO COMMENDATIONIS ANIMÆ

Primum dicuntur Litaniæ breves in hunc modum :

KYrie, eléison.
Christe, eléison.
Kýrie, eléison.

Sancta María, ora pro eo (ea).
Omnes sancti Angeli et Archángeli, oráte pro eo (ea).
Sancte Abel, ora.
Omnis chorus Justórum, ora.
Sancte Abraham, ora.
Sancte Joánnes Baptísta, ora.
Sancte Joseph, ora.
Omnes sancti Patriárchæ et Prophétæ, oráte.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andréa, ora.
Sancte Joánnes, ora.
Omnes sancti Apóstoli et Evangelístæ, oráte.
Omnes sancti Discípuli Dómini, oráte.
Omnes sancti Innocéntes, oráte.
Sancte Stéphane, ora.
Sancte Laurénti, ora.
Omnes sancti Mártyres, oráte.
Sancte Silvéster, ora.
Sancte Gregóri, ora.
Sancte Augustíne, ora.
Omnes sancti Pontífices et Confessóres, oráte.
Sancte Benedícte, ora.
Sancte Francísce, ora.
Sancte Camílle, ora.
Sancte Joánnes de Deo, ora.
Omnes sancti Mónachi et Eremítæ, oráte.
Sancta María Magdaléna, ora.
Sancta Lúcia, ora.
Omnes sanctæ Vírgines et Víduæ, oráte.
Omnes Sancti et Sanctæ Dei, intercédite pro eo (ea).
Propítius esto, parce ei, Dómine.
Propítius esto, líbera eum (eam), Dómine.
Propítius esto, líbera.

Ab ira tua, líbera.
A perículo mortis, líbera.
A mala morte, líbera.
A pœnis inférni, líbera.
Ab omni malo, líbera.
A potestáte diáboli, líbera.
Per nativitátem tuam, líbera.
Per crucem et passiónem tuam, líbera.
Per mortem et sepultúram tuam, líbera.
Per gloriósam resurrectiónem tuam, líbera.
Per admirábilem ascensiónem tuam, líbera.
Per grátiam Spíritus Sancti Paráclíti, líbera.
In die judícii, líbera.
Peccatóres, te rogámus, audi nos.
Ut ei parcas, te rogámus.
Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Deinde, cum in agone sui exitus anima anxiatur, dicantur sequentes Orationes :

Oratio

Roficíscere, ánima christiána, de hoc mundo, in nómine Dei Patris omnipoténtis, qui te creávit; in nómine Jesu Christi Fílii Dei vivi, qui pro te passus est; in nómine Spíritus Sancti, qui in te effúsus est; in nómine gloriósæ et sanctæ Dei Genitrícis Vírginis Maríæ; in nómine beáti Joseph, ínclyti ejúsdem Vírginis Sponsi; in nómine Angelórum et Archangelórum; in nómine Thronórum et Dominatiónum; in nómine Principátuum et Potestátum; in nómine Virtútum, Chérubim et Séraphim; in nómine Patriarchárum et Prophetárum; in nómine sanctórum Apostolórum et Evangelistárum; in nómine sanctórum Mártyrum et Confessórum; in nómine sanctórum Monachórum et Eremitárum; in nómine sanctárum Vírginum, et ómnium Sanctórum et Sanctárum Dei; hódie sit in pace locus tuus, et habitátio tua in sancta Sion. Per eúmdem Christum, Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Oratio

Deus miséricors, Deus clemens, Deus, qui secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum peccáta pœniténtium deles, et præteritórum críminum culpas vénia remissiónis evácuas : réspice propítius super hunc fámulum tuum N. (hanc fámulam tuam N.), et remissiónem ómnium peccatórum suórum tota cordis confessióne poscéntem deprecátus exáudi. Rénova in eo (ea), piíssime Pater, quidquid terréna fragilitáte corrúptum, vel quidquid diabólica fraude violátum est; et unitáti córporis Ecclésiæ membrum redemptiónis annécte. Miserére, Dómine, gemítuum, miserére lacrimárum ejus; et non habéntem fidúciam, nisi in tua misericórdia, ad tuæ Sacraméntum reconciliatiónis admítte. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Oratio

Commémdo te omnipoténti Deo, caríssime frater (caríssima soror), et ei, cujus es creatúra, commítto; ut, cum humanitátis débitum morte interveniénte persólveris, ad auctórem tuum, qui te de limo terræ formáverat, revertáris. Egrediénti itaque ánimæ tuæ de córpore spléndidus Angelórum cœtus occúrrat : judex Apostolórum tibi senátus advéniat : candidatórum tibi Mártyrum triumphátor exércitus óbviet : liliáta rutiléntium te Confessórum turma circúmdet : jubiléntium te Vírginum chorus excípiat : et beátæ quiétis in sinu Patriarchárum te compléxus astríngat : sanctus Joseph, moriéntium Patrónus dulcíssimus, in magnam spem te érigat : sancta Dei Génitrix Virgo María suos benígna óculos ad te convértat : mitis atque festívus Christi Jesu tibi aspéctus appáreat, qui te inter assisténtes sibi júgiter interésse decérnat. Ignóres omne quod horret in ténebris, quod stridet in flammis, quod crúciat in torméntis. Cedat tibi tetérrimus sátanas cum satellítibus suis : in advéntu tuo, te comitántibus Angelis, contremíscat, atque in ætérnæ noctis chaos immáne diffúgiat. Exsúrgat Deus, et dissipéntur inimíci ejus, et fúgiant qui odérunt eum, a fácie ejus. Sicut déficit fumus, defíciant : sicut fluit cera a fácie ignis, sic péreant peccatóres a fácie Dei. Et justi epuléntur, et exsúltent in conspéctu Dei. Confundántur ígitur et erubéscant omnes tartáreæ legiónes, et ministri sátanæ iter tuum impedíre non áudeant. Líberet te a cruciátu Christus, qui pro te crucifíxus est. Líberet te ab ætérna morte Christus, qui pro te mori dignátus est. Constítuat te Christus, Fílius Dei vivi, intra paradísi sui semper amœna viréntia, et inter oves suas te verus ille Pastor agnóscat. Ille ab ómnibus peccátis tuis te absólvat, atque ad déxteram suam in electórum suórum te sorte constítuat. Redemptórem tuum fácie ad fáciem vídeas, et præsens semper assístens, manifestíssimam beátis óculis aspícias veritátem. Constitútus (-a) ígitur inter ágmina Beatórum, contemplatiónis divínæ dulcédine potiáris in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Oratio

Suscipe, Dómine, servum tuum (ancíllam tuam) in locum sperándæ sibi salvatiónis a misericórdia tua. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui (ancíllæ tuæ) ex ómnibus perículis inférni, et de láqueis pœnárum, et ex ómnibus tribulatiónibus. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui (ancíllæ tuæ), sicut liberásti Henoch et Elíam de commúni morte mundi. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui (ancíllæ tuæ), sicut liberásti Noë de dilúvio. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui (ancíllæ tuæ), sicut liberásti Abraham de Ur Chaldæórum. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui (ancíllæ tuæ), sicut liberásti Job de passiónibus suis. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui (ancíllæ tuæ), sicut liberásti Isaac de hóstia, et de manu patris sui Abrahæ. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui (ancíllæ tuæ), sicut liberásti Lot de Sódomis, et de flamma ignis. ℟. Amen.

Libera, Dómine, ánimam servi tui (ancíllæ tuæ), sicut liberásti Móysen de manu Pharaónis regis Ægyptiórum. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui (ancíllæ tuæ), sicut liberásti Daniélem de lacu leónum. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui (ancíllæ tuæ), sicut liberásti tres púeros de camíno ignis ardéntis, et de manu regis iníqui. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui (ancíllæ tuæ), sicut liberásti Susánnam de falso crímine. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui (ancíllæ tuæ), sicut liberásti David de manu regis Saul, et de manu Goliæ. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui (ancíllæ tuæ), sicut liberásti Petrum et Paulum de carcéribus. ℟. Amen.

Et sicut beatíssimam Theclam Vírginem et Mártyrem tuam de tribus atrocíssimis torméntis liberásti, sic liberáre dignéris ánimam hujus servi tui (ancíllæ tuæ), et tecum fácias in bonis congaudére cæléstibus. ℟. Amen.

Oratio

COmmendámus tibi, Dómine, ánimam fámuli tui N. (fámulæ tuæ N.) precamúrque te, Dómine Jesu Christe, Salvátor mundi : ut, propter quam ad terram misericórditer descendísti, Patriarchárum tuórum sínibus insinuáre non rénuas. Agnósce, Dómine, creatúram tuam, non a diis aliénis creátam, sed a te, solo Deo vivo et vero; quia non est álius Deus præter te, et non est secúndum ópera tua. Lætífica, Dómine, ánimam ejus in conspéctu tuo; et ne memíneris iniquitátum ejus antiquárum et ebrietátum, quas suscitávit furor sive fervor mali desidérii. Licet enim peccáverit, tamen Patrem, et Fílium, et Spíritum Sanctum non negávit, sed crédidit; et zelum Dei in se hábuit, et Deum, qui fecit ómnia, fidéliter adorávit.

Oratio

DElícta juventútis et ignorántias ejus, quæsumus, ne memíneris, Dómine; sed secúndum magnam misericórdiam tuam memor esto illíus in glória claritátis tuæ. Aperiántur ei cæli, collæténtur illi Angeli. In regnum tuum, Dómine, servum tuum (ancíllam tuam) súscipe. Suscípiat eum (eam) sanctus Míchaël Archángelus Dei, qui milítiæ cæléstis méruit principátum. Véniant illi óbviam sancti Angeli Dei, et perdúcant eum (eam) in civitátem cæléstem Jerúsalem. Suscípiat eum (eam) beátus Petrus Apóstolus, cui a Deo claves regni cæléstis tráditæ sunt. Adjuvet eum (eam) sanctus Paulus Apóstolus, qui dignus fuit esse vas electiónis. Intercédat pro eo (ea) sanctus Joánnes, eléctus Dei Apóstolus, cui reveláta sunt secréta cæléstia. Orent pro eo (ea) omnes sancti Apóstoli, quibus a Dómino data est potéstas ligándi atque solvéndi. Intercédant pro eo (ea) omnes Sancti et Elécti Dei, qui pro Christi nómine torménta in hoc sæculo sustinuérunt; ut vínculis carnis exútus (-a) perveníre mereátur ad glóriam regni cæléstis, præstánte Dómino nostro Jesu Christo : Qui cum Patre et Spíritu Sancto vivit et regnat in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Oratio

CLementíssima Virgo Dei Génitrix María, mæréntium piíssima consolátrix, fámuli (fámulæ) N. spíritum Fílio suo comméndet : ut, hoc matérno

intervéntu, terróres mortis non tímeat; sed desideratam cæléstis pátriæ mansiónem, ea cómite, lætus (-a) ádeat. ℟. Amen.

Oratio

AD te confúgio, sancte Joseph, Patróne moriéntium, tibíque, in cujus beáto tránsitu vígiles astitérunt Jesus et María, per hoc utrúmque caríssimum pignus, ánimam hujus fámuli N. (fámulæ N.) in extrémo agóne laboránte enixe comménde, ut ab insídiis diáboli, et a morte perpétua, te protegénte, liberétur, et ad gáudia ætérna perveníre mereátur. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Si anxiatur adhuc anima, dicuntur hi Psalmi, videlicet Ps. 117 Confitémini 40, et totus Ps. 118 Beáti immaculáti, per Horas Dominicæ distributus. 42-57

IN EXSPIRATIONE

Moriens, si potest, dicat; vel si non potest, assistens sive Sacerdos pro eo clara voce pronuntiet : Jesu, Jesu, Jesu. Quod et ea quæ sequuntur, ad illius aures, si videbitur, etiam sæpius repetat :

In manus tuas, Dómine, comméndo spíritum meum. Dómine Jesu Christe, súscipe spíritum meum.

Sancta María, ora pro me. María, mater grátiæ, mater misericórdiæ, tu me ab hoste prótege, et hora mortis súscipe.

Sancte Joseph, ora pro me. Sancte Joseph, cum beáta Vírgine Sponsa tua, áperi mihi divínæ misericórdiæ sinum.

Jesu, María, Joseph, vobis cor et ánimam meam dono.

Jesu, María, Joseph, astáte mihi in extrémo agóne.

Jesu, María, Joseph, in pace vobíscum dórmiam et requiéscam.

Egressa autem anima, dicitur hoc

℟. Subveníte, Sancti Dei, occúrrite, Angeli Dómini, * Suscipiéntes ánimam ejus, * Offeréntes eam in conspéctu Altíssimi. ℣. Suscípiat te Christus, qui vocávit te, et in sinum Abrahæ Angeli dedúcant te. ℟. Suscipiéntes ánimam ejus, * Offeréntes eam in conspéctu Altíssimi. ℣. Réquiem ætérnam dona ei, Dómine : et lux perpétua lúceat ei. — Offeréntes.

Deinde Kýrie, eléison, Christe, eléison. Kýrie. eléison.

Postea Pater noster secreto usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Réquiem ætérnam dona ei, Dómine. ℟. Et lux perpétua lúceat ei.

℣. A porta ínferi. ℟. Erue, Dómine, ánimam ejus.

℣. Requiéscat in pace.

℟. Amen.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio

TIbi, Dómine, commendámus ánimam fámuli tui N. (fámulæ tuæ N.), ut defúnctus (-a) sæculo tibi vivat : et quæ per fragilitátem humánæ conversatiónis peccáta commísit, tu vénia misericordíssimæ pietátis abstérge. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

FORMULA

AD IMPERTIENDAM INDULGENTIAM PLENARIAM IN ARTICULO MORTIS

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

Ant. Ne reminiscáris, Dómine, delícta fámuli tui (ancíllæ tuæ), neque vindíctam sumas de peccátis ejus.

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Salvum (-am) fac servum tuum (ancíllam tuam). ℟. Deus meus, sperántem in te.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio

CLementíssime Deus, Pater misericordiárum et Deus totíus consolatiónis, qui néminem vis períre in te credéntem atque sperántem : secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum réspice propitius fámulum tuum N., quem (fámulam tuam N., quam) tibi vera fides et spes christiána comméndant. Vísita eum (eam) in salutári tuo, et, per Unigéniti tui passiónem et mortem, ómnium ei delictórum suórum remissiónem et véniam cleménter indúlge; ut ejus ánima in hora éxitus sui te júdicem propitiátum invéniat, et, in sánguine ejúsdem Fílii tui

ab omni mácula ablúta, transíre ad vitam mereátur perpétuam. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Tunc, dicto ab uno e Clericis astantibus Confíteor, Sacerdos dicat Misereátur et Indulgéntiam, ac deinde :

DOminus noster Jesus Christus, Fílius Dei vivi, qui beáto Petro Apóstolo suo dedit potestátem ligándi atque solvéndi, per suam píssimam misericórdiam recípiat confessiónem tuam, et restítuat tibi stolam primam, quam in baptísmate recepísti. Et ego, facultáte mihi ab Apostólica Sede tributa, indulgéntiam plenáriam et remissiónem ómnium peccatórum tibi concédo. In nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. ℟. Amen.

Per sacrosáncta humánæ reparatiónis mystéria, remíttat tibi omnípotens Deus omnes præséntis et futúræ vitæ pœnas, paradísi portas apériat et ad gáudia sempitérna perdúcat. ℟. Amen.

Benedícat te omnípotens Deus Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus. ℟. Amen.

Si vero Infirmus sit adeo morti proximus, ut neque confessionis generalis faciendæ, neque præmissarum precum recitandarum suppetat tempus, statim sacerdos benedictionem ei impertiatur, dicendo :

Ego, facultáte mihi ab Apostólica Sede tributa, indulgéntiam plenáriam et remissiónem ómnium peccatórum tibi concédo. In nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti.

℟. Amen.

Per sacrosáncta... etc., ut supra.

Benedícat te... ut supra.

In casu vero necessitatis sufficit dicere :

Ego facultáte mihi ab Apostólica Sede tributa, indulgéntiam plenáriam et remissiónem ómnium peccatórum tibi concédo, et benedíco te. In nómine Patris et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. ℟. Amen.

Quando hujusmodi Benedictio Apostolica pluribus simul infirmis impertitur, omnia dicantur semel ut supra, singulari tantum numero in pluralem immutato.

BENEDICTIO MENSÆ

ANTE PRANDIUM

Sacerdos benedicturus mensam incipit : Benedícite, et alii repetunt : Benedícite.

Deinde Sacerdos incipit Versum :

OCuli ómnium, et alii prosequuntur : In te sperant, Dómine, et tu das escam illórum in témpore opportúno. Aperis tu manum tuam, et imples omne ánimal benedictióne.

Glória Patri. Sicut erat.

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Postea Sacerdos dicit :

Orémus.

BEnedic, Dómine, nos, et hæc tua dona, quæ de tua largitáte sumus sumptúri. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Deinde Lector : Jube, domne, benedícere.

Bened. Mensæ cæléstis partícipes fáciat nos Rex ætérnæ glóriæ. ℟. Amen.

POST PRANDIUM

aguntur gratiæ hoc modo :

Dicto a Lectore Tu autem, Dómine, miserére nobis. ℟. Deo grátias, omnes surgunt.

Sacerdos incipit : ℣. Confiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua. ℟. Et Sancti tui benedícant tibi.

Glória Patri. Sicut erat.

Postea Sacerdos absolute dicat :

AGimus tibi grátias, omnípotens Deus, pro univérsis benefíciis tuis : Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Deinde alternatim dicitur Ps. 50 Miserére mei, Deus 75 vel [231].

Vel Psalmus 116

LAudáte Dóminum, omnes gentes : * laudáte eum, omnes pópuli :

Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus : * et véritas Dómini manet in ætérnum.

Glória Patri. Sicut erat.

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Sacerdos dicit Pater noster, quod cum aliis secreto prosequitur usque ad

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Dispérsit, dedit paupéribus. ℟. Justítia ejus manet in sæculum sæculi.

℣. Benedícam Dóminum in omni témpore. ℟. Semper laus ejus in ore meo.

℣. In Dómino laudábitur ánima mea. ℟. Audiant mansuéti, et læténtur.

℣. Magnificáte Dóminum mecum. ℟. Et exaltémus nomen ejus in idípsum.

℣. Sit nomen Dómini benedíctum. ℟. Ex hoc nunc et usque in sæculum.

Deinde Sacerdos absolute dicat :

REtribúere dignáre, Dómine, ómnibus, nobis bona faciéntibus propter nomen tuum, vitam ætérnam. ℟. Amen.

℣. BenedicámusDómino.

℟. Deo grátias.

℣. Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen.

Pater noster, totum secreto.

Quo finito, Sacerdos dicit :

℣. Deus det nobis suam pacem. ℟. Amen.

ANTE CŒNAM

Sacerdos benedicturus mensam incipit : Benedícite, et alii repetunt : Benedícite.

Deinde Sacerdos incipit Versum :

EDent páuperes, et alii prosequuntur : Et saturabúntur, et laudábunt Dóminum, qui requírunt eum : vivent corda eórum in sæculum sæculi.

Glória Patri. Sicut erat.

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Orémus.

BEnedic, Dómine, nos, et hæc tua dona, quæ de tua largitáte sumus sumptúri. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

℣. Jube, domne, benedícere.

Bened. Ad cœnam vitæ ætérnæ perdúcat nos Rex ætérnæ glóriæ.

℟. Amen.

POST CŒNAM

aguntur gratiæ ut post Prandium, sed dicitur :

℣. Memóriam fecit mirabílium suórum miséricors et miserátor Dóminus. ℟. Escam dedit timéntibus se.

Glória Patri. Sicut erat.

BEnedíctus Deus in donis suis, et sanctus in ómnibus opéribus suis : Qui vivit et regnat in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Deinde alternatim dicitur Ps. 116 Laudáte Dóminum, omnes gentes, et reliqua ut supra. [247]

Quando semel comeditur, omnia dicuntur ut in Cœna.

Prædictus modus benedicendi mensam, et agendi gratias, servatur omni tempore hujus Partis Æstivæ.

ITINERARIUM

Clericus in ipso itineris ingressu, si solus fuerit, dicat quæ sequuntur in singulari; si cum sociis, in plurali.

Ant. In viam pacis.

Canticum Zachariæ Benedíctus Dóminus, Deus Israël. [225]

Ant. In viam pacis et prosperitátis dírigat nos omnípotens et miséricors Dóminus, et Angelus Ráphaël comitétur nobíscum in via; ut cum pace, salúte et gáudio revertámur ad própria.

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster secreto usque ad ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Salvos fac servos tuos. ℟. Deus meus, sperántes in te.

℣. Mitte nobis, Dómine, auxílium de sancto. ℟. Et de Sion tuére nos.

℣. Esto nobis, Dómine, turris fortitúdinis. ℟. A fácie inimíci.

℣. Nihil proficiat inimícus in nobis. ℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére nobis.

℣. Benedíctus Dóminus die quotídie. ℟. Prósperum iter fáciat nobis Deus salutárium nostrórum.

℣. Vias tuas, Dómine, demónstra nobis. ℟. Et sémitas tuas édoce nos.

℣. Utinam dirigántur viæ nostræ. ℟. Ad custodiéndas justificatiónes tuas.

℣. Erunt prava in diécta. ℟. Et áspera in vias planas.

℣. Angelis suis Deus mandávit de te. ℟. Ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio

DEus, qui fílios Israël per maris médium sicco vestígio ire fecísti, quique tribus Magis iter ad te stella duce pandísti : tríbue nobis, quæsumus, iter prósperum tempúsque tranquíllum; ut, Angelo tuo sancto cómite, ad eum quo pérgimus locum, ac demum ad ætérnæ salútis portum perveníre feliciter valeámus.

DEus, qui Abraham púerum tuum, de Ur Chaldæórum edúctum, per omnes suæ peregrinatiónis vias illæsum custodísti; quæsumus, ut nos fámulos tuos custodíre dignéris : esto nobis, Dómine, in procínctu suffrágium, in via solátium, in æstu umbráculum, in plúvia et frígore tegumméntum, in lassitúdine vehículum, in adversitáte præsídium, in lúbrico báculus, in naufrágio portus; ut, te duce, quo téndimus, próspere perveniámus, et demum incólumes ad própria redeámus.

ADésto, quæsumus, Dómine, supplicatiónibus nostris : et viam famulórum tuórum in salútis tuæ prosperitáte dispóne; ut inter omnes viæ et vitæ hujus varietátes tuo semper protegámur auxílio.

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus : ut fámilia tua per viam salútis incédat; et, beáti Joánnis Præcursóris hortaménta sectándo, ad eum, quem prædíxit, secúra pervéniat, Dóminum nostrum Jesum Christum, Fílium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

℣. Procedámus in pace. ℟. In nómine Dómini. Amen.

Preces ante et post Missam

PRÆPARATIO AD MISSAM

PRO OPPORTUNITATE SACERDOTIS FACIENDA

Quilibet Sacerdos, ex concessione Pii Pp. XI, sub die 3 Octobris 1936, lucrari potest : Indulgentiam quinque annorum si, ante Missæ celebrationem, recitet Psalmos 83, 84, 85, 115 et 129 cum adnexa antiphona, versiculis et Orémus ut infra; plenariam, si per integrum mensem prædictas preces quotidie recitaverit, additis confessione sacramentali et oratione ad Summi Pontificis mentem.

Ant. Ne reminiscáris, * Dómine, delícta nostra vel paréntum nostrórum, neque vindíctam sumas de peccátis nostris.

Quæ Antiphona in Duplicibus tantum duplicatur.

Psalmus 83

QUam dilécta tabernácula tua, Dómine virtútum : * concupíscit, et déficit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum, et caro mea * exsultavérunt in Deum vivum.

Etenim passer invénit sibi domum : * et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altária tua, Dómine virtútum : * Rex meus, et Deus meus.

Beáti, qui hábitant in domo tua, Dómine : * in sæcula sæculórum laudábunt te.

Beátus vir, cujus est auxílium abs te : * ascensiónes in corde suo dispósuit, in valle lacrimárum in loco, quem pósuit.

Etenim benedictiónem dabit legislátor, ibunt de

virtúte in virtútem : * vidébitur Deus deórum in Sion.

Dómine, Deus virtútum, exáudi oratiónem meam : * áuribus pércipe, Deus Jacob.

Protéctor noster, áspice, Deus : * et réspice in fáciem Christi tui :

Quia mélior est dies una in átriis tuis, * super míllia.

Elégi abjéctus esse in domo Dei mei : * magis quam habitáre in tabernáculis peccatórum.

Quia misericórdiam, et veritátem díligit Deus : * grátiam et glóriam dabit Dóminus.

Non privábit bonis eos, qui ámbulant in innocéntia : * Dómine virtútum, beátus homo, qui sperat in te.

Glória Patri.

Psalmus 84

BEnedixísti, Dómine, terram tuam : * avertísti captivitátem Jacob.

Remisísti iniquitátem plebis tuæ : * operuísti ómnia peccáta eórum.

Mitigásti omnem iram tuam : * avertísti ab ira indignatiónis tuæ.

Convérte nos, Deus, salutáris noster : * et avérte iram tuam a nobis.

Numquid in ætérnum irascéris nobis? * aut exténdes iram tuam a generatióne in generatiónem?

Deus, tu convérsus vivificábis nos : * et plebs tua lætábitur in te.

Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam : * et salutáre tuum da nobis.

Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus : * quóniam loquétur pacem in plebem suam.

Et super sanctos suos : * et in eos, qui convertúntur ad cor.

Verúmtamen prope timéntes eum salutáre ipsius : * ut inhábitet glória in terra nostra.

Misericórdia, et véritas obviavérunt sibi : * justítia, et pax osculátæ sunt.

Véritas de terra orta est : * et justítia de cælo prospéxit.

Etenim Dóminus dabit benignitátem : * et terra nostra dabit fructum suum.

Justítia ante eum ambulábit : * et ponet in via gressus suos.

Glória Patri.

Psalmus 85

INclína, Dómine, aurem tuam, et exáudi me : * quóniam inops, et pauper sum ego.

Custódi ánimam meam, quóniam sanctus sum : * salvum fac servum tuum, Deus meus, sperántem in te.

Miserére mei, Dómine, quóniam ad te clamávi tota die : * lætífica ánimam servi tui, quóniam ad te, Dómine, ánimam meam levávi.

Quóniam tu, Dómine, suávis, et mitis : * et multæ misericórdiæ ómnibus invocántibus te.

Auribus pércipe, Dómine, oratiónem meam : * et inténde voci deprecatiónis meæ.

In die tribulatiónis meæ clamávi ad te : * quia exaudísti me.

Non est símilis tui in diis, Dómine : * et non est secúndum ópera tua.

Omnes gentes quascúmque fecísti, vénient, et adorábunt coram te, Dómine : * et glorificábunt nomen tuum.

Quóniam magnus es tu, et fáciens mirabília : * tu es Deus solus.

Deduc me, Dómine, in via tua, et ingrédiar in veritáte tua : * lætétur cor meum ut tímeat nomen tuum.

Confitébor tibi, Dómine, Deus meus, in toto corde meo, * et glorificábo nomen tuum in ætérnum :

Quia misericórdia tua magna est super me : * et eruísti ánimam meam ex inférno inferióri.

Deus, iníqui insurrexérunt super me, et synagóga poténtium quæsiérunt ánimam meam : * et non proposuérunt te in conspéctu suo.

Et tu, Dómine, Deus miserátor et miséricors, * pátiens, et multæ misericórdiæ, et verax.

Réspice in me, et miserére mei, * da impérium tuum púero tuo : et salvum fac fílium ancíllæ tuæ.

Fac mecum signum in bonum, ut vídeant qui odérunt me, et confundántur : * quóniam tu, Dómine, adjuvísti me, et consolátus es me.

Glória Patri.

Psalmus 115

GRédidi, propter quod locútus sum : * ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo : * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino, * pro ómnibus, quæ retríbuit mihi?

Cálicem salutáris accípiam : * et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus : * pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus :

O Dómine, quia ego servus tuus : * ego servus tuus, et fílius ancíllæ tuæ.

Dirupísti víncula mea : * tibi sacrificábo hóstiam laudis, et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli ejus : * in átriis domus Dómini, in médio tui, Jerúsalem.

Glória Patri.

Psalmus 129

DE profúndis clamávi ad te, Dómine : * Dómine, exáudi vocem meam :

Fiant aures tuæ intendéntes, * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes observáveris, Dómine : * Dómine, quis sustinébit?

Quia apud te propitiátio est : * et propter legem tuam sustínui te, Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus : * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem : * speret Israël in Dómino.

Quia apud Dóminum misericórdia : * et copiósa apud eum redémptio.

Et ipse rédimet Israël, * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Glória Patri.

Deinde repetitur :

Ant. Ne reminiscáris, Dómine, delícta nostra vel paréntum nostrórum, neque vindíctam sumas de peccátis nostris.

Postea Sacerdos dicit :

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Ego dixi : Dómine, miserére mei. ℟. Sana ánimam meam, quía peccávi tibi.

℣. Convértere, Dómine, aliquántulum. ℟. Et deprecáre super servos tuos.

℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te.

℣. Sacerdótes tui induántur justítiam. ℟. Et Sancti tui exsúltent.

℣. Ab occúltis meis munda me, Dómine. ℟. Et ab aliénis parce servo tuo.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

AUres tuæ pietátis, mitíssime Deus, inclína précibus nostris, et grátia Sancti Spíritus illúmina cor nostrum : ut tuis mystériis digne ministráre, teque ætérna caritáte dilígere mereámur.

DEus, cui omne cor patet et omnis volúntas lóquitur, et quem nullum latet secrétum : purífica per infusiónem Sancti Spíritus cogitatiónes cordis nostri; ut te perfécte dilígere, et digne laudáre mereámur.

URE igne Sancti Spíritus renes nostros et cor nostrum, Dómine : ut tibi casto córpore serviámus, et mundo corde placeámus.

MEntes nostras, quæsumus, Dómine, Paráclitus, qui a te procédit, illúminet : et indúcat in omnem, sicut tuus promísit Fílius, veritátem.

ADsit nobis, quæsumus, Dómine, virtus Spíritus Sancti : quæ et corda nostra cleménter expúrget et ab ómnibus tueátur advérsis.

DEus, qui corda fidélium Sancti Spíritus illustratióne docuísti : da nobis in eódem Spíritu recta sápere; et de ejus semper consolatióne gaudére.

CONsciéntias nostras, quæsumus, Dómine, visitándo purífica : ut véniens Dóminus noster Jesus Christus, Fílius tuus, parátam sibi in nobis invéniat mansiónem : Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. Amen.

Oratio
S. Ambrosii Episcopi

Indulgentia trium annorum pro qualibet ex sequentibus orationibus S. Ambrosii si in die assignata recitetur. Pius Pp. XI, 3 Octobris 1936.

DIE DOMINICA

SUmme Sacérdos et vere Póntifex, Jesu Christe, qui te obtulísti Deo Patri hóstiam puram et immaculátam in ara Crucis pro nobis míseris et peccatóribus, et qui dedísti nobis Carnem tuam ad manducándum et Sánguinem tuum ad bibéndum, et posuísti mystérium istud in virtúte Spíritus Sancti tui, dicens : Hæc quotiescúmque fecéritis, in mei memóriam faciétis : rogo per eúmdem Sánguinem tuum, magnum salútis nostræ prétium, rogo per hanc miram et ineffábilem caritátem, qua nos míseros et indígnos sic amáre dignátus es, ut laváres nos a peccátis nostris in Sánguine tuo. Doce me servum tuum indígnum, quem inter cétera dona tua étiam ad offícium sacerdotále vocáre dignátus es, nullis meis méritis, sed sola dignatióne misericórdiæ tuæ; doce me, quæ-

so, per Spíritum Sanctum tuum, tantum tractáre mystérium ea reveréntia et honóre, ea devotióne et timóre, quibus opórtet et decet. Fac me per grátiam tuam semper illud de tanto mystério crédere et intellígere, sentíre et fírmiter tenére, dícere et cogitáre, quod tibi placet et éxpedit ánimæ meæ. Intret Spíritus tuus bonus in cor meum, qui sonet ibi sine sono, et sine strépitu verbórum loquátur omnem veritátem. Profúnda quippe sunt nimis, et sacro tecta velámine. Propter magnam cleméntiam tuam concéde mihi Missárum solémnia mundo corde et pura mente celebráre. Líbera cor meum ab immúndis et nefándis, vanis et nóxiis cogitatiónibus. Muni me beatórum Angelórum pia et fida custódia ac tutéla fortíssima, ut hostes ómnium bonórum confúsi discédant. Per virtútem tanti mystérii et per manum sancti Angeli tui, repélle a me et a cunctis servis tuis duríssimum spíritum supérbiæ et cenodóxiæ, invidiæ et blasphémiæ, fornicatiónis et immundítiæ, dubietátis et diffidéntiæ. Confundántur, qui nos persequúntur; péreant illi, qui nos pérdere festínant.

FERIA SECUNDA

REX vírginum et amátor castitátis et integritátis, cælésti rore benedictiónis tuæ exstíngue in córpore meo fómitem arséntis libídinis, ut máneat in me tenor castitátis córporis et ánimæ. Mortífica in membris meis carnis stímulos omnésque libidinósas commotiónes, et da mihi veram et perpétuam castitátem cum céteris donis tuis, quæ tibi placent in veritáte : ut sacrifícium laudis casto córpore et mundo corde váleam tibi offérre. Quanta enim cordis contritióne et lacrimárum fonte, quanta reveréntia et tremóre, quanta córporis castitáte et ánimæ puritáte istud divínum et cæléste sacrifícium est celebrándum, ubi Caro tua in veritáte súmitur, ubi Sanguis tuus in veritáte bíbitur, ubi ima summis, terréna divínis jungúntur, ubi adest sanctórum Angelórum præséntia, ubi tu es sacrifícium et sacérdos mirabíliter et ineffabíliter constitútus!

FERIA TERTIA

QUis digne hoc sacrifícium celebráre póterit, nisi tu, Deus omnípotens, offeréntem féceris dignum? Scio, Dómine, et vere scio,

et idípsum pietáti tuæ confíteor, quia non sum dignus accédere ad tantum mystérium propter nímia peccáta mea et infinítas negligéntias meas. Sed scio, et veráciter ex toto corde meo credo et ore confíteor, quia tu potes me fácere dignum, qui solus potes fácere mundum de immúndo concéptum sémine, et de peccatóribus justos et sanctos. Per hanc omnipoténtiam tuam te rogo, Deus meus, ut concédas mihi peccatóri hoc sacrifícium celebráre cum timóre et tremóre, cum cordis puritáte et lacrimárum fonte, cum lætítia spirituáli et cælésti gáudio. Séntiat mens mea dulcédinem beatíssimæ præséntiæ tuæ, et excúbias sanctórum Angelórum tuórum in circúitu meo.

FERIA QUARTA

EGO enim, Dómine, memor venerándæ passiónis tuæ, accédo ad altáre tuum, licet peccátor, ut ófferam tibi sacrifícium, quod tu instituísti et offérri præcepísti in commemoratiónem tui, pro salúte nostra. Súscipe illud, quæso, summe Deus, pro Ecclésia sancta tua et pro pópulo, quem acquisivísti Sánguine tuo. Et quóniam me peccatórem inter te et eúmdem pópulum tuum médium esse voluísti, licet in me áliquod boni óperis testimónium non agnóscas, offícium saltem dispensatiónis créditæ non recúses; nec per me indígnum eórum salútis péreat prétium, pro quibus víctima salutáris dignátus es esse et redémptio. Prófero étiam, Dómine (si dignéris propítius intuéri), tribulatiónes plébium, perícula populórum, captivórum gémitus, misérias orphanórum, necessitátes peregrinórum, inópiam debílium, desperatiónes languéntium, defléctus senum, suspíria júvenum, vota vírginum, laménta viduárum.

FERIA QUINTA

TU enim miseréris ómnium, Dómine, et nihil odísti eórum quæ fecísti. Memoráre, quæ sit nostra substántia; quia tu Pater noster es, quia tu Deus noster es, ne irascáris satis, neque multitúdinem vísceru tuórum super nos contíneas. Non enim in justificatiónibus nostris prostérnimus preces ante fáciem tuam, sed in miseratiónibus tuis multis. Aufer a nobis iniquitátes nostras, et ignem Sancti Spíritus in nobis cleménter accénde. Aufer cor lapí-

deum de carne nostra et da nobis cor cárneum, quod te amet, te díligat, te delectétur, te sequátur, te perfruátur. Orámus, Dómine, cleméntiam tuam, ut seréno vultu famíliam tuam, sacri tui nóminis offícia præstolántem, aspícere dignéris; et, ut nullíus sit írritum votum, nullíus vácua postulátio, tu nobis preces súggere, quas ipse propítius audíre et exaudíre delectéris.

FERIA SEXTA

ROgámus étiam te, Dómine, sancte Pater, et pro spirítibus fidélium defunctórum, ut sit illis salus, sánitas, gáudium et refrigérium, hoc magnum pietátis sacraméntum. Dómine, Deus meus, sit illis hódie magnum et plenum convívium de te pane vivo, qui de cælo descendísti et das vitam mundo, de tua carne sancta et benedícta, Agni vidélicet immaculáti, qui tollis peccáta mundi, quæ de sancto et glorióso beátæ Vírginis Maríæ útero est assúmpta et de Spíritu Sancto concépta; ac de illo pietátis fonte, qui per lánceam mílitis ex tuo sacratíssimo látere emanávit : ut, exínde refécti et satiáti, refrigeráti et consoláti, exsúltent in laude de glória tua. Peto cleméntiam tuam, Dómine, ut descéndat super panem tibi sacrificándum plenitúdo tuæ benedictiónis, et sanctificátio tuæ divinitátis. Descéndat étiam, Dómine, illa Sancti Spíritus tui invisíbilis incomprehensibilísque majéstas, sicut quondam in patrum hóstias descendébat; qui et oblatiónes nostras Corpus et Sánguinem tuum efficiat, et me indígnum sacerdótem dóceat tantum tractáre mystérium cum cordis puritáte et lacrimárum devotióne, cum reveréntia et tremóre, ita ut plácide ac benígne suscípias sacrifícium de mánibus meis, ad salútem ómnium tam vivórum quam defunctórum.

SABBATO

ROgo étiam te, Dómine, per ipsum sacrosánctum mystérium Córporis et Sánguinis tui, quo quotídie in Ecclésia tua páscimur et potámur, ablúimur et sanctificámur, atque uníus summæ divinitátis partícipes efficimur. Da mihi virtútes tuas sanctas, quibus replétus bona consciéntia ad altáre tuum accédam, ita ut hæc cæléstia sacraménta efficiántur mihi salus et vita. Tu enim dixísti ore tuo sancto et

benedícto : Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Ego sum panis vivus, qui de cælo descéndi. Si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum. Panis dulcíssime, sana palátum cordis mei, ut séntiam suavitátem amóris tui. Sana illud ab omni languóre, ut nullam præter te séntiam dulcédinem. Panis candidíssime, habens omne delectaméntum et omnem sapórem, qui nos semper réficis et numquam in te défícis; cómedat te cor meum, et dulcédine sapóris tui repleántur víscera ánimæ meæ. Mandúcat te Angelus ore pleno : mandúcet te peregrínus homo pro módulo suo, ne defícere possit in via, tali recreátus viático. Panis sancte, panis vive, panis munde, qui descendísti de cælo et das vitam mundo, veni in cor meum, et munda me ab omni inquinaménto carnis et spíritus. Intra in ánimam meam, sana et munda me intérius et extérius. Esto tutámen et contínua salus ánimæ et córporis mei. Repélle a me insidiántes mihi hostes : recédant procul a præséntia poténtiæ tuæ, ut, foris et intus per te munítus, recto trámite ad tuum regnum pervéniam; ubi non in mystériis, sicut in hoc témpore ágitur, sed fácie ad fáciem te vidébimus, cum tradíderis regnum Deo et Patri, et eris Deus ómnia in ómnibus. Tunc enim me de te satiábis satietáte mirífica, ita ut nec esúriam nec sitiam in ætérnum : Qui cum eódem Deo Patre et Spíritu Sancto vivis et regnas per ómnia sæcula sæculórum. Amen.

Alia Oratio S. Ambrosii ante Missam

Indulgentia trium annorum. Pius Pp. XI, 3 Octobris 1936

AD mensam dulcíssimi convívii tui, pie Dómine Jesu Christe, ego peccátor de própriis meis méritis nihil præsúmens, sed de tua confídens misericórdia et bonitáte, accédere véreor et contremísco. Nam cor et corpus hábeo multis crimínibus maculátum, mentem et linguam non caute custodítam. Ergo, o pia Déitas, o treménda majéstas, ego miser, inter angústias deprehénsus, ad te fontem misericórdiæ recúrro, ad te festíno sanándus, sub tuam protectiónem fúgio; et, quem Júdicem sustinére néqueo, Salvatórem habére suspíro. Tibi, Dómine, plagas meas osténdo, tibi verecúndiam meam détego. Scio peccáta mea multa et magna, pro quibus tímeo : spero in misericórdias tuas, quarum non est númerus. Réspice ergo in me óculis misericórdiæ tuæ, Dómine Jesu Christe, Rex ætérne, Deus et homo, crucifíxus propter hóminem. Exáudi me sperántem in te : miserére mei pleni misériis et peccátis, tu qui fontem miseratiónis numquam manáre cessábis. Salve, salutáris víctima, pro me et omni humáno génere in patíbulo Crucis oblàta. Salve, nóbilis et pretióse Sanguis, de vulnéribus crucifíxi Dómini mei Jesu Christi prófluens, et peccáta totíus mundi ábluens. Recordáre, Dómine, creatúræ tuæ, quam tuo Sánguine redemísti. Pænitet me peccásse, cúpio emendáre quod feci. Aufer ergo a me, clementíssime Pater, omnes iniquitátes et peccáta mea; ut, purificátus mente et córpore, digne degustáre mérear Sancta sanctórum. Et concéde, ut hæc sancta prælibátio Córporis et Sánguinis tui, quam ego indígnus súmere inténdo, sit peccatórum meórum remíssio, sit delictórum perfécta purgátio, sit túrpium cogitatiónum effugátio ac bonórum sénsuum regenerátio, operúmque tibi placéntium salúbris efficácia, ánimæ quoque et córporis contra inimicórum meórum insídias firmíssima tuítio. Amen.

Oratio S. Thomæ Aquinatis

Indulgentia trium annorum; plenaria, dummodo quotidiana orationis recitatio in integrum mensem producta fuerit et præterea sacramentalis confessio, alicujus ecclesiæ vel publici oratorii visitatio et ad mentem Summi Pontificis preces additæ fuerint. Pius Pp. XI, 10 Decembris 1936.

OMnípotens sempitérne Deus, ecce accédo ad sacraméntum unigéniti Fílii tui, Dómini nostri Jesu Christi; accédo tamquam infírmus ad médicum vitæ, immúndus ad fontem misericórdiæ, cæcus ad lumen claritátis ætérnæ, pauper et egénus ad Dóminum cæli et terræ. Rogo ergo imménsæ largitátis tuæ abundántiam, quátenus meam curáre dignéris infirmitátem, laváre fœditátem, illumináre cæcitátem, ditáre paupertátem, vestíre nuditátem : ut panem Angelórum, Regem regum et Dóminum dominántium, tanta suscípiam reveréntia et humilitáte, tanta contritióne et devotióne, tanta puritáte

et fide, tali propósito et intentióne, sicut éxpedit salúti ánimæ meæ. Da mihi, quæso, Domínici Córporis et Sánguinis non solum suscípere sacraméntum, sed étiam rem et virtútem sacraménti. O mitíssime Deus, da mihi Corpus unigéniti Fílii tui, Dómini nostri Jesu Christi, quod traxit de Vírgine María, sic suscípere, ut córpori suo mýstico mérear incorporári, et inter ejus membra connumerári. O amantíssime Pater, concéde mihi diléctum Fílium tuum, quem nunc velátum in via suscípere propóno, reveláta tandem fácie perpétuo contemplári : Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. Amen.

Oratio ad B. Mariam V. ante Missam

Indulgentia trium annorum. Pius Pp. XI, 3 Octobris 1936

O Mater pietátis et misericórdiæ, beatíssima Virgo María, ego miser et indígnus peccátor ad te confúgio toto corde et affféctu; et precor pietátem tuam, ut, sicut dulcíssimo Fílio tuo in Cruce pendénti astitísti, ita et mihi, mísero peccatóri, et sacerdótibus ómnibus, hic et in tota sancta Ecclésia hódie offeréntibus, cleménter assístere dignéris, ut, tua grátia adjúti, dignam et acceptábilem hóstiam in conspéctu summæ et indivíduæ Trinitátis offérre valeámus. Amen.

Oratio ad S. Joseph

Indulgentia trium annorum. Pius Pp. XI, 3 Octobris 1936

O Felícem virum, beátum Joseph, cui datum est, Deum, quem multi reges voluérunt vidére et non vidérunt, audíre et non audiérunt, non solum vidére et audíre, sed portáre, deosculári, vestíre et custodíre!

℣. Ora pro nobis, beáte Joseph. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Orémus.

DEus, qui dedísti nobis regále sacerdótium : præsta, quæsumus; ut, sicut beátus Joseph unigénitum Fílium tuum, natum ex María Vírgine, suis mánibus reverénter tractáre méruit et portáre, ita nos fácias cum cordis mundítia et óperis innocéntia tuis sanctis altáribus deservíre, ut sacrosánctum Fílii tui Corpus et Sánguinem hódie digne sumámus, et in futúro sæculo prémium habére mereámur ætérnum. Per eúmdem Christum, Dóminum nostrum. Amen.

Oratio ad omnes Angelos et Sanctos

Indulgentia trium annorum. Pius Pp. XI, 3 Octobris 1936

ANgeli, Archángeli, Throni, Dominatiónes, Principátus, Potestátes, Virtútes cælórum, Chérubim atque Séraphim, omnes Sancti et Sanctæ Dei, præsértim Patróni mei, intercédere dignémini pro me, ut hoc sacrifícium Deo omnipoténti digne váleam offérre, ad laudem et glóriam nóminis sui et ad utilitátem meam totiúsque Ecclésiæ suæ sanctæ. Amen.

Oratio ad Sanctum

in cujus honorem Missa celebrata est

Indulgentia trium annorum. Pius Pp. XI, 3 Octobris 1936

O Sancte N., ecce ego miser peccátor, de tuis méritis confísus, óffero nunc sacratíssimum sacraméntum Córporis et Sánguinis Dómini nostri Jesu Christi pro tuo honóre et glória. Precor te humíliter et devóte, ut pro me hódie intercédere dignéris, ut tantum sacrifícium digne et acceptabíliter offérre váleam, ut eum tecum et cum ómnibus eléctis ejus æternáliter laudáre, atque cum eo regnáre váleam : Qui vivit et regnat in sæcula sæculórum. Amen.

Declaratio intentionis ante Missam

Indulgentia quingentorum dierum. Pius Pp. XI, 12 Julii 1935

EGO volo celebráre Missam, et confícere Corpus et Sánguinem Dómini nostri Jesu Christi, juxta ritum sanctæ Románæ Ecclésiæ, ad laudem omnipoténtis Dei totiúsque Cúriæ triumphántis, ad utilitátem meam totiúsque Cúriæ militántis, pro ómnibus, qui se commendavérunt oratiónibus meis in génere et in spécie, et pro felíci statu sanctæ Románæ Ecclésiæ. Amen.

GAudium cum pace, emendatiónem vitæ, spátium veræ pæniténtiæ, grátiam et consolatiónem Sancti Spíritus, perseverántiam in bonis opéribus, tríbuat nobis omnípotens et miséricors Dóminus. Amen.

GRATIARUM ACTIO POST MISSAM

Quilibet Sacerdos, ex concessione Pii XI sub die 3 Octobris 1936, lucrari potest : Indulgentiam quinque annorum, si post Missam celebratam recitet Canticum Trium puerorum et Psalmum 150 cum adnexa antiphona, versiculis et Orémus ut infra; plenariam, si per integrum mensem prædictas preces recitaverit, accedente sacramentali confessione et oratione ad mentem Summi Pontificis.

Ant. Trium puerórum * cantémus hymnum, quem cantábant Sancti in camíno ignis, benedicéntes Dóminum.

Quæ Antiphona in Duplicibus tantum duplicatur.

Canticum trium Puerorum

Dan. 3, 57-88 et 56

BEnedícite, ómnia ópera Dómini, Dómino : * laudáte et superexaltáte eum in sæcula.

Benedícite, Angeli Dómini, Dómino : * benedícite, cæli, Dómino.

Benedícite, aquæ omnes, quæ super cælos sunt, Dómino : * benedícite, omnes virtútes Dómini, Dómino.

Benedícite, sol et luna, Dómino : * benedícite, stellæ cæli, Dómino.

Benedícite, omnis imber et ros, Dómino : * benedícite, omnes spíritus Dei, Dómino.

Benedícite, ignis et æstus, Dómino : * benedícite, frigus et æstus, Dómino.

Benedícite, rores et pruína, Dómino : * benedícite, gelu et frigus, Dómino.

Benedícite, glácies et nives, Dómino : * benedícite, noctes et dies, Dómino.

Benedícite, lux et ténebræ, Dómino : * benedícite, fúlgura et nubes, Dómino.

Benedícat terra Dóminum : * laudet et superexáltet eum in sæcula.

Benedícite, montes et colles, Dómino : * benedícite, univérsa germinántia in terra, Dómino.

Benedícite, fontes, Dómino : * benedícite, mária et flúmina, Dómino.

Benedícite, cete, et ómnia, quæ movéntur in aquis, Dómino : * benedícite, omnes vólucres cæli, Dómino.

Benedícite, omnes béstiæ et pécora, Dómino : * benedícite, fílii hóminum, Dómino.

Benedícat Israël Dóminum : * laudet et superexáltet eum in sæcula.

Benedícite, sacerdótes Dómini, Dómino : * benedícite, servi Dómini, Dómino.

Benedícite, spíritus, et ánimæ justórum, Dómino : * benedícite, sancti, et húmiles corde, Dómino.

Benedícite, Ananía, Azaría, Mísaël, Dómino : * laudáte et superexaltáte eum in sæcula.

Benedicámus Patrem et Fílium cum Sancto Spíritu : * laudémus et superexaltémus eum in sæcula.

Benedíctus es, Dómine, in firmaménto cæli : * et laudábilis, et gloriósus, et superexaltátus in sæcula.

¶ Hic non dicitur Glória Patri, neque Amen.

Psalmus 150

LAudáte Dóminum in sanctis ejus : * laudáte eum in firmaménto virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus : * laudáte eum secúndum multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in sono tubæ : * laudáte eum in psaltério, et cíthara.

Laudáte eum in týmpano, et choro : * laudáte eum in chordis, et órgano.

Laudáte eum in cýmbalis benesonántibus : laudáte eum in cýmbalis jubilatiónis : * omnis spíritus laudet Dóminum.

Glória Patri.

Ant. Trium puerórum cantémus hymnum, quem cantábant Sancti in camíno ignis, benedicéntes Dóminum.

Postea Sacerdos dicit :

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Confiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua. ℟. Et Sancti tui benedícant tibi.

℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

℣. Non nobis, Dómine, non nobis. ℟. Sed nómini tuo da glóriam.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

DEus, qui tribus púeris mitigásti flammas ígnium : concéde propítius; ut nos fámulos tuos non exúrat flamma vitiórum.

ACtiónes nostras, quæsumus, Dómine, aspirándo præveni et adjuvándo proséquere : ut cuncta nostra orátio et operátio a te semper incípiat, et per te cœpta finiátur.

DA nobis, quæsumus, Dómine, vitiórum nostrórum flammas exstínguere : qui beáto Laurentio tribuísti tormentórum suórum incéndia superáre. Per Christum, Dóminum nostrum. ℟. Amen.

ORATIONES
PRO OPPORTUNITATE SACERDOTIS DICENDÆ

Oratio S. Thomæ Aquinatis

Indulgentia trium annorum; plenaria, oratione quotidie in integrum mensem pie reiterata et additis sacramentali confessione, alicujus ecclesiæ vel publici oratorii visitatione et precibus ad Summi Pontificis mentem. Pius Pp. XI, 22 Novembris 1934.

GRátias tibi ago, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, qui me peccatórem, indígnum fámulum tuum, nullis meis méritis, sed sola dignatióne misericórdiæ tuæ satiáre dignátus es pretióso Córpore et Sánguine Fílii tui, Dómini nostri Jesu Christi. Et precor, ut hæc sancta commúnio non sit mihi reátus ad pœnam, sed intercéssio salutáris ad véniam. Sit mihi armatúra fídei et scutum bonæ voluntátis. Sit vitiórum meórum evacuátio, concupiscéntiæ et libídinis exterminátio, caritátis et patiéntiæ, humilitátis et obediéntiæ, omniúmque virtútum augmentátio; contra insídias inimicórum ómnium, tam visibílium quam invisibílium, firma defénsio; mótuum meórum, tam carnálium quam spirituálium, perfécta quietátio; in te uno ac vero Deo firma adhæsio; atque finis mei felix consummátio. Et precor te, ut ad illud ineffábile convívium me peccatórem perdúcere dignéris, ubi tu cum Fílio tuo et Spíritu Sancto Sanctis tuis es lux vera, satíetas plena, gáudium sempitérnum, jucúnditas consummáta et felícitas perfécta. Per eúmdem Christum, Dóminum nostrum. Amen.

Oratio S. Bonaventuræ

Indulgentia trium annorum. Pius Pp. XI, 3 Octobris 1936

TRansfíge, dulcíssime Dómine Jesu, medúllas et víscera ánimæ meæ suavíssimo ac salubérrimo amóris tui vúlnere, vera serenáque et apostólica sanctíssima caritáte, ut lángueat et liquefíat ánima mea solo semper amóre et desidério tui; te concupíscat et defíciat in átria tua, cúpiat dissólvi et esse tecum. Da, ut ánima mea te esúriat, panem Angelórum, refectiónem animárum sanctárum, panem nostrum quotidiánum, supersubstantiálem, habéntem omnem dulcédinem et sapórem et omne delectaméntum suavitátis. Te, in quem desíderant Angeli prospícere, semper esúriat et cómedat cor meum, et dulcédine sapóris tui repleántur víscera ánimæ meæ; te semper sítiat fontem vitæ, fontem sapiéntiæ et sciéntiæ, fontem ætérni lúminis, torréntem voluptátis, ubertátem domus Dei. Te semper ámbiat, te quærat, te invéniat, ad te tendat, ad te pervéniat, te meditétur, te loquátur, et ómnia operétur in laudem et glóriam nóminis tui, cum humilitáte et discretióne, cum dilectióne et delectatióne, cum facilitáte et affféctu, cum perseverántia usque in finem; ut tu sis solus semper spes mea, tota fidúcia mea, divítiæ meæ, delectátio mea, jucúnditas mea, gáudium meum, quies et tranquíllitas mea, pax mea, suávitas mea,

odor meus, dulcédo mea, cibus meus, refféctio mea, refúgium meum, auxílium meum, sapiéntia mea, pórtio mea, posséssio mea, thesáurus meus, in quo fixa et firma et immobíliter semper sit radicáta mens mea et cor meum. Amen.

Rhythmus S. Thomæ Aquinatis

Indulgentia quinque annorum; plenaria suetis conditionibus, quotidiana rhythmi recitatione in integrum mensem producta. Pius Pp. XI, 12 Martii 1936.

ADóro te devóte, latens Déitas,
Quæ sub his figúris vere látitas :
Tibi se cor meum totum súbjicit,
Quia, te contémplans, totum déficit.

Visus, tactus, gustus in te fállitur,
Sed audítu solo tuto créditur :
Credo quidquid dixit Dei Fílius,
Nil hoc verbo Veritátis vérius.

In Cruce latébat sola Déitas,
At hic latet simul et humánitas;
Ambo tamen credens atque cónfitens,
Peto quod petívit latro pœnitens.

Plagas, sicut Thomas, non intúeor,
Deum tamen meum te confíteor :
Fac me tibi semper magis crédere,
In te spem habére, te dilígere.
O memoriále mortis Dómini,
Panis vivus, vitam præstans hómini,
Præsta meæ menti de te vívere,
Et te illi semper dulce sápere.
Pie pellicáne, Jesu Dómine,
Me immúndum munda tuo Sánguine,
Cujus una stilla salvum fácere
Totum mundum quit ab omni scélere.
Jesu, quem velátum nunc aspício,
Oro, fiat illud quod tam sítio :
Ut, te reveláta cernens fácie,
Visu sim beátus tuæ glóriæ. Amen.

Aspirationes S. Ignatii ad Sanctissimum Redemptorem

Indulgentia septem annorum, si Sacerdos post Missam invocationes pie recitaverit; trecentorum dierum toties quoties; plenaria suetis conditionibus, dummodo quotidie per integrum mensem invocationum recitatio devote peracta fuerit. Pius Pp. IX, 9 Januarii 1854.

ANima Christi, sanctífica me. Corpus Christi, salva me. Sanguis Christi, inébria me. Aqua láteris Christi, lava me. Pássio Christi, confórta me. O bone Jesu, exáudi me. Intra tua vúlnera abscónde me. Ne permíttas me separári a te. Ab hoste malígno defénde me. In hora mortis meæ voca me. Et jube me veníre ad te, ut cum Sanctis tuis laudem te in sæcula sæculórum. Amen.

Oblatio sui

Indulgentia trium annorum; plenaria suetis conditionibus, si quotidie per integrum mensem actus oblationis devote recitatus fuerit. Pius Pp. XI, 4 Decembris 1932.

SUscipe, Dómine, univérsam meam libertátem. Accipe memóriam, intelléctum atque voluntátem omnem. Quidquid hábeo vel possídeo, mihi largítus es : id tibi totum restítuo, ac tuæ prorsus voluntáti trado gubernándum. Amórem tui solum cum grátia tua mihi dones, et dives sum satis, nec áliud quidquam ultra posco.

Oratio ad D. N. J. C. Crucifixum

Indulgentia decem annorum; plenaria recitantibus post Missam et orantibus ad mentem Summi Pontificis. Pius Pp. XI, 2 Februarii 1934.



ECce ego, o bone et dulcíssime Jesu, ante conspéctum tuum génibus me provólvo ac máximo ánimi ardóre te oro atque obtéstor, ut meum in cor vívidos fídei, spei et caritátis sensus, atque veram peccatórum meórum pæniténtiam, éaque emendándi firmíssimam voluntátem velis imprímere; dum magno ánimi afféctu et dolóre tua quinque vúlnera mecum ipse considero ac mente contémplor, illud præ óculis habens, quod jam in ore ponébat tuo David Prophéta de te, o bone Jesu : Fodérunt manus meas et pedes meos; dinumeravérunt ómnia ossa mea. Ps. 21, 17-18

Alia Oratio

Indulgentia trium annorum. Pius Pp. IX, 11 Decembris 1846. Insuper hanc orationem recitanti flexis genibus, nisi impediatur, conceditur remissio defectuum et culparum in celebratione Missæ ex humana fragilitate contractarum. Pius Pp. X, 29 Augusti 1912.

OBsecro te, dulcíssime Dómine Jesu Christe, ut pássio tua sit mihi virtus, qua múniar, prótegar atque deféndar; vúlnera tua sint mihi cibus potúsque, quibus pascar, inébrier atque delécter; aspérsio Sánguinis tui sit mihi ablútio ómnium delictórum meórum; mors tua sit mihi vita indefíciens, Crux tua sit mihi glória sempitérna. In his sit mihi refléctio, exsultátio, sánitas et dulcédo cordis mei : Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. Amen.

Oratio ad B. Mariam V.

Indulgentia trium annorum. Pius Pp. XI, 3 Octobris 1936

O María, Virgo et Mater sanctíssima, ecce suscépi dilectíssimum Fílium tuum, quem immaculáto útero tuo concepísti, genuísti, lactásti, atque suavíssimis ampléxibus strinxísti. Ecce cujus aspéctu lætabáris et ómnibus delíciis replebáris, illum ipsum tibi humíliter et amánter repræsénto et óffero tuis bráchiis constringéndum, tuo corde amándum, sanctissimáque Trinitáti in suprémum latríæ cultum, pro tui ipsíus honóre et glória et pro meis totiúsque mundi necessitátibus, offeréndum. Rogo ergo te, piíssima Mater, ímpetra mihi véniam ómnium peccatórum meórum, uberémque grátiam ipsi deínceps fidélius serviéndi, ac dénique grátiam finálem, ut eum tecum laudáre possim per ómnia sæcula sæculórum. Amen.

Oratio ad S. Joseph

Indulgentia trium annorum; plenaria suetis conditionibus, oratione quotidie per integrum mensem pia mente iterata. Pius Pp. XI, 18 Maji 1936.

VIrginum custos et pater, sancte Joseph, cujus fidéli custódiæ ipsa Innocéntia Christus Jesus et Virgo vírginum María commíssa fuit : te per hoc utrúmque caríssimum pignus Jesum et Maríam óbsecro et obtéstor, ut me, ab omni immundítia præservátum, mente incontamináta, puro corde et casto córpore Jesu et Maríæ semper fácias castíssime famulári. Amen.

Oratio ad Sanctum

in cujus honorem Missa celebrata est

Indulgentia trium annorum. Pius Pp. XI, 3 Octobris 1936.

SAncte N., in cujus honórem incruéntum Córporis et Sánguinis Christi sacrifícium óbtuli, fac tua poténti apud Deum intercessióne, ut, usu hujus mystérii, passiónis et mortis ejúsdem Christi Salvatóris nostri mérita cónsequar, ac cum illíus frequentatióne contínuo crescat meæ salútis efféctus. Amen.

Litaniæ de sanctissimo Nomine Jesu

Indulgentia 7 annorum; plenaria, si per integrum mensem, suetis conditionibus, S. P. A. 2 Jan. 1933

Kyrie, eléison.
Christe, eléison.
Kýrie, eléison.
Jesu, audi nos.
Jesu, exáudi nos.
Pater de cælis, Deus, miserére nobis.
Fili, Redémptor mundi, Deus, miserére nobis.
Spíritus Sancte, Deus, miserére nobis.
Sancta Trínitas, unus Deus, miserére nobis.
Jesu, Fili Dei vivi, mis.
Jesu, splendor Patris, mis.
Jesu, candor lucis ætérnæ, miserére nobis.
Jesu, rex glóriæ, mis.
Jesu, sol justitiæ, mis.
Jesu, Fili Maríæ Vírginis, miserére nobis.
Jesu amábilis, mis.
Jesu admirábilis, mis.
Jesu, Deus fortis, mis.
Jesu, pater futúri sæculi, miserére nobis.
Jesu, magni consílii ángele, miserére nobis.
Jesu potentíssime, mis.
Jesu patientíssime, mis.
Jesu obedientíssime, mis.
Jesu, mitis et húmilis corde, miserére nobis.
Jesu, amátor castitátis, miserére nobis.
Jesu, amátor noster, mis.
Jesu, Deus pacis, mis.
Jesu, auctor vitæ, mis.
Jesu, exémplar virtútum, miserére nobis.
Jesu, zelátor animárum, miserére nobis.
Jesu, Deus noster, mis.
Jesu, refúgium nostrum, miserére nobis.
Jesu, pater páuperum, miserére nobis.
Jesu, thesáure fidélium, miserére nobis.
Jesu, bone pastor, mis.
Jesu, lux vera, mis.
Jesu, sapiéntia ætérna, miserére nobis.
Jesu, bónitas infiníta, mis.
Jesu, via et vita nostra, miserére nobis.
Jesu, gáudium Angelórum, miserére nobis.
Jesu, rex Patriarchárum, miserére nobis.
Jesu, magíster Apostolórum, miserére nobis.
Jesu, doctor Evangelistárum, miserére nobis.
Jesu, fortitúdo Mártyrum, miserére nobis.
Jesu, lumen Confessórum, miserére nobis.
Jesu, púritas Vírginum, miserére nobis.
Jesu, coróna Sanctórum ómnium, mis. nobis.
Propítius esto, parce nobis, Jesu.

Propítius esto, exáudi nos, Jesu.
Ab omni malo, líbera nos, Jesu.
Ab omni peccáto, líbera.
Ab ira tua, líbera.
Ab insídiis diáboli, líbera.
A spíritu fornicatiónis, líbera.
A morte perpétua, líbera.
A negléctu inspiratiónum tuárum, líbera.
Per mystérium sanctæ incarnatiónis tuæ, líbera.
Per nativitátem tuam, líbera.
Per infántiam tuam, líbera.
Per diviníssimam vitam tuam, líbera.
Per labóres tuos, líbera.
Per agóniam et passiónem tuam, líbera.
Per crucem et derelictiónem tuam, líbera.
Per languóres tuos, libera.
Per mortem et sepultúram tuam, líbera.
Per resurrectiónem tuam, líbera.
Per ascensiónem tuam, líbera.
Per sanctíssimæ Eucharístiæ institutiónem tuam, líbera.
Per gáudia tua, líbera.
Per glóriam tuam, líbera.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, parce nobis, Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, exáudi nos, Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, miserére nobís, Jesu.
Jesu, audi nos.
Jesu, exáudi nos.

Orémus. Oratio

DOmine Jesu Christe, qui dixísti : Pétite, et accipiétis; quærite, et inveniétis; pulsáte, et aperiétur vobis : quæsumus, da nobis peténtibus diviníssimi tui amóris affectum, ut te toto corde, ore et ópere diligámus, et a tua numquam laude cessémus.

SAncti Nóminis tui, Dómine, timórem páriter et amórem fac nos habére perpétuum : quia numquam tua gubernatióne destítuis, quos in soliditáte tuæ dilectiónis instítuis : Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum.
℟. Amen.

Litaniæ de sacratissimo Corde Jesu

Indulgentia 7 annorum; plenaria, si per integrum mensem, suetis conditionibus, S. P. A. 10 Mart. 1933

Kyrie, eléison.
Christe, eléison.
Kýrie, eléison.
Christe, audi nos.
Christe, exáudi nos.
Pater de cælis, Deus, miserére nobis.
Fili, Redémptor mundi, Deus, miserére.
Spiritus Sancte, Deus, miserére nobis.
Sancta Trinitas, unus Deus, miserére.
Cor Jesu, Filii Patris ætérni, miserére.
Cor Jesu, in sinu Vírginis Matris a Spiritu Sancto formátum, miserére.
Cor Jesu, Verbo Dei substantiáliter unitum, miserére nobis.
Cor Jesu, majestátis infinitæ, miserére.
Cor Jesu, templum Dei sanctum, miserére.
Cor Jesu, tabernáculum Altíssimi, miserére.
Cor Jesu, domus Dei et porta cæli, miserére.
Cor Jesu, fornax ardens caritátis, miserére.
Cor Jesu, justitiæ et amóris receptáculum, miserére.
Cor Jesu, bonitáte et amóre plenum, miserére.
Cor Jesu, virtútum ómnium abýssus, mis.
Cor Jesu, omni laude dignissimum, miserére.
Cor Jesu, rex et centrum ómnium córdium, mis.
Cor Jesu, in quo sunt omnes thesáuri sapiéntiæ et sciéntiæ, miserére.
Cor Jesu, in quo hábitat omnis plenitúdo divinitátis, miserére.
Cor Jesu, in quo Pater sibi bene complácuit, mis.
Cor Jesu, de cujus plenitúdine omnes nos accépimus, miserére.
Cor Jesu, desidérium cóllium æternórum, mis.
Cor Jesu, pátiens et multæ misericórdiæ, mis.
Cor Jesu, dives in omnes qui invocant te, mis.
Cor Jesu, fons vitæ et sanctitátis, miserére.
Cor Jesu, propitiátio pro peccátis nostris, mis.
Cor Jesu, saturátum opprobriis, miserére.
Cor Jesu, attritum propter scélera nostra, mis.
Cor Jesu, usque ad mortem obédiens factum, miserére nobis.
Cor Jesu, láncea perforátum, miserére.
Cor Jesu, fons totius consolatiónis, miserére.
Cor Jesu, vita et resurréctio nostra, miserére.

Cor Jesu, pax et reconciliátio nostra, miserére.
Cor Jesu, víctima peccatórum, miserére.
Cor Jesu, salus in te sperántium, miserére.
Cor Jesu, spes in te moriéntium, miserére.
Cor Jesu, delíciæ Sanctórum ómnium, miserére.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, parce nobis, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, exáudi nos, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, mis. nobis.

℣. Jesu, mitis et húmilis Corde. ℟. Fac cor nostrum secúndum Cor tuum.

Orémus. Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, réspice in Cor dilectíssimi Fílii tui, et in laudes et satisfactiónes, quas in nómine peccatórum tibi persólvit, iísque misericórdiam tuam peténtibus tu véniam concéde placátus, ín nómine ejúsdem Fílii tui Jesu Christi : Qui tecum vivit et regnat in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Litaniæ Lauretanæ B. Mariæ Virg.

Indulgentia 7 annorum. Ind. plenaria, si per integrum mensem, suetis conditionibus, S. P. A. 28 Mart. 1933

KYrie, eléison.
Christe, eléison.
Kýrie, eléison.
Christe, audi nos.
Christe, exáudi nos.
Pater de cælis, Deus, miserére nobis.
Fili, Redémptor mundi, Deus, miserére.
Spíritus Sancte, Deus, miserére nobis.
Sancta Trínitas, unus Deus, miserére.
Sancta María, ora pro nobis.
Sancta Dei Génitrix, ora.
Sancta Virgo vírginum, ora pro nobis.
Mater Christi, ora.
Mater divínæ grátiæ, ora.
Mater puríssima, ora.
Mater castíssima, ora.
Mater invioláta, ora.
Mater intemeráta, ora.
Mater amábilis, ora.
Mater admirábilis, ora.
Mater boni Consílii, ora.
Mater Creatóris, ora.
Mater Salvatóris, ora.
Virgo prudentíssima, ora.
Virgo veneránda, ora.
Virgo prædicánda, ora.
Virgo potens, ora.
Virgo clemens, ora.
Virgo fidélis, ora.
Spéculum justítiæ, ora.
Sedes sapiéntiæ, ora.
Causa nostræ lætítiæ, ora.

Vas spirituále, ora.
Vas honorábile, ora.
Vas insígne devotiónis, ora pro nobis.
Rosa mýstica, ora.
Turris Davídica, ora.
Turris ebúrnea, ora.
Domus áurea, ora.
Fœderis arca, ora.
Jánua cæli, ora.
Stella matutína, ora.
Salus infirmórum, ora.
Refúgium peccatórum, ora pro nobis.
Consolátrix afflictórum, ora pro nobis.
Auxílium Christianórum, ora pro nobis.
Regína Angelórum, ora.
Regína Patriarchárum, ora pro nobis.
Regína Prophetárum, ora.
Regína Apostolórum, ora.
Regína Mártyrum, ora.
Regína Confessórum, ora.
Regína Vírginum, ora.
Regína Sanctórum ómnium, ora.
Regína sine labe originálicóncépta, ora.
Regína sacratíssimi Rosárii, ora.
Regína pacis, ora.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, parce nobis, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, exáudi nos, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, miserére nobis.

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Génitrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Orémus. Oratio

GOncéde nos fámulos tuos, quæsumus, Dómine Deus, perpétua mentis et córporis sanitáte gaudére : et, gloriósa beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, a præsénti liberári tristítia, et ætérna pérfrui lætítia. Per Christum, Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Litaniæ de S. Joseph

Indulgentia 5 annorum. Ind. plenaria, si per integrum mensem, suetis conditionibus, S. P. A. 21 Mart. 1935

KYrie, eléison.
Christe, eléison.
Kýrie, eléison.
Christe, audi nos.
Christe, exáudi nos.
Pater de cælis, Deus, miserére nobis.
Fili, Redémptor mundi, Deus, miserére.
Spíritus Sancte, Deus, miserére nobis.
Sancta Trínitas, unus Deus, miserére.
Sancta María, ora pro nobis.
Sancte Joseph, ora.
Proles David ínclyta, ora.
Lumen Patriarchárum, ora pro nobis.
Dei Genitrícis sponse, ora pro nobis.
Custos pudíce Vírginis, ora pro nobis.
Fílii Dei nutrítie, ora.
Christi defénsor sédule, ora pro nobis.
Almæ Famíliæ præses, ora pro nobis.
Joseph justíssime, ora.
Joseph castíssime, ora.
Joseph prudentíssime, ora.
Joseph fortíssime, ora.
Joseph obedientíssime, ora pro nobis.
Joseph fidelíssime, ora.
Spéculum patiéntiæ, ora.
Amátor paupertátis, ora.
Exémplar opíficum, ora.
Domésticæ vitæ decus, ora pro nobis.
Custos vírginum, ora.
Familiárum cólumen, ora.
Solátium miserórum, ora.
Spes ægrotántium, ora.

Patróne moriéntium, ora.
Terror dæmonum, ora.
Protéctor sanctæ Ecclésiæ, ora pro nobis.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, parce nobis, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, exáudi nos, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, mis. nobis.

℣. Constítuit eum dóminum domus suæ. ℟. Et príncipem omnis possessiónis suæ.

Orémus. Oratio

DEus, qui ineffábili providéntia beátum Joseph sanctíssimæ Genitrícis tuæ sponsum elígere dignátus es : præsta, quæsumus; ut, quem protectórem venerámur in terris, intercessórem habére mereámur in cælis : Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

FORMULA CONSECRATIONIS
SACRATISSIMO CORDI JESU

Indulgentia trium annorum; 7 annorum die quo menstruus Secessus habetur; plenaria, suetis conditionibus, in fine cursus exercitiorum spiritualium
S. P. A. 24 Oct. 1935

DOmine Jesu, Redémptor noster amantíssime et Sacérdos in ætérnum, nos súpplices tuos, quos appelláre amícos et sacerdótii tui partícipes fácere dignátus es, propítius réspice. Tui sumus, tui per-

pétuo esse vólumus, ídeo sacratíssimo Cordi tuo, quod tamquam únicum salútis perfúgium laboránti humáno géneri ostendísti, dedicámus nos hódie totos et addícimus. Tu, qui sacerdótibus, Cordis tui cultóribus, úberes divíni ministérii fructus promisísti, fac nos, quæsumus, idóneos in vínea tua operários, vere húmiles et mites, spíritu devotiónis et patiéntiæ plenos, ita flagrántes amóre tui, ut eúmdem caritátis ignem in ánimis fidélium excitáre et fovére non cessémus. Nostra ígitur corda incéndio tui Cordis ínnova, ut jam nihil áliud studeámus, quam tuam promovére glóriam et ánimas tibi lucrári, quas pretióso sánguine redemísti. Miserére, Pastor bone, præsértim sacerdótum, fratrum nostrórum, si qui ambulántes in vanitáte sensus sui te et diléctam Sponsam tuam, Ecclésiam, lacrimábili defectióne contristárunt. Concéde nobis ad tuum compléxum eos redúcere, aut certe ipsórum expiáre delícta, resarcíre damna et dolórem, quo te affíciunt, amóris nostri consolatióne minúere. Sine dénique, te quisque nostrum exóret his Augustíni verbis : O dulcis Jesu, vivas tu in me et concaléscat spíritu meo vivus carbo amóris tui, et excandéscat in ignem perféctum; árdeat júgiter in ara cordis mei, férveat in medúllis meis, flagret in abscónditis ánimæ meæ; in die consummatiónis meæ consummátus invéniar apud te, qui cum Patre et Spíritu Sancto vivis et regnas in sæcula sæculórum. Amen.

BENEDICTIONES VARIÆ

Benedictio imaginum

Jesu Christi Domini nostri, beatæ Mariæ Virginis et aliorum Sanctorum

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio

OMnípotens sempitérne Deus, qui Sanctórum tuórum imágines (sive effígies) sculpi aut pingi non réprobas, ut, quóties illas óculis córporis intuémur, tóties eórum actus et sanctitátem ad imitándum memóriæ óculis meditémur : hanc, quæsumus, imáginem (seu sculptúram) in honórem et memóriam unigéniti Fílii tui, Dómini nostri Jesu Christi (vel beatíssimæ Vírginis Maríæ, Matris Dómini nostri Jesu Christi, vel beáti N. Apóstoli tui, vel Mártyris, vel Pontíficis, vel Confessóris, vel beátæ N. Vírginis, vel Mártyris) adaptátam bene ✠ dícere et sanctifi ✠ cáre dignéris : et præsta; ut, quicúmque coram illa unigénitum Fílium tuum (vel beatíssimam Vírginem, vel gloriósum Apóstolum, sive Mártyrem, sive Pontíficem, vel Confessórem, vel gloriósam Vírginem, vel Mártyrem) supplíciter cólere et honoráre studúerit, illíus méritis et obténtu a te grátiam in præsénti, et ætérnam glóriam obtíneat in futúrum. Per (eúmdem) Christum, Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Ultimo aspergat aqua benedicta.

Benedictio domorum extra Sabbatum Sanctum

Parochus seu alii Sacerdotes volentes aliquam particularem domum, vel generaliter domos fidelium infra annum aspergere aqua benedicta, ingredientes domum dicant :

Pax huic dómui et ómnibus habitántibus in ea.

Deinde, loca aspergendo, dicat :

Ant. Aspérges me, Dómine, hyssópo, et mundábor : lavábis me, et super nivem dealbábor.

Ps. 50 Miserére mei, Deus, secúndum magnam misericórdiam tuam.

℣. Glória Patri, etc.

Et repetitur Antiphona Aspérges me, etc.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio

EXáudi nos, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus : et míttere dignéris sanctum Angelum tuum de cælis, qui custódiat, fóveat, prótegat, vísitet atque deféndat omnes habitántes in hoc habitáculo. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergat aqua benedicta.

Benedictio Rosariorum B. Mariæ V.

Formula brevior (approbata a S. R. C. die 23 Nov. 1918)

AD laudem et glóriam Deíparæ Vírginis Maríæ, in memóriam mysteriórum vitæ, mortis et resurrectiónis ejúsdem Dómini nostri Jesu Christi, bene ✠ dicá(n)tur et sancti ✠ ficé(n)tur hæc (hæ) sacratíssimi Rosárii coróna (æ) : in nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. Amen.

Stola et aqua benedicta adhiberi possunt ad libitum.

Si fuerint plures coronæ dicatur in plurali.

Benedictio ad quodcumque comestibile

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio

BEnedic, ✠ Dómine, creatúram istam N., ut sit remédium salutáre géneri humáno : et præsta per invocatiónem sancti nóminis tui; ut, quicúmque ex ea súmpserint, córporis sanitátem et ánimæ tutélam percípiant. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Aspergat aqua benedicta.

Benedictio ad omnia

Hæc benedictionis formula adhiberi potest a quovis Sacerdote pro omnibus rebus, de quibus specialis benedictio non habetur in Rituali Romano.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio

DEus, cujus verbo sanctificántur ómnia, bene ✠ dictiónem tuameffúnde super creatúram istam (vel creatúras istas) : et præsta; ut, quisquis ea (vel eis) secúndum legem et voluntátem tuam cum gratiárum actióne usus fúerit, per invocatiónem sanctíssimi Nóminis tui, córporis sanitátem et ánimæ tutélam, te auctóre, percípiat. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Deinde illam (vel illas) Sacerdos aspergit aqua benedicta.

FORMULÆ BREVISSIMÆ

Formula Baptismi

Si non habeatur aqua baptismalis, et periculum impendeat, Sacerdos utatur aqua simplici, ter vel etiam semel infundens aquam super caput baptizandi in modum crucis, dicens :

N. Ego te baptízo in nómine Patris, ✠ et Fílii, ✠ et Spíritus ✠ Sancti.

Quodsi dubitet an vivat adhuc, dicat :

Si vivis, ego te baptízo in nómine Patris, ✠ et Fílii, ✠ et Spíritus ✠ Sancti.

Formula administrandi Viatici

Accipe, frater (vel soror), Viáticum córporis Dómini nostri Jesu Christi, qui te custódiat ab hoste malígno, et perdúcat in vitam ætérnam. Amen.

Formula Absolutionis sacramentalis

Ego te absólvo ab ómnibus censúris et peccátis, in nómine Patris, ✠ et Fílii, et Spíritus Sancti. Amen.

Formula Extremæ Unctionis

Per istam sanctam Unctiónem ✠ indúlgeat tibi Dóminus quidquid deliquísti. Amen.

Quodsi dubitet an vivat adhuc, dicat :

Si vivis, per istam sanctam Unctiónem ✠ indúlgeat tibi Dóminus quidquid deliquísti. Amen.

Formula Benedictionis Apostolicæ in articulo mortis

Si mors proxime urgeat, dicat :

Ego, facultáte mihi ab Apostólica Sede tribúta, indulgéntiam plenáriam et remissiónem ómnium peccatórum tibi concédo. In nómine Patris, ✠ et Fílii, et Spíritus Sancti. Amen.

Per sacrosáncta humánæ reparatiónis mystéria, remíttat tibi omnípotens Deus omnes præséntis et

futúræ vitæ pœnas, paradísi portas apériat et ad gáudia sempitérna perdúcat. ℟. Amen.

Benedícat te omnípotens Deus Pater, ✠ et Fílius, et Spíritus Sanctus. ℟. Amen.

In casu vero necessitatis sufficit dicere :

Ego, facultáte mihi ab Apostólica Sede tribúta, indulgéntiam plenáriam et remissiónem ómnium peccatórum tibi concédo, et benedíco te. In nómine Patris, ✠ et Fílii, et Spíritus Sancti. Amen.

Formula Absolutionis generalis impertiendæ Tertiariis sæcularibus in confessionali

Auctoritate a Summis Pontifícibus mihi concéssa, plenáriam ómnium peccatórum tuórum indulgéntiam tibi impértior. In nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. Amen.

Formula ad impertiendam populo benedictionem cum indulgentiæ plenariæ favore in fine concionum (Missionum, Exercitiorum)

Hæc benedictio fit per unicum signum crucis cum Crucifixo, adhibita formula :

Benedíctio Dei omnipoténtis, Patris, ✠ et Fílii, et Spíritus Sancti descéndat super vos, et máneat semper. ℟. Amen.

Decreta authentica S. R. C. 4265 *ad III.*

INDICES

I. — Index Psalmorum numericus

PSALMUS		PAG.	PSALMUS		PAG.
1	Beatus vir. . . .	31	25	Judica me. . . .	148
2	Quare fremuerunt .	31	26, i	Dñs illuminatio . .	86
3	Domine, quid . .	32	26, ii	Exaudi, Domine. .	86
4	Cum invocarem . .	61	27	Ad te, Domine . .	87
5	Verba mea . . .	73	28	Afferte Domino . .	73
6	Dñe, ne in furore .	95	29	Exaltabo te . . .	71
7, i	Dñe, Deus meus . .	96	30, i	In te, Domine . .	88
7, ii	Justum adjutorium.	96	30, ii	Miserere mei, Dñe .	88
8	Dñe, Dñs noster . .	33	30, iii	Quam magna . . .	89
9, i	Confitébor tibi . .	33	31	Beati quorum . .	90
9, ii	Psallite Domino . .	34	32, i	Exsultate, justi . .	91
9, iii	Ut quid, Domine .	34	32, ii	Beata gens . . .	91
9, iv	Exsurge, Domine .	35	33, i	Benedícam Dñm .	164
10	In Domino confido .	35	33, ii	Venite, filii . . .	164
11	Salvum me fac . .	128	34, i	Judica, Domine . .	99
12	Usquequo	128	34, ii	Surgentes testes. .	99
13	Dixit insipiens . .	65	34, iii	Confitebor. . . .	100
14	Dñe, quis habitabit .	66	35	Dixit injustus . .	175
15	Conserva me . . .	129	36, i	Noli æmulari . . .	100
16	Exaudi Domine . .	66	36, ii	Melius est	101
17, i	Diligam te . . .	67	36, iii	Os justi	102
17, ii	Misit de summo . .	68	37, i	Dñe, ne in furore .	103
17, iii	Et dedisti	69	37, ii	Amici mei	103
18, i	Cæli enarrant . .	81	38	Dixi : Custodiam .	104
18, ii	Lex Domini . . .	81	39, i	Exspectans . . .	120
19	Exaudiat te . . .	70	39, ii	Annuntiavi . . .	120
20	Domine, in virtute .	70	39, iii	Confundantur . .	120
21, i	Deus, Deus meus .	218	40	Beatus qui . . .	121
21, ii	Circumdederunt . .	218	41, i	Quemadmodum . .	122
21, iii	Qui timetis . . .	219	41, ii	Ad meipsum . . .	122
22	Dominus regit me .	183	42	Judica me. . . .	106
23	Domini est terra .	80	43, i	Deus, auribus . .	124
24, i	Ad te, Dñe, levavi .	114	43, ii	Nunc autem . . .	124
24, ii	Dulcis et rectus . .	114	43, iii	Si obliti sumus . .	125
24, iii	Oculi mei	114	44, i	Eructavit	131

44, ii	Audi, filia	132
45	Deus noster	133
46	Omnes gentes	72
47	Magnus Dominus	133
48, i	Audite hæc	134
48, ii	Hæc via	135
49, i*	Deus deorum	135
49, ii	Peccatori	136
49, i**	Deus deorum	138
49, ii	Audi, populus	138
49, iii	Peccatori	139
50	Miserere mei	75
51	Quid gloriaris	148
52	Dixit insipiens	149
53	Deus, in nomine	42
54, i	Exaudi, Deus	154
54, ii	Ego autem	155
55	Miserere mei	156
56	Miserere mei	157
57	Si vere	157
58, i	Eripe me	159
58, ii	Deus ostendet	159
59	Deus, repulisti	160
60	Exaudi, Deus	165
61	Nonne Deo	167
62	Deus, Deus meus	37
63	Exaudi, Deus	247
64	Te decet	140
65, i	Jubilate Deo	168
65, ii	Introibo	168
66	Deus misereatur	110
67, i	Exsurgat Deus	169
67, ii	Dominus dabit	170
67, iii	Viderunt	170
68, i	Salvum me	171
68, ii	In multitudine	172
68, iii	Ego sum pauper	173
69	Deus, in adjutorium	198
70, i	In te, Dñe, speravi	198
70, ii	Confundantur	199
71, i	Deus, judicium	183
71, ii	Coram illo	184
72, i	Quam bonus	189
72, ii	Ideo convertetur	189
72, iii	Verumtamen	190
73, i	Ut quid, Deus	191
73, ii	Usquequo	191
73, iii	Memor esto	192
74	Confitebimur	193
75, i	Notus in Judæa	193
75, ii	Tu terribilis es	193
76, i	Voce mea	234
76, ii	Deus, in sancto	235
77, i	Attendite	201
77, ii	Filii Ephrem	202
77, iii	Et apposuerunt	202
77, iv	In omnibus his	203
77, v	Non sunt recordati	204
77, vi	Audivit Deus	205
78	Deus, venerunt	205
79, i	Qui regis Israel	224
79, ii	Vineam de	224
80	Exsultate Deo	206
81	Deus stetit in	225
82	Deus, quis	207
83, i	Quam dilecta	226
83, ii	Domine, Deus	226
84	Benedixisti	210
85	Inclina	235
86	Fundamenta	227
87	Dñe, Deus salutis	271
88, i	Misericordias	228
88, ii	Tunc locutus	228
88, iii	Tu vero	229
89	Domine, refugium	174
90	Qui habitat	62
91	Bonum est	246
92	Dominus regnavit	36
93, i	Deus ultionum	255
93, ii	Beatus homo	256
94	Venite, exsultemus	3
95	Cantate Domino	105
96	Dominus regnavit	149
97	Cantate Domino	173
98	Dominus regnavit	205
99	Jubilate Deo	36
100	Misericordiam	140
101, i	Domine, exaudi	261
101, ii	Tu exsurgens	262
101, iii	Respondit ei	262
102, i	Benedic, anima	271
102, ii	Quomodo	272
103, i	Benedic, anima	263
103, ii	Rigans montes	263
103, iii	Quam magnificata	264
104, i	Confitemini	238
104, ii	Et vocavit	239
104, iii	Misit tenebras	239
105, i	Confitemini Dño	240
105, ii	Et irritaverunt	241
105, iii	Et irritaverunt	242
106, i	Confitemini Dño	243
106, ii	Confiteantur Dño	243
106, iii	Confiteantur Dño	244
107	Paratum	256
108, i	Deus, laudem	266
108, ii	In memoriam	266
108, iii	Libera me	267
109	Dixit Dominus	57
110	Confitebor	58
111	Beatus vir	58
112	Laudate, pueri	59
113	In exitu Israel	59
114	Dilexi, quoniam	92
115	Credidi	93
116	Laudate Dñm	74
117	Confitemini Dño	40
118, i	Beati immaculati	42
118, ii	Retribue	43
118, iii	Legem pone	50
118, iv	Memor esto	51
118, v	Bonitatem	51
118, vi	Defecit	53
118, vii	Quomodo dilexi	53
118, viii	Iniquos	54
118, ix	Mirabilia	55
118, x	Clamavi	56
118, xi	Principes	56
119	Ad Dominum	93
120	Levavi oculos	93
121	Lætatus sum	94
122	Ad te levavi	125
123	Nisi quia	126
124	Qui confidunt	126
125	In convertendo	126
126	Nisi Dominus	127
127	Beati omnes	161
128	Sæpe expugnav.	161
129	De profundis	161
130	Domine, non est	162
131	Memento, Dñe	162
132	Ecce quam	194
133	Ecce nunc	62
134	Laudate nomen	107
135, i	Confitemini	195
135, ii	Qui percussit	195
136	Super flumina	196
137	Confitebor tibi	196
138, i	Dñe, probasti me	230
138, ii	Confitebor tibi	231
139	Eripe me	232
140	Domine, clamavi	232
141	Voce mea	233
142	Domine, exaudi	209
143, i	Benedictus Dñs	268
143, ii	Deus, canticum	268
144, i	Exaltabo te	269
144, ii	Miserator	269
144, iii	Fidelis	269
145	Lauda, anima	141
146	Laudate Dñm	176
147	Lauda, Jerusalem	211
148	Laudate Dñm	38
149	Cantate Domino	245
150	Laudate Dñm	248

II. — Index Psalmorum alphabeticus

119	Ad Dominum	93
41, ii	Ad meipsum	122
27	Ad te, Domine	87
24, i	Ad te, Dñe, levavi	114
122	Ad te levavi	125
28	Afferte Domino	73
37, ii	Amici mei	103
39, ii	Annuntiavi	120
77, i	Attendite	201
44, ii	Audi, filia	132
49, ii	Audi, populus	138
48, i	Audite hæc	134
77, vi	Audivit Deus	205
32, ii	Beata gens	91
118, i	Beati immaculati	42
127	Beati omnes	161
31	Beati quorum	90
93, ii	Beatus homo	256
40	Beatus qui	121
1	Beatus vir	31
111	Beatus vir	58
33, i	Benedicam Dñm	169
102, i	Benedic, anima	271
103, i	Benedic, anima	263
143, i	Benedictus Dñs	268
84	Benedixisti	210
118, v	Bonitatem	51
91	Bonum est	246
18, i	Cæli enarrant	81
95	Cantate Domino	105
97	Cantate Domino	173
149	Cantate Domino	245
21, ii	Circumdederunt	218
118, x	Clamavi	56
106, ii	Confiteantur	243
106, iii	Confiteantur	244
74	Confitebimur	193
9, i	Confitebor tibi	33
34, iii	Confitebor tibi	100
110	Confitebor tibi	58
137	Confitebor tibi	196
138, ii	Confitebor tibi	231
104, i	Confitemini Dño	238
105, i	Confitemini Dño	240
106, i	Confitemini Dño	243
117	Confitemini Dño	40
135, i	Confitemini Dño	195
39, iii	Confundantur	120
70, ii	Confundantur	199
15	Conserva me	129
71, ii	Coram illo	184
115	Credidi	93
4	Cum invocarem	61
118, vi	Defecit	53
129	De profundis	161
43, i	Deus, auribus	124
143, ii	Deus, canticum	268
49, i*	Deus deorum	135
49, i**	Deus deorum	138
21, i	Deus, Deus meus	218
62	Deus, Deus meus	37
69	Deus, in adjutorium	198
53	Deus, in nomine	42
76, ii	Deus, in sancto	235
71, i	Deus, judicium	183
108, i	Deus, laudem	266
66	Deus misereatur	110
45	Deus noster	133
58, ii	Deus ostendet	159
82	Deus, quis	207
59	Deus, repulisti	160
81	Deus stetit	225
93, i	Deus ultionum	255
78	Deus, venerunt	205
114	Dilexi, quoniam	92

17, i Diligam te . . . 67
38 Dixi : Custodiam . 104
109 Dixit Dominus . . 57
35 Dixit injustus . . 175
13 Dixit insipiens . . 65
52 Dixit insipiens . . 149
140 Domine clamavi . 232
7, i Dñe, Deus meus . 96
87 Dñe, Deus salutis . 271
83, ii Domine Deus . . 226
8 Dñe, Dñs noster . 33
101, i Domine, exaudi . 261
142 Domine, exaudi . 209
20 Dñe, in virtute . . 70
6 Dñe, ne in furore . 95
37, i Dñe, ne in furore . 103
130 Domine, non est . 162
138, i Domine, probasti . 230
3 Domine, quid . . 32
14 Domine, quis . . 66
89 Dñe, refugium . . 174
23 Domini est terra . 80
67, ii Dominus dabit . . 170
26, i Dñs illuminatio . 86
22 Dñs regit me . . 183
92 Dñs regnavit . . 36
96 Dñs regnavit . . 149
98 Dñs regnavit . . 208
24, ii Dulcis et rectus . 114

133 Ecce nunc . . . 62
132 Ecce quam . . . 194
54, ii Ego autem . . . 155
68, iii Ego sum pauper . 173
58, i Eripe me . . . 159
139 Eripe me, Dñe . . 232
44, i Eructavit . . . 131
77, iii Et apposuerunt . 202
17, iii Et dedisti . . . 69
105, ii Et irritaverunt . 241
105, iii Et irritaverunt . 242
104, ii Et vocavit . . . 239
144, i Exaltabo te, Deus . 269
29 Exaltabo te, Dñe . 71
19 Exaudiat te Dñs . 70
54, i Exaudi, Deus . . 154
60 Exaudi, Deus . . 165
63 Exaudi, Deus . . 247
16 Exaudi, Domine . 64
26, ii Exaudi, Domine . 86
39, i Exspectans . . . 120
80 Exsultate Deo . . 206
32, i Exsultate, justi . 91
67, i Exsurgat Deus . 169
9, iv Exsurge, Domine . 35

144, iii Fidelis . . . 269
77, ii Filii Ephrem . . 202
86 Fundamenta . . 227

48, ii Hæc via 135

72, ii Ideo convertetur . 189
85 Inclina, Domine . 245
125 In convertendo . . 127
10 In Dño confido . . 35
113 In exitu Israel . . 59
118, viii Iniquos 54
108, ii In memoriam . . 266
68, ii In multitudine . . 172
77, iv In omnibus . . . 203
30, i In te, Domine . . 88
70, i In te, Domine . . 198
65, ii Introibo 168

65, i Jubilate Deo . . 168
99 Jubilate Deo . . 36
34, i Judica, Domine . 99
42 Judica me . . . 106
25 Judica me, Dñe . 148
7, ii Justum adjutorium 96

121 Lætatus sum . . 94
145 Lauda, anima . . 141
147 Lauda, Jerusalem . 211
116 Laudate Dñm . . 74
146 Laudate Dñm . . 176
148 Laudate Dñm . . 38

150 Laudate Dñm . . 245
134 Laudate nomen . 107
112 Laudate pueri . . 59
118, iii Legem pone . . . 50
120 Levavi oculos . . 93
18, ii Lex Domini . . . 81
108, iii Libera me . . . 267

47 Magnus Dominus . 133
36, ii Melius est . . . 101
131 Memento, Dñe . . 162
73, iii Memor esto . . . 192
118, iv Memor esto verbi . 51
118, ix Mirabilia 55
144, ii Miserator . . . 269
30, ii Miserere mei . . 88
50 Miserere mei . . 75
55 Miserere mei . . 156
56 Miserere mei . . 157
100 Misericordiam . . 140
88, i Misericordias . . 228
17, ii Misit de 68
104, iii Misit tenebras . . 239

126 Nisi Dominus . . 127
123 Nisi quia Dñs . . 126
36, i Noli æmulari . . 100
61 Nonne Deo . . . 167
77, v Non sunt 204
75, i Notus in Judæa . 193
43, ii Nunc autem . . 124

24, iii Oculi mei . . . 114
46 Omnes gentes . . 72
36, iii Os justi 102

107 Paratum cor . . 256
49, ii Peccatori . . . 136
49, iii Peccatori . . . 139
118, xi Principes 56
9, ii Psallite Domino . 34

72, i Quam bonus . . 189
83, i Quam dilecta . . 226
30, iii Quam magna . . 89
103, iii Quam magnificata. 264
2 Quare fremuerunt . 31
41, i Quemadmodum . 122
124 Qui confidunt . . 126
51 Quid gloriaris . . 148
90 Qui habitat . . . 62
135, ii Qui percussit . . 195
79, i Qui regis 224
21, iii Qui timetis . . . 219
118, vii Quomodo dilexi . 53
102, ii Quomodo . . . 272

101, iii Respondit . . . 262
118, ii Retribue 43
103, ii Rigans montes . . 264

128 Sæpe expugnav. . 161
68, i Salvum me fac . . 171
11 Salvum me fac . . 128
43, iii Si obliti sumus . . 125
57 Si vere utique . . 157
136 Super flumina . . 196
34, ii Surgentes testes . 99

64 Te decet hymnus . 140
101, ii Tu exsurgens . . 262
88, ii Tunc locutus es . 228
75, ii Tu terribilis es . . 193
88, iii Tu vero 229

73, ii Usquequo, Deus . 191
12 Usquequo, Dñe . 128
73, i Ut quid, Deus . . 191
9, iii Ut quid, Dñe . . 34

94 Venite, exsultemus 3
33, ii Venite, filii . . . 169
5 Verba mea . . . 73
72, iii Verumtamen . . 190
67, iii Viderunt 170
79, ii Vineam 224
76, i Voce mea . . . 234
141 Voce mea . . . 233

III. — Index Canticorum

Audite, cæli 250
Audite verbum 175

Benedicite 37
Benedictus Dominus . . . 9
Benedictus es, Domine . . 74

Cantemus Domino . . . 180
Confitebor tibi 78

Domine, audivi 214

Ego dixi 110
Exsultavit cor meum . . 145

Hymnum cantemus . . . 141

Magnificat 22
Magnus es, Domine . . . 106
Miserere nostri. 247

Nunc dimittis 26

Quicumque 44

Vere tu es Deus 210

IV. — Index Hymnorum

Æterna cæli gloria . . . 212
Æterna Christi munera . [6]
Ales diei nuntius . . . 108
Alto ex Olympi vertice . [154]
Antra deserti teneris . . 646
Auctor beate sæculi . . 346
Aurora jam spargit . . . 253
Ave, maris stella . . . [176]

Beate Pastor, Petre . . . 681

Cælestis Agni nuptias . . 628
Cælestis urbs Jerusalem . [142]
Cæli Deus sanctissime . . 163
Christo profusum . . . [50]
Consors Paterni luminis . 98
Cor, arca legem continens . 358

Decora lux æternitatis . . 676
Deus, tuorum militum . . [30]
Domare cordis impetus . 743
Dum, nocte pulsa . . . 560

Ecce jam noctis 39
Egregie Doctor, Paule . . 683
En ut superba criminum . 346
Exsultet orbis gaudiis . . [5]

Festivis resonent compita . 698
Fortem virili pectore . . [130]

Hominis superne . . . 233
Hujus oratu . . . . . [132]

Immense cæli Conditor . 94
Invicte Martyr, unicum . [41]
Ira justa Conditoris. . . 699
Iste Confessor Domini . . [70]

Jam lucis orto sidere . . 12
Jam sol recedit igneus . . 270
Jesu, corona celsior . . . [100]
Jesu, corona Virginum . [111]
Jesu, Redemptor omnium. [81]

Lucis Creator optime . . 60
Lux alma, Jesu, mentium . 853
Lux ecce surgit aurea . . 177
Lux o decora patriæ . . 741

Magnæ Deus potentiæ . . 197
Maria castis osculis . . . 786

Martyr Dei Venantius . . 557
Memento, rerum Conditor. [196]
Miris modis 814

Nocte surgentes 30
Nox atra rerum contegit . 167
Nox, et tenebræ 142
Nunc, Sancte, nobis . . 18

O gloriosa virginum . . [188]
O nimis felix 657
Opes decusque regium . . 746

Pange, lingua, gloriosi . . 296
Pater superni luminis . . 786

Quem terra, pontus . . . [177]
Quicumque Christum . . 839
Quodcumque in orbe . . 815

Rector potens 19
Rerum Creator optime . 131
Rerum, Deus, tenax . . 20
Rex gloriose Martyrum . [62]

Sacris solemniis 297
Salvete, Christi vulnera . 712
Sanctorum meritis . . . [49]
Sedibus cæli nitidis . . . 737
Somno refectis artubus . 65
Splendor Paternæ gloriæ . 75
Summæ Parens... Da . . 276
Summæ Parens... Nostros. 238
Summi Parentis Unice . . 790

Te Deum laudamus . . . 7
Telluris alme Conditor . . 127
Te lucis ante terminum . 25
Tu Trinitatis Unitas... Nam 201
Tu Trinitatis Unitas... Ortus 287

Ut queant laxis 646

Verbum supernum . . . 308
Virginis Proles... Hæc . . [113]
Virginis Proles... Hujus . [113]

V. — Index Festorum

Abdon et Sennen Mm. . . . . 30 Julii 809
Adaucti et Felicis Mm. Com. . . . . 30 Aug. 949
Ægidii Abbatis . . . . . 1 Sept. 955
Agapiti Mart. Com. . . . . 18 Aug. 903
Agapiti et Soc. Mm. Com. . . . . 6 Aug. 854
Alexii Conf. . . . . 17 Julii 767
Alfonsi Mariæ de Ligorio Ep., Conf. et Eccl. Doct. . 2 Aug. 822
Aloisii Gonzagæ Conf. . . . . 21 Junii 634
Anacleti Papæ et Mart. . . . . 13 Julii 757
Angelæ Mericiæ Virg. . . . . 31 Maji 588
Annæ Matris B. M. V. . . . . 26 Julii 800
Antonii de Padua Conf. . . . . 13 Junii 616
Antonii Mariæ Zaccaria Conf. . . . . 5 Julii 727
Apollinaris Ep. et Mart. . . . . 23 Julii 791
Assumptio B. M. V. . . . . 15 Aug. 887
Augustini Ep. et Conf. . . . . 28 Maji 582
Augustini Ep., Conf. et Eccl. Doct. . . . . 28 Aug. 937

Barnabæ Apostoli . . . . . 11 Junii 607
Bartholomæi Apostoli . . . . . 24 Aug. 926
— Vigiliæ Com. . . . . 23 Aug. 926
Basilidis, Cyrini, Naboris et Nazarii Mm. Com. . . 12 Junii 612
Basilii Magni Ep., Conf. et Eccl. Doct. . . . . 14 Junii 618
Beatricis et Soc. Mm. Com. . . . . 29 Julii 805
Bedæ Venerabilis Conf. et Eccl. Doct. . . . . 27 Maji 576
Bernardi Abbatis et Eccl. Doct. . . . . 20 Aug. 911
Bernardini Senensis Conf. . . . . 20 Maji 565
Bonaventuræ Ep., Conf. et Eccl. Doct. . . . . 14 Julii 759
Bonifatii Ep. et Mart. . . . . 5 Junii 596

Cajetani Conf. . . . . 7 Aug. 855
Camilli de Lellis Conf. . . . . 18 Julii 769
Cassiani et Hippolyti Mm. . . . . 13 Aug. 884
Celsi Mart. et Soc. . . . . 28 Julii 802
Christinæ Virg. et Mart. Com. . . . . 24 Julii 795
Christophori Mart. Com. . . . . 25 Julii 799
Claræ Virg. . . . . 12 Aug. 881
Commemoratio B. M. V. de Monte Carmelo . . . 16 Julii 764
Commemoratio S. Pauli Apostoli . . . . . 30 Junii 683
Cordis Jesu Ssmi. Feria VI post Oct. Ssmi Corp. Christi 343
Cordis Jesu Ssmi Octava 393
Corporis Christi. Feria V post Festum Ssmæ Trinitatis 294
— — Octava 339
Crescentiæ et Sociorum Mm. . . . . 15 Junii 622
Cyriaci, Largi et Smaragdi Mm. . . . . 8 Aug. 860
Cyrilli et Methodii Epp. et Cc. . . . . 7 Julii 737
Cyrini et Sociorum Mm. Com. . . . . 12 Junii 612

Decollatio S. Joannis Bapt. . . . . 29 Aug. 941
Dedicatio S. Mariæ ad Nives . . . . . 5 Aug. 836
Dominici Conf. . . . . 4 Aug. 833
Donati Ep. et Mart. Com. . . . . 7 Aug. 859
Duodecim Fratrum Mm. Com. . . . . 1 Sept. 956

Eleutherii Papæ et Mart. Com. . . . . 26 Maji 572
Elisabeth Reginæ, Viduæ . . . . . 8 Julii 743
Ephræm Syri Diaconi, Conf. et Eccl. Doct. . . . 18 Junii 623
Erasmi Ep. et Soc. Mm. . . . . 2 Junii 591
Eusebii Conf. Com. . . . . 14 Aug. 885

Faustini et Soc. Mm. Com. . . . . 29 Julii 805
Feliciani et Primi Mm. . . . . 9 Junii 603

Felicis et Adaucti Mm. Com. . . . . 30 Aug. 949
Felicis et Naboris Mm. Com. . . . . 12 Julii 752
Felicis I Papæ et Mart. . . . . 30 Maji 587
Felicis II Papæ, Simplicii, Faustini et Beatricis Mm. Com. . . . . 29 Julii 805
Felicissimi et Soc. Mm. Com. . . . . 6 Aug. 854
Francisci Caracciolo Conf. . . . . 4 Junii 593

Gervasii et Protasii Mm. Com. . . . . 19 Junii 629
Gregorii VII Papæ et Conf. . . . . 25 Maji 568
Gulielmi Abbatis . . . . . 25 Junii 659

Henrici Imperatoris, Conf. . . . . 15 Julii 761
Hermetis Mart. Com. . . . . 28 Aug. 938
Hieronymi Æmiliani Conf. . . . . 20 Julii 779
Hippolyti et Cassiani Mm. . . . . 13 Aug. 884
Hippolyti Ep. et Soc. Mm. Com. . . . . 22 Aug. 919
Hyacinthi Conf. . . . . 17 Aug. 900

Ignatii Conf. . . . . 31 Julii 810
Innocentii I Papæ et Conf. ac Soc. Mm. . . . . 28 Julii 802
Inventio S. Stephani Protomartyris . . . . . 3 Aug. 827
Irenæi Ep. et Mart. . . . . 28 Junii 670

Jacobi Apostoli . . . . . 25 Julii 796
— Vigilia . . . . . 24 Julii 796
Joachim, Patris B. M. V., Conf. . . . . 16 Aug. 896
Joannæ Franciscæ Frémiot de Chantal Viduæ . . . 21 Aug. 915
Joannis a S. Facundo Conf. . . . . 12 Junii 612
Joannis Baptistæ Decollatio . . . . . 29 Aug. 941
— Nativitas . . . . . 24 Junii 645
— Octavæ Com. . . . . 1 Julii 713
— Vigilia . . . . . 23 Junii 644
Joannis et Pauli Mm. . . . . 26 Junii 661
Joannis Eudes Conf. . . . . 19 Aug. 908
Joannis Gualberti Abbatis . . . . . 12 Julii 752
Joannis Mariæ Vianney Conf. . . . . 9 Aug. 863
Joannis I Papæ et Mart. Com. . . . . 27 Maji 576
Josephi Calasanctii Conf. . . . . 27 Aug. 933
Julianæ de Falconeriis Virg. . . . . 19 Junii 628

Largi et Soc. Mm. . . . . 8 Aug. 860
Laurentii Mart. . . . . 10 Aug. 867
— Octavæ Com. . . . . 17 Aug. 903
— Vigilia . . . . . 9 Aug. 865

Leonis II Papæ et Conf. . . . . 3 Julii 721
Liborii Ep. et Conf. Com. . . . . 23 Julii 791
Ludovici Regis, Conf. . . . . 25 Aug. 929

Machabæorum Mm. Com. . . . . 1 Aug. 815
Marcelliani et Marci Mm. Com. . . . . 18 Junii 623
Marcellini, Petri atque Erasmi Ep., Mm. . . . . 2 Junii 591
Marci et Marcelliani Mm. Com. . . . . 18 Junii 623
Margaritæ Reginæ, Viduæ . . . . . 10 Junii 604
Margaritæ Virg. et Mart. Com. . . . . 20 Julii 780
Mariæ B. V. Assumptio . . . . . 15 Aug. 887
— — Octava . . . . . 22 Aug. 919
— — Vigilia . . . . . 14 Aug. 885
— ad Nives Dedicatio . . . . . 5 Aug. 836
— de Monte Carmelo Com. . . . . 16 Julii 764
— Visitatio . . . . . 2 Julii 715
Mariæ Magdalenæ de Pazzis Virg. . . . . 29 Maji 585
Mariæ Magdalenæ Pœnitentis . . . . . 22 Julii 786
Marthæ Virg. . . . . 29 Julii 805
Martiniani et Processi Mm. Com. . . . . 2 Julii 720
Methodii et Cyrilli Epp. et Cc. . . . . 7 Julii 737
Modesti et Soc. Mm. . . . . 15 Junii 622

Naboris et Felicis Mm. Com. . . . . 12 Julii 752
Naboris et Sociorum Mm. Com. . . . . 12 Junii 612
Nazarii et Celsi Mm., Victoris I Papæ et Mart. ac Innocentii I Papæ et Conf. . . . . 28 Julii 802
Nazarii et Soc. Mm. Com. . . . . 12 Junii 612
Norberti Ep. et Conf. . . . . 6 Junii 600

Pantaleonis Mart. . . . . 27 Julii 802
Pauli Apostoli Commemoratio . . . . . 30 Junii 683
— Com. . . . . 1 Aug. 814
Pauli et Joannis Mm. . . . . 26 Junii 661
Paulini Ep. et Conf. . . . . 22 Junii 638
Petri Ap. ad Vincula . . . . . 1 Aug. 813
Petri Ap. Com. . . . . 30 Junii 695
Petri Cælestini Papæ et Conf. . . . . 19 Maji 561
Petri et Pauli Apostolorum . . . . . 29 Junii 676
— — Infra Octavam 696
— — Octava . . . . . 6 Julii 733
— — Vigiliæ Com. . . . . 28 Junii 675
Petri et Soc. Mm. . . . . 2 Junii 591
Petronillæ Virg. Com. . . . . 31 Maji 588

Philippi Benitii Conf. . . . . 23 Aug. 924
Philippi Nerii Conf. . . . . 26 Maji 572
Pii I Papæ et Mart. . . . . 11 Julii 751
Praxedis Virg. . . . . 21 Julii 785
Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C. . . . . 1 Julii 697
Primi et Feliciani Mm. . . . . 9 Junii 603
Processi et Martiniani Mm. Com. . . . . 2 Julii 720
Protasii et Gervasii Mm. Com. . . . . 19 Junii 629
Pudentianæ Virg. Com. . . . . 19 Maji 561

Raymundi Nonnati Conf. . . . . 31 Aug. 952
Romani Mart. Com. . . . . 9 Aug. 863
Rosæ a S. Maria Virg. Limanæ . . . . . 30 Aug. 949
Rufinæ Virg. et Soc. Mm. . . . . 10 Julii 747

Sabinæ Mart. Com. . . . . 29 Aug. 942
Sanguinis pretiosissimi D. N. J. C. . . . . 1 Julii 697
Secundæ Virg. et Soc. Mm. . . . . 10 Julii 747
Sennen et Abdon Mm. . . . . 30 Julii 809
Septem Fratrum Mm., ac Rufinæ et Secundæ Vv. et Mm. . . . . 10 Julii 747
Silverii Papæ et Mart. . . . . 20 Junii 633
Simplicii et Soc. Mm. Com. . . . . 29 Julii 805
Smaragdi et Soc. Mm. . . . . 8 Aug. 860
Stephani I Papæ et Mart. Com. . . . . 2 Aug. 822
Stephani Protomartyris Inventio . . . . . 3 Aug. 827
Stephani Regis, Conf. . . . . 2 Sept. 956
Susannæ Virg. et Tiburtii Mm. . . . . 11 Aug. 880
Symphoriani et Soc. Mm. Com. . . . . 22 Aug. 919
Symphorosæ et VII filiorum ejus Mm. Com. . . . 18 Julii 770

Tiburtii et Susannæ Virg., Mm. . . . . 11 Aug. 880
Timothei, Hippolyti Ep. et Symphoriani Mm. Com. . 22 Aug. 919
Transfiguratio D. N. J. C. . . . . 6 Aug. 838
Trinitatis Ssmæ . . . . . Domin. I post Pent. 275

Urbani I Papæ et Mart. Com. . . . . 25 Maji 568

Venantii Mart. . . . . 18 Maji 557
Victoris I Papæ et Mart. ac Soc. . . . . 28 Julii 802
Vincentii a Paulo Conf. . . . . 19 Julii 776
Visitatio B. M. V. . . . . 2 Julii 715
Viti, Modesti atque Crescentiæ Mm. . . . . 15 Junii 622

Xysti II Papæ, Felicissimi et Agapiti Mm. Com. . . 6 Aug. 854

Zephyrini I Papæ et Mart. . . . . 26 Aug. 932

VI. — Index generalis

Approbatio Ordinarii . . . . . ij
Summa Bullarum Summorum Pontificum . . . . . iij
De anno et ejus partibus v
Tabulæ Paschales . . . . . vij
Kalendarium . . . . . xij
Duæ Tabellæ ex Rubricis excerptæ xx
Ordinarium divini Officii 1
Psalterium Breviarii Romani 30
Proprium de Tempore 275
Proprium Sanctorum 556
Commune Sanctorum et partes subsequentes . . . [1] — [280]

VII. — Index Communis Sanctorum et partium subsequentium

In Vigiliis Apostolorum . [1]
Commune Apostolorum . [3]
Commune Evangelistarum [24]
Commune unius aut plurium Summorum Pontif. [28]
Commune unius Martyris . [29]
Commune plurimorum Martyrum . . . . . [49]
Commune Conf. Pontificis [69]
Commune Doctorum . . [87]
Commune Confessoris non Pontificis . . . . . [94]
Commune Abbatum . . [107]
Commune Virginum . . [111]
Commune non Virginum . [130]
Commune Dedicationis Ecclesiæ . . . . . [140]
Commune Festorum Beatæ Mariæ Virg. . . . [174]
Officium sanctæ Mariæ in Sabbato . . . . . [189]
Officium parvum B. M. V. [195]
Officium Defunctorum . . [202]
Psalmi Graduales . . . [227]
Septem Psalmi Pœnitentiales . . . . . [228]
Litaniæ Sanctorum . . . [234]
Ordo Commendationis animæ . . . . . [239]
Formula ad impertiendam Indulgentiam plenariam in articulo mortis . . [245]
Benedictio Mensæ . . . [247]
Itinerarium . . . . . [249]

VIII. — Appendix

Præparatio ad Missam . . . . . [251]
Gratiarum actio post Missam . . . . . [263]
Orationes pro opportunitate sacerdotis dicendæ . . . . [265]

LITANIÆ

Litaniæ de sanctissimo Nomine Jesu . . . . . [270]
Litaniæ de sacratissimo Corde Jesu . . . . . [272]
Litaniæ Lauretanæ B. Mariæ Virg. . . . . [273]
Litaniæ de S. Joseph . . . . . [274]
Formula Consecrationis Sacratissimo Cordi Jesu recitanda . . . . . [275]

BENEDICTIONES

Benedictio imaginum . . . . . [276]
Benedictio domorum . . . . . [277]
Benedictio Rosariorum B. Mariæ Virg. . . . . [277]
Benedictio ad quodcumque comestibile . . . . . [278]
Benedictio ad omnia . . . . . [278]
Formulæ brevissimæ . . . . . [279]

Imprimé en Belgique par la Société de Saint Jean l'Évangéliste,
Desclée & Cie, Tournai. — 4151